

12
32 S
15



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
55
8 H
8



SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM

PARADOXIS

Et monitis moralibus illuſtratum

A B

ALEXANDRO PELLEGRINO

SOCIETATIS IESV.


EVANGELIVM
SECVNDVM MATTHAEVM
PARADOXIS ILLVSTRATVM
P. ALEXANDRO PELLEGRINO
E SOCIETATE IESV
Romæ Typis Heredum Francisci Corbelletti. 1638. Superiorũ pmissu.

SANCTISSIMAE
DEI GENITRICI
MARIAE VIRGINI

Librum hunc laborum ſuorum
tenue Rudimentum
Beneficiorum tamen ingentium
exiguum Oſtimentum
Dat Dicatque

Alexander Pellegrinus Societatis IESV.

LECTOR



IBRVM hunc ſubciſiuis duorum annorum horis inchoatum, & abſolutum amico animo euolue. Euangelicæ veritatis arcana, & ſanctioris inſtituta vitæ propono per Paradoxa, tùm quia hoc dicendi genus à nemine adhuc allatum fuit, tùm etiam quia permultis hac ætate certó ſcio id non eſſe iniucundum.

Vnum oro, vt operis impoliti negligentiam aut breuitati temporis, aut ingenij tenuitati, aut ſi malueris vtrique tribuas, & Valeas.

Mutius Vitellescus, Societatis IESV
Præpositus Generalis.

CVm Sanctum IESV CHRISTI EVANGELIVM secundum Matthæum, Paradoxis, & monitis moralibus illustratum, à P. Alexandro Pellegrino nostræ Societatis; aliquot eiusdem Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita Illustriss. & Reuerendiss. D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 7. Augusti 1637.

Mutius Vitellescus.

Loco ✠ Sigilli.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag Sacri Palatij Apost.

I. B. Episc. Camerin. Vicesger.

SAnctum IESV CHRISTI EVANGELIVM secundum Matthæum, Paradoxis, & monitis moralibus illustratum. Opus P. Alexandri Pellegrini Societatis IESV, ex mandato Reuerendiss. Patris Nicolai Riccardij Sacri Palatij Magistri recognoui, & nihil in eo reperi, quod Catholicis Doctoribus, & pijs moribus consonum non sit; imò iudico futurum maxime gratum, & commodum omnibus sacræ Scripturæ studiosis, & præcipuè concionatoribus, tum propter nouum morem per Paradoxa commentandi, tum quia eruditionem non vulgarem, Sanctorum Patrum placita selecta, & ex proprio marte sententias & monita valde ingeniosa contineat, quapropter tam egregium opus typis dignissimum existimo. In Collegio Rom. 10. Septemb. 1637.

Ita iudico ego Torquatus de Cuppis Societatis IESV.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacr. Apost. Palatij Magist. Ord. Prædicatorum.

INDEX PARADOXORVM QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat.



IN CAPVT PRIMVM.

Vita,

IN CAPVT SECVNDVM.

Mors

IN CAPVT TERTIVM.

Nullum

IN CAPVT QVARTVM.

IN CAPVT QVINTVM.

Aliena

PARADOXORVM.

IN CAPVT SEXTVM.

INDEX RERVM
QVAE AD CONCIONES
PER TOTVM ANNVM CONFICIENDAS
Deseruire possunt.



AD CONCIONES DE TEMPORE.

Vide

Vide Paradox. 2. in Cap. 3. Copiosissimum Ioannis elogium, cum dicitur Vox. pag. 201. 1. B.

Ibidem. Ioannes ad significationem eximiæ humilitatis ait: *Non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti eius*; Ioannes, inquam, ille, qui è stirpe Sacerdotum natus erat, qui vt Lucifer Christi solis fuerat electus, qui omnium nobilitate virtutum insignis erat, de quo Christus ipse ait. *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne*. Hinc intellige nobilem virtute, & morum gloria, omnemque fidelem debere esse animo humili, ac demisso quod est in Paradox. 5. in Cap. 1. Nobilis debet esse abiecto animo. pag. 26. 1. B.

Dominica Quarta Aduentus.

LVc. 3. num. 3. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum Pœnitentiæ, &c.* Pœnitentia Vita, Impœnitentia Mors. Etenim, vt suadeat pœnitentiam Ioannes minatur securem ad radicem arboris positam esse, videlicet, impius, infructuosæ arboris instar, tollendus è medio est immortali absumendus incendio inferorum.

Ages itaque de pœnitentia citissimè faciendá post culpam. Et vide Paradox. 1. in Cap. 3. Qui pœnitentiam differt sui homicida. pag. 197. 1. B.

IN NATIVITATE DOMINI.

IVxta Isaiæ vaticinium Christus Dominus nascitur princeps; vel quia tot inter incommoda nascitur cum ex Paradox. 17. in Cap. 2. Sola vitæ asperitas Principes faciat. p. 150. 2. B. Vel quia nascitur in Bethelem Iuda, cum Bethelem domus panis interpretetur, principatu se dignum esse euincit; quippè ex Paradox. 1. in Cap. 2. Prima Principis dos annonæ vilitas. pag. 74. 1. B.

Vel quia is principatu est dignus, qui solum præest, vt prosit non sibi, sed alijs ex Paradox. 7. in Cap. 2. 104. 1. C.

In Festo S. Stephani Protomartyris.

DVm inter saxorum crepitantium turbines quatitur Stephanus, cœlestis patriæ conspectu fruitur iucundissimè. Nimirum diuino beneficio fit, vt apprimè intolerabile fit vnicè amabile, vt habetur Paradoxo 3. in cap. 4. pag. 325. 1. B.

Vel certè S. Stephanus meritò adipiscitur coronam beatitatis, quam præfert in nomine, quia seruus Dei tunc maximè victor est, cùm videtur victus iuxta Paradoxum 13. in cap. 5. pag. 375. 2. C.

In Festo S. Ioannis Apostoli, & Euang.

IOann. 21. num. 20. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, &c.* Ioannes placuit Deo, & singulariter fuit ab eo amatus propter virginitatem. Vide Parad. 11. in cap. 7. Imbellis Virginitas inuicta propugnatrix pag. 57. 1. B. & Parad. 25. in cap. 2. Inermis virginitas, Angelorum fœdere nusquam non tuta, pag. 181. 2. C.

In Festo Sanctorum Innocentium.

MAtth. 2. num. 13. *Futurum est; vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Vide Parad. 6. in cap. 2. Timeri cum vult Princeps, sibi soli timorem creat. pag. 100. 1. B.

Argumentum aptissimum, & elegans esset Parad. 14. in c. 4 In Christi militia nullus tyro: pag. 309. 1. D. Pueri enim Innocentes tyrunculi videntur fuisse in militia Christi, & tamen locum veteranorum occuparunt.

Dominica infra octauam Natiuitatis Domini.

LVcæ cap. 2. num. 34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam. ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius*: Priùs benedicit, & deinde prædicit aspera: angustias, ruinam, dolores, cruciatus; vt intelligamus cum Iustis sic agi, vt, accepta à Deo benedictione, subeant incommoda, quo fit, vt illis omnis amaror fit dulcis, quod demonstratur Parad. 4. in cap. 6. pag. 340. 1. C.

In Festo Circumcisionis Domini.

SAnguinem fundens tenellus puer docet exemplo suo mite genus crudelitatis, quo pie in se ipsum impius, sæuire possit Christifide-

 lis,

comburendum: quia maxima mundi bona, minimè bona sceleſtis, vt habetur Parad. 6. in cap.6.pag.410.2.B.

Dominica 6. poſt Epiphaniam.

MAtth. 13.num.31. *Simile eſt Regnum Cælorum grano ſynapis*. Minimo ſemini, quod mirum in modum excreſcit, iuſti viri animus comparatur, quia Chriſtianæ perfectionis hoc proprium eſt, vt etiam in minimis maximus ſit ſeruus Dei; ac propterea etiam comparatur fermento, quod modicũ licet, fermẽtat tamẽ totã maſſam. vide Parad. 26. in cap. 2. Chriſtianus Heros in minimis maximus, p. 190. 1.C.

Dominica Septuageſimæ.

SEmel atque iterum; imò tertiò otioſos vocat ad laborẽ bonus paterfamilias. Matth. 20. num. 3. *Egreſſus circa horam tertiam vidit alios ſtantes in foro otioſos*. Et. *iterum autem exijt*: ſic habes num. 5. *circa ſextam, & nonam horam, & fecit ſimiliter*. Demum ſequenti nu. 6. leges: *Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Cur tantâ ſollicitudine ab otio deſides reuocat? Sanè quia vir probus nullum peccatum tàm proprium exiſtimare debet, quàm quod alienum, adeòque ſummo ſtudio vitandum, vide Paradoxum 12. in cap. 3. pag. 245. 1. D.

Vel certè iſti Operarij, qui modò otioſi dicuntur, modò in vinea Domini laborantes; modò arguuntur vtpote otio torpeſcentes, modò laudantur, vt mercede digni; repræſentant propterea conditionem hominum, qui vel optimi ſunt, vel peſſimi iuxta Paradoxum 9 in cap. 3. pag. 231. 2.C.

Matth. 20.num.9. *Cùm veniſſent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios*. Per vnam horam laborant, & integram recipiunt mercedem; quia ſeruorum Dei nullum opus, niſi maximum, licet ergo exiguum ſit, quod Deo ſeruientes perficimus digno diuina beneficentia præmio donamur. Vide Paradoxum 12. in Cap. 5. pag. 368. 2.C.

Dominica Sexageſimæ.

LVcæ 8. *Et ortum fecit fructum centuplum*. fęlix, qui accepto diuinæ gratiæ ſemine tam vberes fructus reddit; reddit autem, ſi incolendo ſui cordis agro operam ponere voluerit. Habes Paradoxum 8. in Cap. 3. Coloni ignobilis imperium inclitum. pag. 225. 2. C.

Ibidem num. 14. *Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, &c.* Ergo diuitiæ, & voluptates, quas tanti faciunt homines, tantam afferunt perniciẽ. Conſule Paradoxum 7. in Cap. 6. maximum infortuniorum fęlicitas. pag. 414. 2.C.

Dominica Quinquageſimæ.

LVcæ 18. Cæco illuminato omnis plebs dedit laudem Deo, vt legitur num. 43. huius Capitis. Quia rudes etiam intelligunt Diuinum eſſe, opem ferre, & beneficia conferre. Vide Paradoxum 14. in Cap. 5. pag. 375. 2.B.

Ibidem dicitur de hoc fęlici cæco, *ſequebatur illum magnificans Deum*. Hac alacritate, qua ſequitur Dominum ſuum, manifeſtum facit Dei ſeruis minimè difficiles eſſe difficultates, iuxta ea, quæ dicuntur Parad. 1. in Cap. 5. pag. 316. 1. B. Quis ergo, ablata peccati cæcitate ſequi renuat Chriſtum, quaſi arduum ſit Chriſtianę perfectionis iter conficere?

Feria quarta Cinerum.

IOel 2. *Conuertimini ad me*, &c. Vide Paradoxũ 3. in Cap. 3. Pia impietas, & mitis crudelitas, ſeu de carnis maceratione. pag. 206. 1. B.

Matth. 6. *Theſaurizate autem vobis theſauros in Cœlo* &c. Auaritia maximè laudabilis. Parad. 14. in Cap. 2. pag. 137. 1. B.

Ibid. Hoc die ſolet agi de ieiunio, cuius admirabilis eſt virtus aduerſus Dæmonem, vide multa de eo in Paradox. 5. in Cap. 4. tit. Miles Chriſti quò imbellior eò fortior. pag. 270. 2. B.

Poteſt etiam ſumi argumentum ex eo, quod in Quadrageſima videatur reſtaurare ſuas Eccleſia copias aduerſus hoſtes mundum, carnem, Diabolum; adeòque dices illum eſſe aptiorem militem, qui ſit imbecillior. Paradoxo citato.

Ibidem occaſione Cinerum, qui ſunt reliquiæ deuaſtati per mortem corporis, & occaſione voluptatum, quæ diebus Bacchanaliorum præcedentibus ſolent vſurpari non ſine dolore omnium bonorum non incongruum probare Paradoxum 10. Cap. 5. Voluptas deuaſtat, non delectat. pag. 357. 1. D.

Vel certè cum cineres ſuper hominum capita imponantur, declarare velle videtur Eccleſia hiſce

Fer.

Feria tertia post Dominicam primam Quadragesimæ.

MAtth. 21. nu. 12. *Et eijciebat omnes vendentes*, &c. Eijciuntur à domo Dei, qui Deum offendunt, quia isti vtpotè inhonorati sie excipi debent, & expelli, tanquam indigni. vide Parad. 21. in Cap. 2. Peccator inhonoratus, & stultus.

Ibid. num. 10. *Quis est hic?* Admiratione perfusa vniuersa ciuitas Ierosolymæ clamat. Et tamen hominum laudes summo studio fugiebat magister humilitatis Christus. Videlicet quò magis se se abscondit, eò clarior enitescit inter tenebras humilitatis christiana virtus. Vide Paradoxum 6. in Cap. 5. Amica societas lucis, ac tenebrarum. pag. 340. 1. C.

Feria quarta post Dominicam primam Quadragesimæ.

MAtth. 12. num. 43. *Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit reuertar in domum meam, vndè exiui, &c. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se*, &c. Agere potes de recidiuis, quorum miserrimam conditionem explicat Paradoxum 5. in Cap. 3. Etiam pœnituisse peccatori noxium. pag. 215. 1. B.

Feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ.

MAtth. 15. num. 22. *Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei, Miserere mei Domine fili Dauid*, &c. Hic solet agi de Oratione, de qua vide Paradox. 13. in Cap. 1. Otium minimè otiosum; nam qui orationi vacat, & otiari videtur, minimè otiosus est. pag. 66. 2. C.

Vel certè, & fortè meliùs. Oratio huius mulieris, non sine magno labore, & incommodo fit. Etenim clamat, en conatus vocis: Egreditur finibus suis, en labor itineris, & molestia, quam; mulieres præsertim experiuntur, cum suis finibus egredi compelluntur; repulsam patitur, en angor animi, & tamen orare non desinit; vt discamus eam esse Deo gratam orationem, quæ simul suauissima sit, & laboriosissima, ex Parad. 3. in Cap. 6. pag. 395. 2. D.

Feria sexta post Dominicam Primam Quadragesimæ.

IOann. 5. num. 7. *Respondit ei languidus. Domine, hominem non habeo*. Et ideò inuenit Deum. Vide Paradox. in Cap. 4. Virtus penitus destituta, maximè tuta. pag. 294. 2. C.

Ibid. num. 11. *Sabbatum est; non licet tibi tollere grabatum tuum, &c.* Iudæi hæc dixerunt, vt ostenderent zelum obseruantię Sabbati, & religionem ergà festos dies commendarent. Hoc zelo sibi ipsi, & virtuti religionis seipsos maximè infensos declarabant. Vide Paradox. 4. In Cap. 3. Improbus virtutem laudans, & sibi, & virtuti nocentissimus. pag. 210. 1. B.

Ibid. num. 3. *Multitudo languentium cæcorum, aridorum, &c.* apertè ostendit peccatorũ ærumnas, ac morbos: Peccatum enim miseriarum causam esse certum est. Vndè, improbitate sublata per pœnitentiæ lauacrum, incolumem ducimus vitam. Solus quippè improbus ærumnosus. Vide Paradox. 13. in Cap. 4. pag. 305. 2. B.

Ibid. Hic homo languidus peccatoris symbolum est, ideoque benè queritur se hominem non habere; Peccator enim non solum auxilio, sed etiam nomine hominis indignus est, quod fusè probatur. pag. 282. 2. B.

Dominica Secunda Quadragesimæ.

MAtth. 17. num. 1. & 2. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, &c.* Vt Diuinitatis specie fruantur discipuli, ducuntur in montem solitudinis, quia solitudinis priuilegium est Diuinitate donare. Disce te te subducere ab hominum frequentia, quod insinuat Paradox. 7. in Cap. 3. Villosus in Eremo Ioannes simulacrum Diuinitatis. pag. 222. 1. C.

Vel certè ad incendenda discipulorum corda ad studium perfectionis, illustre Christi trãsfigurati spectaculum exhibetur, vt cælestium bonorum magnitudine capti, terrena despiciant ad maiora nati, quàm vt fluxis seruiant bonis. Nullum igitur efficacius remedium erit ad sanctitatem comparandam, quàm vt Christi fidelis suam agnoscat dignitatem, & sanctè superbire discat. Vide Paradox. 4. in Cap. 1. Christianus debet esse superbus. pag. 19. C. 2.

Feria

Feria secunda post Dominicam secundam Quadragesimæ.

IOann. 8. num. 21. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, &c.* Vide Paradox. 1. in Cap. 3. Qui pœnitentiam differt sui homicida. pag. 197. 1. B.

Vel certè Christus Dominus, vt superbiam Iudæorum retundat, qui nolebant, vt par erat, se subdere Deo suo, palam pronunciat se esse filium Dei, & rerum omnium principium. Num. 25. *Dixit eis Iesus: principium, qui, & loquor vobis.* Insuper suam confirmat Diuinitatem, & voluntatem semper Deo benè placentem. Num. 28 *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à me ipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. & qui me misit mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.* Cur obsecro tam magnificè se loquitur, qui de se tàm demissè semper sensit. Crediderim, quia docere nos voluit, remedium nullum excogitari posse ad superbiam impiorum retundendam, quàm superbiam, ex Paradox. 3. in Cap. 6. Vnicum superbiæ remedium, superbia. pag. 390. 2. D.

Vodè superius exprobrauerat. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini: Quo ego vado vos non potestis venire. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Simili loquendi modo vtamur in prauas cupiditates, in scelestos in Dæmones, vt sancta superbia, superbiam profligemus.

Feria tertia post Dominicam secundam Quadragesimæ.

MAtth. 23. num. 2. *Super cathedram Moysi sederunt, &c.* Vide Parad. 12. in Cap. 4. Obedienti facillimæ difficultates. pag. 302. 1. C.

Matth. 23. num. 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram, &c.* Quia nobilitas vera non ducitur à Patre terreno, sed cœlesti, & ideò ei solummodò cari, qui Deo parente gloriantur. Vide Paradox. 7. in Cap. 1. pag. 35. 2. B. Nobiles solummodò Deo Cari.

Ibidem. Loquens Christus de Scribis, & Pharisæis ait. num. 4. *Dicunt, & non faciunt;* qua occasione agendum est de cognitione, & scientia iungenda cum operibus, quod sumi potest ex Parad. 5. in Cap. 2. pag. 95. 2. B. Vera sapientia nullo magistro, sed proprijs tantum laboribus discitur.

Feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

MAtth. 20. num. 20. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, &c.* Petit vt filij sedeant vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram, cui Christus respondit. Nescitis quid petatis. Nam sola humilitas tribulationum, & calicis poterat exaltare, idcòque pertractandum est id quod in Paradox 15. in Cap. 2. Sola demissio exaltatrix. pag. 140. 2. B.

Vel certè, vt num. 22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* plena cœlesti sapientia interrogatio. Principatum petebant, & ideò proponuntur aspera, cruces, mors, tormenta, vno verbo calix passionis, quia inter seruos Dei, sola vitæ asperitas Principes facit ex Paradox. 17. in Cap. 2. pag. 150. 2. B.

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

MAtth. 16. num. 19. *Homo quidem erat diues, &c.* & num. 22. *Et sepultus est in inferno.* Aduertenda est connexio. Erat diues atque vt diuites solent inter delicias vitam duxit; & sepultus est in Inferno, quia ex Paradox. 1. in Cap. 6. Omnis diues stultus improbus. pag. 385. 1. C.

Ibidem. Lazzarus cœlestibus diuitijs locuples dicitur, quia ex Paradox. 2. in Cap. 3. Nemo diues nisi pauper. pag. 321. 1. B.

Vel certè in Epulone diuite, & omnibus bonis affluente, scelesto tamen, & flagitioso; peccatorum agnosce calamitatem, quibus ne ipsa quidem bona sunt bona ex Paradox. 6. in Cap. 6. Maxima mundi bona minimè bona scelestis. pag. 410. 2. B.

Feria sexta post Dominicam secundam Quadragesimæ.

MAtth. 21. num. 33. *Homo quidam erat Paterfamilias, &c.* Dominus narrat parabolam vineæ; sumpta occasione ex peruerso consilio agricolarum, qui occiderunt seruos Patrisfamilias, & tandem ipsum filium, vt vineam possiderent, & propter hoc vineam perdide-

diderunt, ipsiq. omnes in dispersionem eiecti sunt. Tractari potest id quod est in Paradox. 8. in Cap. 2. Sapientia insipiens. pag. 109. 2. B. Stultissimi enim sunt, qui inter mortales videntur maximè callidi, ac sapientes, nam prudentia huius mundi stultitia est apud Deum.

Ibidem. Dum agricolæ hæredem interficiunt, & seruos Domini lapidatos obruunt videri possunt felices, vtpotè compotes votorum suorum; sed hinc oritur eorum pernicies, quod omnibus peccatoribus accidit, de quibus dici potest maximum infortuniorum felicitas, ex Paradox. 7. in Cap. 6. pag. 414. 2. B.

Dominica tertia Quadragesimæ.

LVc. 11. num. 24. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, &c. Tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, &c.* Vide Paradox. 3. in Cap. 4. Dæmon magis timendus victus, quàm victor. pag. 264. 2. D

Vide feriam quartam post Dominicam primam Quadragesimæ.

Feria secunda post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

LVcæ 4. num. 29. *Et surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, &c. ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Nullo metu concutitur Christus Dominus, furore percitis inimicis; vt doceat exemplo suo quod est in Paradox. 10. in Cap. 4. Virtus penitus destituta maximè tuta. pag. 294. 2. C.

Vel certè, sicuti Pharisæi non erudiuntur sermone Christi Domini, ita Christus Dominus non pertimescit eorum impetum, quia ex Paradox. 2. in Cap. 4. Bonis nihil accidit mali, malis nihil boni. pag. 158. 2. B.

Feria tertia post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

MAtth. 18. num. 15. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. De correctione fraterna vide Paradoxum 12. in Cap. 3. Nullum peccatum tàm nostrum, quàm quod alienum. pag. 126. 2. A.

Feria quarta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

MAtth. 15. num. 2. *Non enim lauant manus*, &c. Discant qui Deo seruiũt. Nullam culpam leuem esse ex Parad. 8. in Cap. 5. pag. 347. 1. C. Quandoquidem Christi discipuli reprehenduntur, eò quòd manus non lauent.

Ibid. simulato traditionum zelo, occultant inuidiam, & malitiam Pharisæi, eòque peiores, quò magis ficto virtutis pallio crimen tegunt, quod conuenit cum Paradox. 11. in Cap. 2. pag. 122. 2. B.

Feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

LVc. 4. num. 38. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, &c. Christus curauit socrum Simonis, & post Solis occasum, ait textus num. 40. *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens curabat eos;* Nimirum, vt se verum Regem, & Principem ostenderet, omnibus beneficia impertiebatur, quia non præest, qui non prodest, vt est in Parad. 7. in Cap. 2. pag. 104. 2. C.

Ibid. Socrus Simonis inter morbi ærumnas Christum Reparatorem experitur, quia Dei seruis aduersitates minimè aduersæ ex Parad. 10. in Cap. 1. pag. 50. 2. C.

Ibidem. Increpans Dominus Dæmones laudantes, non sinebat eos loqui, quia Diabolus, dum minus, nocet maximè nocet, ex Parad. 11. in Cap. 3. pag. 241. 1. C. Adeòque magis vitandus.

Feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

IOann. 4. num. 5. *Venit Iesus in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. &c.* Agit Christus de voluptatũ aquis venenatis fugiendis, & inuitat Samaritanam ad bibendum aquam salientem in vitam æternam. Igitur probandum erit, squas voluptatum esse infectas veneno, & qui eas cupit, mortem cupere. Vide Paradox. 6. in Cap 3. Venenum concupitum. pag. 218. 1. C.

Ibidem num. 6. *Fatigatus ex itinere.* Christus Dominus vsque ad lassitudinem, ieiunus sui, & discipulorum oblitus totus est in erudienda Samaritana, & oblatos à discipulis cibos respuit.

Cur

Dominica de Passione.

IOann. 8. num. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato*; &c. Vt doceat Principem siue Ecclesiasticum, siue sæcularem, tàm innocenti vita esse debere, adeòque liberum ab omni, vel leuissima culpa, vt confidentissimè etiam Aduersarijs suis possit dicere. *Quis ex vobis*, &c. quandoquidem in Superiore nulla culpa est leuis: in eo enim, vel leuissima macula turpissima est. Igitur potest hoc argumentum desumi ex Parad. 9. in Cap. 2. In Principe nullum crimen leue. pag. 113. 2. A.

Ibid. Christianus debet ad talem innocentiã peruenire, vt hoc idem de se possit dicere. *Quis ex vobis arguet*, &c. Sed qui se vitijs mancipat, cum sit animo vili, & abiecto, nunquam poterit ad hanc gloriam peruenire. Igitur celso, elato & nobili animo sit Christianus, ita vt possit dicere. Non seruio vitijs, non me submitto vilibus terræ amoribus, sed vni Deo tantùm seruio, atque adeò tractari potest quod est in Paradox. 4. in cap. 1. Christianus debet esse superbus. pag. 19. 2. C.

Ibidem recedere dicitur Christus, quasi timore compulsus, vt doceat quod est in Parad. 23. in Cap. 5. Neminem victorem esse nisi victum. pag. 375. 2. C. Dum ab aduersarijs molestia afficeris, vt vincas, vincaris necesse est, ferendo æquo animo, & tolerando contraria.

Feria secunda post Dominicam Passionis.

IOann. 7. num. 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quæretis me, & non inuenietis.* Vide Parad. 1. in Cap. 3. Qui pœnitentiam differt, sui homicida. pag. 197. 1. A.

Ioann. 7. num. 37. *Si quis sitit veniat ad me.* Ex his verbis deduci potest argumentum pertractandum, quod est in Parad. 4. in Cap. 2. solũ qui sibi sapit, minimè sapiens; nam Christus nõ sibi soli sapit, dum suam doctrinam, suam gratiam vult omnibus communicare; cuius exemplo communicare debemus alienæ vtilitati sapientiam nostram. pag. 91. 1. B.

Feria tertia post Dominicam Passionis.

IOann. 7. num. 1. *Ambulabat Iesus in Galilaam; Non enim volebat in Iudaam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Parad. 16. in Cap. 2. Miles omnium gloriosissimus, qui hostes fugit. Nam si Christus fugit, Sampsone fortior, non est timidi fuga, sed fortis, pag. 345. 2. A.

Ibid. nu. 8. ait Christus *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam.* & paulò post ascendit; dicitur enim num. 10. *Et ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Mirot equidem hunc loquendi, & agendi modum; sed omnem adimit admirationem monitum diuinæ Sapientiæ, quo Christus Dominus docet, virtutis amatorem esse debere versipellem, & astutum. Vide Parad. 5. in Cap. 6. Omnis virtus vera, fucata, & versipellis, pag. 404. 2. B.

Feria quarta post Dominicam Passionis.

IOann. 10. num. 25. *Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Vide Parad. 9. in Cap. 1. Vita, vel inuita seipsam prodit, pag. 45. 1. B.

Feria quinta post Dominicam Passionis.

LVc. 7. num. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, &c. Dicitur de Magdalena, quod dilexerit multum, cùm tamen parua, & pauca fecerit. Vide Paradox. 26. in Cap. 2. Christianus Heros in minimis maximus, pag. 190. 1. C. Vide etiam Parad. 12. in Cap. 5. Seruorum Dei nullum opus nisi maximum, pag. 368. 2. C. Vndè mirum non est, si tanti fiant, & lacrimulæ, & capillorum osculorumque obsequia, quæ cæteroquì non videntur magni momenti.

Ibid. Abit in lacrymas Magdalena, & torquetur memoria anteactæ vitæ. Videlicet ex Paradox. 11. in Cap. 5. Amara omnis dulcedo, pag. 364. 1. C.

Feria sexta post Dominicam Passionis.

IOann. 11. num. 47. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi Concilium*, &c.

In Concilio Scribarum, & Pharisæorum agi-

C cur

In die Palmarum.

Dominica Resurrectionis.

Feria secunda post Pascha.

Feria tertia post Pascha.

Dominica in Octaua Paschatis.

Dominica secunda post Pascha.

Dominica tertia post Pascha.

IOann. 16. num. 20. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit*. Quæ noua consolãdi ratio isthęc? proponit suis Discipulis Christus mundi gaudia, suorum verò lacbrymas? sed benè, vt ostenderet discipulis vtiliores fore ipsis lacbrymas, quàm mundo gaudia. Bonis enim nihil accidit mali, immò multum boni, dum malis conflictantur; malis verò nihil boni, etiãsi bonis videantur circumfluere, pag. 258. 2. B.

Vel certè fallax est impiorum gaudium, ex Parad. 6. in Cap. 6. Maxima mundi bona, minimè bona scelestis, pag. 410. 2. A. et ex Paradox. seq. Maximum infortunioru felicitas, pag. 414. 2. B. Igitur melior est mœror iustorum, quàm impiorum gaudium.

Dominica quarta post Pascha.

COrda discipulorum dicuntur impleta tristitia, et simul promittitur Spiritus sanctus, qui *Pater* est *totius consolationis*, vt loquitur Apostolus, quia verè seruis Dei omnis amaror dulcis est ex Paradox. 4. in Cap. 6. pag. 340. 1. B.

Dominica quinta post Pascha.

IOann. 16. num. 24. *Petite, & accipietis*, etc. De oratione, Parad. 13. in Cap. 1. Otium minimè otiosum. pag. 66. 2. B.

De Oratione, quæ hoc Euangelio suadetur, agit etiam Parad. 3. in Cap. 6. Oratio iusti laboriosissima simul, et suauissima. pag. 395. 2. C.

In die Ascensionis Domini.

MArc. 16. num. 15. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*, etc. Ex hoc captari potest occasio tractandi ad mores dè eo, quod est in Parad. 18. in Cap. 2. Sanctus, vel vbique, vel nullibi; mittuntur enim Apostoli ad omnes gentes, nec mutando regiones mutant mores. pag. 155. 2. B.

Vel certè iubent Angeli rem arduam, quia sciunt obedienti facillimas difficultates ex Parad. 12. in Cap. 4. pag. 302. 1. C.

Dominica infra octauam Ascensionis.

PRædicit Christus Dominus Ecclesiæ tribulationes, et angustias, quibus vexabitur ab aduersarijs. *Absque synagogis facient vos sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*. Sumi potest argumentum ex Paradox. 3. in Cap. 5. Apprimè intolerabile, vnicè amabile, pag. 325. 1. B. Vbi demonstratur angustias iustorum, tristes licet, et insuaues amandas, et optandas esse, vel certè sumi potest argumentum ex Paradox. 3. in cap. 5. Amica societas lucis, et tenebrarum, pag. 340. 1. C. ex quo patet iustorum virtutem inter aduersa fieri illustriorem.

Dominica prima post Pentecosten.

LVc. 6. num. 36. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*, &c.

Filij Dei nuncupantur misericordes, & meritò, quia misericordes donantur quodammodò Diuinitate. Vide Parad. 14. in Cap. 5. Aliena calamitas semen Diuinitatis, pag 375. 2. B.

Magna cum emphasi, vt scelestos reprehendat Christus Dominus vocat Hypocritas. Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo. Vide Parad. 11. in Cap. 2. Qui cautè peccat flagitiosorum pessimus, pag. 122. 2. A.

In Festo Sanctissimi Corporis Christi.

COelestis conuiuij præstantia quanta sit, & quantam requirat dignitatem in eo, qui tantæ accumbit mensæ, vide ex Paradox. 7. in Cap. 2. pag. 38. 1. A. & seq.

Dominica secunda post Pentecosten.

QVi vocantur ad cœnam excusant se, quia detenti, vel delicijs, vel diuitijs venire non possunt. Videlicet fatentur inuiti libertatem, qua fruuntur, seruam esse. è contra, qui inuitati ad cęnam intrare compelluntur, liberam ineunt seruitutem, Vide Parad. 9. in Cap. 4. Libertas serua, seruitus libera pag. 290. 2. C.

non sit iniustus, raptor, & sic magis delinquit. Vide Parad. 11. in Cap. 3. Malus Dæmon, dum minus nocet, maximè nocet, pag. 241. 1. C. Vel Parad. 5. in Cap. 3. Etiam pœnituisse peccatori noxium, pag. 215. 1. B.

Dominica vndecima post Pentecosten.

QVò magis se demittit Christus Dominus eò altius extollitur laudibus populorũ: seorsum ducit cœcum, & surdum, vt lumen oculis, auditum auribus reddat fugiens in tàm illustri miraculo conspectum circumstantium; deindè præcipit, ne cui dicat, & tamen tantò magis plus prædicabant, & amplius admirabantur. Videlicet ex Parad. 15. in Cap. 2. Sola demissio exaltatrix, pag. 140. 2. D.

Dominica duodecima post Pentecost.

HOdiernum Euangelium est de Samaritano, qui curauit hominem vulneratum à latronibus. Samaritanus meritò laudatur, quòd afflicto, & vulnerato opem tulerit: Nempè alienis calamitatibus subuenire Diuinum est. Vide Paradox. 14. in Cap. 5. Aliena calamitas semen Diuinitatis, pag. 375. 2. B.

Vel certè laudatur Samaritanus; cùm tamen oleum infuderit, & vinum, quæ si cui fortè videantur parui momenti, & minus digna, quæ à Dei Filio laudentur, meminerit is, Seruorum Dei nullum opus esse, nisi maximum, ex Parad. 12. in Cap. 5. pag. 368. 2. C.

Dominica 13. post Pentecosten.

INter decem mundatos, vnus tantùm accedit ad Iesum. Vtinam verum non esset quosdam ipsa abuti pœnitentia. Vide Paradox. 5. in Cap. 3. Etiam pœnituisse peccatori noxium, pag. 215. 1. B.

In leprosis peccatorem recognosce, & in lepra ærumnas, quibus vexantur impij, in Parad. 13. in Cap. 4. Solus improbus ærumnosus, pag. 305. 2. B.

Dominica 14. post Pentecosten.

MAtth. 6. Pluribus Dominis seruire affectat impius, hoc est tot, quot sunt prauæ cupiditates, quod tamen fieri nequit. Nempè verum est, quod habetur Parad. 21. in Cap. 2. Peccator inhonoratus, & stultus, pag. 169. 2. D. Inhonoratus quidem, quia seruitutem amat multiplicem; stultus quia quærit, quod fieri nequit ex oraculo sapientiæ cœlestis. *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Ibid. *Quærite ergò primum Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Audite cupidi, vt omnibus abundetis, quærite Deum, & iustitiam. Vide Parad. 1. in Cap. 1. Negocium Christianorum vsura. pag. 3. 1. B.

Dominica 15. post Pentecosten.

LVc. 7. num. 11. *Ibat Iesus in Ciuitatem, quæ vocatur Naim.* Ab hoc Euangelio argumentum sumi potest ad inquirendum. An mors timenda sit magis peccatoribus, an iustis; & conficiendum timendam esse magis Iustis. Vide Paradox. 23. in Cap. 2. Mors timenda magis sanctioribus vitis, pag. 178. 2. D.

Vel certè mors habenda præ oculis ob multiplicem eius memoriæ vtilitatem. Quippe ex Parad. 13. in Cap. 2. Solus contemplator mortis, & Philosophus, & Rex est. pag. 133. 2. A.

Dominica 16 post Pentecosten.

LVc. 14. Legisperiti decipiuntur, licet sibi sapere videantur. Tales sunt Sapientes mundi, quorum Sapientia insipiens est, ex Parad. 8. in Cap. 2. pag. 109. 2. B.

In hydropico diuites adumbrari crediderim, quia sicuti

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Ita etiam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Ideò videatur Parad. 1. in Cap. 6. Omnis diues stultus, & improbus, pag. 385. 1. C.

Dominica 17. post Pentecosten.

COngregat Christus Dominus Pharisæos, vt eos doceat, vt cœlestis sapientiæ participes faciat. Videat quid agere debeant, qui sapientia præditi sunt; nẽpè ea vti debent vtilitati publicæ, quia ex Parad. 4. in Cap. 2. Solùm qui sapit, sibi minimè sapiens, pag. 91. 1. B.

Dominica 19. post Pentecosten.

IVsti comparantur cum inuitatis ad nuptias filij Regis, vt intelligamus præstantes esse debe-

experimento, quod explicatur Parad. 3. in Cap. 5. Apprimè tolerabile, vnicè amabile. pag. 225. 1. B.

In Conceptione B. Virginis.

CVm Deus in instanti, quo B. Virgo concepta fuit congesserit in eam omnes gratias, & dona, tractari potest B. Virginem esse libellum qualibet Bibliotheca copiosiorem, quod est Parad. 3. in Cap. 1. pag. 14. 1. B.

In Festo S. Thomæ Apostoli.

SAnctus Thomas ex incredulo, & obstinato fit fidelis, & credens magistro suo. Nimirum ex Paradox. 9. in Cap. 3. Homo vel optimus, vel pessimus, pag. 231. 1. C.
Vide Dominicam in Albis.

In Conuersione S. Pauli.

SAnctus Paulus conuersus fuit admirabili ratione; fuit enim prostratus in terram, & orbatus lumine. En Saulus peccator, ideò enim prosternitur in terram, vt inhonoratus appareat, ideò orbatus lumine, vt cœcus, & stultus habeatur. Vide Parad. 21. in Cap. 2. Peccator inhonoratus, & stultus, pag. 169. 2. D. At ipse suæ faber fit ingenuitatis sanctis operibus, & exercitatione virtutis. Vide Parad. 6. in Cap. 1. Nobilis nemo nascitur, pag. 29. 2. B.

In Festo Purificationis B. Virginis.

CVr purificatur, quæ post Partum Virgo permanserat, nisi quia hoc pacto pulchrior est, dum videtur indigere purificatione. vide Parad. 6. in Cap. 5. Amica societas lucis, & tenebrarum, pag. 340. 1. C.

Suauissimè canit Simeon. *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. Mortem non timet, quia mortem harmonia suauius melos Deo decantat. Vide Parad. 2. in Cap. 1. Nullus fortis nisi musicus, pag. 7. 2. B. Siue de fortitudine, qua intrepidus est, & imperterritus seruus Dei.

In Festo S. Matthiæ.

MAtth. 11. num. 25. *Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Magnus honor seruorum Dei, & eorum, qui eliguntur, & vocantur ad vitam perfectiorem, quoniam sapientiæ prærogatiua præferuntur sapientibus, & potentibus sæculi, qualis fuit Matthias cœlesti sapientia donatus. Vide Paradox. 3. in Cap. 2. Sapiens Rege honorificentior, pag. 85. 1. B. vt inflammeris desiderio talis sapientiæ, quæ tanti fit.

Ibid. num. 29. *Tollite iugum meum super vos*, &c. Vide Parad. 1. in Cap. 5. Dei seruis difficultates minimè difficiles, pag. 116. 1. B.

In Festo S. Ioseph.

DOrmiens Ioseph monetur ab Angelo, vide ex Parad. 19. in Cap. 2. Iustus dormiens vigilat, pag. 159. 2. C. vel Parad. 13. in Cap. 1. Otium minimè otiosum, pag. 66. 2. B.

Cur primus à somno excitetur, vide Parad. 7. in Cap. 2. Non præest, qui non prodest. pag. 104. 1. B. Et cum laudari præcipuè possit à virginitate Ioseph. Vide Parad. 11. in Cap. 1. Imbellis virginitas inuicta propugnatrix, pag. 57. 1. B.

In Festo Annunciationis B. Virginis.

HOc die B. Virgo per Conceptionem Verbi facta est Dei mater. Ideò poterit vsui esse Parad. 8. in Cap. 1. pag. 41. Breuissima nomenclatio copiosissimum omnium B. Virginis elogium. Poterit huic diei etiam accomodari Parad. 13. in Cap. 3. Sola Christo nupta fœcunda. pag. 248. 2. C.

Ad humilitatem B. Mariæ Virginis celebrandam, quæ maximè enituit, cum Mater Dei; & Regina Mundi effecta est; vsui esse poterit Parad. 7. in Cap. 1. pag. 243. 2. C. Factus ad imperium solus non imperiosus. Quis vnquam minus imperiositatis ostendit, quàm B. Virgo cùm effecta est imperatrix terræ, & Cœli, adeòque ad imperium vnicè fuit facta.

In Festo SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi.

AGi potest de alacriter subeundis periculis pro Christo, sicuti subiere SS. Apostoli, pro quo vide Paradox. 6. in Cap. 4. Dubij certaminis secura alea, pag. 276. 2. D.

In

In Festo Inuentionis S. Crucis.

In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.

In Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

In Festo Visitationis B. Virginis.

In Festo S. Mariæ Magdalenæ.

In Festo S. Iacobi Apostoli.

In Decollatione S.Ioannis Baptistæ.

In Festo S.Matthæi Apostoli.

In Festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli.

In Festo omnium Sanctorum.

In Festo S.Francisci Confessoris.

FINIS.

SANCTVM
IESV CHRISTI
EVANGELIVM
Secundum Matthæum.



CAPVT PRIMVM.

1 LIBER *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.*
2 *Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Ia-*
3 *cob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem*
genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem
4 *genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram au-*
tem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naas-
5 *son. Naaßon autem genuie Salmon. Salmon autem ge-*
nuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth.
6 *Obed autem genuit Iesse. Ieße autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex ge-*
7 *nuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vria. Salomon autem genuit Roboam. Ro-*
8 *boam autem genuie Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuie Io-*
9 *saphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias au-*
tem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuie Eze-
10 *chiam. Ezechias autem genuit Manaßen. Manasses autem genuit Amon.*
11 *Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in*
12 *transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis: Iechonias ge-*
13 *nuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit*
14 *Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor au-*
tem genuit Sadoc. Sadoe autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.
15 *Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuie Mathan. Mathan autem*
16 *genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus,*
17 *qui vocatur Christus. Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Da-*
uid generationes quattuordecim: & a Dauid vsque ad transmigrationem Ba-
bylonis generationes quattuordecim: & a transmigratione Babylonis vsque ad
18 *Christum generationes quattuordecim. Christi autem generatio sic erae. Cum*
esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in
19 *vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet*
20 *eam traducere: voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce An-*
gelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere acci-

pere Mariam coniugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.
21 *pariet autem filium : & vocabis nomen eius IESVM : ipse enim saluum fa-*
22 *ciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adim-*
23 *pleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ecce virgo in vtero*
habebit, & pariet filium : & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est inter-
24 *pretatum Nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecepit*
25 *ei angelus Domini, & accepit coniugem suam. Et non cognoscebat eam donec pe-*
perit Filium suum primogenitum : & vocauit nomen eius Iesum.

IN CAPVT PRIMVM Num. I.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham.

PARADOXVM I.

Negocium Christianorum Vsura.





BONAM pietatis in lucem, germanæ veritatis arcana prolaturus, ab eo Christianæ effato sapientiæ ducam exordium, quod vt maximè humanæ cupiditati accommodatum; ità censebitur vnicè factum ad hominum animos captandos facilius, & arctius alliciendos. Is igitur adsit è cœlo spiritus qui prosusus in linguas, elingues etiam facit esse disertos, vt hominibus suopte ingenio lucri D cupidis patefiat: Vsuram esse negocium Christianorum.

Notum lippis, & tonsoribus est, vt vulgari vtar adagio, moralis Theologiæ scholam vniuersam vno ore, eademque sententia explodere à Christianorum negocijs Vsuram, vtpote Diuinæ Legi contrariam, repugnatemque. Imò Cornelius Tacitus ethnicus homo, & quod caput est satis impius lib. annalium 6. scripsit: *Fæneratorum auaritia, atque præter legum edictum exactio ad seditionem* B *populum mouent*: Tàm inuisa semper, atque inimica obrutis etiam caliginosa errorum nocte, quæstuosa fœneratorum fuit vsura. Quam ego auctoritatem non magni facerem, nisi Insuper virum pietate spectabilem S. Bernardum exclamantem audirem ser. 45. in Cant. *Væ qui bene de Deo, & sentire, & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem.* Quid tàm inauditum, quàm non modo quæstum commendare, sed pietatem ipsam facere quæstuosam? Istud in præsentia molior. Etenim, licèt istbæc ego probè teneam, verumtamen subit in mentem huiusmodi C consilium fortasse nouum, nec omninò inutile, huic opinioni omnium consensu, & extra omnem omninò formidinē probatissimæ cōtradicere: demonstrando, Vsuram non modo pium, religiosum, commendabile negotiationis genus esse, sed vnicum, præcipuum, ac summum negocium esse Christianorum.

Cornel. Tacit. Vsura etiam Ethnicis inuisa.

S. Bernardus. Pietas quæstuosa non est.

Verum ne videar, à veritate ipso meorum laborum initio longius aberrare, in hunc modum dissero. Christus Dominus, & hoc loco dicitur, & verè est filius Abraham. Quia de beneficentissimo rerum omnium parente, æquius multò dici D potest, quàm olim de Terra dixerit Tullius lib. de senectute: *nunquam sine Vsura reddit, quod accipit.* Abrahamo in votis fuerat, filium rerum Opifici supremo immolare. Exitu caruit, non præmio tàm pia seueritas; nam pro desiderio, quo flagrauit vehemētissimè offerēdi Deo Isaac, inter nepotes censet filium Dei. Videnum sit consonum veritati, Deum nequaquam sine Vsura reddere, quod accepit. Innocens plane Vsura Dei seruitus est, cui vel in ærumnoso hoc exilio mortalitatis

Tullius. Terra semper reddit cum vsura quod accipit.

tatis, contingit multò plura, longèque præstátiora reportare, quàm dederit multiplicato, sine noxa, fœnore, etiam ex mutuo. Id vt manifestiùs fiat, paulo enucleatiùs comprobemus.

S. Petrus Chrysologus.

S. Marcus.

Perqnàm ingeniosè, videlicet, more suo, examinat S. Petrus Chrysologus, quod de sanctis Mulieribus dulces emortui seruatoris exuuias, summo studio perquirentibus, scribitur Marci cap. 16. nu. 2. vbi dicitur, *& valdè mane vna Sabatborum, veniunt ad monumentum orto iam sole*. Videbitur enim textus primo aspectu loqui pugnantia. Audi Chrysologum. *Si valdè mane, quomodo orto iam sole?* Paulo post, vt nodum soluat, rationem, & responsum affert his verbis. *Rei gestæ cælitus aperit veritatem. Sol qui præter horam, vt Domino compateretur abscesserat claritate; Cùm resurgeret Dominus ante tempus occurrit, & qui, vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem, vt consurgeret Auctori suo, euictis tenebris antelucanus erupit*. Hæc sanctus sermone 22. non multo post initium. Profectò prospicit rebus suis, qui se, vel luce honoris, vel humani fulgore decoris paulu.ũ spoliat, vt tribuat Deo, à quo illud idem reportat nõ sine incremẽto: imò magna cũ accessione, eo plane pacto, quo syderum Princeps pro iactura lucis, quãdo ab hora sexta, vsq; ad horam nonã, quemadmodũ scribit S. Matthæus cap. 27. num 45. luminis antelucani reportauit vsuram. Imò si sancto Maximo credimus, non antelucanus modo, sed luce nitidiore conspicuus magis illuxit syderum Princeps, ob eam, quam hoc loco prosequimur, rationem. Sic autem habet sermone de Pascha, qui est quartus inter homil. Eusebij Emisseni. *Necesse est enim, vt sol, in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit, & cuius mortem lugubri quadam caligine prosequutus est, eius vitam nitidioris lucis splendore suscipiat*. Ita serm. cit. non multo ante finem. Vt non minus ex antelucano exortu, quàm ex nitidiore lucis insuetæ fulgore percipias, quanto cum fœnore Deo obsequium præbeatur.

Cur Sol antelucanus Christo resurgente.

S. Matthæus.

S. Maximus.

Euseb. Emiss.

Cur Sol nitidior Christo resurgente.

Propterea satis aptè, ad persuadendam Christi fidelibus bonorum largitionem ser. 6. de Ieiunio decimi mensis circa medium, dicebat magnus dignitate, maior sanctitate Leo: *Substantia tua, cum benè erogatur, augetur. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum Fœnus exerceat, & hac Vsurarum arte ditescat*.

Sancta Vsura. Leo.

Mirum aliquibus visum est, Alcibiadẽ eadem à Socrate munera recepisse, quæ obtulerat. Etenim cum Alcibiades, vt scribit Aelianus lib. 9. cap. 29. ambitione quadam munificus, complura, magnaq; munera Socrati dono misisset, quæ Xantippe cum admiraretur donorum amplitudine capta, Socrates dixisse fertur. *Quin, & nos certemus liberalitate cum Alcibiade, & ea, quæ mittuntur ab ipso non capiamus ad declarandam animi magnitudinem*. Felix Alcibiadis conditio videbitur alicui, quandoquidem contigit ei munifici commendationem comparare sibi, nulla eorum, quæ dono miserat facta iactura. At quantò felicior illorum sors est, quibus datur fœnus exercere, vt cum Leone loquar, & ditescere Vsura, cum donant. Breuiùs hunc animi sensum complexus est S. Cyprianus, cum tractatu secundo de habitu Virginum, ante medium inquit: *Patrimonia tua Deo fœnera*. Ex quibus huiusmodi conficio ratiocinationem. Plures egit præcipites cæca cupiditas bonorum fortunæ, vt vocant, sic Lacedemoniorum, vt cætera silentio inuoluam, & laus bellica, & Florentissimæ Reipublicæ disciplina ciuilis collapsa est, iniecta à Lysandro duce, cum auro auaritia: quemadmodum Plutarcus in Lysan. narrat. Cum igitur prona adeò sint, suapte natura ad bonorum adeptionem mortalium ingenia, & tanto facultatum augendarum desiderio teneantur, vt sæpe vel ipsa quidem certa pernicies eos ab amore diuitiarum nequeat cohibere. Vnde admiratione perfusus exclamauit latinus Homerus.

Aelian.

Socratis liberalitas.

S. Cyprianus.

Sanctum Fœnus.

Auaritia pernicies Reipublicæ.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Deus immortalis quantus hominum, ac quàm palmaris error? quæ tanta vesania? laudabilis proponitur Vsura, sanctum Fœnus habes in promptu, quid igitur cessas? cur, operi manum non admoues? si bonorum huius vitæ, cuiuscunque

generis illa ſint, amore ſuccenderis, quid moras nectis? vt creſcant opes, vt incrementa ſumant ingenium, vires, exiſtimatio nominis, tandem quidquid ardenter diligis, ſi res poſtulet, Deo libenter lites, vt te Deus munificè ditet.

Libetat me ſuſpicione mendacij integerrima illa, & feliciſſima ſponſa, cuius in ſacro amoris epithalamio, illæ ſeù voces, ſeù vota ſunt: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ſic cant. 1. num. 1. Aduerte quid exhibeat cariſsimo capiti ſponſo ſuo, quem vnicè diligit, deſiderium nempe, quo flagrat, fruendi oſculo eiuſdem dilecti ſui, ſed ſtatim ſubiungitur, *Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Sic ſequen. ou. 2. Cogor in loco ſubſiſtere, & perpendere diligentiùs, quò ſpectet iſta vberum commemoratio, & commendatio. Si oſculum expetit, cur vbera laudantur? congruentiùs fortaſſe os, & labia commendanda fuiſſe, quis dicat. Sed qui ſanctum Bernardum audiat, plenam ſale ſententiam confitebitur, ſancta quippè anima, illa nimirum, quæ anhelat perueniendi cupiditate, ad oris oſculum, identidem repetens, *Oſculetur me oſculo oris ſui*: digna propterea eſt, cui ſodales, vt in eandem reſpondeant ſententiam, ſubiungere debeant, *Meliora ſunt vbera tua vino.* Quaſi dicant acquieſcè tandem, & omnem omninò cupiditatis ſollicitudinem depone, quæ etenim quærebas oſculum, nuptiali iam thalamo excepta es. *Habes ſponſa*, verba ſancti Abbatis, *quod petiſti, & hoc tibi ſignum, quia meliora facta ſunt vbera tua vino. Hinc te ſcilicet noueris oſculum accepiſſe, quod te concepiſſe ſentis. Vnde, & vbera tibi intumuerunt.* Ita ſermone 9. in cant. circa med. ſed adhuc parum dixit: diſertiùs concludit ſermone cit. circa finem his verbis. *Plus valet, quod iam ille dedit, quàm, quod tu petis. Vbera, quibus paruulos alis, quos, & paris.* O dignum Diuinæ Beneficentiæ ingenium. Pro ſuſpirio, mille oſcula. felix ſane conditio illius, quę vnius oſculi oblato deſiderio, conſequuta eſt vbera lacte manantia, pulchra iam prole patens nunquam effęta gaudeat fæcunditate.

Seruitus Dei negociatio quæſtuoſa.

S. Bernard.

Dei beneficientia ſupplicum vota excedit.

Solon quas vſuras inter dicebat.

Lege a Solone, fuiſſe ſancitum, ſcribit Laertius, ne ob vſuras, ciuium corpora

A nectерentur. Plurimi enim, per ſummam inopiam fęneratoribus corpora ſua exponebant, ac ſuper his fęnerabantur; Quòd à legiſlatore ſapientiſſimo habitum fuit indignum. At verò quis non videat quã ſingulare genus ſit felicitatis eorum, quibus & corpore, & animo, & libertate, & quouis in hac vita abundant bono, liceat fænerari? Caſtigentur ieiunija corpora, atque aſſiduis afflictionibus conterantur, perenniorem, diuturnioremque vitam duces: remittas libertati nocicum, & ea libertate, qua Chriſtus nos liberauit feliciſſimè perfrueris. Vno verbo quod-
B cunque præſtiteris Deo donarium obſequioſę mentis, non ſine ingenti referes vſura. Hoc planè ſenſiſſe purpuratum vatem Pſal. 111. num. 9. dicentem; *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* teſtatur, S. Auguſtinus his verbis: *Vide quid minuatur, vide quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iuſtitia. conſilium de lucrorum, diſce mercari. Laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum, & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit iuſtitiam.* Ita S. ſerm. 5. de verbis Domini non multo poſt initium.
C Placuit mihi ſemper plenum Chriſtiano ſale reſponſum relatum à Io. Botero lib. 2. dictorum memorab. virorum Illuſtrium circa mediũ. Henrici viij Anglorum Regis imperio detinebatur in carcere, Catholicæ decus, & pręſidiũ religionis Thomas Morus, cum autem mille machinis, in nefarij ſententiam Regis adduci nunquam potuiſſet infracta Thomæ mens, vt violatum regium thorum, & execrando facinore repudiatam Caterinam, ſuo Thomas ſuffragio comprobaret: fuit huiuſmodi prouincia eiuſdem vxori demandata;
D quę poſt multa ſine fructu allata, tandem vt mariti animum flecteret, inter muliebres lacrimas, atque ſingultus exclamaſſe dicitur: crudelis: ſi non via tibi parcere, parce domeſticis, parce cognato ſanguini, parce familiæ, parce liberis, parce mihi; Noli pluſquam perduellis præcidere tibi curſum vitę, nobis felicitatum. Ad hæc Morus hilari fronte reſpondit: ecquot annis, obſecro, viuere poſſem, & quot annis ſimul frueremur bonis hiſce, quę laudas? Annis fortaſſe viginti, & eo ampliùs; illicò

Lucrum ſuadet, qui pietatem ſuadet. Aug.

Io. Bot.

ſubdi-

subdidit vxor anxia; cum Morus subridens: apage negotiationis ignata. Ergo breuissimi impendio temporis non mercabimur æternitatem? si nescis, pro tanto thesauro pretium soluere tàm exiguum, fœnus sanctum est, atque Vsura iustissima. Manum è tabula sine socordię nota subducere non possum nisi prius recitem pulcherrimum S. Ephrem apophtegma paręnesi de pœnit. dicentis. *Indemue marsupium est pœnitentia. Spirituales in ea consistere vsuras existimo, accepit enim pia vsuraria qua non dedit, repetens quod non est mutuata; dicit enim peccatoribus, date mihi peccatorum pondus, id mihi operis fit vsura.* Huc reuocari possunt plura ex ijs, quę dicuntur in cap. 2. num. 12. Para doxo 14. Auaritia laudabilis.

S. Ephrem.

Spiritualis Vsura.

Verum huiusmodi licet tàm vtile, licet tàm diues, tàm quæstuosum mercaturæ genus volens omitto; quandoquidem istud non probat humana cupiditas, quæ anhelat semper desiderio bonorum huius sœculi: esto demus hoc etiam, & præsentis instituti illud consilium esse fateamur, (vt inexplebili ceteroqui humanarum mentium cupiditati faciamus satis) euincere Dei seruum, quæstuosum esse negotiatorem in comparandis sibi congerendisque bonis, quæ in ærumnoso mortalitatis carcere, vsque ad insaniam adamantur. Cur porrò, & per nostræ ratiocinationis anfractus, & per alienæ auctoritatis labirinthæas ambages longiùs euagamur? Diuinæ sapientiæ oraculum fuit. Marc. cap. 10. num. 29. *Nemo est, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, aut domum propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc.* Quam sententiam cū secum ipse perpendisset S. Bernardus exclamauit: *Quid insaniæ est, quod cunctantur homines relinquere simpla pro centuplis? vbi est cupidus, vbi est ambitiosus, vbi conquisitor huius sæculi? quid ad fidele negocium, & nundinas quæstuosissimas auaritia intepuit, & obdormiuit humana? cui Iudæo negares, ò homo, qui in vanum accepisti nomen Domini Iesu Christi? cui sacrilego dare, quid quid habes pro centuplo cunctareris? sed execrabilis tibi est manus Domini, vt non ei in ratione dati, vel accepti communicare pe-*

S. Marc.

S. Bernard.

Cupidus ambitiosus fit seruus Dei.

A *uitus acquiescas.* Ita declamatione de bonis deserendis non multo post med. iam continere me non possum, quin dicam cū Petro Archiepiscopo Rauennate serm. 8. paulo post mediū: *Da terram vt accipias Cœlum, da nummum, vt accipias Regnum, da micam, vt accipias totum.* Attende quæso quantulum pretium pro quanta mercede, quàm modica exigitur summa, pro quanto lucro.

Profectò nullius tantum est flumen ingenij: nullius dicendi felicitas tanta, quæ non dicam amplificare, sed ne adumbrare quidem oratione sua possit, quanto cū
B fœnore officijs cum Deo certemus. Iudis omnino fœnus ignotū fuisse, testes temporum loquuntur historiæ. Proinde, vt refert Cælius Rhodiginus cap. 26. lib. 19. lect. antiq. paulo ante med. nulla illis syngrapha, nullum depositum. Laudaui hactenus tantam hominum integritatem, à quæstu adeo alienam, quia ignorabam, Vsuram quandam reperiri, eam scilicet, de qua sermo est, vtpotè ab omni noxa maxime alienam, commendatam quidem sæpius, nunquam tamen pro dignitate commendandam. Iudæus Philo. exposi-
C tis rerum portentis, quibus, & impij Aegyptiorum Regis peruicaciam fregit, & concessum sibi à præpotente Deo principatum vniuersitatis amplissimum, demonstrauit Moses, illud proponit problema, vtile non minùs, quàm iucundum; videlicet, cur tam amplum aëris, aquæ, & terræ imperium fuerit homini concessum, adeo vt ad eius nutum bella cierent omnia in perniciem inimicorum. Respondet his verbis. *Horum omnium Princeps Moses electus est. Nam quia regnum Aegypti dereliquerat, cum esset nepos regius, amore iustitiæ visum est omnipotenti*
D *rerum gubernatori frequentioris meliorisque gentis regnum, ei reponere.* Ita Philo. lib. 1. de vita Mosis circa med. Vides igitur quo pacto, quia Moses amore iustitiæ nuncium regno remittit, non modo ad regnum nobilius gradum faciat, sed summo cum imperio terræ, maris, aëris, & rerum omnium dominetur. O cęcas hominum mētes, nisi amore iustitiæ diuitias, honores, voluptates, vno verbo quidquid blandi, atque iucundi animos allicit, despexerint, cum omni procul dubio,

Cæl. Rhod.

Iud. Fœnus ignotum.

Phil.

Mosis Vsura.

teneamus fore, vt in hoc quoque ærumnarum exilio ditiora, honestiora, & longe potiora largiatur Deus. Itaque (loquitur Philo. loco cit.) *quoniam auaritiæ renunciauerat, & diuitijs honoratis apud homines, perfectas, maximasque diuitias, pro his Deus ei reddidit: hoc est, vt tantundem posset, quantum terra, & mare, ac flumina, elementaque cætera, & quæ ex his sunt condita. Fecit enim eum suæ potentiæ participem, totum mundum ei subdens tanquam hereditarium.*

Phil.

Deus cū vsura etiam in hac vita reddit quod accipit.

Feras velim iudicium, amice Lector, num in tempore reuocem tibi in memoriam, quod de Pittaco Mitylenæo, scribit Diogenes Laertius lib. 1. de vita Philosoph. in eius vita paulo post initium. Miserat Crœsus ingentem pecunię vim Pittaco, qui singulari exemplo, Crœsi contempsit donaria, duplo plura, quàm vellet, se habere disertè contestatus. Vtinam fallaces diuitias, & fluxa bona afferenti malo Dæmoni responderemus: Apage, ditiores habeo quæstus, & potiores diuitias. si Deo seruio quęstuosa mihi prę manibus est Vsura, cuius illectus affluentia lucri, quidquid dono dederis nihili facio. mihi ideo non possum non gratulari, considerans huiusmodi negociationem, accommodatam adeo humanæ cupiditati. Eò autem consentaneum magis autumo veritati, quod dico, quò certius deprehendo, ex S. Basilio, in hanc eandem iuisse sententiam Sanctissimum Vatem, non tàm sceptro, ac purpura, quàm Dei beneuolentia præcellentē; dum ait Psal. 33. num. 12. *Venite filij audite me timorem Domini docebo vos.* adijt cit. Basilius homil. in hunc Ps. l. hæc verba explicans. *Quoniam supra iussit, timere Dominum, & ex timore lucrum prouenire, ostendit, dicendo: Quoniam non est inopia timentibus eum.* Et quis inficiabitur exhibitam Deo seruitutem esse Vsuram? Non possum, nec debeo differre diutius responsum ijs, qui in ea sunt sententia, nihil Dei seruo dignius esse, quàm sine vlla spe lucri, rerum Imperatori maximo præbere obsequia: subijcio verba S. Ioan. Chrysostomi, & nodum soluo. *Noli ergo*, sic habet homil. 3. in cap. 1. Matth. aliquanto post med. *mercedem reposcere, vt se ille tibi debitorem fateatur.*

Pittaci integritas.

Basil.

Diues qui Deū timet.

Chrys. Deus debitor Iustorum.

A Cęcus sit, qui non videat, quam quęstuosa huiusmodi seruitus sit, quæ tunc maximè Deum habet debitorem, cum dono dare, quod offers, & nullam omnino reposcere profiteris mercedem; cum sine spe præmij nulli parcis labori, vt Deo famuleris, multiplicato tibi fœnore fructus redditur, hoc enimuero vsuræ ditissimæ genus est, quandoquidem, quæ gratis à te dono dantur, eum, cui munus offertur, constituunt debitorem.

Tāquam mirum commemoratur quod Phrinicus in principio Egl. Attic. asserebat de Corneliano. Cornelianus (dictitabat Phrinicus) à secretis Imperatoris, est nomine tenus, sed ei vsque adeò est in amoribus, vt re ipsa Imperij particeps, & collega haberi debeat. adūbrata mihi videtur felicitas sanctorū, etenim dum vitā degunt serui Dei nuncupantur, sed vt verum fateat, mihi videntur serui nomine tenus, re vera autem participes, & collegæ imperij, quod innuere voluisse, crediderim Christum Dominum. Io. cap. 15. num. 14. & 15 seruos suos, amicos nuncupans. An non maxime quæstuosa seruitus est, cui amicitia pro mercede est? C Tanti à Deo fit proborum hominum famulatus, Enimuero nullus ditior quæstus, nullum lucrum maius, quam pro breuissimi temporis seruitute, tantum consequi decus, tantum commodum reportare. Oppositum omninò contingit ijs, qui, & mundo famulantur, & voluptati, quos lib. 1. Reg. cap. 27. adumbratos fuisse animaduerto, vbi Rex Gethęus, vt grati animi significationem aliquam pręberet inuicto Dauid dixit num. 12. & vlt. cit. cap. *Erit igitur mihi seruus sempiternus.* O barbarum ingenium, ergo ob relatas à Dauid illustres victorias de Amalecitis, D de Gessuri, de Gerzi, seruitus promittitur eaque sempiterna? expectabam triumphos, coronas munera daturum ingentia, eum, de quo tàm benè meritus fuerat Dux fortissimus; sed post tot exantlatos labores, post tot vitæ discrimina, pro præmio seruitus stabilitur. Oleum, & operam perdit quicunque mundo seruit, aut peccato, etenim post mille casus, & perpessa incommoda, numero plurima, genere grauissima conditione maximè aspera, operis merces futura est durissima, & diuturna serui-

Phrinici de Corneliano dictum.

Merces impiorum dura seruitus.

A seruitus. solus Deo exhibitus famulatus fructuosus est, solus diues. Manum operi admoueamus, vt tanto fęnore locupletes vsuram hanc adeò præcipuum Christianorum negocium, præ manibus continuò habeamus.

Bis inuenio hoc argumentum à D. Ioanne Chrysostomo illustratum, vtrobique expresse adeò, vt decernere vtra duarum auctoritatum clarior sit, mihi quidem difficillimum esse videatur. Consule primum tomum operum citati auctoris; vbi expositionem inuenies in illud Psalmi 38. *Veruntamen frustra conturbatur omnis homo* (Psal. 38.) in qua expositione paulo post med. sic leges. B *Qui dat egenti Deo fœneratur. O verbum prudentissimum. Cur non dixit dat Deo, sed fœneratur? vt auarus, & lucri cupidus audito vsuræ nomine, se ipse misericordia dederet. Qui misericordia cum paupere vtitur Deo dat fœnori: Si Deus à nobis fœnori accipit, ergo noster est debitor. Vtrum ergo eum habere vis iudicem, an debitorem?* (Chrys. — Iustus habet Deum debitorem.) Hucusque Chrysostomus satis expresse; sed non minùs dilucidè tom. 5. hom 5. de Pęnitentia aliquanto post med. inquiēs: *Nundinę nobis profectò mirabiles sunt, harum nulla est alia professio, & negotiatori nulla alia intentio, quàm paruo* C *quidem emere, magno vendere. Tales igitur nobis Deus nundinas proposuit: modico iustitias eme, quod multo vendas in sæculo futuro. Hic modico iustitia emitur, nisi pro panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ. Quādiu itaque virtutes adsunt, quæ paruo venundantur ab eo, qui magna donat accipiamus. Quandiù nundinæ ipsæ perdurant salutem emamus.* Quibus in hunc modū constitutis nostrum erit, si sapimus, siue pecuniarū erogatione, siue animi corporisque bonis, siue liberalitate in pauperes, siue Deo quacum- D que ratione exhibita seruitute, siue quouis in hac vita bonorum genere abundamus, summo rerum opifici fœnerari, & innocentissima simul, & quæstuosissima Vsurarum arte ditescere.

Videri potest P. Didacus de Baezza tom. 3. in Euaog. hist. lib. 13. cap. 3. §. 7. & eodem tom. lib. 15. c. 6 §. 10. & lib. 14. cap. 14. §. 13. & eod lib. cap. 15. §. 27. vbi plura inuenies ad præseos argumentum accommodata, singulari tāti auctoris acumine dignissima. Similia etiā habes apud eundem tom. 1. lib. 11. cap. 2. §. 13. & eodem capite §. 4. lib. 6. cap. 3. §. 17. & eod. lib. §. 19. & lib. 10. cap. 3. §. 13.

Videat etiam qui velit apud eundem tom. 1. Comment. in Euaog. hist. lib. 1. cap. 9. §. 7.

Insuper apud eundem tom. 4. in Euang. hist. lib. 16. cap. 1. §. 4. & eod. tom. & lib. cap. 24. §. 4.

IN CAPVT PRIMVM
Num. I.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid.

PARADOXVM II.

Nullus fortis nisi Musicus.



PLVRES numero, & genere pręstantes occurrunt rationes, cur seruator filius Dauid nō modo, tàm frequenter nuncupetur, sed ipso etiam sacræ historiæ initio. Harum ego vnam tantùm in præsentia libabo, ab ipsa nominis Dauid significatione petitam. Neque futurum omninò ineptum, tanti regis, tale præconium, cuius agnomine assertor humani generis, videtur quodammodo gloriari; persuadet mihi auctoritas S. Ambrosij (Ambr.), qui lib. 1. de Virg. paulò post initium, S. Agnetis laudes, à nominis significatione auspicatur. vt igitur tanti viri insistam vestigijs, dissero in hunc modum.

Dauid, interpretatur, manu fortis, (Dauid manu fortis.) quemadmodum à S. Gregorio didici, in prologo in sept. Psalm. pœnit. ipso initio (Greg.); quam fortitudinem dum perpendo, rationem inuenio, ad propositæ dubitationis nodum enodandum, minimè pœnitendam. neque verò existimet aliquis, loqui me in pręsentia, de ijs, quæ fortiter gessit Dauid, leonem discerpens, Goliam (Dauid fortiter gesta.)

ster-

ster .iens, debellaus Allophylos, & alia id 'generis, quam plurima, quæ recenset magnus Gregorius Hom. 7. in Euang. paulo ante finem. Trita sunt hæc: aliud considero fortitudinis genus memorandum, eximium, planèq; singulare. Dauid nempè manu cytharam pulsans, & suauissimè concinens, frænabat impetum maligni spiritus, & rebellantis audaciam Dæmonis cohibebat. Age nouum fortitudinis inuentum moliamur petitum à musica, quod sanè tanquam nouum damnari debet à nemine, qui ex Polybio lib. 4. Hist. acceperit, apud Arcades ita moribus receptum esse, imò lege sancitum, vt ad trigesimum vsque ætatis annum, musica imbuendos curent. cæteras artes apud eos ignorasse, nulla prorsùs ignominia est. Musicam nescire nemo potest, quia necessario discitur, quod eriā inueuies apud *Athenæum lib. 14.* nec id lasciuię causa vel deliciarum; sed vt labores assiduos, & vitæ prȩterea duritiem, atque asperitatem infracto animo ferant. Ea quæ in castris ducitur vita, nulla asperior, aut laboriosior, quę sine musica ferri non potest, inuicto animo; vt hinc pateat manifestè, partem, vel prȩcipuam, vel vnicam militaris roboris, musicam esse. quinimo inter tria musicę genera, nempe Phrygium, Lydium, & Dorium, vt Cælius Rhodiginus scribit lib. 9. lect. antiq. cap. 3. sub init. Primum, hoc est Phrygium, pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Vnde Euripides, vt est apud citatum auctorem, cap. sequenti paulo ante med. eos coarguit, qui lyræ sono, & periucunda vocis modulatione, vtuntur in poculis: *ad iram enim*, inquit, *potius adhibenda musica est*. tantam canendi luauitas, cum martiali asperitate, affinitatem, siuè partem habet. Igitur non tàm splendidè dicetur, quàm verè: Nullus fortis, nisi musicus. id vsque adeo Christiano Heroi conueniens est, vt Dei filius quasi de se magnificè prȩdicet, inter arauos eum recenset, quem primum omnium aduersarii hoc genere fortitudinis extimuerunt, & experti sunt præcellentem, nempe Dauid.

Greg.

Polyb.

Arcades vsque ad annum trigesimum musicam discebant.

Athen.

Musicæ vsus non ad delicias captandas, sed ad ferendos labores.

Cel. Rhod.

Triplex genus musicæ.

Quod musicæ genus excitet ad furorem.

Oraculum profero expressum, Summi Dei Nahum cap. 3. vbi vt moneat Niniuem, qua se ratione muuire queat aduersus validissimos inimicos, & militum numero, & pugnādi peritia, & relatis triumphis meritò formidandos, cit. cap. num. 7. iuxta lectionem Septuag. Interp. dicitur: *apta chordam*: quod munimenti genus, Deus immortalis? credideram circumducendas aggeribus arces, mœnia circumquaque turribus obarmanda, excitanda propugnacula, lecto milite instruendas acies, vt inimicorum impetus retardari posset, nihil horum, sed pro his omnibus, Dei iussu prȩcipitur; *Apta chordā*. Equidem, vt nil breuiùs, ita nil opportuniùs afferri poterat. Dixerat enim, vt in hunc locum totidem verbis explicat S. Hieronymus, *Omnia firmamenta tua, & muri in sublime porrecti, & altitudines turriū, quas nunc inexpugnabiles putas, & viri fortes, bellatoresque tui, primitiuis ficubus comparabuntur: quæ si concussa fuerint leui tactu, in os cadent deuorantis*. Quod igitur tanto malo remedium? expugnaberis Niniue, & à Babylonijs in captiuitatem duceris, & quæ firma putas munimēta, concident, ficus instar concussæ. Sequitur ibidem Hieronymus his verbis: *Quod legitur, Apta siuè cōpone chordam, ad Niniuē dicitur, & est sensus: inordinatum & incompositum tuum, in chordarum similitudinem apta, quia nihil tibi proderit species, & magnitudo tua, quæ præcipua habere te credis nisi te aptaueris ad canendum*. Symphonia, & Cantus omnium aggerum, & munimentorum munimen firmissimum, adeò, vt etiam hostes, qui muris, turribus, vallis, instructa acie, militari robore arceri non possunt, Musico fidium sono superentur. Cōsonet bouotum operum crepitus perdulcis, & vocalis resonet sanctarum actionum sonus, atque concentus, quo inimicorum castra petterrita, fugabuntur. Sapiens apud omnem antiquitatem Pythagoras, insanientium impetum ebriosorum, & effrȩnatas, vino efferuescente, vires non alia vi censuit retundendas, quàm sono; quod cessit ex animi sententia, vt est apud Sanct. Basilium Hom. de leg. lib. Gent. aliquanto post med. harmonia enim personante, quemadmodum Philosophus imperauerat, perciti furore, baccantesque vesano impetu helluones, & ad omnem proiecti temeritatem sine modo, ac fine lege

Nouum ad milites munitum.

S. Hieron. Fortitudo infirma.

S. Hieron. Germana fortitudo.

Pythagoras inuētum ad cohibendos furiosos.

lege furentes, mite induerunt ingenium, humanitatis magistra Melodia.

In hanc iuisse sententiam crediderim, Val. Maximum, cum apud eum legam lib. 8. cap. 8. in fin. ingeniosum, & ab eo commendatum Homeri inuentum; ait enim, *Homerus quoque ingenij cœlestis vates, vehementissimis Achillis manibus canoras fides aptauit*. Quod videre licet Illiad. primo. imò, si Aelianum audiamus, lib. 3. cap. 32. & Alexander, & Hercules, duo belli fulmina, operam in eo, florenti ætate collocarunt, vt modulatè tangerent chordas, & canerent artificiosè. Quæris quorsùm? vt ego quidem interpretor, ad insinuandum mirum quoddam, minimèque vulgare, hoc est, Achille dignum fortitudinis ornamentum; nempè non impetu armorum, & exercituum confligentium laniena, sed leui chordarum pulsu, & blandis cytharæ modulis de hostibus triumphare. Id si præstiteris non modò te bellatorem inuictum, sed Deo simillimum iudicabo. Neque mea me fallit opinio, quandoquidem sapientissimus rerum molitor, in ipsa vniuersitatis amplissimæ structura, id exprimere voluisse visus est. Vnde Genesis 2. nu. 1. legitur, *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*. Chaldaica verò Paraphrastis habet, *& perfecti sunt Cœli, & terra, & omnis exercitus eorum*. Quid tàm dissimile? Cœli, & Terræ perfectio modò *ornatus* donatur nomine, modò *exercitus*: quid commune habet cum exercitu ornamentum, vt idem sit, ornatum rerum creatarum perfecisse, & instruxisse exercitum? meam in hac re mentem aperire non possum, nisi indicem, quid antiqui senserint sapientes de ornatu, qui conspicuam reddit hanc rerum vniuersitatem. volebant enim, nil aliud esse, quàm Musicum quendam concentum, moderatore Deo, modulatum. Vnde apud Cæl. Rhodyg. lib. 1. lect. ant. cap. 4. paulò post init. vt terræ cœlique pulchritudo declaretur, dicitur: *Hac est illa, veteribus celebrata Musarum chorea, qua ad Appollinis ipsius imperium recinit perpetuò. ipse verò, vt ait, Orpheus, cœlum vniuersum cythara temperat canora. Appollo verò hic, non alius quàm Deus*. Et si Platonicos audiamus, vt idem refert, lib. 9. cap. 1. init. Cœlestis anima, qua vniuersitas animatur, originem sumpsit ex Musica, vt mittam interea Athenagoræ placitum in Apoll. dicentis, mundum esse concinnum, & musicum organum, quod mouetur numerosè. vides qualis sit mundi ornatus, nempè blanda simphonia, & modulatus concentus. iam aduerte, hic idem dicitur *exercitus Dei; pugnabit* enim *cum illo orbis terrarum contra insensatos*, vt dicitur sap. 5. num. 21. Quia vis maxima, & inuincibilis fortitudo Dei aduersus scelestos, vires exerit non alia structa acie, quàm hoc eodem concentu rerum procreatarum; fortitudo enim germana, Musica est, & cantilena suauis.

Quis hic silentio inuoluere queat luculentam illam Origenis Adamantij auctoritatem, qui quod de expugnata Hiericho non armis sed cantu, non legionum impetu, sed tubarum sono sacræ testantur paginæ, vt ad morum institutionem traducat, differit in hunc modum hom. 7. in cap. 6. Iosue paulo ante medium: *Audi Dominum & Saluatorem nostrum, quomodo dicit: Confidite ego vici mundum. Illo ergo duce iam nobis victus est mũdus, & muri eius collapsi sunt, quibus homines sæculi nitebantur. Sed vnusquisque nostrum, debet in semetipso ista complere. Habes in te Iesum ducem, per fidem, fac tibi tubas ductiles ex Scripturis sanctis, inde duc sensus, inde sermones, propterea enim tubæ ductiles appellantur. In ipsis cane, & si in talibus cecineris tubis, si iubilationis consensum de temetipso exigas, idest cogitationum, & sensuum suorum populus, qui intra te est, concordem semper, & consonam proferat vocem, & non aliquando verum dicas, aliquando personæ potentis adulatus mendacio macuIeris, si non te aliquando blandum remissio faciat, aliquando iracundia truculentum, tibi destructus, & deiectus est mundus*. O vim modulatæ vocis præclaram. Vrbis inimicæ mœnia vt diruas, vt robur hostile deleas, nequaquam bellica instrumenta ex armamentario scripturarum sumẽda sunt, sed ex choro musicorum instrumenta canendi. Hi sunt castrorum chori, quibus terribilis factus hostibus, felicissimè, & gloriosissimè triumphabis.

Val. Max.

Achilles non ferrum mi- nu, sed cytharam gestat.

Herculis, & Alexandri studia.

Cœli terræq; consona harmonia bellatrix est.

Cæl. Rhodyg.

Mundi concentus.

Structa Deo duce acies, quæ

Orig.

Hiericho cãtu expugnata.

Quo pacto miles Christi armetur cantu.

Suet. Mirum est quod inter Iulij Cęsaris gesta scribit Suetonius, in eius vita ante med. & fortasse quod contendo, non parum confirmabit. Consitetat ad Rubiconem flumen anceps animi, & secum reputans, quantum moliretur opus de bello inferendo hostibus, in diuersas distrahebatur sententias. *Cunctanti* (verba Suetonij) *ostentum tale factum est. quidam eximia magnitudine, & forma in proximo sedens, repentè apparuit, arundine canens, ad quem audiendum, cum prater pastores, plurimi etiam, ex stationibus milites concurrissent, interque eos, & Aeneatores, rapta ab vno tuba, prosiliuit ad flumen, & ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, eatur, inquit, quò Deorum ostenta, & inimicorum iniquitas vocat. iacta est alea.* Quam vim habeat cantus, ad martialem excitandum furorem, & ad segnes, ac torpescentes animos inflammádos ad pugnam, Cæsarem interroga: qui cęlesti ostento iudicauit, sibi arma capessenda, & ineundum esse certamen, sonoro exaudito cantu, & vocalibus symphonię modulis excitatus: quod idem Alexandro Macedoni, non semel contigisse, refert S. Basilius hom. 24. de legen. lib. gentilium, aliquanto post med. inquiens *Timoteus, si quando austeriorem, acrioremque harmoniam emisisset, quandoque Alexandrum in medio conuiuio ad arma concitasse, dicitur.* Tantam cum militari robore affinitatem habet canendi suauitas. Quinimò imperium gerit, & classicum pro arbitratu canit, animumque delicijs emollitum reuocat ad arma tractanda, & ad aspera belli, quasi compellit exercitamenta. Is quippè, qui inter pocula languescebat ęger musico sono reuiuiscit ad pugnam, cur igitur dicere non liceat, vel fortem musicæ dulcedinem, vel dulcem cantilenæ fortitudinem. Iam extra controuersiã prædicetur. Nemo fortis nisi musicus.

Miro ostento dormiens Cęsar excitatur ad pugnam.

S. Basilius.

Alexander sono excitatur ad arma capessenda.

Cuius ego nexus musicam inter, & bellatricem vim, vestigium aliquod, & quasi simulacrum in brutis animantibus à natura expressum, fortasse non omnino ineptè, recognosco. Accepi siquidem, quod ex Aristotele tradit Aelianus lib. 1. c. 14. Cygnos, inter aues suauissimæ vocis, & flexanima canẽdi dulcedine percelebres, A bellicosos adeò esse, & ad gerenda certamina eòusque pronos, vt non modò cum Aquilis decertare, verùm etiam commissa pugna, se se mutuò perimere consueuerint. Quos communi sermone peruulgatum erat canendi studiosos, iam animaduertis ad ineunda certamina, & bella tractanda vnicè factos, pręclaro naturæ docentis inditio, vel cantorum esse, bellare; vel canere bellatorum. Psal. 107. si consideretur, vt par est, dum pugnantia videtur complecti; enucleatius, quàm à me dici queat, explicat quod propono; à cantu enim, & sono ducit exordium: B vnde num. 2. dicitur: *Exurge psalterium, & cithara.* ad canendum, & pulsandam citharam, amici Dei animus excitatur. bene est, sed aduerte, quid tandem num. 14. & vltimo concludatur, cum profertur: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* Primis vltima non respondent, dicet non nemo. Quoniam ducitur à cantilena exordium, truculentissimo verò inimicorum excidio absoluitur. Hęc, qui dixerit, ignarus profectò est, arcani huius diuinę Sapientię, fortem neminem esse, nisi Musicum; qui C sub vexillis Dei militat, ad nihilum redigit inimicos blando, citharę, & vocis concentu. Resonet in Dei auribus è secreto cordis tui composita ad numerum sanctorum gemituum symphonia: concinnet melos affectionum animi consona cum recta ratione concordia: aptentur voluntatis humanę vota summi Rectoris arbitrio, à quo numquã discrepẽt, aut dissentiant. Et procul dubio dabunt manus tartareę acies, & conterentur phalanges vitiorum, & hostilia malorum Dęmonum, prauarum cupiditatum, ac seuluum rebellantium castra conterentur.

Cithara, & psalterio armatur Dei miles.

Arist.

Cygnus animo bellicosum.

D Si cui hactenus inauditũ; & nouum videtur quod prosequor, neq; percipere potest, quo tandem pacto, verũ sit solum fortitudine pręstantẽ censeri debere, qui calleat artem canendi, pręcipuamque Ducis dotem à musica esse petendam: reuocet is in memoriam Athenienfium consilium relatum, & laudatũ ab Aeliano lib. 3. cap. 8. Solemne erat apud Athenienses, belli ducem creare, non gratia, aut fauore, neq; propter generis claritudinem, aut opum, diuitiarumque copiam, sed maxima adhibita

Suauis cantilena vastitas inimicorum.

hibita diligentia, atque incorrupta integritate eum deligebat ducem, qui posset pro dignitate militibus imperare. contigit autem, vt Phrynicum quendam, non clara natum stirpe, nec maiorum titulis nobilem, nullo familiæ, nullo auiti sanguinis splendore conspicuum; sed eo tantùm nomine belli Ducem, & totius Imperatorem exercitus consalutauerint, quòd in quadam tragędia, suaues modulos per quàm blandè cecinisset, & præsentium animos, cantus iucunditate supra quàm dici queat suauiter detinuisset. Rati, & quidem sapienter, bellicis rebus cum cum vtilitate, ac dignitate præfuturum, qui tàm apposita modulatione, & ad bellum accomodata circumfusæ admiratione panegyris cecinisset. vt iam mirum nemini debeat esse, quod apud eumdem legitur Aelianum lib. 2. cap. 44. de Theone Pictore, cuius inter artis pingendi præclara monumenta; illud principem locum obtinere credebatur, quo omnes industriæ neruos adhibuerat, vt fortissimum Ducem picta tabula repręsentaret. Itaque lacertis prævalidis minacem effinxit Iuuenem, quem quasi Martis furore, correptũ insania, quodammodo iudicasses. Toruis oculis, minaci fronte, scutum protendit, strictum vibrat gladium, cędem anhelanti similis, & dum flammantibus oculis spectatores ad cędem designat innoxius, toto corporis habitu minabundus, clam per intuentium animos repit, rapit sensim ad miraculum vsque suspiciendum artis ostentum. Adesto iam, & in indicio solertissimi pingendi magistri, quod est huius Paradoxi institutum, euidentissimè fateberis comprobatum: absoluto namque opere laboris, & elegantię post hominum memoriam inauditę, non prius pictam tabulam intuentium oculis spectandam prębuit, quam cum Tibicine canendi peritissimo conuenisset, vt iuxta tabulam collocatus, carmẽ caneret, quod ad prçlium animaret. Simul igitur ac carmen exauditum est, & sonus canentis insonuit, picturam ostendit, scitè sanè, ne præcipua fortis ducis pars desiderari posset, quam non potuit pennicillo exprimere, à canendi magistro mutuatus est. Videlicet armata ferro dextera, tectum galea caput, obfirmatum thorace pectus, cantus si desideretur, sonus si desit, inuadens animos, & corda concutiens, imbecilla sunt adminicula bellatori, vides quàm languescat sine musica militare robur, quàm iners, & imbellis sine cantu sit fortitudo.

Phrynicus ab Atheniensibus Dux belli cõstituitur, eo quod calleat artem canendi.

Aelian.

Fortitudo sine cantu repræsentari nõ potest.

Verùm oleum, & operam perdidisse me crederem, nisi disertè, atque dilucidè aperirem quid sibi velit hæc canendi suauitas, quam conferre tantopere contendo, ad militem Christi non exornandum modò, sed cõstituendum, cum sine hac fortis esse nequeat. Age chorum ducat sacrarum literarum peritissimus Hieronymus, quo interprete Euangelicus Vates Isaias cap. 22. num. 24. vbi dicitur *Suspendent omne vas Musicorum*. Graphicè descripsit quod in pręsentia prosequor, & vaticinatus est, in nostram sententiam accomodatissime. *Per vas enim musicorum*, vt loquitur S. Hieronymus, in caput citat. paulo ante finem, repræsentantur qui omni tempore in Dei laudes personant. *Musici proprium munus* (liceat vti verbis Cælij Rhodigini lect. antiq. lib. 9. cap. 1. circa med.) *In sono gratiam, in cantu sermonis elegantiam imitari: meminisse verò, animi motus multò impensius vti consonet, curandum, quàm voces: inconcinnum quippè musicum videri, cui in maxima vocis, ac lyræ consonantia, dissonat mens*. Nihil potuit, neque breuiùs, neq; apertiùs proferri in medium, ad animorum institutionem. Errant quippè, & quidem toto cœlo, qui putant, me totum esse in exornatione musicæ, syrenulæ nempè illius, blandulæ animorum corruptelæ, atque, vt leuissimè dicam, pestis virtutum; probè teneo, vt apud citatum auctorem, eodem cap. paulò post legi, musicam apud Spartanos habitam fuisse inutilem; propterea cum Demaratus psaltem audisset, & tangentem chordas, & concinentem ad numerum, *Non malè* inquit *mihi videtur nugari*. Quinimò, apud Aegyptios, musica non inutilis modò, sed noxia habebatur: non huiusmodi est, de qua verba facimus in præsentia, sed ea, quæ maximè deceat fortem virum, imò, quæ belli Ducem, atque Imperatorem cõstituat. Quęris quæ sit? tuorum operum consonans concordia cum lege Dei, dicet Augustinus enarratione in psalmum 80. paulò ante

S. Hieron.

Cal. Rhod.

Quod musice genus probos deceat.

Musica visa Spartanis inutilis.

Aegyptijs noxia.

ante med. vbi declarat, quem habeat sensum: *Sumite psalmum, & date tympanum* ait, *vt prædicatione Verbi Dei respondeamus operibus*. Ibidem porrò asserit, per tympanum, cytharam significari. Videlicet tympanum instrumentum est, ad bellum indicendum, & ad miscenda prælia, perquàm aptum, cythara verò artificiosè fabrefacta ad cantus suauitatem perficiẽdam, vt hinc sit manifestum pro eodem accipi in sacris litteris, & musici chori symphoniam, & classicũ bellatorum. Dicite tandem sumere psalmum, & dare timpanum, idest suauem reddere harmoniam, quod quidem nil aliud est, quàm Dei verbis operibus respõdere. Hoc enimverò te & formidandum, & inuictum, præstabit hostibus, & nullo te vnquam concutiet metu vis inimica.

Epaminundas canendi peritissimus.

Epaminundas Græcorum Imperator fortissimus, fidibus prę̨stantissimè cecinisse, & ex hoc capite permagni habitum fuisse, testes temporum loquuntur historiæ. E contra Themistocles, vt commeminit Marcus Tullius, cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior, & vituperatus meritò, quasi ignarus eius disciplinæ, quam, vt pote dux, eximiæ fortitudinis callere optimè debuisset. Musicam hic ego in Christiano bellatore cum requiro, non extollo cantiunculas in mollitiem diffractas, ad morum corruptelam quàm maximè prolicientes, & quæ *Nullum nõ genus effrænis lasciuiæ animis ingenerent auditorum*, vt cum magno Basilio Hom. 4. in Hexameron ipso initio loquar. Toto cœlo diuersum est, hoc musicę genus, quod in præsentia commẽdo, motum cum diuina lege consensus, consona humanarum affectionum concordia cum recti norma. Hæc si resonet, fugabũtur inimicę malorum Dęmonum acies, fugient aduerso Marte prostratæ carnis, & mundi phalanges, nullam non impetrabis coronam victoriæ, nullum triumphi genus non consequeris. Taceat iam antiquitas, Spartas militaris vitæ imaginem non alia ratione repræsentasse, quàm modulis quibusdam symphoniacis, quos carneos appellabant. Taceat Græcorum cõsuetudinem, quos exordium belli semper sumpsisse scimus, à cantilena, Marti decantata. Taceat Lacones à Pallade

Marc. Tul.
Themistocles canendi imperitus contemnitur.

Basil.

Spartę, Græci Lacones acatu simulacrũ; & exordium ducebant bellicæ fortitudinis.

A eruditos, præcinente ad numerum symphonia, in aciem descendisse. Taceat denique melos Castorium, quo ijdem Lacones vtebantur in prælijs, vt fortiter, & audenter agerent, mortemque contemnerent, vt auctor est Cælius Rhodyg. lib. 9. lect. antiq. cap. 8. circa med. Melos inquam Castorium taceat antiquitas superstitiosa, Christianum celebret religiosa pietas. illud inquam melos, quo animæ facultatibus minimè à Dei placito dissentientibus, aut compugnantibus, sed penitùs conspirantibus legi Dei, quasi vnam efficiat consonantiam maximè tem-

Cel. Rhod.

B peratam. Auctorem habeo magnum Gregorium sensus animi ad argumentum, quod prę manibus est, vnicè facti. In prologo enim in septem Psalmos pœnitentiales initio, sanctæ animæ fortitudinem recognoscit expressam in Psalterio Dauid, aduersarium debellante, quæ & rugientem leonem, & fortem armatum aperto prosternit certamine, non hasta, vel gladio, non ferro, aut chalibe armata claua, sed perdulci cytharę sono, & numerosa vocis modulatione. *Psalterium quoque*, loquitur Gregorius, *animam spi-*

Gregor.

C *ritualibus exercitijs assuetam, non inconuenienter nominamus. Sicut enim musicum illud instrumentum triangulum decem chordarum, inferiùs quidem percutitur, superiùs vero sonare videtur; ita anima Sanctæ Trinitatis fide firmata, decem legis preceptis instructa, inferiùs percutitur, & superiùs auditur. Quia cum carnem aliquis perfectè afflixerit, tunc suauissimum Deo in dulcedine melos reddit.* Percipis iam quæ canendi sit ratio, de qua prę̨sens instituitur sermo. Decem chordarum, hoc est prę̨ceptorum Dei numeros percurras omnes, partes absoluas

Musicam forte facit Christi bellator.

D singulas, afflictationibus carmen percutias, vt sis magnanimitatis exemplar semper inuictum, militans Deo, vt exhibeas viuum, ac spirans fortitudinis simulacrum hostium terror, & propugnaculum probitatis.

Hic ego, vt verum fatear, eò libentiùs in Sancti Pontificis venio sententiam, quo certiùs manu ducor, præeunte ratione. Etenim, si nullum animal ferum adeò, atque inhumanum est, quod non mitescat, cantus suauitate victum suæ

ferita-

Elephantes, delphines, cerui cantu mulcentur. Strabon. Pind. Plutarc.

feritatis, & crudelitatis oblitum, quam non consequemur victoriam; si adhibita vi musici melodis pugnauerimus. Elephantes, cantu mulcentur, & tympanorum sono, si Strabonem audiamus. Cantu deliniti, ac deuinciri delphinos testis locuples Pindarus est: & Ceruos affici edomarique musica: fistula, ac cantu brutorum pleraque expugnari scribit Plutarchus in symposiacis. Tantam vim habet musica consonantia, & vocis, ac soni consensus, vt nullum immite adeò pectus sit, quod non mansuescat: nullus hostilis adeo animus, vt non det manus; nullum cor tàm asperum, ac barbarum, quod cantu captum non circunducatur ad libitum. Personet itaque bonorum operum consonantia, exaudiatur cantilena iucundissima obseruantiæ præceptorum diuinorum; coëat, & proportionem custodiat humana mens, cum præscripta supernæ legis, & rebellantes corporis sensus, & fortis armatus, & inimicæ acies non permulcebuntur modò, atque mitescent; sed semper vel victæ cadent, vel profligatæ discedent.

Quæ quando deessent omnia, ad huiusmodi symphoniam ipsamet humanitatis nostræ compactio, deberet nostrum animum excirare, quandoquidem homo: quantus quantus est, & *lyra, & multarum vocum instrumentum ad concentuum suauitatem aptissimum, summi Dei compositum manibus*, ab Alexandrino Clemente adhortatione ad gentes ingeniosè nuncupatur. Imò si Clementem loco citat. paulo superiùs audiamus, id ipsum efficacius suadere debebit exemplum filij Dei, quod affert, memoratis, quæ de Amphione Thebano, & Thracio Orpheo fabulosa Poëtarum decâtat natio, ijs inquam, non memoratis modò, sed discussis, atque examinatis, in meam venit sententiam. Putat enim ab Orpheo, atque Amphione vim humanis illatam mentibus; quas non sono vocis, vt canebant Poëtæ, sed artificiosis quibusdam præstigijs ad corruptelas Demonum incitauerunt. Quod quidem his verbis asserit. *Viri quidem, non viri, sed deceptores; qui prætextu musica, vita perniciem attulerunt, illam verè pulchram libertatem, qui sub cælo vitam egerunt, canticis, &*

Homo, lyra, & instrumen tum canendi. Clem. Alex.

A *carminibus in extremam redigentes seruitutem. Non talis est meus Cantor* (loquitur de Filio Dei) *solus quidem ex ijs, quicumque fuerunt difficillimas feras, homines mansuefecit. Volucres quidem eos, qui ex ipsis sunt leues; serpentes verò deceptores; & leones eos, qui sunt ad iram concitati; sues, qui sunt voluptati dediti, lupos, qui sunt rapaces.* Animaduertis, ni fallor, quo nam pacto præpotens rerum imperator mitius ingenium feris esse docuerit; qua ratione nostram debellauerit feritatem; nempè nequaquam personam induens bellatoris, aut partes agens ducis; nequaquam præceptoris, ac magistri, non patris, aut amici, ne multis; hostes vt superet, & odio plusquam vatiniano repugnantes; cantoris partes agit: vt hinc discas feros animi motus, truculentos hostium impetus, rabidos inimicorum conatus vno cantu debellare.

Imperator maximus Dei filius non armis sed cantu, hostes profligauit.

B

Si cui fortè, hoc modo explicata germana fortitudo, non placet is consulere potest P. Franciscum de Mendoza tom. 1. in lib. Reg. in caput primum lib. 1. num. 1. anot. 4. circa litteram sect. 2. & P. Didacum de Baëza tom. 1. commentariorum moralium in Euang. hist. lib. 4. cap. 4. §. primo: & apud eumdem tom. 3. lib. 15. cap. 11. lege §. 8. & tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 22.

C

Vel certe consule P. Lodouicum Cressolium in suo Mystagogo lib. 3. cap. 6. sect. 2. paulo post med. vbi, quæ sint arma Christiani militis, & quâ ratione illis vti debeamus more suo eruditissimè explicat.

Demum videri possunt etiam, quę à nobis afferuntur infra Paradoxo 16. in cap. secundum.

D



IN CAPVT PRIMVM Num. I.

Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham, & deinceps.

PARADOXVM III.

Beatissima Virgo Libellus qualibet bibliotheca copiosior.

Cur in festiuitatibus B. Mariæ Virg. legetur initium Euangel. Liber generationis &c.



NON semel recurrentibus Beatæ Virginis solemnitatibus, proponitur ab Ecclesia legendum hoc sancti Euangelij initium. *Liber generationis Iesu Christi*; fortasse vt percipiamus sanctissimam Mariam librum esse, quem euoluere, & habere præ manibus continuò debeamus magnitudine quidem exiguum, at sacramentorum arcanis, quauis bibliotheca copiosiorē; quod quidem affirmare non dubito, tùm quia Sanctorū Patrū suadet auctoritas, tū quia ipsa euincit ratio.

A quibus B. Virg. dicitur Liber. Greg. Nicom. Creten. Damasc. Iustin. Epiphan.

Equidem Sāctissima Virgo dicitur Liber à Gregorio Nicomediensi de Obitu Virginis. Liber à Cretensi serm. 2. de Assumpt. Liber à Damasceno ser. primo de Nat. Virg. Liber à Iustino ser. de Annunc. & demum ab Epiphanio contra Hęret. 3, illorum ego sanctitate, & sapientia illustrium virorum placitum eò libentiùs in prælentia sequor, quò attentiùs considero conditiones Libri, Virgini conuenire.

Quid ad Librum conficiendum requiratur.

D Profectò ingenia magna typis tradūt monumenta præcipua laborum suorum, nec quicquid effutirē contigerit, prælo mandatur: absoluto autem typographorum opere, vt legentium manibus teri possit coniuendus est liber, & compingendus. porro hæc compactio perfici nequit, nisi repetitis ictibus tundatur. Ex vtroque capite libri similitudinem Virgini aptari perbellè, mihi sanè non erit admodum difficilè demonstrare.

Virginis perfectio absolutissima.

A Opus omnium absolutissimum inter ea, quæ ab auctore rerū perfecta sunt habendam esse Mariam, vt ordiar à primo, quis negabit? dummodo legerit Albertum Magnum super missus est cap. 194. vbi tātam fuisse asserit huius perfectionem operis, vt præstet etiam omnibus absolutæ numeris perfectioni Seraphinorum; rerum procreatarū perfectio sine dubio nonnisi longo proxima interuallo est ei, quæ beatis cœli mentibus antecedit. Verum hæc rerum vniuersitas a Sāctis Antonio, & Bernardo liber nūcupabatur, in quo Dei magnalia lectitabant, vt de illo testatur Scriptor eius vitæ; hic autem ser. in Psal. 84. initio ait, *est velut communis quidā liber sensibilis mundus iste, vt in eo sapientiam Dei legat quicumque voluerit*. Fortasse terrarum orbis, quantus quantus est nuncupatur liber, quia non quodcūque opus, sed auctoris ipsius iudicio comprobatum. *Viditq; Deus cuncta, quæ fecerat*, legitur, Gen. 1. num. 31. *& erant valdè bona*. Vniuersitatis structura iudicatur opus bonū, hoc est elaboratum, atque perfectum, planèq; dignum luce. At ex hoc capite, quāto rectiùs dicetur à nobis liber Beatissima Virgo, cum opus sit longè perfectius diuini ingenij fœtus probatissimus, cum quo, si hæc structura rerum corporatarum conferatur, rude iudicabitur, atque impolitū opus; atque, vt paucis dixerim, diuini ludentis artificis rudimentum. Dicitur enim Prouerbiorum 8. n. 31. *Ludens in orbe terrarum* superna sapientia, cum fit mentio istius primi operis digitorum Dei.

Alber. M.

Mundus Liber. Ant. Bernard.

B

B. V. rerum omnium vniuersitate perfectior.

C

Prouerb.

Legi quod de Octauio Augusto scriptū reliquit Suetonius in vita, non multo post med. num. 85. Inter cętera ornamenta tāti Imperatoris, illud videtur minimè contemnendum, ipsum videlicet plurima tùm soluta, tùm stricta numeris oratione volumina edidisse in lucem; in quo præsertim, tanquam scitu dignum ab Historico memoratur, quædam volumina, quasi cursim, & tumultuario opere absoluta, non magni fecisse Imperatorem, imò aboleuisse, quædam tempore balnei, quasi per iocum meditata, ab eo fuisse perfecta. Porrò inter omnia opera, illud præcipuum fuit, quo tredecim libris pręclarè à se gesta complexus est. Si daretur comparandi facultas, in hoc Imperatore

Sueton.

Octauius Augustus scripta quædam per iocum meditata perficit.

Res à se gestas scribit.

peratore adumbratum fuisse dicere, quod praestitit Imperatorum Maximus Deus, qui hunc vniuersitatis immensae librum perfecit quidem, sed ludens, absolutissimum verò opus seriò, ac maxima conscriptum diligentia, in quo perbeato compendio complexus est quidquid ad pietatem, & religionem, vel augendam, vel exornandam potuit excogitari; Virgo est. Equidem diuinae mentis opera reliqua quanto superet interuallo hoc opus, quod prae manibus est, docuit disertè Beatus Petrus Damianus serm. 1. de Natiuit. paulò ante medium, inquiens: *Attende Seraphin, & in illius superioris naturae superuola dignitatem: & videbis, quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.*

B Virgo cōpēdiarius rerum omnium liber.

Petrus Dam.

Nihil sanè ad huius perfectionem operis insinuandam dici magnificentiùs potuit, nisi fortasse quod asseruit Angelicus Doctor 3. par. quaest. 28. art. 4. ad 2. videlicet; perfectionem ipsam ab inregerrima Matre duxisse aliquo modo initium, ante Christum Dominum: excipe verba Sancti Thomae. *Ad secundum dicendum, quod sicut gratiae plenitudo perfectè fuit quidem in Christo, & tamen aliqua eius incohatio praecessit in Matre: Ita etiam obseruatio consiliorum, quae per gratiam Dei fit perfectè quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit incohata in Virgine Matre eius.* Quarè meritò dicemus cum Sancto Bonauentura 2. tom. opusculorum in speculo Beatae Virginis cap. 8. *Ipsa est, qua maiorem Deus facere non posset. maiorem mundū posset facere Deus; maius Caelum posset facere Deus; maiorem Matrem, quam Matrem Dei non posset facere Deus.* Cuius quidem perfectionis, quae ipsam Dei omnipotētiam ęquare dicitur, inuestiganti rationem respondebo cum Sancto Ioanne Damasceno 3. de fide orthod. cap. 2. vbi declaraturus quid Sanctus Spiritus praestiterit Virgineni obumbrans, eum nostrae mortalitatis indueret exuuias Dei filius, ait: *Lustrans eam,* vel si vim Grecae locutionis attendamus, *purgans eam Spiritus Sanctus.* Videlicet Virgini contigit, quod libris, qui licet summa diligentia perfecti, denuò recognoscuntur, & purgantur.

Ipsa perfectio quodammodo à Virgine orta.

Thom.

Bonau.

Maiorem Matrem, Dei Matre facere nequit Deus.

Io. Damasc.

Cur S. Spiritus Virginem obumbrauit.

Equidem Sāctissima Virgo *Sola*, vt cum A Sancto Antonino loquar 4. part. sum. tit. 15. cap. 20. S. 5. *Sola Inter viatores peccare non potuit immò in ipso conceptu ab omni labe Immunis fuit.* En opus perfectum, tamen lustratur, purgatur, perficitur denuò, quia in morem libri, licèt exactissimè, & diligentissimè absoluti, tamen recognosci debet.

S. Anton. Sola Virgo peccare non potuit.

Atquè vt distinctiùs huius libri perfectionem recognoscamus, cursim saltem praecipuorū capitum titulos perlegamus, & meridiana luce patebit clariùs de Sanctissima Virgine dici meritò posse cum Poëta non ignobili.

B *Sparguntur in omnes.*
In te mixta fluunt, & quae diuisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Verùm taceantur ista, quoniam sanctiùs, & foeliciùs hanc eamdem complectitur sententiam Sanctus Petrus Chrysologus, dum ait. ser. 143. paulò ante med. *Gratia plena, quia singulis gratia se est largita per partes, Maria verò simul se totam dedit gratia plenitudo.* Sanctioris vitae genera singula numerando recense, & vniuscuiusque numeros omnes expleuisse fęliciter Mariam liquidò comperies. C Quid enim? Apostolos, Propheras, Martyres, Anachoretas veluti sanctitatis lumina demiramur: & Anachoretis exemplum prębuit, & facem pręculit Virgo si Ambrosium, & Hieronymum audiamus. Hieron. quidem serm. de Assumpt. Virg. haec habet, *pra nimio amore, in loco quo sepultum dicitur interdum habitasse eam credimus: quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus.* Ita Hieronymus, & Ambrosius lib. 2. de Virg. ad soror. *Quia etiam tum sibi minùs sola videbatur; cum sola esset: nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Pro-* D *phetae?* Ita Ambros. Quibus obsecro legibus Anachoretarum viuendi ratio circūscribitur, nisi amore solitudinis, sacrorum librorum studio, atque humanis posthabitis sola frui cōsuetudine mentium beatarum. Recognoscite igitur, ò solitudinis amatores, vestrę in Virgine exēplar vitae.

Pet. Chrys.

In Maria totius gratiae plenitudo

S. Hieron.

Virgo nunquam sola.

Ambr.

B. Virgo Anachoretarum exemplar.

Prophetam dicemus Virginem? parum est nisi effectricem Prophetarum salutauerimus. Testes sint cognata Elisabeth, & Ioannes infantulus; quorum vterquè à Virgine vim accepit vaticinādi,

B. Virgo Prophetarum effectrix.

si Irenęo lib. 3. cap. 18. si Origeni hom. 10. in Lucam, si Cyrillo Hierosolymitano catechesi 3. si Ambrosio lib. 3. de fide cap. 4. si Maximo homil. 4. de Natiuit. alijsque credamus, quos congerit Maldonatus in primum caput Lucæ.

B. Virgo martyr. Mariæ vero Martyrium qua ratione asseram ignoro, nisi auctoritate ductus Sancti Anselmi, & Richardi de Sancto Victore. Anselm. Ille quidem lib. 5. de excell. Virg. cap. 5. ait: *Verè pertransiuit animam tuam gladius doloris.* (alloquitur Mariam) *qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusuis passionis corporea: quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis.* Richar. Richar. autem breuiùs quidem, sed non minùs dilucidè part. 2. in Cant. cap. 26. asserit: *Super hæc martyrio decorata fuit.* Imò Sanctus Ioannes Damascenus orat. de Assumpt. Damasc. quæ oratio à Sancto Thoma, & alijs tribuitur Sancto Hieronymo ait: *Alij Sancti, & si passi sunt pro Christo in carne; tamen in anima pati non potuerunt. Beata Virgo Dei genitrix in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur.* B. Virgo in spiritu passa est. *Ideo quia spiritualiter, & atrociùs passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit.* Ita cit. orat. colum. 13. Equidem quò nobilior est pars, quæ affligitur, eò pœna sit grauior necesse est. Quantum igitur fuisse dicemus dolorem Virginis, cuius anima incruento quidem, sed omnium acerbissimo martyrio confecta est. Dicamus cũ S. Bonauentura c. 5. Stimuli amoris initio: Bonauent. *Stabat iuxtà Crucem Iesu mater eius. O Domina vbi stas? nunquid iuxta Crucem? imò in Cruce cum filio cruciaris.* Virgo in Cruce cum filio. *Singula vulnera per eius corpus dispersa, in tuo corde generaliter sunt vnita; tu Domina in tuo corde es lanceata: tu amaris clauis inclauata: tu de spinis coronata: tu illusa & exprobrata: tu contumelijs, & maledictis affecta: tu etiam felle, & aceto potata. O dulcissima Domina cur iuisti immolari pro nobis? nunquid non sufficiebat nobis Christi passio nisi crucifigeretur & Mater?* Iam quis negabit Mariam fuisse martyrem? Ego sanè, cum id negare nõ ausim eiusdem Bonauenturæ Bonauent. verbis lib. 1. Pharetræ c. 5. col. 2. eamdem, consalutabo, dicere non dubitans: *Maria quia mente passa est plusquam martyr fuit.* B. Virgo plusquã martyr.

Prophetarum, & Apostolorũ decora nõ multis in Maria recognoscamus. Gloss. Gloss. in c. 8. Isaiç, sic habet, *Accessi ad Prophetissam idest ad Virginem Mariam,* & S. Basilius Basil. in eumdem Prophetæ locum ait. *Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proximè accessit Isaias per praenotionem spiritus, nemo cõtradixerit, qui sit memor verborum Mariæ.* Hæc copiosiùs tractata videnda sunt apud S. Antoninum 4. par. Antonin. tit. 15. cap. 19. ex quo tantummodò recito, quod eiusdem capitis §. 9. sic dicit de Virgine. *Et si non fuerit de numero duodecim Apostolorum, fuit tamen Magistra eorum.* Videatur Magnus Albertus super missus est a cap. 151. vsq; ad cap. 156. Albert. M. B. Virg. Magistra Apostolorum.

Præterea Vxorum, Viduarum, Virginũ, suis moribus expressit Maria formam viuendi: Magister sentẽtiarum in 4. distinct. 26. cap. B. V. forma viuendi Vxorum, Viduarũ, & Virginum. *Inde est*, inquit, *nefas esse sentire inter Mariam, & Ioseph non fuisse perfectum Matrimonium. Vnde Euangelista Matthæus appellat Mariam coniugem*; probat id S. Augustinus lib. 23. contra Faustum cap. 8. lib. 2. de concord. Euang. cap. 1. & alibi. Aug. De Virginitate demum, & Viduitate, ne verbum quidem facere consilium est, quia rideri nolo, quasi verò Athenas noctuas deferam. Habemus itaque in Maria omnium capita perfectionum, & singularũ genera virtutum, quasi in vnum collecta, & redacta in codicem: quid ni igitur libri, & quidem copiosissimi nuncupatione donemus? Qui Christo sunt geniti hunc euoluant, continenter, & & diligentissimè perlegant.

Libri a Socrate, vt est apud Xenophontem lib. 1. de dict. nũcupabantur thesauri Socrat. Libri thesauri sunt. priscorum sapientium ad communem posterorum vtilitatem in lucem editi. Gaudeamus hoc, quem proponimus libro, quẽ ditissimum sanctitatis thesaurum ad perẽnem humani generis vtilitatem, ad morum institutionem, ad eruditionem hominum proborum condidit auctor Deus. Vsurpabo, & fortasse nõ omninò sine laude, quod scribebat S. Ambrosius lib. 4. epist. ep. 31. Ambros. inquiens: *Paradisus est Genesis liber, in quo virtutes pullulãt Patriarcharũ. Paradisus est Deuteronomium, in quo germinant legis pręcepta. Paradisus Euãgeliũ in quo arbor vitæ bonos fructus facit.* Genesis Deuteronomium, & Euãgeliũ libri Paradisus. Is quẽ euoluendũ

expono

Ambr.

exponio liber, planè Paradisus ex omnibus ijs capitibus, quæ recenset Ambrosius, vt consideranti patebit faciliùs, quàm à me dici queat. Suum opus, vt commendet diuturna lucubratione elaboratum C. Plinius secundus in præfat. ad Vespasianum Imper. circa med. non ex alio capite laudat, quàm à rerum multitudine, quas libris trigintasex fuerat complexus, hoc autem asserit, à se præstitum iuxtà Domitij Pisonis sententiam, qui dicere solebat, opera, vt probatissima essent, thesauros oportere esse non libros. Subijcio Plinij verba: *Viginti millia rerum dignarum cura (quoniam, vt ait Domitius Piso thesauros oportet esse non libros) ex lectione voluminum circitèr duùm millium inclusimus triginta sex voluminibus.* Dicam equidem quod sentio. Comparata volumini, auctore Deo, Virgo perplacet. Volumen tanta dignum mente, quoniam in morem thesauri complectitur, quidquid beatis mentibus, quidquid viris sanctitate præstantibus largitus est auctor bonorum Deus.

C. Plinius suũ opus laudat à rerum multitudine in libros coacta,

Plin.

Virgo liber in morem thesauri.

Iàm reliquum est, vt videamus, quo pacto huic nostro libro compactio conueniat. quod quia fieri nequit, nisi repetiti præcesserint magni roboris ictus, operæ pretiũ erit cursim saltem attingere, quot, quàm grauibus, quàm crebris ictibus percussa Maria sub pondere verberum ingemuerit. Vnum illud, quod sanctiss. Virgini in Caluariæ Monte contigisse nouimus omnes, instar omnium sit, quod quemadmodum luctuosissimum fuit, ita ni fallor aptissimùm futurum est ad aperiendum, quanta fuerit acerbitas ictuum, quam Maria perpessa est. Sanè Latinus Demosthenes, vt Verris impietatem declaret, exponit eiusdem iussu in foro Laodiceæ spectaculum acerbum, & miserum, & graue toti Asiæ fuisse exhibitum, cum damnatis simul ad necem patre, & filio, omnia mærore, & luctu squallebant. *Flebat vterque*, verba Marci Tullij 3. Ver. *non de suo supplicio; sed Pater de filij morte, de Patris filius.* Nullum enimuerò sensum non pietatis modò, sed ne humanitatis quidem habeat necesse est, qui non perspicit intelligentia, quàm triste sit, ac luctuosum talem matrem, tàm cari filij nece commotam.

Libri compactio.

Quibus pœnarum ictibus percussa sit Maria

Verris impietas

Marc. Tull.

A Audi Beatum Laurentium Iustinianum lib. de triumphali agone cap. 21. *Cuius ferreum pectus, vel lapideum cor non emollirent ad fletum plangentium voces. In Crucem agebatur dolore vero, dum Cruci filius affigeretur. pendebat ante matrem filius; quid dicam? pendebat interna Cruce sublata ante filium mater.*

B. Laur. Iustin.

Iniustum sanè rerum æstimatorem argueret Sanctus Cyprianus eum, qui maximos non fateretur, & supra vires humanæ conditionis angores Virginis, quippe quæ filij morientis tàm dira inter supplicia spectaculo nimium acerbo interB fuerit. Ducta enim à simili argumentatione eloquentissimus Antistes Carthaginiensis lib. de Exhort: ad Martyres c. 11. post med. sic diceret de Machabæorum matre verba faciens. *Tàm grande martyrium Deo præbens virtute oculorum suorum, quàm præbuerunt filij eius tormentis, & passione membrorum.* Hanc haber in maternis visceribus vim erga filios amor, vt spectare nequeant angores filij piæ parentes, quin statim spectaculum fiat earumdem pœnarum. Poterunt igitur pœnæ Mariæ acerbitate, diuturniC tate, conditione etiam cum illis Sanctissimi Saluatoris iure quidem optimo comparari. Profectò tàm luctuosum est habere præ oculis alienæ calamitatis incommoda, vt latinus Pindarus apposite non minùs quàm eleganter tragœdiarum scriptores monuerit.

S. Cyprianus:

Mariæ pœnæ cum pœnis filij possunt comparari.

Multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facũdia præsens,
Nec pueros coram populo Medæa trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefariùs
(Atreus.

Horat.

Ita Horat. de art. poët. ad Pison. paulò ante medium. At si vehementiùs, quàm par est excitant, aut perturbant in scenis exhibita fabulosæ spectacula crudelitatis, vides quid sentire debeas de doloribus Virginis, ò quàm acerbi ictus, ò quales præssuræ, Deus immortalis? dicam de ea cum Sancto Bernardo lib. de pass. cap. 10. non multò post initium *Moriebatur viuens, viuendo ferens dolorem morte crudeliorem.*

S. Bernard.

Cuius haud obscurum argumẽtum deduci potest à sanguineis lacrymarum riuis quæ de Mariæ oculis defluxerunt. Ita asserit

Mariæ lacrymæ sãguineæ.

Theoph.

ferit Theophilus Historicus inquiens : A *Etiam lacrymæ sanguineæ de eius oculis emanarunt propter fletum tàm amarum.* Huius auctoris fragmenta habentur Bononiæ in celebri Monasterio PP. Congregationis Hieronymianæ, vt scribit Mallonius in c.5. de S. Sindone. Quod ipsa Virgo videtur confirmare; alloquitur enim Beatam Birgittam lib. 1. reuelat. c. 10. his verbis: *Cumque respexisset ad me de Cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quasi de venis lacrymæ exibant.* In hac etiam fuit sententia Beatus Germanus, si Ioanni Baptistæ Sigonio credimus, lib. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, vt refert Mallonius cir. cap. 13. B Prętermitto mentionem facere septem dolorum, quibus, vt notissimum est tàm asperè vexata, & lancinata fuit mens Sanctissimæ Virginis.

Mallon.

B. Germ.

Quęris quis nam sit huius libri compactor? Iam nosti: is Amor est, qui aureo charitatis filo folia huiusmodi libelli affabrè compaginat, & simul ligat, sanè nil tàm proprium est charitatis, quam vinculo simul coniungere, & quasi consuere, vt monet Apostolus ad Ephesios 4. nu. 8. vbi, vt doceat fideles, quæ sint partes C charitatis scribit: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Quanta porro fuerit Virg. Charitas, scire qui desiderat, adeat P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. ad cap. 4. num. 21. Ad not. 12. circa litteram sect. 1. & alibi.

Libri compactor Amor.

Licebit iam Virginem libri appellatione donare. Etenim si Constantinopolitanus Antistes, cui ab aurea dicendi facundia cognomen fuit, Apostolos nuncupauit *libros* ingeniosè non minùs, quàm verè, ad explicandam Sancti Spiritus gratiam, quæ se totam in discipulos effudit, cum die Pentecostes *Factus est repentè de* D *Cælo sonus, tanquàm aduenientis spiritus vehementis*, Sicut dicitur actor. 2. nu. 2. si inquam appellantur Apostoli hom. 1. in Matthęum aliquanto post initium, *Viui quidam libri, effecti per gratiæ largitatem*; vt intelligamus Apostolos cęlestibus donis vberius, & copiosiùs fuisse donatos. Cur mihi non liberet viuum librum appellare Virginem, in quam tantam vim gratiarum Spiritus Sancti munere vidimus fuisse illapsam.

Apostoli dicuntur libri.

Chrys.

En compactum librum egregium, diuini opus ingenij numeris omnibus absolutum, quem, vt eodem Christi fideles alloquar versu, quo Horatius in poëtica Pisones paulo post med. alloquebatur.

Horatius.

Nocturna versate manu, versate diurna.

Rem memoratu dignissimā scribit Laërtius lib. 7. de Zenone Cittico. Hic aliquādo oraculum dicitur consuluisse, vt è cortina veritatis certo certiùs perdisceret, qua tandem ratione in virum optimū posset euadere. Responsum primò quidem aspectu subobscurum, sed sapientissimum fuit; videlicet, fore, vt quam breuissimè fieret voti compos, *Si mortuis concolor fieret.* Philosophus, quo erat mentis acumine pręditus planè lynceo, monitum, è tripode acceptum ad libros veterum retulit, decernens cœlesti consilio, & certissima numinis institutione docentis operam fore fructuosissimam. Itaque imitatione sapientium factorum, dictorumque, quæ monumentis veterum referuntur, notatione, & imitatione, omnē adhibuit diligentiam, vt quemdam veluti mortuorum colorem suis induceret moribus. Præclarè nobiscum agitur, quod sacri, de quo agimus studio voluminis, euademus optimi non colore mortuorum, sed vitæ colore sanctioris: scilicet ipsa de se testatur Virgo: *Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino.*

Laër.

Zeno Citticus vir optimus euasurus iuxta oraculi responsum libros perlegit.

Quanquam hæc prosequi pluribus non debeo, cum sit in promptu, quod de Pio Secundo narrat Platina ad æternam posterorum memoriam, & vtilitatem: ait enim *Libros plusquam sapphiros, & smaragdos caros habuit, quibus chrysolitorum magnam copiā inesse aiebat:* Digna planè vox Catholicæ Religionis Antistite summo, qua præeunte face haud obscurū erit, quid sit de nostro volumine sentiendum. In hoc euolue arcana fidei, perscrutare recessus intimæ demissionis, Christianæ prudentiæ numeros omnes recognosce, vno verbo effodias omnes thesauros sapientiæ, & scientię Dei; Hunc librum moneo recondas continuò, ac diligenter custodias in scrinio cordis memor illius, quod de Alcibiade scribit Plutarchus in Apoph. Reg. & Imp. paulò ante med. Cum ad litterarium ludum se contulisset Alcibiades, postulauit à pręceptore Iliadem

Platina.

Pius Secūdus amauit libros plusquam gemmas.

Plutarch.

B. Virginis liber in scrinio cordis reponendus.

Homeri

Alcibiades pugnum magistro incussit quia Homeri librum non habebat.

Homeri; afferenti autem ludi magistro, se nullum habere talis auctoris librum, pugnum illicò incussit ira succensus egregiæ indolis adolescens, dignum plagis iudicans eum, qui tanto careret libro. Quibus, obsecro, excipiendus verberibus, quibus plagis afficiendus, qui tanti auctoris librum apud se habere contempserit? dignior, qui non euoluerit diligenter, eoq; neglexerit erudiri.

Aelian. Plato audito Socrate nuncium poesi remisit.

Aut certè dicamus: par est, vt huius amore libri abijciamus quemuis alium, & huic præ omnibus demus operam euoluendo. Etenim si Plato, vt auctor est B Aelianus lib. 2. cap. 30. cum animum ad artem poëticam adiecisset, eoque studio tantopere delectaretur, vt non sine laude contenderit, Homerum elegantia, & suauitate superare, semel tamen audito Socrate nuncium poëticæ remisit, indignum ducens ingenioso viro ad alia incumbere studia, quam ad philosophiam. Tantam vim habet grauioris eruditio disciplinæ, & sapientiæ altioris germana notio. Age quisquis humanæ literaturæ studijs profectò leuioribus occuparis, euolue per otium cœlestem hunc librum, enucleatiùs exam na diuinum hoc volumen, & grauitate sententiarum, & styli suauitate, & C præcellenti doctrina illectus, inimicam Deo fa ictiam generoso fastidio respuas, ac penitùs in posterum auerseris.

B. Virginis liber inter didascalicos reponendus.

Vnum ad extremum superesse mihi videò monendum, videlicet hunc librum inter didascalicos reponendum, cui monito, ni fallor annuent Græci; apud quos, ex Varrone lib. 1. de re rust. didascalici dicebantur libri illi, quibus continebantur præcepta singularum virtutum: quæ vt perspicias intelligentia, & perficias opere, sis memor eius, quod Seneca lib. 1. Epist. epist. 2. post med. scribit inquiens: *Distrabit animum librorum multitudo, probatos itaque semper lege*. Imò verò id parum videbitur scienti, quid fuerit in votis sanctissimo, & disertissimo viro Ioanni Chrysostomo: Si quidem hom. 1. in Matthæum ipso initio ait: *Opportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, sed tàm mundam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice, gratia Spiritus Sancti vteremur: Et sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu*. Præ-

Varro.

Seneca.

Chrys.

Librorum vice gratia Spiritus Sancti est.

A cessit Beatiss. Virgo exemplo, vtinam integritatis eius tenentes vestigia, impressis à Sãcto Spiritu caracteribus, viui efficiamur libri diuinorum referti dogmatum, & cœlestis sapientiæ arcanis probatissimi.

Dicta hactenus breuissima possum ratiocinatione complecti in hunc modum. Illa commendatio maximè Beatam Virginem decet, quæ singula virtutum complectitur decora, & perfectissimo modo cœlestium donorum nexum perbeato stringit compendio; talis porrò probatur Virgo, si libellus auctore Deo editus prædicetur, ergò commendatio, quę maximè decet B. Virginem, est, si libellus auctore Deo editus prędicetur.

Totius paradoxi Epitome

IN CAPVT PRIMVM
à Num I. ad XVII.

Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, & deinceps.

PARADOXVM
IV.
Christianus debet esse Superbus.



EVANGELICA narratio ducit exordium à censu eorum, qui hæreditario iure, vel Iudicum, vel Regum, vel Ducum, ac Sacerdotum dignitate conspicui Israëliticæ genti præfuerunt, vt ostendatur inclito editus genere Christus Dominus. Quid aptiùs ad commen- D dationem nominis, aut quid ad auiti splẽdorem sanguinis patefaciendum accommodatiùs? Verum quid habet commune tàm splendida, tàm longa, tam illustris maiorum commemoratio cum ea, quam & re, & verbis Servator noster docturus erat animi demissionem? Id mihi diutiùs consideranti venit in mentem peropportunè factum, vt Magister humilitaris, ambitiosa quasi Atauorum seriè immortali posterorum memoriæ commẽdaretur.

Nimi-

Nimirum indicare voluit, non debere nos A è tam clara Christi Parentis stirpe progenitos turpiter ad humilia demittere; quin potiùs mentis elationem Christi fideli vnicè necessariam.

Scio sacris Oratoribus nihil tàm solemne esse, quàm Christi discipulis demissionem, atque humilitatem persuadere. Sic olim Sanctus Chrysogonus ad Anastasiam scribens, vt refert Cardinalis Baronius tom. 2. annal. anno Christi 300. Marcellini Papæ quarto, Diocletiani, & Maximiani Imper. 17. aiebat, *Vnum mare est, in quo nauigia nostri corporis decurrũt, quorum igitur naues carinis munitæ sunt, ij incolumes nauigare possunt: infirmæ autem, & sine fluctibus in tranquillitate periclitantur.* Vt vides illustri satis documento monemur, fieri nequaquam posse, vt ingruentium vndarum naufragium euadamus, nisi carina humilitatis muniri. Hæc, & similia sexcenta verissima sunt, & mihi maximè explorata. Videamus tamen quæ nam sit ea superbia, quam suadet nobis tàm splendida mentio præstantissimæ stirpis, à qua originem ducimus.

Baron.

Chrysog. Humilitas portus securitatis.

Verùm, quia id non nemini videbitur inauditum, examinemus quo pacto Auctoritas, Ratio, Natura ipsa Christianum hominem superbiam doceant.

Exordior ab Auctoritate Sancti Bernardi disertè id pronũciantis, dum ser. 16. in Cant. post medium sic ait: *Verus humilis hoc sanè superbus, quòd laudes contemnit.* Similiter Eusebius Emissenus hom. de Sancto Maximo post medium eiusdem exornaturus promeritum ait, *Honoris impatiens, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Consentit S. Petrus Chrysologus in ea verba Seruatoris Lucæ 12. num. 32. *Nolite timere pusillus Grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnũ.* D Admiratione perculsus exclamat Chrysologus. *Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat? de Regno certus, de dominatione securus? Satis sibi inuidet, qui eleuatus ad summa, ipse se ad humilia deijcit, ad egena deponit.* Hæc S. serm. 25. qui est de terrenorum cura despicienda, paulò post initium. Quamdiù inter abiecta sordesces? quamdiu sequeris vilia? quamdiù infimis delectaberis? aliquando

S. Bernard.

Humilitas superba.

Euseb. Emiss.

S. Max. humilis quia superbus.

Chrysol.

Verus humilis vilia, & humilia dedignatur.

tandem animum concipe regno parem, mentem indue sceptro dignam, & purpura, contemptor gloriosus terrenæ obscuritatis.

Ad rem propositam nihil planè attulisse me crederem, nisi auream Beati Petri Damiani sententiam adiungerem. Qui memorans decretum Agnetis præstantissimę Imperatricis, quę erepto è viuis Imperatore, humani Principis posthabitis nuptijs, totam se se dicauerat Sponso Deo, sic habet. *Quæ in terris idoneum, & qui tuis placeret oculis inuenire non poteras virum, in Cœlestis Sponsi prouolasti violenter* B *amplexus. O beata ista superbia, ò beata mentis elatio, & omnibus digna præconijs, quæ dum carnalis thalami iura contempsit, in dotalium regis æterni gloriosa transiuit.* Ita opusc. 56. quod est de fluxa Mundi gloria despicienda ad Agnetem Imperatricem cap. 4. circa medium. Hęc ijs sedulò sunt perlegenda, quibus caro blanditur: hæc inquam ijs, quos Mundus allicit, perpendenda sunt seriò. Beata quippe nos decet Superbia, vt omnia huiusmodi incitamenta, veluti abiecta, ac vilia Cœlestis Sponsi delicijs posthabeamus.

B. Pet. Dam.

Beata superbia.

Hic ego nullo pacto pręterm ittendum C censeo, quid in hac re senserit disertissimus Ioannes Chrysostomus pręsertim cum copiosè satis hom. 66. in Matth. aliquanto post medium declaret, abiectam esse superbiam, gloriosam humilitatem; vt intelligamus Christi fidelibus, vt pote generosis mentibus affectandam humilitatem, quę sublimis, gloriosa, vno verbo, superba quodammodo videatur. Verba Chrysostomi sunt: *Nullo pacto metuas, quasi tollatur honor tuus, si te ipsum humiliaueris: hic enim amplior, atque præstantior redditur. Si enim voluerimus magni, ac mirabiles videri, non modò tales non erimus, verum etiam cæteris omnibus abiectiores futuri sumus.* Paulo post concludit his verbis: *Quare si magnus vis fore, hoc ipsa contemne* (nempe Primatus, Pręfecturas, & alios huiusmodi gradus honoris, quos recitauerat) *Et eris profectò magnus. Illud enim, quod tu maximum putas, minimum omnium est.* Hęc Chrysostomus, apud quem loco citato plura in hanc sententiam videri possunt, post quę talem affert ratiocinationem.

Chrys.

Honor fit amplior ab humilitate.

Nemo magnus nisi qui magna despicit.

Chrys.

Attende

Sublimis, humilitas, demissa superbia.

Attende igitur, & videbis, nihil humilitate altius, nihil arrogantia depressius: Nam arrogans quidem, atque superbus maiorem se cæteris arbitratur, & neminem se esse dignum affirmat. Nec ita magno quisquã poterit honore ipsum afficere, quin cupiditate maiori agitatus parum sibi collatum arbitretur. Cumque laudem ab hominibus quærat, spernit eos, atque contemnit: quæ res adeò expers rationis est, vt ænigmati sin illima sit: quos enim despicit ab his hominibus gloriam quasi debitam flagitat. Perspicis quomodo qui se altiùs recipit his humi affixus iacet. Si ergo ita cæteros spernis, cur adulationibus laudem ab illis aucuparis? cur tantam tecum turbam hominum circumducis? Vidisti re ipsam humilem homunculum, atq; supinum caducis omninò rebus subnixum. Age iam è contrariò qualis verè sublimis sit consideremus. Hic certè non ignorat quantum, & quid homo sit, hic certè intellexit magnum eum esse hominem, qui minimum se putat. Non potuit, neque copiosiùs, neque gloriosiùs humilitas exornari. Cum igitur alta sit, & sublimis Christiana humilitas; cum inclyta sit, & præcellens: elato sit animo necesse est, & mẽte superba, qui eam amplectatur, eaque ex animo delectetur. Abijce igitur eam, quæ homuncionum est, ac vilium animarum abiectam superbiam.

Superbus patefacit superbiam esse abiectam.

Humilis verè sublimis.

Placet ante quàm progrediar vlteriùs Caligulæ superbissimi capitis in rem meã deriuare auctoritatem. Scribit de eo Suetonius in vita aliquantò post initium, id est num. 22. quod mox narro. Reges, qui officij causa Romam peruenerant, cum semel inter Imperatoriæ cœnæ lautitias de claritudine generis disceptarent, & singuli certatim, veteri maiorum suorum repetita memoria, se Reges esse comprobarent, Imperator dicitur exclamasse *Vnus Princeps sit, vnus Rex*. Intelligo quid sibi velit Caligula: dedignatur vir apprime elatus, si quispiam spectante se regis appellationem vsurpet. Tales si nos gerere nouerimus futuri sumus cum laude superbi. Quoties regnare in nostro mortali corpore tentauerit peccatum: quoties nos imperio premere aggreditur malus Dæmon: quoties infensus mundus, vel inimicæ cupiditates in nos insurgere mo-

Suet.

Superba Caligulæ vox.

A liuntur tyrannico impetu, par est vt exclamemus. Vnus, vnus sit Rex, nullo modo ferentes, vt quisquam vel solum nomen regis vsurpet spectantibus nobis.

Verùm desipere dicar, nisi superbiam, quam commendo expressam comprobem è sacrarum Oraculis litterarum. Est pro me par nobile Doctorum, quorum alter veteris, alter verò nouæ Ecclesiæ Concionator fuit. Disertissimè sanè monet Ecclesiasticus cap. 13. num. 10. & 11. dum ait: *Attende ne seductus in stultitiam humilieris. Noli esse humilis in sapientia tua.* Quasi dicat, vbi te ipsum noueris,

Eccles.

Nemo se humiliet.

B & probe tenueris præcellentem dignitatem conditionis tuæ, abijce abiectam humilitatem: noli esse humilis. Atque ne in re tanti momenti à sanctorum opinione, videar discrepare, non meis, sed S. Bernardi verbis vtar tract. de Diligendo Deo paulò post initium in hunc modum monentis. *Re vera ita fit homo factus in honore: cum honorem ipsorum non intelligit, talis suæ ignorantiæ meritò comparatur pecoribus, fit igitur, vt se se non agnoscendo egregia rationis munere creatura irrationabilium gregibus aggregari*

Bernardus.

C *incipiat: dum ignara propriæ gloriæ, quæ ab intùs est confirmanda, foris rebus sensibilibus sua ipsius curiositate abducitur; efficiturque vna de cæteris, quod se præ cæteris nihil accepisse intelligat. Valdè cauenda hæc ignorantia, qua de nobis minus nobis forte sentimus.* Hucusq; Bernardus.

Indecorum est Hominem ignarum esse dignitatis suæ.

Similiter scribebat de se Orator egregius S. Paulus Epist. 1. ad Corinth. cap. 9. num. 15. *Bonum est mihi mori, quam vt quis gloriam meam euacuet.* Ita ne? tanta gloriæ inflammatis cupiditate, vt malis vitæ, quam gloriæ subire iacturam? O sancta superbia, ò commendabilis mentis elatio, mihi liceat exclamare, si etiam

S. Paulus maluit vitæ, quã gloriæ facere iacturam

D tàm pio in pectore tanta æstuat cupiditas gloriæ. Obuersatur animo facinus egregium Sebastiani Lusitanorum Regis, de quo mentionem facit Ioannes Boterus lib. 1. dictorum memorabilium virorum illustrium post medium. Inclytus Princeps cum hostium copijs circumseptus strenuè ac magnanimitate planè regia depugnaret, à Christophoro Tauora primæ nobilitatis viro monitus, vt ense deposito à certamine parumper desisteret, ne fu-

Ioann. Bot.

Christo. tori Tauoræ consilium.

turem





rorem hostium audacissimorum in se se vebementiùs inflammaret par esse insinuans, vt infortunio paululum succumbere videretur, & breui saltem temporis spatio ab incępto desisteret Regiæ dignitatis oblitus. Sebastianus respondisse fertur indignabundus regiæ splendorem meotis nullis vnquam inuolucris condendum, neque vitam Regis vllo demissionis abiectæ propugoaculo defendendam. Inuicta verè vox, & eo Rege dignissima, quia pro Religione certabat; cuius monitu bæreat altè nostris cordibus, qui Deo Duce dimicamus, indignum esse, & maximè alienum ab ea, quam sustinemus persona, sancta superbia elatum animum non deponere modò, sed simulare. In acie sumus, in castris vitam ducimus, quibus militia est ipsa vita, si Dei amicum S. Iob audiamus. Igitur sentiant nos sempeη audĕtiores bonitatis Diuinę perduelles nefarij, expectiantur semper elatos, & inclyto mentis fastu præferuidos. Vno verbo omnem omninò conditionem fœderis elato fastidio respuamus.

Responsum memorabile Sebastiani Regis.

Iob. Hominis vita militia.

Quando autem cupidos video lectores meos percipiendi rationes, quæ superbiam buiusmodi suadeant, eas diutiùs differre non possum. Inuestigat Eusebius Emissenus rationem, qua eu:bi possimus ad cœlum, decernitque fieri facilè posse, vt scelera ipsa oos à terrenis sordibus euehant, & syderibus inserant. *Sublimabunt nos* (sic loquitur Emissenus hom. de Ascensione Domini in fine) *si fuerint infra nos: de nostris etiam vitys scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* Considera obsecro parumper, quæ meotis elatio sit necessaria ei, qui inuicto pede hostium audacissimorum colla premete debeat. Premere inquam / immò perimere, ac penitùs conculcare. Est in promptu memorandum, nisi potiùs execrandum Tamerlani facinus, quod non parum meam sententiam illustrabit. Leges apud Horatium Tursellinum libro 9. epi. hist. in fine Paiazetem Turcarum Regem anno à partu Virginis millesimo quadringentesimo à Tamerlano Tartarorum Rege celeberrima illa victoria, qua Tartarus quidquid terrarum est à Tanai flumine ad Nilum domuit, non modò victum, captumque, & in caua ferrea ad

Emiss.

Vitia sunt gradus ad virtutem.

Tamerlani facinus execrandum.

Tursel.

A ludibrium reseruatum, verùm etiam coactum fuisse cœnante Tamerlano catena aurea collo inserta inter canes cibum sub mensa capere. Insuper etiam insolentis, atque post bominum memoriam inauditæ superbiæ edidit argumentum: etenim fama fert Tamerlano equum conscensuro tergum præbuisse Paiazetem hostis superbia elati, & fastu planè barbaro tumidi pedibus conculcandum. Simillimũ planè, & superbię execrandę, & calamitatis miserrimæ monumentum prodit Tyrius Aotistes libro 1. de bello sacro scribens de Romano Diogene Græcorum B Imperatore, cui Constantino Duca extincto Eudocia Augusta nupserat. Hic collatis in Asia cum Turcarum Sultano signis non modò victus, verum etiam in potestatem hostis immanissimi redactus, fertur proculcatus ab eo pedibus, immò ascensuro, descensuroque Tyranno truculentissimo Augustus pro scabello fuisse. Ex bis percipies facilè sensum Emisseni, cui parum videbitur si vitia debellaueris, parùm si mille modis deluseris, parùm si in seruitutem adduxeris, animoque semper victore exultaueris. Vnum adbuc superest dignũ regnantis animo superbię osten- C tum, scelera scilicet quàm sæpissimè pede protetere, ac conculcare. Habes igitur, quo pacto te ipso maior fias, boc est super te ipsum eas, vno verbo, qua ratione superbias; nil enim aliud est superbire, quam super se ire.

Paiazeti summa calamitas.

Tyrius Ant ill.

Romani Diogenis infortunium.

Quo pacto superbire debeamus.

Quod licet Christianæ sapientiæ arcanum sit, aliquo tamen modo adumbratum reperio in Diogenis Sinopensis dicto omni posterorum memoria recolendo. De quo Aelianus lib. 3. cap. 29. mentionem facit. Sapiens Diogenes quasi de se rationem redditurus ijs, qui vitæ genus, D quod gerebat tàm abiectum carpere, ac reprehendere non dubitabant. Dicere solebat: *Erronem se esse domo, & patria carere, mendicum agere, malè vestiri, & in diem viuere, nihilominùs tamen in bis animum se se gerere sublimem, rerumque contemptorem parem omninò menti Magni Macedonis, in terrarum orbis imperio cum subactis Indis in Babyloniam reuerteretur.* Quis bic non discat fieri nullo negotio posse, vt sapiens animus dummodo philosophari voluerit, hoc est rerum momenta

Aelian.

Diogenis in summa abiectione magnanimitas.

menta

menta ad rationis trutinam examinare; A quis, inquam, non videat, hoc pacto fieri posse, vt inter sordes minimè sordescat, & inter abiecta tuguria, inter pannosa egestatis indumenta cor elatum præseferre, animi esse omni disciplinarum, bonarumq; artium genere exornati, ac mentis planè philosophicæ. Humilia præcipit lex Christi, inter quæ, si sapis, animum semper seruabis elatum, triumphum quippe corde voluens beatitatis, magnanimo contemptu despicies quidquid mendax mundus magnum ducit, & fastum induës imperatorium iurè ridebis malè suadam vilium homunculorum superbiam; quibus quidquid illustre blanditur, atque videtur sublime, re ipsa vilescit. Id ipsum docet, & fortasse ingeniosiùs S Bernardus ser. 17 in Cantica paulò ante finem his verbis, *Accepit Satan regnum super omnes filios superbiæ factus princeps tenebrarum barū, vt regno humilitatis etiam superbia militet.* Quasi verò ita ratiocinari debeant humiles, vt discant contemnere honores, & dignitatibus præesse non alio fastu, quàm eo, quo Satan filios superbiæ premit. Vel certè superborum, quos conculcat tyrannide princeps tenebrarum, abiecta seruitute attentiùs perspecta, ab ea abhorreant, & sic fiat; vt regno humilitatis etiam superbia militet. Idem S. Abbas pro re præsenti monitum protulit saluberrimum, si consideretur attentiùs, & ratione duce examinetur. Sic enim habet in speculo Monacorum in fine alloquēs Dei seruum, *Sic se existimet, quasi ipse sit solus & Deus.* Ergo rationi consonum est auctore Bernardo, vt Dei seruus se tanti faciat, vt non modo reliqua omnia vilissima ducat, atque contemnat, sed planè non esse arbitretur.

Bernard. Superbia seruit humilitati.

Bern.

Quanta seruorum Dei superbia.

Quando autem nos ipsa natura eximia magistra vitæ vult esse superbos, rationum ambagibus prætermissis, bibulis excipiamus auribus naturæ docentis institutionem. Sanè ipsi arborum fructus, quò se altiùs attollunt, eò meliores, & nobiliores sunt, vt scribit Plinius lib. 17. cap. 23. vbi etiam exclamat. *Adeò excelsitate profitetur.* I cœlum pete, & conceptis expete votis syderum celsitudinem, cœlestemque sublimitatem. Quæ inter homines magni fiūt dignitates, viliores sunt, quàm à te expeti queant. Ad maiora animum erige, vt excelsitate proficias. Hęc ego dum scriberem, veniebat in mentem quod fieri olim consueuisse apud incolas Taprobanę insulæ veteris memorię Auctores ferunt. Etenim Diodorus Siculus lib. 2. scribit. genus quoddam auium grandiorum educabant, quarum dorso imponebant infantulos ad puerorum indolem explorandam. Nam, si qui motum illum volitantis per aërem auis generosæ tolerabant, in spem alebantur rerum præstantissimarum: sicuti è conuerso, qui nutantes, trementesque suam capitis, B animiq; ad volatum imparis imbecillitatem prodebant, abijciebantur. Simillimum nescio quid fieri mihi videtur à Deo cum electis suis; bonæ quippè mentes addictę pietati, si volatu gestientes à rerum abiectarum colluuione in sublime sanctimoniæ alis efferantur: has tamquam filias educat, quasi illectus elati animi generositate. Nauseat scilicet præpotens Deus viles animas, quæ erigere se se non possunt, sed hærent inter demissas sordium vilitates. Vides conatum naturæ, hominem, cui & animantia, & sensu carentia seruiunt, superbum facere condiscentis. C Rudimenta sunt hæc laborantis naturæ, quibus perito exemplo à sensu, & ratione carentibus mentis elatio insinuatur.

Plin. Natura superbiæ magistra.

Diodor. Sicul. Mira auium proprietas.

Verum extra nos errare diutiùs sine errore non possumus. Reuocemus ad nos ipsos gradum orationis, & examinata conditionis nostræ dignitate, nunquam satis commendato superbiæ genere intumescamus. *Expergiscere ò homo*, exclamaret S. Leo serm. 7. de Natiuitate circa finem, *& dignitatem tuæ cognosce naturæ.* Quod etiam latinum monuisse Philosophum licebit aduertere legenti Senecā ad D Lucilium epist. 105. post medium vbi ait: *Magnanimos nos natura produxit, & vt quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pauidum, ita nobis gloriosum, & excelsum spiritum.* Itaque natura nos in lucem edidit, vt ad sublimia extolleremur, atque præclara. Docet me hanc animi elationem præcellens Origenis ingenium, dum ait: *Chilonis ex septem, quos apud Græcos singulares fuisse fama concelebrat, hac inter cæteras mirabilis fertur esse sententia. Scito te ipsum*

Leo. Propria hominis dignitas cognoscenda.

Seneca. Gloriosus homini animus, & excelsus à natura traditus.

Orig. Chilonis sententia.

ipsum. *Quod Salomon ad animam quasi ad mulierem sub comminatione quadam loquens dicit: nisi cognoueris temet ipsam ò pulchra inter mulieres, & agnoueris pulchritudinis tuæ causas inde descẽdere, quod ad imaginem Dei facta es: quod nisi feceris iubeo te exire, & in vltimis gregum vestigijs collocari, & hædos pascere, illos scilicet, qui pro prauitate à sinistris statuti sunt Regis in iudicio præsidentis*. Huculq; Origenes hom. 2. in Cant. circa medium. Equidem intelligo quam necessariò debeat homo noscere non vilitatem, sed dignitatem suam; hac siquidem ignorata vltimum nobis malorum imminet.

Indigna eo respectu Dei anima, quæ suam ignorat præstantiam.

Orig.

Propterea exclamare compellor: vtinã nostræ dignitatis præstantia semper nobis pre oculis sit. Quandoquidem autem huius argumenti, quod a nostra præstantia petitur, mentio incidit, & ab ipsa Diuina Sapientia pertractatur, illud ego non cursim libare debeo, sed attentiùs examinare. Itaque vt huiusmodi tàm religiosa superbia à nemine reuocetur in controuersiam ex Christi Seruatoris oraculo Matthæi 22. num. 20. dicentis. *Cuius est imago hæc*, lubet adhuc illustres Christianorum animos excitare ad intimam non propriæ vilitatis, sed nobilitatis notionẽ; quod facilè assequar, proposita Dei, quam gerunt, imagine. In hanc venisse sententiam animaduerto, magnum Leonem serm. 1. de Ieiunio decimi mensis initio dicentem: *Si creationis nostræ intelligamus exordium; inueniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, diuina benignitatis forma resplendeat*. Vide obsecro, quò te vocet tui generis dignitas, qui præfers imaginem Conditoris. Hanc sanè commendationis partem eleganter expressit Eusebius Emissenus, cuius hom. 2. de Symbolo circa medium ea vox est. *Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam*. Non se demittat ad infima humana mens, cum viuum, ac spirans sit simulacrum diuinitatis. Neq; validiore ratiocinatione id ipsum suadere posset, si Gregorio credamus, Paulus Apostolus, hoc est in Christiana republica maximus Oratorum. *Genus ergo cum simus Dei*, loquitur Paulus actorum 17. num. 29. *non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationi hominis diuinum esse simile*. Quasi dicat nihil excogitari potest, quod pretio nobiscum conferri queat, cum simus Dei genus. Id autem qua ratione contingat monet Gregorius lib. 20. in cap. 30. Iob cap. 16. post medium, inquiens. *Genus videlicet Dei dicimur per acceptam imaginem ad similitudinem illius*. Arrige iam quisquis ades non tàm aures, quàm animum, tuamque præstantiam, qua nil dignius intelligi potest cogitatione comprehendas. Nempè imaginem istam, quam geris ad similitudinem Summi Dei, certo scias, quamdam esse cum supremo rerum Molitore cognationem.

Sublimis de se sentiat animus Dei.

Matth.

Leo. Hominis dignitas quanta.

Euseb. Emiss. Deus nobilem vult esse hominum vitam.

Paulus.

Nihil homine pretiosius.

Greg.

Venit in mentem, quod Plutarchus, & & Plinius de Talisi imagine memorant. A Prothogene Talisi imagõ in mœnibus Rhodiorum coloribus expressa fuerat, ea elegantia vt Regem Demetrium, qui Rhodios profligauerat ab incẽdio cohibuerit, Audi Plutarchum in Demetrio. *Demetrius obsidens Rhodum pepercit imagini Talisi à Prothogene mira arte depicta*. Hoc ipsum clariùs prosequitur Plinius lib. 7. cap. 38. illis verbis: *Rhodum non incendit Rex Demetrius, expugnator cognominatus, ne tabulam Prothogenis cremaret à parte ea muri locatam*. Pudeat iam Christi fidelem, nõ ea prosequi veneratione Dei imaginem ab ipso Deo expressam, hoc est animam suam, qua Rex Demetrius etiam in ipsa insolescentis victoria animi, & ad omnem temeritatem proiecta licentia militum exultãtium, à Prothogene depictam tabulam est prosecutus. Cohibe ab incendio manus, hoc est motus animi effe-ratos in modum flammæ debacchãtes rationis imperio comprime. Cuius veritatis apertissimæ consideratione permotus saxeus planè sit, qui cum Eusebio Emisseno serm. castigationis de inobedientia in fine non exclamet: *Cur me ipse erubescen dis obscœna cupiditatis illecebris mei obli tus inuoluo? cur pretiosus auctori meo apud me ipsum vilis sum? facilè indigna confu-tabitur improbitas, dum confunditur vilitati seruire generositas. Nec praualebit in homine fœda impugnatio passionis, dum fortitudinem subministrat attributa conscientia*

Talisi imago à Prothogene depicta.

Plutarc.

Plin. Incontinentia Demetrij erga opus Prothogenis.

Euseb. Emiss.

Homo pretiosus Deo, sibi vilis non fit.

A *scientia dignitatis*. Non poterat copiosiùs, aut elegantiùs explicari, quod volo. O homo nosce teipsum, & ex consideratione præcellentis præstantię, quam tribuit tibi imago Diuinitatis, auertas animum à sordibus, & cœno, ab ignauæ inquinatarum, & inquinantium voluptatum seruituте refugias: vno verbo dignam te concipe mentem. Vt quemadmodum Pompei magni imago, quæ in triumpho circumlata fuit tota è gemmis, & vnionibus erat conflata pulcherrimis, quod habes apud Plinium lib. 37. cap. 2. sub initium, vbi tertius Gnei Pompei describitur triumphus, quem de piratis, Asia, Ponto, gentibus, & regibus retulit: ita præstans imago summi Dei quam noster animus præsefert ad superbam ostentationem, virtutum gemmis ditissimis tota constare videatur. Hunc ego loquendi modum didici à Sācto Bernardo homil. 2. super missus est paulò post initium vbi dicitur. *Virgo gemmis ornata virtutum*. Verum ne digredi videar, illud hoc loco silentio inuoluere nequeo, quod idem aduertit Bernardus, cuius ea sententia est, auctorem naturæ suam in nobis imaginem tanto artificio in eam gratiam expressisse, vt perpetuò in nobis maneat, neque sceleribus deleatur, sed moneamur assiduè, quæ nostrę sint partes, & quanto studio nostrę origini morum integritate respondere debeamus ex mente Bernardi citati serm. 83. in Cantica non multò post initium dicentis. *Vtique ad hoc Auctor ipse Deus, diuinæ insigne generositatis perpetuò voluit in anima conseruari, vt semper hac in se se ex Verbo habeat, quo admoneatur semper, aut stare cum Verbo, aut redire si mota fuerit*. Claudat agmen ducta à minori ad maius ratiocinatione ab eloquentissimo Leone serm. 6. de Natiuitate Domini circa medium in hunc modum. *Si autem ad humanam pertinet laudem vt patrum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est, ex Deo natos in Auctoris sui imagine refulgere, & illum in se, qui illos generauit, ostendere*.

Plin.

Popei statua gemmis contexta.

Bernard.

B. Virg. ornamentum.

Bernard.

Cur Deus ad imaginem suā hominem fecerit.

Leo.

In homine refulgeat dignitas Dei.

Quibus ita constitutis aberrant sine dubio toto cœlo, qui humilitatem prædicant tanquam abiectam, quasi verò vilium animarum sit nunquam satis commendata demissio; istos ego compellabo verbis illis, quibus vsus est Seneca. *Quis iste furor? quæ ista inimica Dijs, hominibusque natura, infamare virtutes, & malignis sermonibus sancta violare*. Ita Philosophus libro de vita beata, cap. 27. paulò ante medium. Equidem de virtute humilitatis alloquitur quisquis eam demissam prædicat, vel abiectam. Nobilis, inclyta, superbæ res humilitas est: propterea ab Augustino lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 30. in fine Christiana humilitas appellatur *Altissima*.

Seneca.

Qui virtutes infamet.

Aug.

Christiana humilitas altissima.

B Par profectò est, vt huiusmodi superbiæ genus, & nostris imprimamus mentibus, & motibus exprimamus ea planè ratione, qua Seneca lib. 7. de beneficijs c. 11. à Demetrio factum fuisse testatur inquiēs. *Cum Cæsar illi ducenta donaret ridens reiecit, ne dignam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur*. Imò subdit: *cum miraretur dementiam eius, quod se putasset tanti posse mutari. Si tentare me, inquit, Demetrius constituerat toto illi sui experiendus imperio*. Mirum equidem quod tętuli, mirabilius

Seneca.

Cordata, & commendabilis Demetrij superbia.

C tamen, quod subijcio ex eodem Seneca libro citato cap. superiore in fine reddente rationem, cur talem si gesserit Demetrius his verbis. *Cùm bene ista, per quæ diuitias suas disposuit, ac si dit circumspexit, superbumque se fecerit*. Ita Seneca. Et tu benè circumspicias quæ offert veterator mendax, omnibusque contemptis facias te superbum, pluris in posterum tuam præstantiam faciens, quam quidquid mundus, vel caro, vel malus Dæmon polliceri possunt. Fauet Tiberij Cæsaris cæteroqui non admodum commendandi Imperatoris sen-

Seneca.

Quicunque [illegible]

D tentia in rem præsentem probat firmæ, & accommodatissima dicentis apud Tacitum quarto Annalium: *Optimos mortalium altissima cupere*. Ergo flagrantissimè cupidi rerum altissimarum & cuademus, & prædicabimur optimi.

Tacit.

Viddatur P. Didacus de Baeza tom. 2. Comment. in Euang. histor. lib. 12. cap. 8. §. 2. & §. 4. & lib. 9. eiusd. tom. cap. 3. §. 6. & cap. 7. §. 2.

Similiter videri potest P. Io. Antonius

Velaſquez tom. 1. in epiſt. ad Philipp. ad cap. 1. verſ. 1. Adnot. moral. 1.

IN CAPVT PRIMVM

à Num. I. ad XVII.

Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, & deinceps vſque ad num. 17.

PARADOXVM V.

Nobilis debet eſſe abiecto animo.





VMDEM mouebo lapidem, & vt ſpero non ſine fructu. Siſiphus, ſcilicet fortunatus. Album hoc maiorũ Chriſti Domini, dum contemplor diligentiùs, animaduerto præſtantiſſimos viros Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, alioſque non minùs nobilitate, quàm humilitate floruiſſe. Quemadmodum ego quidem interpretor, vt natus Deo non modo nobilis declaretur auorum tam illuſtrium ſerie conſequentium ſæculorum memoriæ conſignata; verum etiam, vt peculiaris, quædam Chriſtianæ nobilitatis nota clariùs innoteſcat; ſcilicet nobilem non eſſe niſi qui abiecto animo ſit eo planè modo, quo tàm inclytos Patriarchas, & genere quidem nobiliſſimos, & abiecto ſimul fuiſſe animo certo ſcimus ob amorem eximium erga humilitatem.

Id autem vt illuſtrem dilucidè in memoriam reuoco, quod de Michol, & Dauid ſacrarum litterarum monumenta te-**A** ſtantur 2. Reg. cap. 6. num. 20. quia ſaltauerat Dauid exceptus fuit ludibrio à Michol quaſi verò indignum eſſet regia, quam gerebat, perſona nudato corpore choreas ducere: rem totã ſic habes apud S. Gregorium. *Michol filia Saul adbuc ex tumore regij generis inſana, cum humiliatem deſpiceret, dicens. Quam glorioſus fuit hodie rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi nudetur vnus de ſcurris, protinùs audiuit. Et ludam, & vilior fiam, eroque humilis in oculis meis, ac ſi apertè dicat, vileſcere coram hominibus* **B** *appeto, quia ſeruare me coram Dõmino, ingenuum per humilitatem quæro.* Hucuſque Gregorius lib. 27. moral. cap. 27. poſt med. Egregia ſanè ſententia. Regiæ maieſtatis nobilitas non minuitur humillimæ demiſſionis vilitate, ſed augetur; per hanc enim, vt profitetur rex Iſraël, ſeruatur decus illuſtre ingenuitatis. Pulcher nexus, cum ſit vilis, ingenuitati conſulit. Eat nunc ſciolus, neſcio, quis, & neget; verè nobilem vili, abiectoque animo eſſe debere. Enimuero glorioſum fuerat Dauid ora fregiſſe leonum, de **C** verſis reportaſſe victoriam, Goliam ſtrauiſſe, profligauiſſe Allophilos, ad regale ſolium fuiſſe euectum: verum horum omnium decus, atque ingenuitatem tot partam laboribus vna ſeruat vilitas humilitatis, vt propterea dicat, *& vilior fiam.* Videant quà ratione decipiantur ij, qui mentem humilem, abiectam, obſcuram viro nobili putant indignam. Sanè in panegyrico ad Traianum Auguſtum Plinius ſecundus iunior Chriſtianę, hoc eſt, veræ ſapientiæ penitùs ignarus, id tamen non ignorauit: conſiderans enim excelſam, præcellentemque principis di- **D** gnitatem, inquit, *Cui nihil ad augendum faſtigium契 ſupereſt, hic vno modo creſcere poteſt, ſi ſe ſubmittat.* Nihil aptius, aut ingenioſius dici poterat, tantum abeſt, vt à dinaſtarum ſplendore, ac dignitate vilis aliena ſit demiſſio, vt ab hac potiùs incrementa ſumat ſplendor inclytus principatus. Sed quorſùm iſthęc proſequimur apud externũ; idem planè ſenſiſſe comperio S. Bernardum de Filio Dei, ſer. enim 2. in die Aſcenſionis D.N. circa finem

Dauid ludibrio exceptus.

Greg.

Vera ingenuitas abiecta.

Dauid præclare geſta.

Plin.

Quæ ſe ſubmittit, fit maior.

Christus Dominus humilitate maior.

finem ait. *Christus eum per naturam Diuinitatis non haberet, quo cresceret, quia vltra Deum nihil est per descensum, quomodo cresceret, inuenit. Veniens incarnari, pati, mori, propter quod & Deus exaltauit illum. Vade, & tu fac similiter.* Idcircò dicemus cum Sancto Gregorio lib. 6. in primum Reg. cap. 3. *Magna est celsitudo humilium.* Cui adiungo Senecæ apophthegma aureis caracteribus inscribendum. *Seruium Regem tulit Roma*, inquit Philosophus sexta controuersia lib. 2. ex Sillo Basso, *in cuius virtutibus humilitate nominis nihil est clarius.* Et dubitabis vtrum humilitas regiæ dignitatis deceat maiestatem? porrò extra controuersiam est auctore Sancto Bernardo lib. 2. de consideratione ad Eugenium post medium Summi Pontificis dignitatem, hoc est, dignitatum apicem augustissimum demissione animi apprimè exornari. *Nulla splendidior gemma*, verba Sancti Abbatis de humilitate loquentis, *in omni præcipuè ornatu Summi Pontificis. Quò enim celsior cæteris, eò humilitate apparet illustrior, & se ipso.*

Greg. Humilium celsitudo. — Seneca. — Humilitas nobilis. — Bernardus. Summa dignitas fit illustrior humilitate.

Imò si Philoni præbeamus aures, primam sedem indignus occupat, qui non nouit de se humiliter, atque demissè sentire. Quærit Iudæus Philosophus lib. de somnijs non multo ante finem, hoc ipsum, de quo agimus illis verbis. *Principem Sacerdotum quoties rite immolaturus præscriptas victimas accedit ad altare, ante omnia cinere, & aqua lustrari sacra lex iubet.* Cuius instituti eam affert rationem ad rem præsentem. *Ideò sacrificaturos ad hunc modum aspergi Legislator iubet, neminem censens dignum his munijs, qui sibi non sit notus antea, & ignoret vilitatem hominis, quam ex elementis, è quibus constat conjectato, intellexisse debuerat.* Nemo in posterum credat, aut prædicet demissam humilitatem, & vilitatem à viro nobili alienam, quæ Sacerdotum Principem non exornat modo; sed facit. Pudet me reticere diutiùs morem probatissimum, quem apud Orientales floruisse scribit Curopalates p. 101. Consueuerant Christiani Imperatores læua manu ferre textile aureum

Philo. Altare olim cinere, & aqua lustrabatur. — Congestus puluis Imperatoribus ice-ctum.

A codici non absimile, in quo congestus pulueris erat inclusus. Tàm salutari monito volebant Imperatorem commonefacere, non alia Imperatoria purpura, aut ornamento præstantiori dignitatem maximam exornari posse meliùs, quàm humilitate, Imperatorem docens abiectum, ac humilem esse oportere, ait Curopalates. Puluerem gestent manu; hoc est, in operibus demissos se exhibeant, qui primas tenēt sedes nobilitatis, quia huius vnica dos humilitas est. Consentit cum hac priscorum consuetudine tàm insigni Sancti Bernardi monitum aureum hum. 4. B super missus est paulò post medium, inquiens, *Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata.* Antigoni dictum ab Aeliano lib. 2. cap. 20. relatum, si examinetur diligentiùs, videbitur nostro argumento accommodatum. Antigonus Rex cum cerneret filium suum se violentiorem, ac intemperantiorem immodico efferuescentis ætatis impetu gerere erga subditos. *An non*, inquit, *nosti fili, nostrum Regnum, nobilem esse seruitutem.* Et patris, & Regis re- C cognosce numeros omnes expletos plenissimè; nihil etenim, vel amantius, vel sapientius dici potuit. Sic se res habet, fateor. Illud tamen percipere nequo, quo pacto cum seruitute nobilitas coniungatur. Nihil enim æquè a nobilitate alienum est, ac seruitus. Igitur si nobilis, quomodo serua? Si seruitus, quomodo nobilis? Certè mercenarios, & seruilibus addictos operibus ab albo nobilium eradendos, disces facilè, si Marcum Tullium Ciceronem lib. primo de officijs legeris, cuius rei rationem reddit illis verbis. *Est enim in illis ipsa* D *merces auctoramentum seruitutis.* ideoque apud Lacedemonios non erat fas ingenuis, non modo exercere, sed nec addiscere quidem vllum opificij genus; tantopere nobilitatem cum seruili quouis opificio pugnare arbitrabantur. Quò igitur consilio dicitur ab Antigonio præcellens regum dignitas nobilis seruitus? Crediderim, quia volebat breui monito filiū docere germanam nobilitatem, illam videlicet, quæ humilis sit, atque demis-

Bernard. — Honorata humilitas virtus rara. — Aelian. — Regnum seruitus nobilis. — Seruit. & Mercenarij, minime nobiles. Cicero. — Lacedemoniorum nobilitas.

sa. Quò præcellentior es dignitate, si A sapis, eo sis humilitate demisśior: Decet enim inclytos & claros principes humilitas. *Honor non debetur elationi*, dicebat verissimè S. Gregorius 3. parte Pastoralis admonitione 3. ducta à contrario argumentatione; dicamus, debetur igitur demisśioni. Vsque adeo honor humilitatis est proprius, vt idem omnino sit humilitate carere, & honore spoliari.

Gregor. Elatio inhonora.

Vtinam nostra ætate non multi viuerent Metello similes, de quo Salustius de bello Iugurtino ait: *Metello quamquam virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant: tamen inerat contemptor animus, & superbia, commune nobilitatis malum*. In eadem fuit sententia, totidemque ferè verbis expressit Velleius Paterculus. De eodem etenim Metello lib. 2. Rom. Historiæ loquens ait, *Naturalem esse nobilitatis superbiam*. Consentit Iulius Firmicus lib. Astronomicon. 8. c. 2 t. vbi de Germania loquens affirmat: *Nobiles faciet, & erecto semper superbiæ spiritu subleuatos*. Verum esto, ita sit, si deprauatæ imbecillitatem naturæ consideremus: quod propono præstantius est C nobilitatis genus, cui abiectus iungatur animus necesse est; sint nobiles quoque cęteris demissiores, abiectioresque; præsertim cum eos talibus imbuat institutionibus Eccles. cap. 3. num. 20. *Quanto maior es, humilia te in omnibus*. Ex his fuisse Nometium scribit Sidonius Apol. lib. Epist. octauo, vbi eum commendat, eo nomine, quòd esset sine superbia nobilis: quasi difficillimum iudicaret componere cum nobilitate demissionem, quod tamen nobis minimè arduum videri debet, cum ab homine Ethnico moneamur, vt *Quantò superiores ceteris sumus, tanto nos submissiores geramus*; ita M. Tullius lib. Offic. 1. Quapropter intelligant tandem superbi, quo pacto non modo decipiantur grauissimè affectantes nobilitatem, verum etiam se prodant ignobiles; cum arrogantes, cum rixosi, cum alios despicientes, & sese supra cæteros efferentes extollunt; cum nulla re apertiùs ignobilitas ostendatur. Hinc Iuuenalis satyra 5. canebat;

Salust. Superbia malum nobilitatis.

Vell. Pat.

Iul. Firm.

Eccles. Demissa nobilitas rarò inuenitur.

Humilitas nobilium prærogatiua. Cicero.

Iuuenalis.

Maxima quæque domus seruis est plena (superbis.

Superbia seruile vitium.

Lapis Lidius ad secernendos nobiles ab ignobilibus, superbia est. docuerunt id exemplo suo primi illi parentes Romanæ nobilitatis, quorum permulti, iique præstantissimi non modo à re rustica, sed ab ijs, quæ abiectissima sunt, cognomen duxisse certum est. Tales fuerunt Fabij, Lentuli, Porcij, Scrofæ, Vitellij, Suelli, alijque, quos refert Plinius lib. 18. cap. 3. quorum consilium illud fuisse dicerem, vt memores eius, à qua ducebant originem, vilitatis, præseferrent abiectā B demissionem, quæ vnicè nobiles exornat.

Plin.

Te ego si prætermitterem Flaui Vespasiane, incuriæ merito reprehendi possem. Cum Suetonius in vita num. 12. scribat; in summo purpuræ decore, & Imperij apice maximo non modo generis sui obscuritatem dissimulauit vmquam, imò frequenter etiam ipse tulit; & quod rarum est, ac mirum conantes quosdam originem Flauiæ gentis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis referre irrisit vltrò. O singulare exemplar dignum, quod nobilitas imitetur; cui vel maximè conuenit demisso animo esse, ita ab insolenti fastu debet vnicè abhorrere. Vera nobilitas humilis sit; & quæ mentita est, aut fucata efferat se se, ac magnificè circumspiciat; atque, ne pugnantia dicere videamur, dum persuadere nitimur, nobilem demisso animo esse debere, petatur huius rei ratio ab intima notione Christianæ vilitatis, quæ iuxta Eusebij Emisseni auctoritatem ea est, vt quò obscurior, eò reddat clariorem, quò demisśior, eò celsiùs euehat, quò abiectior, eò faciat illustriorem: Igitur nemo dicat in posterum, nullam cum nobilitatis celsitudine partem habere vili- D taris demisśionem. Audi Emissenum homil. de sancto Maximo circa medium. *Cum vellet augeri, volebat agnosci, quia hæc est natura Iustitiæ, vt quanto studiosius abscondi optat, tanto clariùs innotescat, & occultatio ipsi proditio sit. Nec lucerna poterat latere, nec recipiebatur, nec continebatur vltra latibulum suum exundans siderei luminis magnitudo.* Nobilitatem nominis, & inclytum morum splēdorem,

Suet. Vespasiani demissio.

Emiss. Humilitas dū abscondit facit illustriorem.

rem, si non tueri modo, sed augere desideras tuæ claritudinis lumen intra Christianæ vilitatis latibula conde, & demissione animi, ac pia mentis vilitate sis celebris: nempè nobilis non est, nisi, qui abiecto sit animo. Id equidem vidisse crediderim Poëtarum præstantissimum Homerum, quippè Odissea 15. non modò Vlissem laborantem, & ad demissa quæque sese, & re, & sermone abijcientem inducit, ait enim.

Vlisses in abiectis operam collocat. Homer.

Non alius potior fuit mihi crede minister,
Siue ignem succendi opus est, siue ligna scindam.

Imò præterea ratem nullius fabri opera, sed ipsemet suis manibus celerrimè confecit. Non solùm, inquam, hæc de Vlisse, verum etiam, vt Aelianus animaduertit lib. 7. cap. 5. Achilles apud eûdem Homerum, cum tertius esset à Ioue, ipsemet carnes dissecans Legatis, qui ab Achiuis venerant, cœnam summo studio parauit. Igitur si dixero, demissa noblem maxime decere, & nobilis esse, abiectam præseferre mentem, reprehendi non potero, nisi etiam ingeniosissimus, & perspicacissimus inter Poëtas Philosophus, inter Philolophos Poëta reprehendatur. Id si qui fortè despicerct videat, num sine temeritatis nota contradicere queat eloquentissimo D. Ioanni Chrysostomo hom. 3. in primū caput Matthæi aliquanto ante medium dicenti: *Sublimium quippe illa maxima, & amicabilis gloria est humiliari sponte submissius.*

Aelian. Achilles quò nobilior eò demissioribus occupatur.

Chrys.

Humilitas gloriosa.

Quod fortasse præ oculis habuit sapiēs Græcia, cuius consuetudinē in hunc modum recitat B. Petrus Damianus opus. 23. cap. 5. circa medium inquiens: *Apud Græcos hoc teneri consuetudo perhibetur, vt cum Imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ simul, ac sceptri gloria decoratus, cum denique procerum vallatur obsequijs, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto sit obuius, qui videlicet vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat, in alia vero stuppam lini subtiliter pexam. Vt in altero debeat considerare quod est, in altero valeat videre quid habeat. Quatenus dum se simul, ac sua tàm vana, tàm flocci pendenda considerat, de imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat.* Stuppa quid vilius? aut quid aptius ad ingerendam animo demissionem sepulchrali puluere, & ossibus mortuorum? vt hinc facilè discamus, illud primo loco in memoriam Principis maximi reuocari, quod illi supra omnia debet esse cordi. Inter ipsa dignitatis præstantissimę exordia, humilitas proponitur Imperatori, quia pari passu procedant necesse est, & maiestatis sublimitas, & abiectio humilitatis.

B. Pet. Dam.

Humilitas Imperatorum virtus.

Videatur P. Ioan. Antonius Velazques tom. 1. in epist. ad Philipp. vbi sępe & plura, & selecta vt solet, affert accommodata ad hoc argumentum, & pręsertim in cap. 2. vers. 3. ad illa verba, *Nihil per contentionem*. num. 3. & in idem cap. adnot. 3. vers. 9. 10. & 11. ad illa verba *exaltauit illū*, & ibid. adnot. 6. ad illa verba, *In nomine Iesu omne genu flectatur.*

IN CAPVT PRIMVM à Num. II. ad XVI.

Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, & deinceps vsque ad num. 16.

PARADOXVM VI.

Nobilis nemo nascitur.



INTER Progenitores Seruatoris nostri, quorum catalogum texit Euangelista satis equidem demirari non possum, non vnum, aut alterum, sed plures fuisse scelestos. Tales fuerunt Roboam, Abias, Ioram, Ochozias, Achaz, Amon. Honorificentiùs sanè existimatio ni filij Dei fuisset consultum, si, vt genus alto à sanguine Regum, ita duxisset à viris, & pietate illustribus, & religione. Iure itaque non nemo percontabitur cur probi cum improbis in hac maiorū serie Christi

Inter Christi proauos cur boni cum improbis recensentur.

Domini promiscuè recenseantur? fortasse, vt nihil nobilitatis, neque conferre posteris, neq; auferre Atauos perspicuum fiat. Nimirum benè dicendi non minùs quam rectè faciendi gloria inclitus Ioannes Chrysostomus tàm numerosum considerans Proauorum censum, quem ipso sacræ historiæ initio adeò enucleatè prosequitur Sanctus Mattheus, docet id fieri ad cohibendam Hebræorum superbiam retundendamque. Quia nimirum *Insolenter*, ait Chrys. hom. 3. in cap. 1. Matth. paulò ante med. *de Abrahæ stirpe gloriabantur, virtutem parentum defensionem suorum rati esse vitiorum*; idcircò in ipso Euangelij principio docet, non alienis, sed proprijs esse gloriandum virtutibus. Immeritò sanè quicumque ille es tibi de accepta à maioribus nobilitate blandiris.

S. Matthaeus. Chrys.

Ergò discamus nobilitatis decus virtutis ornamentum esse non generis. Quia autem nulla virtutis exercitatio potest animo fingi, quæ à nostra non pendeat voluntate, cuiuscumq; enim, quod laudi nobis, vel vitio tribuatur prima radix libertas est; consequès videtur esse, vt quisque suam nequaquam ab alijs accipiat, sed ipse sibi conficiat nobilitatem; quod ego ita assumo demonstrandum, vt hac in re aperiam duo.

Alterum quidem, quo pacto quis comparare sibi queat nobilitatem.

Alterum verò nullam esse ingenuitatem, quam familiæ splendor, aut claritudo sanguinis, aut suorum decora pariant. Vt statuamus nobilem nasci neminem, sed fieri.

Atq; vt ab hoc secundo ducamus exordium. Mihi profectò notissimum est abnuere, & contradicere manifestè eruditos huic meę assertioni, cum apud ipsos pro comperto habeatur nil ex ijs, quibus in hac vita fruimur, tàm ab alijs acceptũ esse, quàm nobilitatem; hæc quippè quid aliud est, quàm à maioribus in posteros deriuata sanguinis claritudo. Vnde Plinius Iunior lib. 8. epist. ad Ruffinum, vt declararet mulieris nobilitatem, ait, *Mulier natalibus clara*. Et Tacitus libro 11. *Claudius Cæsar in numerum patriciorum adsciuit vetustissimum quemque, aut quibus clari parentes fuerant*, vt ommittam illud, ex Senaca in octau. act. 1. *Sanguine* A *claro genitus*, & Suetonij in Augusto n. 43. *Clara stirps*. Igitur non nostra, sed à maioribus in nos deriuata germana nobilitas est, & quæ non habetur a stirpe claritudo, nobilitatis nomen obtinere non potest. Nihilo tamen minùs spondeo, inque recipio, me dilucidè demonstraturum, quod vulgò de fortuna dicitur, multò æquius de nobilitate dicendum; quemque scilicet fabrũ esse nobilitatis suæ. Est in promptu Senecæ suffragium quod fuit semper apud me, eritque grauissimum controuersia sexta lib. 2. in hunc modum B differentis, ex Sillio Basso nobili declamatore. *Quidam ignobiles nati fecere posteris genus, quandiù non sumus naturæ nos tegis, & in quemcumque vult casum nos mittis, hinc sumus æstimandi, cum sumus nostri*. Hęc Seneca, plura si velis apud eumdem habes loco citato, quem consulere poteris; Dummodò interea perpendas, quod a Philosopho dicitur: videlicet quantum honoris cuique tribui debeat, & quàm debeat haberi nobilitate conspicuus, non à maiorum claritate, sed à proprijs gestis esse ducendum, & a nobis ipsis posse, immò debere genus fieri; ex ijs, C quæ in tua sunt potestate comparabis tibi commendationem nobilitatis. Hisce nobis facimus genus, cum hinc simus æstimandi, cum sumus nostri.

Generis claritas à maioribus. Plin. Cornel. Tacit. Senaca. Suet. Seneca. Clarum genus à rebus preclarè gestis.

Vt autem omnis omninò dubitatio] auferatur num quisque non maioribus, sed moribus nobilis fit, audiamus ludentem Poëtico lepore, sed verissimo etiam documento monentem Iuuenalem Satyra 8. his versibus.

Malo Pater tibi sit Thersites, dũmodo tu sis
Aeacide similis, Vulcaniaq; arma capessas
Quã te Thersite similem producat Achiles.

Iuuen.

Quoniam verò lepidi ingeniosi Poëtæ D salis incidit mentio, non erit ab re, priusquàm è Poëtarum choro recedamus quod prę manibus est acriore, & sanctiore sententia confirmare petita à Nazianzeni Gregorij carminibus latinitate donatis. Inducit Gregorius hominem, nescio quẽ, vt obscuris natum parentibus, ita singulari virtute prædictum, qui in hunc modum clara satum stirpe, sed moribus non adeò ingenuis alloquitur. *Vt genus est opprobrium mihi quidem, generi autem sic tu* & paulò post similitudinem affert huiusmodi

Greg. Nazian.

modi maximè accommodatam inquiens. *Si tuam quis deformitatem derideas, aut graueolentiam: diceres quòd Pater erat formosus, vel vnguento redolens.* Hæc Sanctus. Deridendo planè consilio deformitati, aut graueolentiæ suæ, maiorum vel pulchritudine, vel odore commemorato, sibi quispiam blandiretur.

Et mirabimur si explodendi, atque exibilandi videātur ij, qui vt inhonestis moribus terræ filios se se exhibent, ita proauorū iactitant genus inclytum. Audiamus oro attentè Sancti Bernardi monitum piè admodum, & ingeniosè sic pronunciantis de ornatu, quem afferunt probi mores, &

Bernard.

præcellens virtus. *Ornatus iste animæ,* Verba Sancti Abbatis epist. 113. ad Sophiam Virginem in fine, *tutus, quia tuus. Simul cum anima de corpore abit, non obit cum corpore.* Ita Sanctus: ex quibus intelligis acceptā ab auis claritudinem generis ornamentum esse minimè tutum, quia nec tuum. Accinit Seneca eumdem planè animi sensum adstricta numeris, oratione sic explicans in Hercule furente.

Seneca. Claritas generis ab Auis haud tuta.

Qui genus iactat suum,
Aliena laudat.

Perpendit Magnus Gregorius pulchritudinem, Dauid non sine mysterio, tàm accuratè fuisse descriptam lib. 1. Reg. cap. 16. num. 12. vbi dicitur. *Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque faciei* lib. 6. in primum Reg. inquit Gregorius, *Decor ergò faciei quid est, nisi pulchritudo sanctitatis;* Quasi verò omnium ora, oculosque conuertat ad se virtute spectabilis ea ratione, qua decora facies obtutus detinet intuentium. Quo loco, vt meum animi sensum in medium afferam pronunciare non dubitabo, sapienter equidem virtutem pulchritudini comparari, quia sicuti nihil tàm tuum est, quàm oris habitudo, & concinna faciei elegantia, ita nulla tàm propria, tamque, vt ita dicam, tua commendatio est, quàm quæ petitur à virtute, vt igitur tuta, hoc est tua, & minimè aliena, vel emendicata claritudo sit, non ab auis, aut ab alijs, sed ab honestate vitæ, morumque tuorum integritate petatur. Huc reuoco quod de Themistocle legimus apud Plutarchum in vita eiusdem, vbi dicitur Seriphio cuidam obiectanti obtrectantique, quasi Themi-

Greg.

Virtus cum pulchritudine comparatur.

A stocles non à propria virtute, sed à splendore patriæ dimanasset tanta, qua apud omnes gloria fruebatur, erat enim Atheniensis, dicitur inquam respondisse Themistocles; *Neque tu si Atheniensis esses clarus extitisses, neq; ego si Seriphius essem ignobilis.* Vrbano sale redundat responsio plena, vt mihi quidem videtur verissima institutione. Nimirum non aliunde, quàm à commendabili vitæ genere nobilitas deriuatur. Non patria, non proaui, non opes, sed sola virtus facit ingenuum.

Plutarc.

Themistoclis de nobilitate responsum.

Imò hoc parum est, non modo maiorum nobilitas decus posteris affert, si im-

B probi sint, vt insuper notam inurat dedecoris. Monentem audi Philonem: *Nemo summam felicitatis in generis nobilitate collocans honestas actiones negligat, reputans grauiori animaduersioni fieri obnoxium, quisquis ex optimis prognatus, maiores suos vitijs dedecoras, discedens à virtutis exemplis domesticis: quorum reliquijs omnibus deletis ex animo, non potest merito reprehensionem effugere.* Ita Philo. lib. de creatione Principis aliquantò post initium. Igitur hominis sapientia insignis iudicio tantum abest, vt præclara Maio-

Phil.

Mores improbi dedecus familiæ inurunt.

C rum progenies aliquid splendoris afferat homini scelesto, vt potius tenebras offundat. Breuiter non maiores, sed mores clarum faciunt, atque spectabilem. Indicat id plena acuminis responsio Antisthenis Atheniensis cui cum exprobraret non nemo, quod ex patre tantum Atheniensi, matre verò Phrygia natus esset, erat enim Atheniensium lex à Pericle lata, vt monet Demosthenes in oratione contra Bibulidem, solos haberi Athenienses, qui ex duobus Atheniensibus nati essent. Antisthenes, inquam, respondisse fertur,

Demost.

Plutarc. Qui habentur Athenienses.

D *Nec ex duobus luctatoribus natus sum, & tamen luctator sum;* Significans parùm referre quibus sis natus parentibus, sed quibus moribus praditus sis. considerandum esse aquo rerum æstimatori. Ita Plutarchus in apoph. Philosophorum circa medium. Præterea apud eumdem in vita Arati initio leges, quo pacto Dionysiodorus. Træzenius tale iactat adagiū. *Anne suum laudas Patrem, nisi non bona proles?*

Mores clarum faciunt.

Quo dicterio asserit eorū obturari ora, qui cū ipsi per se nullius sint pretij, maio-

rum

rum suorum in laudes subrepant in ijsque A prædicandis sint nimij. Generosam maiorum indolem non verbis magnificis vendites, sed potiùs præclarè gestis cura, vt comprobes, & nobilis verissimè comprobaberis.

Ades dum quicumque abnuis, & attende ad argumentum, quod subijcio ab inductione petitum. An ignoras Tarquinium Priscum Romanorum Regem celeberrimum, mercatore patre atque exule,

Dionys. Halic.

vt scribit Dionysius Halicarnaseus lib. 3. matre serua natum? vt tradit Seruius in

Seruius.

tertiũ Aeneidos. Nescis fortasse Seruium B Tullum verna patre, matre ancilla editum? Vnde Seneca de eo loquens lib.

Seneca. Imperatores ac Reges ignobiles. Sueton.

declamat. 3. *Seruum*, inquit, *natum*, *Regem habuimus*. Quid memorem Augustum, quem scribit Suetonius in vita initio num. 2. & 3. *Auum habuisse argentarium, patrem adstipulatorem*? Quid referam Flauium Vespasianum, vt est apud cit. auct. in vita num. 1. gente progenitum obscura, & sine vllus imaginibus? Quid dicam Pertinacẽ inter Romanos Cæsares probatissimum, non modo auo seruo, & patre libertino ortum, verum etiam, vt

Iul. Capit.

testatur Iulius Capitolinus nuncupatum C Pertinacem, quod negotiationem lignariam, & tabernam coctilitiam in Liguria pertinaciter gesserit? ideoque à Sexto Aurelio victore dictum origine gẽtis sor-

Pollio.

dida. Quid memorem ex Pollione Martium Septimium, è fabro ferrario Imperatorem? Quid Galerium Armentarium ab agrarijs parentibus, & armentorum ductoribus ad fasces Imperij euocatum? te-

Iornand.

ste Iornando in libro rerum Gothicarum. Quid Valentinianum ex Aurelio Victore, adeò infimo genere natum, vt eius pater funes torqueret? Quid Abdolominum, ad puteos exhauriendos, hortosque irri- D gandos operam locare solitum, Sidoniæ Regem ab Alexandro Macedone constitutum, spretis nobilibus? vt testatur Iusti-

Iustin. Ammian.

nus lib. 21. Agathoclem figuli filium ad Regnum Siciliæ euectum? ex Ammiano Marcellino lib. 14. Quid Semiramidem celeberrimam illam Assyriorum Reginam

Plin.

ex ancilla ad sceptrum euocatam? vt legitur apud Plinium lib. 35. cap. 10. Tandem quid memorem Ventidium Bassum?

Gellius.

de quo Gellius lib. 15. noctium Atticarum cap. 4. Hic cum diutiùs inter ignobilissimos, & despicatissimos victum sibi sordidè parasset comparandis, fricandisq; mulis, tandem non Consul solum Romanus factus, sed Prouincijs Orientalibus Præpositus secũdò & tertiò Parthis in Syriam prorumpentibus gloriosissimè fusis triumphum egit, quò respiciens Poëta non ignobilis Iuuenalis pronunciat.

Iuuen.

Si fortuna volet fies de Rhetore Consul.
Ventidius quidenim.

Ergò nobilitas non est ornamentum à maioribus acceptum. Superest iam, vt ad alterum accedamus initio propositum B quo fiet vt arbitror manifesta ratio comparandæ sibi nobilitatis. Hanc si quæras, me expedio paucissimis. Censeberis inter nobiles, si probus, si sectator virtutis, si æqui fueris seruantissimus. Est mihi in

Bernard.

hac re auctor Sanctus Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugen. post med. celeberrimo illo ad Sũmum Antistitem documento, & monumento posteris omnibus

A moribus vera nobilitas.

memorando dum ait: *Vindica tibi nobile genus, quod non aliunde nobile, quam morum ingenuitate*. Testetur id luculentissimo suæ orationis suffragio celeberrimus C ille non apud Romanos modò, sed apud gentes etiam exteras Marius septimum Consul, cuius ea vox fuit; *Non possum*

Salust.

fidei causa imagines, neque triumphos, aut Consulatus maiorum meorum ostentare. At si res postulet hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, præterea cicatrices aduerso corpore. Hæ sunt mea imagines, hæc mea nobilitas. Hucusque Marius apud Salustium de bello Iugurt. Scite profectò, is enim verè ingenuus, quem non fumosæ maiorum imagines, non auorum præclarè gesta, non parentum tituli efferunt, sed propria virtus nobilem facit.

D Verùm cur emendicemus ad certissimã rem confirmandam siuè exterorum, siuè ethnicorum dicta? cũ sint in promptu longè maioris auctoritatis sententiæ hominum sapientia Religiosorum, & Religione sapientium. Leo certè cognomento magnus, dignitate, & sanctitate Maximus

Leo.

serm. 1. de Ieiun. Decimi Mensis post initium, grandiore tonabat eloquio inquiens. *Non aliter in nobis erit dignitas Diuinæ Maiestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis*. O Decus eximium Christianę

ingenui-

ingenuitatis, quam ipsa Maiestatis Diuinæ dignitas, hoc est nobilitas omni humana conditione maior honestat, honestat autem, si voluntaris diuinæ nutum hilares amplectamur. Sit igitur extra controuersiam, eam tibi futuram nobilitatem, quam tibi ipsi facies incorrupta probitate. Sic apud Stobęum cap. 86. sententiarum: cum quo Plinius consentit decernens, sit igitur nobilis, qui vir bonus est. Quod asserunt vestigijs insistentes Euripidis, qui negat nobilitatem eorum, quorum maiores clari fuerunt, sed eius tantum esse cõtendit, qui per se bonus sit.

[Plin.] [Vir bonus, nobilis.] [Eurip.]

Exemplum petere possumus ab ea cõmendatione, qua Homericus Vlysses fuit ab Actio in Philocteta laudatus ipso initio illius Tragœdiæ, vt Apuleius de Deo Socratis refert. Dicitur autem.

[Vlyssis nobilitas.]

Inclyte, parua prædite patria, nomine celebri.

Cur patriæ paruæ fit mentio si laudari debet Vlysses? forrasse vt sciamus natalium obscuritatem obesse non posse germanæ ingenuitati, quam sibi quisque facit sua sapientia, suis præclarè gestis, suis susceptis cum laude laboribus, non secus ac fecisse Vlyssem nouimus omnes. Senecæ epist. 44. locum celeberrimum subijcio huiusmodi. *Patritius Socrates non fuit, Cleantes aquam traxit, & rigando horto manus locauit. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit*, & paulò post *non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam liceat surgere.* Sit sine dubio Tiresias, qui tàm bono litteratorum in lumine non videar, quo pacto pro arbitratu facere sibi genus cuique liceat. Id præstabis facilè si virtute præcellas; æque enim eleganter, ac vere canebat Horatius ode 2. lib. 3.

[Seneca] [Philosophi à virtute traxere nobilitatē.]

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

[Horat.]

En discrimen inter eos, qui virtute sunt præditi; & qui nulla morum ingenuitate conspicui viuunt. Honoribus fulgent illi extra omnē aleam fortunæ ancipitis, isti tàm sæpè ab honorum fastigio deturbati, censentur inter ignobiles. quàm facilè A leuis aura euentilatur fortunæ fallentis flabello!

Iphicrates, cũ sutoris filius crederetur, nihili fiębat ab omnibus; sed cum accepto vulnere hostem simul cum armis correptum in triremem suam translatum adduxisset in captiuitatem: enimuerò omnium suffragio, nulloque penitùs discrepante, vt inclytus habitus est, & vt nobilis præcellenti honore donatus, quemadmodum apud Plutarchum leges in Apoph. Reg. & Imperat. circa med. Dicere solebat, Aluarus de Bassan. maritimę classis celeberrimus, vt scribit Ioannes Boterus lib. 1. B dict. memor. virorum illustrium circa med. Quemque conficere sibi posse decoris militaris, & honestissimæ gloriæ summam exaggeratã etiam inter dubios rei bellicę euentus: contingere enim certo, & extra omnem aleam, vt obstetrice diligentia edat quisque in lucem feliciratem suam. Iuxtà quod non modo facienda imperabat, sed imperata examinabat singula, ipsemet recognoscens militum arma, & annonam, & nauticos, & reliqua omnia, antequam quicquam aggrederetur; quò factum fuit, vt Dux nobilis nunquam aduerso Marte decertauerit. C monemur hoc exemplo quemque fabrum nobilitatis suę futurum, dummodò voluerit. Nihil moliamur temerè, nihil inconsultò aggrediamur quidquid habemus prę manibus, examinemus ad libellam virtutis, quæ sola nos reddit conspicuos nobilitate, hinc vera, & summa nascitur gloria, vt dicebat Aluarus.

[Iphicratis nobile facinus.] [Plutarc.] [Ioann. Bot.] [Quisque suæ faber nobilitatis.]

Pro hac re est in promptu quod de Helena scribit ex Eutropio lib. 8. histor. Beatus Petrus Damiani inquiens. *Helenam Constantini Principis matrem stabulariam fuisse Romana tradit historia. Sed hæc obscuritatem generis prępollentium morum* D *claritate mutauit; & quod assequi nequiuerunt Imperatrices præcelsa titulorum generositate progenitæ: hoc stabularia per quamdam, vt ita dicam, nobilis vitæ prosapiam meruit obtinere.* Ita epist. 14. lib. 7. epist. quæ est ad Beatricem Ducissam in fine. Hinc Agesilaus aulicis quibusdam assueris Regem Persarum magnum appellare, dixisse fertur: *Ecquid ille me est maior, nisi & iustior sit, & modestior.* Si credimus Plutarcho in apophreg. reg. & Im-

[Petrus Dam.] [Helenam virtus nobilitat.]

& Impert. circa med. maneat itaq; aliunde petitam magnitudinis, seù nobilitatis commendationem, quam à virtute nihili fieri à sapientibus. Tàm claram morum ingenuitatem felix qui sequitur, qui consequitur longè felicior.

Te nunc ego compellarem, quisquis à veritate abhorrere autumas quemque fabrum esse nobilitatis suæ, nisi abriperer vi mox proponendæ rationis, qua omninò compellor dicere, nasci neminem præcellentem nobilitate; sicuti virtutis ornatus, & benè composita viuendi ratio, vt hactenus pluribus probatum est, nobilem facit; ita nequitia reddit ignobilem vt mox patebit. Nihil porrò tam in nostra est potestate, quam ad libitum, vel sectari virtutes, vel vitijs inquinari; stat igitur extra controuersiam nostræ voluntatis arbitrio inclytam, atque spectabilem, quam homines tantopere gloriantur comparari ingenuitatem. Quia verò nihil proferre debeo quod sapientium auctoritate scriptorum nequeam confirmare, congero nonnulla, quibus palam fiat flagitiorum contagione fœdatum ab albo nobilium expungendum. In hanc sententiam nisi fallor piè non minùs, quam verè dicebat de se Augustinus, libro quinto Confess. cap. 9. *Iam in dedecus meum creueram*; vt declaret pari passu incrementa sumpsisse dedecus, & iniquitates; clariùs, & copiosiùs Sanctus Leo serm. 6. de Nat. Domini circa medium. *In progenie carnali*, inquit, *& stirpe terrena claris parentibus genitos vitia mala cõuersationis obscurant, & ipso maiorum suorum lumine soboles indigna confunditur*. Imò tradit Cornelius Tacitus lib. 2. vetitum fuisse, ne immago Libonis exequias posterorũ comitaretur, quod multis criminibus accusatus, & conuictus mortem sibi consciuerat. Ecce quo pacto scelera à nobilium choro excludant; Romanorum quippè fuisse morem ad ostentandam nobilitatem in funeribus maiorũ præferre imagines notum est. Vnde Horatij est illud in Epodo ode 8.

Ecco beata, funus, atque imagines.
Ducant triumphales tuum.

Videatur Plinius lib. 35. cap. 2. nos interea dicamus considerato Libonis exemplo: cingatur auro caput, purpurea vestis fulgeat, si mens sordibus inquinetur, ingenuitatem probare non poteris. *Non benè ingenuus probatur* dicebat Eusebius Emissenus homil. 3. ad Monachos paulò ante medium, *qui vitiorum seruitute deprimitur*.

August.

Nequitia reddit ignobilem

Leo.

Horatius.

Plin.

A

Quod Iudæorum illustrat exemplo re, & cognomento Magnus Gregorius explicans oraculum illud diuinę homines alloquentis sapientię lib. 1. reg. cap. 2. nu. 31. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Genere, & conditione proscribuntur*, verba S. Pontificis, *Genere quidem ignobiles sunt, quia ab ipsa veritate audiuerunt. Vos ex patre Diabolo estis* Ioannis 8. *Conditione etiam ignobiles sunt, quia amissa libertate, & regno perpetua gentium seruitute depriumuntur*. Ita lib. 2. in 1. reg. c. 2. non multo ante finem. Hęreat hæreat aliquando eorum mentibus, qui nobilitatem iactant, illum qui Deo flagitijs in visus vitam ducit, esse & genere, & conditione perobscurum. *Sunt ergo*, vt verbis eiusdem magistri morum præstantissimi lib. 20. moral. cap. 16. aliquanto ante finem vtar, *ignobiles quos ab æterna hæreditatis consortio repellit seruitus mentis*.

B

Claudat agmen Sanctus Hieronymus ad Demetriadem scribens, si tamen eius est illa epistola, in qua ait: *Ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam se seruare putet si dedignetur seruire vitijs, ab eisque superari*. Cui non possum non addere, quæ eleganter protulit Sanctus Petrus Chrysologus serm. primo circa med. inquiens, *Qui vitijs viuit sepelitur fama, perit gloria, manet turpitudini, crescit infamiæ*; & exclamare non licebit, ò quam obscura, ò quam abiecta, ò quàm ignobilis conditio scelestorum.

C

Quibus cursim indicatis, cur mihi iam proferre non liceat? ascendes ad altissimum dignitatis gradum ex infimo maximus, dummodò ex impio fias religiosus, atque ex scelesto filius Dei. Sanè non ob aliam causam crediderim Saul, & Dauid primos Iudæorum Reges è mapalibus, ad regale solium elatos, vt habetur cap. 9. & cap. 16. lib. 1. reg. nisi, vt erudiretur Dei populus solemne esse supremi molitoris consilio, vt quisque fabrr sit ingenuitatis suæ. Neque vllam prorsus obstare posse natalium obscuritatem,

D

Euseb.

Greg.

Ioan.

S. Hieron.

S. Petrus Chry.

Saul, & Dauid cur ex agro ad regnum vocati.


rem, quo minùs, ad celsissimum nobilitatis gradum efferantur abiectissimi quique iubente Deo. Vnde ex Chrysostomo tantum abest, vt maiorum obscuritas noceat, vt potiùs conferat ad nobilitatem. Probat id exemplo Ruth muliere obscura aliengena, & in extremam delapsa paupertiem, à qua Booz matrimonio iuncta Dauid cæterique reges duxerunt originem. *Nam Dauid Regem*, verba Chrysostomi hom. 3. in primum cap. Matth. paulò post med. *alienigena ista per suos posteros genuit, neque tamen ille ignobilitatem eiusmodi matris erubuit. Non est enim omninò, non est nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laude aliquis dignus, aut culpa: nemo inde verè aut obscurus, aut clarus est, imò, & quod incredibile videtur, dicamus nescio quomodo magis ille resplendet, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.* Sic fiet sine dubio, vt ex sordibus abiectæ mortalitatis ad regiam euehamur claritudinem, qui non ad sceptrum Iudæ, sed ad immortale solium cœlestis Hierusalem euocamur. Chrys.

Atque, vt dicta hactenus ratiocinatione breuissima circumscribam, sic aio.

Nemo nascitur ijs exornatus insignibus, quæ non nisi liberæ voluntatis actibus comparantur. At nobilitas inter ornamentorum genera recensetur, quæ liberę voluntatis actibus comparantur; Nemo ergò nascitur exornatus insignibus nobilitatis.

Plura de hoc eodem argumento; sed longè elegantiùs allata videri possunt apud P. Ludouicum Cressolium lib. 2. mystag. cap. 4 sect. 2.

Similia habes apud P. Didacum de Baeza tom. 2. in Euang. hist. lib. 9. cap. 3. §. 12. & tom. 3. lib. 14. cap. 17. §. 17. & lib. 15. cap. 12. §. 21.



A

IN CAPVT PRIMVM Num XXVI.

Iacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus.

PARADOXVM VII.

B

Nobiles solummodo Deo Cari.



NON diuitijs modo, & vt vocant, fortunæ bonis, sed amicis, propinquis, cognatis, vitæ etiam nuncium remittendum esse Christi discipulis, norunt quot quot prima tenēt elementa Christianæ sapientię. Miror vnam non interdici C nobilitatem, quæ ab Aristotele lib. 2. Rhetoricorum cap. 9 inter naturæ bona reponitur. Arist. Crediderim quia magister sapientissimus Christus Dominus declarare voluit inter labentis vitæ bona hoc vnum superesse, quod amore prosequamur innoxio; & meritò. Cur non renunciat nobilitati seruus Christi. Nobilitas enim, aut facit, aut inuenit amicos Dei. Propterea nisi fallor Seruator Sanctissimus quemadmodum in summa rerum inopia, in abiecto stabulo, tempestate perfrigida, ita non nisi maioribus primæ nobilitatis ortus est. Quasi verò cetera omnia, quæ ad insaniam vsq; ab hominibus adamantur con- D temnens vltrò, vna sit contentus nobilitate. Vt hinc, omni dubitatione remota, colligere liceat nobiles solummodò Deo caros. Vt autem magis perspicuus fiat ordo dicendi, à triplici capite hæc, de qua loquimur, nobilitas illustrabitur.

Primò quidem considerabimus, quo Patre nascantur.

Secundò perpendemus rationem victus, quibus videlicet vescantur cibis.

Tertiò demùm sepulchri honorem examinabimus. Ex quibus amicorum Dei facilè

facilè poterimus ſtatuere nobilitatẽ;quos par eſt, naſcentes, viuentes, & morientes ſe ſe ingenuos exhibeant, vt verè nobiles prædicentur.

Age dum ordiamur à primo: præſertim cum præcipuum nobilitatis decus cenſeatur communiter parentis ingenuitas. Vnde ab Euripide apud Stobeum ſerm. 86. vt vertit Geſnerus, dicitur.

Euripid.

Maiorum nobilitas magnũ decus.

Pape nobili patre naſci
Quantam vim habet, ac auctoritatem.

Aio igitur, quotquot Deo cari ſunt nobiles eſſe; nec quemquam à Deo poſſe diligi, niſi præſtet nobilitate, & quidem ea, quam à patre accipit, qui ingenuus perhibetur. Accedit ſuo ſuffragio magnus Seuerinus Boëtius lib. 3. de conſolatione Philoſoph. vbi hæc habet.

Boët.

Quot quot naſcuntur patrem omnes à parẽtibus accipiunt nobilitatem.

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Vnus enim rerum Pater eſt.
Et paulò poſt
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus, & proauos ſtrepitis?
Si primordia veſtra,
Auctoremque Deum ſpectes:
Nullus degener extat.

Aptè vt nostræ ſtirpis aſſerat ingenuitatem conſiderat quo patre nati ſimus, nempe Deo. Apertiùs ipſum declarauit diſerta dilecti Diſcipuli ſententia, vt legimus prima Ioannis cap. 3. num. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Eiuſdem patris dicuntur filij omnes iuſti vt eiuſdem aſſerantur ingenuitatis. Socrates, & Ariſtoteles apud Stobęum ſer. 84. Ariſtidis filiã propter patris virtutẽ nobilem dicebat. Igitur quam inclytum eſt genus iuſtorũ quoniam Patre gaudent Deo.

1. Ioan. 3.

Ex Deo genitore naſcimur

Aegyptij, vt Diodorus auctor eſt lib. 2. cap. 5. omnes æqualiter nobiles exiſtimabant; ideoq; cum quis mortuus erat, nihil in oratione funebri ab oratoribus aſferebatur, quo maiores, aut conſanguineos reſpiceret, ſicuti faciebant Græci. Verùm quod ethnici ſine fundamento ſactitaſſe dicuntur, nos ſummo iure vſurpamur. Omnes enim ſumus gratiæ beneficio filij Dei, & tanti parentis claritudine illuſtramur. Facit porrò non parùm pro eo, quod proſequimur in præſentia, priſ-

Diodor.

Apud Aegyptios omnes æque nobiles.

A cos tanto præditos mentis acumine, tantaque præſtantes ſapientia, tàm crebro ad claritatem generis demonſtrandam conſueuiſſe iactare ſe à Dijs, Deabuſque originem ducere: vnde apud Ouidiũ lib. 13. Metamorph. Aiax, & Vlyſſes à Dijs ſe progenitos clamitant.

Qui ſe à diis genitos iactitarint.
Ouid.

Aſt ego, ſi virtus in me dubitabilis eſſet
Nobilitate potens eſſem Telamone creatus
Aeacus huic pater eſt.
Aeacon agnouit ſummus, prolemq; fatetur
Iupiter eſſe ſuam. Sic à Ioue tertius Aiax.

Aiax iactat nobilitatem.

Quibus ab Aiace expoſitis ſtatim reſpondet Vliſſes in hunc modum.

B *Noſtri quoque ſanguinis Auctor (illo*
Iupiter eſt: totidemq; gradus diſtamus ab
Nam mihi Laërtes pater eſt, Arceſius illi,
Iupiter huic.

Vlyſſis ad Aiacem reſponſio.

Ita citato libro ſtatim poſt initium. Et à Virgilio ſæpiſſimè dicitur Aeneas Dea natus: ſicut apud Homerum iuuenes, reges, alioſque nobiliores ferè ſemper Iouis filios, ſiuè Ioue genitos nuncupari; ſic lib. 5. Iliados de filijs Priami regis loquitur, ſic de Achille Iliad. 21. & alibi paſſim. Generoſa itaque, & clara eſt eorũ progenies, qui Deo gaudent patre, ex quibus huiuſmodi conficio ratiocinatio-

Virg.

C nẽ. Vera, & ſola nobilitate gaudent, qui patre nobili gloriantur: at iuſti gloriantur patre Deo: ergo iuſti vera, & ſola gaudent nobilitate.

Verùm dicet non nemo quorſum iſthęc Chriſtianę gentis commendata nobilitas? Nimirum, vt ad præclara, ac maxima inflammemur; quod nobilitati peculiare eſſe cognouit S. Cyprianus de Celerino ſic loquens: *Nec degener ergo eſſe, nec minor poterat, quem ſic domeſticis exemplis virtutis, ac fidei prouocabat familia dignitas, & generoſa nobilitas.* Ita ep. 5.

Nobilitas ad virtutem incitamentum.
Cyprian.

D lib. 4. non multò poſt initium. Equidem ſi qua eſt vtilitas nobilitatis, hanc vel præcipuam, vel ſolam habet, vt hinc accendatur ſtudium æmulãdi propoſito exẽplo domeſtico; ne ignauis tanto plus ſit dedecoris, quanto genus eſt illuſtrius. Marci 15. num. 43. non ſine cauſa memoratur nobilitas, cum dicitur *Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis Decurio*: verè exemplar nobilium. *Nobilitas*, ſi Marcum Tullium audiamus *eſt illuſtris, & peruagata multorum, & magnorum, vel*

Marc. 15.

Cicero.

in ſuos

Nobilitatis descriptio. *in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, sua fama meritorum* ita or. pro M. Marcello. Nobilis sanè Decurio, cuius fama meritorum nullis poterit coërceri limitibus, non de hominibus modò, & ciuibus, sed de Deo, & ciuium conditore optimè meritus. Par est, vt cum te nobilem prædico, Dei serue, diligentiùs perpendas, quæ tuæ sint partes: quod assequeris faciliùs recolens, qua oratione magnus Matathias suorum inflammauerit animos ad illustria, omnique posterorum memoria digna facinora. Videlicet, vt habetur cap. 2, Machabæorum nu. 51. ait *Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.* Et post longam enumerationē Iosue, Caleb, Dauid, Eliæ, Danielis, aliorumque infert num. 64. *gloriosi eritis:* vt hinc intelligi liceat, quo pacto sola stirpis inclytæ recordatio faciat, vt obiectis quibuscumque difficultatibus fortiter superatis dignam patribus commendationem gloriæ consequamur. Hæreat nostris mentibus, quo patre simus geniti, nempe Deo; qua recordatione, admotis, veluti honoris igniculis, erimus procul dubio gloriosi. Dicebat per Malachiam Dominus ipse, æquissimus scilicet rerum arbiter, vt habetur cap. 2. num. 10. *Numquid non pater vnus omniū nostrum? Numquid non Deus vnus creauit nos? Quare ego despicit vnusquique nostrum fratrem suum?* Considero vim illatiuam: *quare ergo.* Quasi sentiat Vates diuino afflatus lumine necessariò consequi. Nulli noceas, nihil perficias, quod cuique detrimentum afferre possit, si patre Deo gloriaris; debes igitur consequēter nihil indignum moliri tanto parente. Quod quidem adeò clarum est, vt hominibus solo sapientiæ lumine illustratis id ipsum perspicuum fuerit: sit instar omnium illud Aeneidos 4.

Mathath.

Matathię oratio grauissima.

Malach. 2.

Filij Dei patre digna moliantur.

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus.

Virg.

Aeneas perfidiæ reprehenditur.

Vides, quo argumēto euincat Aeneam nequaquam natum Dea. Memorata enim illius perfidia extra omnem controuersiam palam fit, illum Deæ filium nequaquam esse. Caue ne mores impij declarent te nequaquam esse Dei filium, aut certè si patre Deo gloriaris, nunquam mente excidat Euripidis monitum in Helena dicentis.

Mores probant qui sint Dei filij.

Imitare mores
Patris iusti: filio enim gloria hac
Pulcherrima, qui ex patre probo natus
Consentit cum parentibus moribus.

Euripid.

Nullum habeat in nostris mentibus locum superbia, procul exulet arrogantia, quàm longissimè emandetur fastus, atque iactantia, vt patris iusti mores imitemur. Hæc enimverò germana nobilitas, & vera laus est filiorum Dei. Venit in mentem, quod Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte docuit, dum interpretatetur illa Dominicæ Orationis verba: *Pater noster, qui es in cœlis: admonentur,* ait, *hic genere nobiles secundum sæculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire aduersus ignobiles: quoniam simul Deo dicunt. Pater noster.* In vnam, eamdemque coaptamur familiam, vno nati patre, simus ego pares animis, vt eadem inclyta ingenuitate lætemur. Nobiles, nisi mores inducant dignos filio Dei, tanti patris filij censeri non poterunt; & quod inde consequens est nobilitatis honore spoliabuntur. Vtinam dici non posset, quod Minerua apud Homerum Odysseæ secundo Telemachum alloquens dicebat.

Filiorum similitudo ex imitatione virtutum.

Aug.

Pauci enim filij similes patri sunt.

Homer.

Absit quàm longissimè à Dei filijs, vt degeneri obscuritate vilescant. Acquum est, vt nati parentum exprimant claritudinem. *Boni autem fuerunt*, dicebat Plato in or. funebri, *quia ex bonis nati sunt:* generis igitur præstantiam primum laudemus. Quantum porrò valeat genus, & maiorum conditio ad instituendos mores posterorum, declarant dilucidè poetæ, qui passim, quem significare volunt sæuo, immiti, inhumano esse ingenio, cum dicere solent à saxis, è rupibus, è mari natos, à leonibus, atque à feris in lucem editos. Ergo viuendi ratio probet te, nobili patre natum, nempe Deo.

Posteri à maioribus accipiunt probitatem.

Plato.

Iam verò reliquum est, vt alteram initio propositam rationem, qua vnam, eamdemq; esse nobilitatem asserimus propter quam iusti omnes adamantur à Deo non multis illustremus. Ea porrò est, ne semper trita, & ob-

& obnia proferamus, quia vno, eodemque cœlesti pane vescuntur. Apud Græcos album panem non nisi nobilibus dari solitum scribit Manuccius; apud quos prouerbio circumferebatur, *album panem pinso tibi*: quo ad spes amplas rerum magnarum animum erigebanr. Vnde Lucianus in libello, quem ad Thimoclem scripsit. *Seruos*, asserit, *ne per somnium quidem vnquã albo pane saturatos*. Apud Athenæum lib. 4. quemadmodum refert Manuccius in adag. describitur cõuiuium Atticum. in quo commemorantur panes niue candidiores, quo genere panis solummodò clara sati stirpe vescebantur. Angelorum pane vescimur quot quot Christo nomen dedimus, non modò ob candorem Sanctissimæ Humanitatis verè albo; sed etiam quia plusquam niueam, & exigit, & facit morum integritatem.

Panis albus apud Græcos quibus daretur.

Lucian.

Athenæus.

Panis albus Eucharistia.

Neque solùm diuerso pane nobiles à vulgo, fuisse solitos vesci, scribit Plinius lib. 19. cap. 4. sed etiam esum quorundam ciborum, quos ad delicias parabanr, plebi fuisse interdictum, idem testatur ibidẽ. Ex quibus infero Christi fidelibus eamdẽ communem esse nobilitatem; quia non modò vno vescuntur pane, sed cibis iisdem, ad lautitias per quàm opiparè comparatis, nempe *panis hic, qui de cœlo descẽdit, habet omne delectamentũ suauitatis*, vt canit Ecclesia. Antiquorũ opulentiã, in conuiuijs præsertim declarat Ciaccbonius de Triclinio inquiens: *His mensis corona argentea, aurea interdum, & gemmis distincta addebantur*. Quantum, vel me tacente, ex hoc capite decus ingenuæ nobilitatis Christi fidelium apparet, eum cælestis mensæ conuiuæ nanciscantur in sacro altari integerrimę puritatis argenteas coronas, charitatis eximię aureas; & quod caput est, plurimas etiã gemmis, hoc est omnium virtutum ornamento distinctas. Verè nobiles, quibus datur *epulis accumbere Diuum*, vt canebat poëta.

Plin.

Qui cibi plebi interdicti.

Ciacchon.

Mensæ aureis coronis refertæ.

Eucharistiæ coronæ.

Pythagoras apud Laërtium nefas esse dicebat, eosdem apponi cibos seruis, & liberis: quod pariter apud Homerum Eumęus expressit odyss. 14. Dicitur Christi conuiuium futurum delicijs affluens, sed non omnibus, regibus tantùm. *Præbebit delicias regibus*, quia quotquot accedunt, regia fulgent nobilitate, & maiestate. Ideò fortasse Matth. 22. num. 2. regi comparatur qui fecit nuptiale conuiuium, vt innuatur conuiuas esse debere sodales regę haud indignos. Diuino oraculo arcendi erant ab ingressu templi pigmentarij, fusores, architecti, fabri, & figuli; ideo Eccles. 38. istis enumeratis num. 37. dicitur, *& non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Ecclesiam non transilient*. Cur obsecro è crediderim, quia enm Ecclesia domus summi Regis sit, eius aditus patere ignobilibus non debuit, quanto minùs conuiuium. Cicer. lib. off. 1. scripsit, apud Lacedemonios fas minimè fuisse, ingenuis discere, aut exercere vlla opificia; sed hęc per Helotas, quod seruorum genus erat exercebantur. Imò Herodotus in Euterpe testatur apud Aegyptios, Scythas, Persas, Lacedęmonios, Corinthios, & denique apud omnes ferè nationes haberi pro ignobilibus eos, qui artificum operibus dant operam. Iam, si à Dei domo manufacta ignobiles prohibebantur, quanto ęquiùs, vt dicebamus, ab eiusdem magnę domus mensa censebimus relegãdos. Recedat à sacra mensa ignobilis, & ab ijs, quibus in sacro epulo delicijs fruimur, accumbentium fateamur ingenuitatem.

Matth. 22.
Eucharistia cur nuptiale conuiuium.

Eccles. 38.
Ab ingressu templi qui arcerentur.

Cicero.
Opificia exercere nobilibus nefas.

Herodot.

Mentionẽ facit Suetonius in vita Octauij paulo post medium, num. 70. de quadã cœna, cuius causa non modò Imperator fuit derisus, sed malè audiuit. *Cœna quoque eius* (sic de Octauio loquitur Historicus) *secretior in fabulis fuit; in qua Deorum, Dearumque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum*. vnde inter libellos famosos tunc temporis ille terebatur manibus.

Sueton.

Octauij Imp. cœna.

Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit:
Dum noua Diuorum cœnat adulteria.
Omnia se à terris tunc Numina declinarunt:
Fugit & auratos Iupiter ipse Thronos.

Et cum summa in ciuitate penuria, & fames esset; acclamatum est postridie, frumentum omne Deos comedisse. In Romani Imperatoris ęqua vituperatione & summi Dei decus, & amicorum Dei recognoscamus nobilitatem: quibus Deorum non habitu modò Indutis, sed personam gerentibus datur sacrę Cœnę perfrui lautitijs. Etenim si vnquam verum est

Ab Eucharistia Dij recedimus.

Psal. 81. est Dauidicum illud præconium Psal. 81. A num. 6. *dixi, Dij estis,* tunc verissimè decantatur, cum religiosi viri cęlesti fruuntur epulo, quos alij ignobilis vulgi instar, dum fame pereunt diuinorum ciborum, verissimè dicunt, *Deos frumentum omne comedisse*; cum istorum solumodò cibus sit frumentum electorum.

Profero testem diuina auctoritate firmissimum Euangelicum vatem Isaiam cap. 21. num. 5. vbi dicitur: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum*. Vbi ex sententia S. Hieronymi hunc locū exponentis, declarantur Principes conuiuę huius cœlestis conuiuij; ait enim. *Dicitur per Prophetam ad omnes credentes, vt comedentes, & bibentes vertantur in Principes*.

Isai. 21. Eucharistia Principes red dit. S. Hieron.

Superest illustrandum tertium caput, ex quo petenda, vel pendenda est ea nobilitas, de qua verba facimus in præsenti; ea scilicet, quæ nobis etiam mortuis perseuerat; quam contendo solùm esse iustorum. Est in prouiptu, quod legimus apud Ieremiam vindicis Dei supplicium in Vriam, qui timore correptus se se receperat in Aegyptum non alio pacto explicatur, vt est cap. 26. num. 23. *percussit eum gladio: proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis*. Perinde ac si parum esset Vriam fuisse vita spoliatum, nisi etiam terrę inter ignobiles mandaretur. Magnum igitur, Deo iudice, malū est, ignobiles inter censeri, siue vt meliùs dicam, idem est inter ignobiles, atque inter inimicos Dei numerari.

Nobilitas iustorum etiam post mortem. Ierem. 26.

Hic ego non possum meam declarare sententiam, nisi in memoriam reuocem consuetudinem antiquorum, apud quos erat in more positum, in funeribus, & sepulcbris pompam nobilitatis ostentare magnificentissimè: adeo vt iudicare viderentur vnum sepulcbri honorē, & pompam funeris nobiles secernere ab ignobilibus. Vnde apud Tacitum lib. 3. ann. in fine Iunię Cassij vxoris, Bruti sororis funus ceteris solemnitatibus cohonestatum viginti clarissimarum familiarium imagines antelatæ sunt, & inter hos Maniliorum, Quintiorum, Cassij, & Bruti. De Augusto apud Dionem leges in funere ipsius statuas maiorum, atque propinquorū qui è vita discesserant, delatas fuisse. Ne multis de iactata in sepulchris nobilitaris ostentatione satis sit innuere, quod Herodotus memorat in Euterpe. Vbi pyramidem Cleopis Aegyptiorum regis describens auctor est, mille talenta in eiusdē pyramidis operarios pro apio, cæpis, & allijs fuisse erogata. Imò Plinius lib. 36. cap. 12. asserit in earumdem structura pyramidum pro ijsdem vilissimi pretij cibarijs mille octingenta talenta fuisse erogata. Nobilium quippe sepulchra tanti ab antiquis fiebant, vt nulla expensę ratio haberetur; quia sepulcbri, & funeris B bonor nota quædam; & quasi tessera credebatur ingenuitatis. Propterea Seruius in 11. Aeneidos monuit nobiles aut sub montibus, aut in montibus sepeliri solitos antiquitùs. Ex quo, & id notum est, fuisse vsu receptum, vt supra cadauera aut pyramides fierent, aut ingētes columnæ collocarentur; quo fortasse culmen excelsę nobilitatis defunctorum repræsentabatur. Quæ omnia nisi fallor satis superque declarant discrimen præcipuum nobiles inter, & ignobiles à dignitate sepulchri fuisse petitum.

Tacitus. Nobilis pelicto di... nobiles a pud veteres. Dio. Herodot. Plin.

C Quod non ethnicis modo, sed Hebræis etiam solemne fuisse pro cōperto habeo. Hebræis, inquam, hoc est hominibus diuinitùs eruditis. Etenim sepulchris regum peculiaris locus eligebatur, vt habetur 2. Paralipom. cap. 26. num. 23. Cum igitur honor præcipuus tribuatur nobilitati dum sepulturæ nobilium mandantur cadauera; omni nobilitatis honore caret qui proijcitur in sepulchris ignobilis vulgi; vt de Vria dicitur; qui hoc pacto in album inimicorum Dei videtur referri. Patet iam, quàm sit consonum veritati, quod paulò ante dicebam, idem esse & D nobilem, & Dei amicum posse cōsalutari. Quandoquidem, qui Deo inuisus est, non alia notatur censoria virgula, non alio afficitur pœnę genere, quàm inusta nota ignobilitatis.

Idem est nobilis ac Dei amicus.

Se pro dignitate commendaturum claræ stirpis ingenuitatem existimauit Euripides, si non multò ante finem Helenæ scriberet, Deos non habere odio nobiles. Quàm mutila, quàm manca laudatio Deus immortalis! Profectò Parens bonorum summus non modò non habet

odio, ſed ſi dicere fas eſt, veneratur nobilitatem. Quod me iudice, quando cetera deeſſent omnia, probaretur luculenter ex illa Ieremiæ Epiſtola, quæ legitur apud Baruch cap. 6. vbi vnum illud videtur poni diſcrimen inter Deum Optimum Maximum, & Deos illos alienos, fictitios, atque fabuloſos; quòd nobilitas illi, iſtis ignobilitas tribuenda eſſe dicatur. Habetur enim citato cap. num. 25. *In humeris portantur oſtentantes ignobilitatem ſuam hominibus*. Quale obſecro erit decus nobilitatis, ſi Deum ipſum à turba ſecernit Numinum vaniſſimorum? Dicamus nobilitatem non ornamentum modò, ſed teſſeram diuinitatis. Mirum enimuerò eſſe non debet ſi nobiles ſolummodò Deo cari prædicentur, cum conſortem quodammodo diuinitatis faciat tam meritò commẽdata nobilitas. Hanc habeant in amoribus Chriſti fideles, cum ſit ſupra quam dici queat apta ad nos Deo conciliandos. Vnde S. Hieronymus exponens plenum charitate reſponſum, quo Deus Optimus Maximus fecit ſatis iniuſtæ Iudæorum querimoniæ, vt habetur Iſaiæ cap. 65. n. 1. *Reſpondit*, ait Hieronymus. *In tantum nõ ſum rigidus, & crudelis, qui malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem. Nec repello filios pœnitentes, qui tamen ſui nominis ſeruauerint dignitatem.* Ita in cit. cap. initio. Vt vides profitetur Dominus ſe minimè repellere filios pœnitentes, dummodo non perdiderint dignitatem; tanti nimirum à Deo fit dignitas, vt ſine hac ne ipſa quidem arrideat pœnitentia.

Baruch.

Teſſera diuinitatis nobilitas.

S. Hieron. Nobilitas nos Deo conciliat.

Volens hic ego prætermitto Ariſtotelis auctoritatẽ, innuo ſolùm, quo pacto oculatiſſimus hic rerũ indagator lib. Polit. 4. cap. 3. & 4. lib. 1. Rhet. ad Theodecten cap. 5. docuerit, nuncupari nobiles meritò poſſe eos tantummodò, qui virtutibus, bonis, præclarè geſtis, & factorum excellentia non vulgari, ceteris antecellant. De his in præſenti meus eſt ſermo: attende igitur, & perſpice fore vt nequeas eſſe Deo carus, niſi hoc nobilitatis decore glorieris, quam conſequeris, ſi vulgarium conditionem hominum præſtanti virtute, & eximia factorum commendatione anteiueris Deo natus, paſtus Deo, pro Deo, & in Deo mortuus. Quibus in hunc modum expoſitis ſuperuacaneum erit profi-

Ariſt.

Nobiles qui, ex mente Ariſtotelis.

A teri, me nequaquam ſuſcepiſſe partes improbabilis, atque vituperabilis nobilitatis: non enim de ea loquor, quæ inuidiæ, & ſuperbiæ mater eſt, vt canebat Virgilius lib. Aeneid. 11.

Genus hoc materna ſuperbum
Nobilitas dabat.

Virgil. Nobilitas inuidiæ, & ſuperbię mater.

Et Saluſtius in Catilina notionem aliquã nobilitatis traditurus affirmat illam de more inuidia æſtuare. Hanc ego nobilitatem contrariam, repugnantemque pietati nequaquam commendo: ſed eam probo, quę propria eſt amicorum Dei: quorum vna nobilitas eſt, & dignitas ingenuitatis B profectò par, ſi attentè conſideres ingenuitatem parentis, nobiliſſimarum epularum pręſtantiam, honeſtatẽque ſepulchri.

Peroret iã Latinus Demoſthenes orat. pro Publ. Sextio, inquiens, *Omnes boni ſemper nobilitati fauemus; & quia vtile eſt Reipublicæ nobiles eſſe homines dignos maioribus ſuis: & quia valet apud nos clarorum hominum ſenex de republica meritorum etiam memoria.* Habes loquẽtis eloquentiæ diſertum quidẽ, ſed impar præconium ad exornandam nobilitatem; cui nõ boni omnes tantummodò, ſed auctor ipſe bonitatis faueat Deus. Eccleſiaſt. C cap. 10. num. 17. *Beata terra, cuius rex nobilis eſt*. Similiter cõmendatæ mulieris vir, nobilitatis titulo extollitur Prouer. 31 nu. 23. *Nobilis in portis vir eius*, & inter præconia Samuelis Prophetæ nobilitas cõmemoratur: dicitur enim 1. Reg. cap. 9. num. 6. *Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac vir nobilis.*

Cicero. Nobilitatis præconium.

Eccleſ. 10.

Prouerb 31.

1. Reg. 9.

Hinc demum non recedam, niſi ſemel lectorem monuerim, vt accuratè perpendat pręcipua chriſtiani viri munera, quaſi compendio cõprehendi cum dicitur. Nobilis ſolummodò carus Deo. Quod quidẽ D non modò manifeſtum eſt ex ijs, quę hactenus ſunt expoſita; verùm etiam, quia habes apud Ariſtotelem lib. polit. 3. c. 3. lege apud Thebanos ſancitum fuiſſe; vt nemo idoneus eſſet ad honores nobilitatis, niſi per decennium vilibus miniſterijs abſtinuiſſet: quod etiam cauerat pręſtantiſſimus legũ lator Lycurgus, quãuis artẽ ſordidam interdicens honeſto loco natis. Qui turpi fœdantur contagione criminũ, qui viliſſimis inquinantur ſordibus flagitiorum, vix abluti aqua pœnitentiæ putant

Ariſtot. Thebanorum & Lycurgi de nobilibus lex.

tant

tant se nobiles, quia Filij Dei. Aberrant à veritate quàm longissimè. Diuturno tẽporis spatio abiecta peccatorum seruitute fruatis libertate filiorum Dei necesse est: si bune, de quo loquimur, nobilitatis honorem affectas. Multò ad extremum diligentiùs cauendum est; ne qui hoc nobilitatis decore à Deo semel donati sunt, vilescant inter sordes iniquitatis obliti sui. Certè apud Romanos lex Claudia à Q. Claudio lata, quemadmodum scribit Liuius lib. 1. secundi belli Punici in fine, probibebat, ne quis nobilis quicquam abiectum, aut humile, aut seruile opus exercere posset. Præcurrit sine dubio meum animi sensum quicumque sapit. Nobilis est amicus Dei. Sibi igitur intelligat interdictum opus omne seruile, atque abiectum, hoc est quodcumque peccatum, quo nulla seruitus vilior, abiectior, aut indignior nulla. Non possum vltimam huic paradoxo manum imponere nisi subiungam, quod notat S. Ioannes Chrysostomus; quo interprete, Natus Virgine inter homines Deus non aliam ob causam plures ex atauis improbos habere voluisse credendus est, nisi vt nobilitatis comparandæ rationem suis fidelibus traderet: ait autem homil. 3. in Matthæum cap. 1. aliquanto post initium. *Tales progenitores habere dignatus est nihil de nostris vilitatibus erubescens: per ista procul dubio docens, vt nos quoque nunquam erubescamus de vitijs parentum; sed vnum quæramus illud, atque omnibus studijs assequamur, nobilitari propriarum honore virtutum.* Habes quæ Deo probetur nobilitas, qua ingenuitate præcellere possis, imò debeas: ni Deo velis esse inuisus, iam tenes.

Lex Claudia de nobilibus. *Chrys.* *Nobilitatis acquirendæ incitamentum ex Christo.*

Insuper legendam moneo sect. 1. cap. 4. lib. 2. Mystagogi eruditissimi Patris Ludouici Cressolij.

Prætetea videri possunt P. Io. Antonius Velasquez, & P. Franciscus de Mendoza, qui abiectam, & ignobilem peccatorum seruitutem obijciunt legentium oculis. Hic quidem tom. 2. in lib. Reg. in cap. 8. lib. 1. num. 18. Annot. circa litteram sect. 1. & in cap. 7. eiusd. lib. Annot. circa litt. sect. 1. num. 8. & alibi passim.

Ille vero tom. 1. in epist. ad Philipp. in cap. 1. ver. primo. Adnot. mor. 6. à nu. 10. Insuper videatur etiam P. Didacus de Baëza tom. 4. comment. moral. in Euang. hist. lib. 16. cap. 20. §. 1.

IN CAPVT PRIMVM Num. XVI.

Iacob autem genuit Ioseph Virum Mariæ, de qua natus est IESVS qui vocatur Christus.

PARADOXVM VIII.

Breuissima nomenclatio copiosissimum omnium Beatę Virginis elogium.



PERBREVE quidem Sanctissimæ Matris elogium, si verba spectes, sed si sententiam accuratiùs examines, fateberis omnium, quotquot afferri possunt, elogium locupletissimum, eum dicatur, *De qua natus est Iesus*. Rem acu tetigisse videtur S. Anselmus lib. de excellentia B. Virginis cap. 2. inquiens: *Dei Matrem prædicari, excedit omnem altitudinem, quæ post Deũ dici, & cogitari potest.* Ità Sãctus; à mille capitibus peti potest commendatio Mariæ, ab illibato virginitatis flore, ab imperio cœlestis orbis, ab animę dotibus vniuersis; sed à nullo fonte manare potest vberior commendatio, quàm à præstantia Filij.

S. Anselm. *Nulla post D. ã dignitas maior Matern. nitate Dei.*

Quod neque nouum, neque mirum iudicabit, qui geminum à Iustino allatum exemplum in mentem reuocet. Primum ex lib. 12. de Alexandri Magni matre Olympiade, quam scribit propter Aeacidarum gentem ab vltima sæculorum memoria, & regnum patris, fratris, mariti, ac deinceps, maiorum omnium illustratam; nullius tamen nomine quàm filij, idem historicus memorat libro 16. eam clariorem fuisse: Alterum verò est, quod

Iustin. *Olim, ita nulla re clarior, quam alexandro filio.*

Ptolomæus pluris facit patrem esse regis, quàm regem esse.

Ptolomæus primus Aegypti rex dicere solebat: *Videri sibi omni regno pulchrius regis esse patrem*. Regnum cœli, & dominium beatarum mentium Mariç gloriosum sine dubio, ac pulchrum; longè tamen pulchrius, & gloriosius Regis regum esse parentem. Audi S. Bernardum loquẽtem in hunc modum. *Non dubium est quid quid in laudibus matris proferimus ad filium pertinere*: & rursum, *cum filium honoramus, à gloria matris non recedimus*. Ita homil. 4. super missus est ipso initio: quid quid dignitatis, & gloriæ quid quid maiestatis, atq; amplitudinis filiũ exornat, exornat & matrem, quæ mihi eo magis arridet sententia, quò clariùs video, ab ea non multum aberrauisse Romanum Demosthenem lib. 3. de officijs, cum de M. Catone dixit. *Marcus Cato sententiam dixit huius nostri Catonis pater: vt enim ceteri in patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit ex filio est nominandus*: Quanto æquiùs ex hoc eodem capite nominanda erit & commendanda Maria, ducto encomio à filio. Etenim cœlesti melode decantatur Virgo Cant. 6. num. 9. *Aurora consurgens*; Quid audio dicet non nemo. Ergò auroræ comparatur Dei Mater, cum Dei serui soli luminum principi similes perhibeantur: sic Matth. 13. num. 43. *Fulgebunt iusti sicut sol*. Verùm si res attentiùs perpendatur, non modò quicquam Virginis laudibus detrahitur, sed plurimum augetur, si Auroræ nomine salutetur. Hæc nempe sola Mariæ laus est, hæc omnium locupletissima, peperisse solem iustitiæ, & diem gratiæ attulisse. Aurora genetrix solis cum sit, & parens diei maternitatem adumbrat Virginis, à qua tanquam à fonte omnis fluit Virginis cõmendatio. Sanè de Christo Domino prænunciauit Malachias cap 4. num. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*, & Matth. cap. 4. num. 16. dicitur, *Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*. Igitur dicere volunt Angeli, cum appellant Mariam Auroram, nullam esse apud ipsos ampliorem Mariæ cõmendationem, quàm si eam genitricem solis iustitiæ consalutent.

Bern. Laus filius, vel Mariç, laus est vtriusque.

Cicero.

Alij ex patribus, Marcus Cato ex Catone filio nominandus.

Cant. 6.

Matth. 13.

Locupletissima laus Mariæ, solem iustitiæ peperisse vt Auroră.

Malac. 4.

Matth. 4.

Ex his, nisi fallor, sumpsit occasionem S. Augustinus dicendi serm. 11. de Natiuitate Domini. *Cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat; lumen enim, quod intra se habebat pondus habere non poterat*. Nisi potiùs, vt alijs placet, huiusmodi verba sint S. Fulgentij de laudibus Virginis: quæ cum ita se habeant; appellent alij B. Virg. cum Origene hom. prima in diuersos locos: *Cælestem thesaurum, diuitias Deitatis, templum, ac domum Dei*. Dicatur ab alijs cum S. Bonauẽtura 3. Sent. distinct. 3 art. 2. quæst. 1. num. 26. *Beatissima Virgo Maria corona iustorum, sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & specialissimum filij, reclinatorium*. Celebretur ab alijs eo S. Ambrosij encomio lib. de institut. Virg. cap. 5. *Egregia Maria, quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christi vexillum leuauit*. Ego verò breuiore, quidem, sed ampliore commendatione Mariam exornaturus, vtar ea, quç præ manibus est, *De qua natus est Iesus*.

Mariæ leue pondus.

Orig.

Bonauent.

Præconia B. Virg.

Ambros.

Maria vexillũ extulit virginitatis.

Cuius rationem aliquam meditanti mihi occurrit, quod scribit Plinius lib. 16. naturalis historiæ cap. 4. vbi de varijs coronarum generibus faciens mentionem, maximo in honore fuisse asserit coronam ciuicam; cuius illud priuilegium fuisse scribit, vt qui eam fuisset consequutus, honoris gratia non solùm impetraret sibi, sed patri, & auo vacationem omnium munerum communicaret. Verba Plinij sunt. *Accepta, licet vti perpetuò. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique, & auo*. Ità citatus auctor circa finem capitis. Iam verò dicamus; si sapientes viri tantùm honoris tribuendum esse iudicarunt ei, qui ciuem ab interitu vindicasset, vt pater etiam, & auus eadem honoris significatione donarentur: Deus immortalis! ambigemus, num tantundem honoris concedendum sit ei, cui non ob ciuem ab interitu vindicatum, sed ob reparatum humanum genus, iustiùs longè ab hominum republica vniuersa, quàm Augusto vt idẽ Plinius citato cap. memorat, corona ciuica donata fuit; enimuero desipiat necesse est, qui non hominis, sed humani generis Seruatori deneget, vt Parenti optimç nobilitatis prçrogatiuam cõmunicare queat. Tantus igitur honor debetur Virgini, quãtum tribuere potest gloria filij, qui non vnum, aut alterum, sed homines vniuersos ab interitu vindicauit.

Plin.

Corona ciuica per filium adepta in parentum gloriã & vtilitatem dimanabatur.

Tantus debetur Virgini honor, quantũ tribuit gloria filij.

Portò

Bernardus. *Riccbar.* Salus omnium per Mariam facta est. *Anselm.* *Damasc.* Maria salutis totius Orbis administra.

Porrò amplissima omnium, & maxima, quotquot animo comprehendi possunt, seruati humani generis laus est, in hanc laudis partem venire si dixero Beatissimam Virginem, sequar auctoritatem S. Bernardi dicentis serm. super signum magnum: *Hæc scilicet Maria, inuenit redemptionem*, & paulò post: *captiuus ab ea accepit redemptionem*. Sequar Riccbardum de S. Victore in Cant. cap. 26. sic loquentem de Virgine. *Salus omnium per ipsam facta est; vnde & mundi salus dicta est*. Sequar S. Anselmum dicentem lib. de excellentia Virginis cap. 9. *Omnem omnis creatura puritatem, siue sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis dignissimè fieret*. Dicerem cum Ioanne Damasceno orat. 1. de B. Mariæ Natiuit. *Neque enim tui ipsius causa, progenita es; itaque auctore Deo habebis, propter quem in lucem suscepta es, vt salutis totius orbis sis administra, atq; antiquum Dei consilium, Verbi inquam Incarnationis, & nostræ Deificationis impleatur*; Ex quibus tàm perspicuis, & obuijs, quis tanta mentis laboret caligine, vt non videat eam, quæ omnium vberrima est, Iesu Seruatoris nostri commendationem, Matri etiam optimè esse communem. Hoc igitur satis sit ad exornandam extollendamque laudibus Mariam; si dicamus *De qua natus est Iesus*.

Cornelia Gracchorum mater non in preciosis ornamentis, sed in filijs suis gloriatur. *Val. Max.*

De Cornelia celeberrima illa apud omnem antiquitatem Gracchorum matre indices veritatis loquuntur historiæ, in tanto pretio habuisse liberos, vt nihil pretiosum licet, ac diues, nihil rarum licet, atque eximium cum illis duceret conferendum: de ea enim sic scribit Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. de Paupertate initio. *Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua pulcherrima sæculi illius ostenderet, traxit eam sermone quousq; è schola redirent liberi: & hac, inquit, ornamenta mea sunt*. Ita apud Valerium loco citat. Digna, me iudice, attenta animaduersione sententia. Etenim Cornelia inter Romanos proceres, præcipuę nobilitatis dote spectanda, Africani Scipionis filia, Sempronij Gracchi coniux, an non preciosam muliebrium ornamentorum supellectilem potuisset ostentare? potuisset sine dubio; sed nullum existimauit prçstantius, aut ditius ornamentum, quo gloriari posset, quàm quod ducebat ab optimæ indolis liberis. Vides qui præditus es mentis acumine perspicaci, quò spectem. Vt extollam Sanctissimam Virginem, eiusque patefaciam ornamenta genere præcellentia, numero infinita, conditione penè diuina; eam ego non dicam sponsam, aut filiam Dei, nequaquam concessa ei à beneficientissimo Largitore munera recensebo, non dicam cum S. Augustino ser. 2. assumptis B. Virg. *Si cælum te vocem, altior es; si matrem gentium dicam, præcedis; si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris*: non dicam cum Richardo de S. Victore cap. 26. in Cantic. *Etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, vt ad eam accedere eamque tentare non præsumpserint*. Hæc inquam, & alia huiusmodi sexcenta decora minimè numerabo, speciosa licet, atque præstantia, tamen minora meritis. Dicam Mariem Iesu, & laudaui satis. Ab Homero poëtarū ingeniosissimo Odyssee 14. dicitur Castor habitus fuisse à Cretensibus Deus; quam illi diuinitatis opinionē conciliauerāt liberi optimis præditi moribus, & probatissimæ vitç. Tantam videlicet vim habet eximia, singularisque prçstantia filiorum ad augendam parentum commendationem. *Castor Hylacides*, verba poëtæ latinitate donata, *qui quondam in Cretensibus vt Deus celebatur filijs honestis*. Sic Homerus lib. cit. paulò ante med. Fuerit hæc comminiscētis poëtç ementiens superiectio, illud sanè verissimū prædicabo, Virginem integerrimam tantū à filio duxisse decus, vt ab eo quodammodo speciē acceperit Deitatis, iuxta sententiā Dionysij Areopagitæ, quē cum nomino, apicem appello Theologorū cuius ea sunt verba, data ad Paulū epistola relata à Carth. ser. 2. de Nat Virg. *Testor, qui aderat in Virgine, Deum; si tua diuina concepta mente non me docuissent, hanc ego verum Deum credidissem*. Quòd si quis consendat dici id poëtico more: dabo libenter, dum modò attendamus sanctissimum poëtam huius sententiæ auctorem esse, nempè Gregorium Nazianzenū cōcinentem in Christo patiente circa finem.

August. Preter maternitatem Dei cetera Virginis decora minora sunt meritis. *Homer.* Speciem quandam Deitatis accepit Virgo à filio. *Dionys. Areop.* *Nazianz.*

A B C D

Vene-

B. Virgo habita vt Dea. *Veneranda ò Virgo, casta, felicissima Aeternitatis pallio ornata, vt Dea Habita.*

Quæ laudes enim tantæ sint, tàm eximiæ, tamque magnificę, diuinare videremur in re grauissima, nisi mox laudatus Homerus docuisset, filijs honestis in parentes deriuari etiam diuinitatem. Nimirum hominis maximè cordati iudicio; tantùm pollet honestas filiorum, vt possit maiores euehere supra fastigium nostræ mortalitatis. Vide iam meritò ne vt Dea habita fuisse decantetur à Nazianzeno non ex alio capite, quàm Filij diuinitate, vt propterea nemo mirari debeat, B si Sanctissima Virgo à B. Petro Damiani serm.44. qui est primus in Natiuitate eiusdem non multò ante finem, dicatur *Deificata*. Suo olim alloquio dignatus est Deus infracti virum animi Iob; vt habetur cap.40. num. 4. & 5. inquiens. *Si habes brachium sicut Deus, & simili voce tonas; circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus*. Vocatur a Deo Iob, ad sublimem supra ceteros dignitatem, dummodò habeat brachium, & vocem Deo similem. Verum amicus Dei rantis conditionibus deterrirus illicò obmutuit; & quam ceteroqui flagrantissimè cupiuisset dignitatem, expetere non est ausus. Benè est: eandem obsecro proponamus conditionem Virgini, dicamusq; *Si habes brachium sicut Deus & simili voce tonas in sublime erigere, & esto gloriosa*. Profectò inueniemus vtrumque, habet nempè brachium sicut Deus. *Quia brachium Dei Christus est*, inquit S. Augustinus lib. 1. de cons. Euang. cap. 3. & simul etiam simili voce tonat: quia Dei vox prima. & præcipua non alia fuit, quã illud celeberrimũ, *FIAT*, quo moles vniuersitatis amplissima extructa fuit, & D Virgo per illud, *FIAT*, quo cœlesti nũcio responsum dedit, extruxit digniorem, non terrarum, sed gratiarũ orbem, idest Christi humanitatem. Habet igitur & brachium, sicut Deus, & simili voce tonat: cui ideò dicitur meritò, *circunda tibi decorem, & in sublime erigere. & esto gloriosa*: In hoc autem laudum, & gloriarum apice collocatur, quia Dei Mater est. Dicatur propterea, *De qua natus est Iesus*, & haud impar præconium futurum est

B. Pet. Dam.

Iob 40.

Quare Maria fuerit Mater Dei

Aug.

A eius, quæ ceteroqui numquam satis pro dignitate commendaretur, verissimè quippè S. Hieronymus ser. de Assump. B.Mariæ, qui omnium antiquorum Theologorum consensu S. Hieronymo adscribitur, dicebat: *Totum super excellit, quia de illa quæ dicuntur diuina sunt, & ineffabilia*.

Hieron. Quę de Maria dicuntur, diuina sunt.

Diuina vtique, quia à Deo Filio in Virginem deriuantur. Quod de Pherenice celeberrima quondam apud Græcos fœmina memoriæ prodidit Aelianus lib.10. cap.1. dictis adnectere non erit à nostro proposito alienum. Pherenice filium suum ad Olyn pia certaminis causa adduxit; & cum Hellanadicæ prohiberent eam à spectaculo ludorum, ad ius cum ipsis descendit; cumque corã iudicibus pronunciaret, filium se adduxisse pugillatorem, strenui roboris, & virium eximiarum: & repugnantem populum, & legem contradicentem superauit: fœminæ namque à spectaculis vi legum arcebantur: Pherenice nihilominus ad Olympia spectanda maximo cum honore admissa fuit. Dicerem, nisi demissæ me comparationis puderet, editum fuisse in lucem athletam strenuũ; cum Christus Dominus nostræ mortalitatis indutus exuuijs ex vtero natus est Virginis ad singulare certamen cum gigante C tartareo descensurus: is inquam cuius viribus, quasi per iocum elisæ sunt infernæ potestates. Planè dicat Maria, Filium suum à se fuisse adductum certaminis causa, non ad Olympia, vt illa, sed ad Olympum obtinendum, cuius gratia decertauit, adiudicabitur Virgini causa; & quid quid honoris potest animo concipi, consequetur, repugnantibus nostrę mortalitatis legibus; quibus non obstantibus, ob gloriam, ac reuerẽtiam Filio debitam euchetur supra sortem humanæ imbecillitatis.

Aelian.

Pherenice ad Olympia spectanda admittitur contra legem, solo filij robore.

Christus Dominus certaminis causa descendit in arenam mortalitatis.

Plurimum dignitatis, multum honoris in Virgine recognoscimus quot quot legimus apud Andream Hierosolymitanum serm.2. de Assumptione Deiparæ. *Hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula*. Qua forma loquendi haud obscurè innuitur; sicut ictus collimant ad scopum, ita diuinæ mentis beneficos ductus in Virginem, quasi in propositum scopum collineasse. Vel certè clariùs cum S. Anselmo eximiam Virginis præcellentiam recognoscimus, quot quot cum eo lib. de excel-

Andr. Hierosol.

Anselm.

excellentia B. Mariæ Virginis cap. 8. dicimus *Quid ampliùs dicere possum Domina: immensitatem quippè gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit. Quemadmodum enim omnia, quæ in cælo sunt per glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur: ita per eamdem glorificationem cuncta, quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur.* Hoc porrò quantum... quantum est, quod certè maximum est, in gratiam victoris filij conceditur Virgini. Igitur vt in compendium redigantur amplissima Mariæ præconia, dicatur paucissimis. Hæc illa est. *De qua natus est Iesus.*

Preconium B. Virginis.

De hoc argumento plura passim inuenies tùm apud antiquos, tùm apud recentiores sacræ scripturæ studiosos. Præsertim videri potest. P. Franciscus de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. in c. 4. n. 11. Ann. 11. circa litt. sect. 2. à nu. 35. vsq; ad finem.

Videatur etiam P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. vers. 11. cap. 7. Adnot. mor. 7. num. 10. & 11.

Insuper legatur P. Didacus de Baeza tom. 2. com. moral. in Euang. hist. lib. 11. cap. 1. §. 4.

IN CAPVT PRIMVM à Num. XVIII. ad XX.

Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem cum esset iustus, & nollet eam traducere voluit occultè dimittere eam.

PARADOXVM IX.

Vniuscuiusq; Vita, vel inuita se ipsam prodit.

EX Iosephi suspicione non potuit non mediocriter perturbari Sanctissima Virgo: cur igitur castissimo & castissimo sponso non aperit mysteria Dei, quibus vel leuiter indicatis, nedum perfectè cognitis, omnis omninò criminis suspicio euanuisset? quid ergo? & sibi defuisse dicemus, & sponso tàm profundo silentio mulierum prudentissimam? Verum non debuit integerrima coniux pro sua innocentia verba facere, quia supremę beneficio sapientiæ ita comparatum est, vt cum maximè nolumus, tunc detegâmur. Etenim Vita se, vel inuitam prodit.

Est in promptu diuinarum, humanarumque litterarum auctoritas luculentissima cap. 13. lib. Numeri; Hebræorum exploratores, vt populum Dei facerent certiorem, qualis nam esset regio illa, quam Duce Deo petebant gressibus, sed affectibus flagrantissimè expetebant, vt habetur cit. cap. num. 24. *Abscíderunt palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri.* Quare non nunciant, terram fluere lac, & mel, temperiem aëris, soli vbertatem? quare non prædicant, vel certè cur oculis non subijciunt regionis pulcherrimæ, ac feracissimæ partes singulas affabrè in tabula delineatas, quò faciliùs paterent obtutibus intuentium? nihil horum; sed deceptus fructus proponitur conspiciendus. Nimirum terra Dei non ex descriptione, aut circumlocutione verborum, sed ex fructibus cognosci debet: sic profectò, vel inuitis incolis; soli tàm feracis qualis fœcũditas sit, & quàm amplũ, ac liberale Dei promissum, ex fructibus fit manifestũ. Simile quid contingere si dixero hominibus, aberrare profectò nõ dicar; siquidem sapientissimus Dominus in hanc gratiam opera fructibus comparauit: *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. cap. 7. num. 20. fructus operum ij sunt qui te maximè inuito palam facient, qualis sis.

Terra Dei ex fructibus cognoscitur.

Num. 13.

Matth. 7.

Satis lepidum est quod Herodotus scriptis suis posterorum memoriæ commendauit. Rex Lacedæmoniorum Aristodemus, cum regina vxor gemellos vno partu filios edidisset in lucem, & ab ea nulla arte extorquere posset, vter natorum esset primogenitus, tandem vt statueret quid consilij in re tanti momenti, ac tam ancipiti capiendum; Senatu coacto patrum exquirit suffragia, quorum ea fuit sententia, ne primogenitus, hoc est regni hæres igno-

Aristodemus Rex quo pacto vter esset primogenitus esset cognouerit.

ignotaretur, vt certi deligerētur homines, qui clā, & attentissimè obseruarent, vter filiorum à Regina lactaretur primus, vter primus exciperetur vlnis, quis nam ad oscula, ad amplexus, ad maternas blanditias admitteretur prior; dicebant enim non alia ratione, quod cælabat materno decepta amore Regina, dignosci posse, quàm luculento gestorum testimonio; operibus quippè, vel nobis inuitis, quid quid abscondere satagimus, aperitur. Vide Herodotum in Erato, & Mamertinum in Panegyrico ad Maximianum. Sed libentiùs isthæc missa facio, quàm commemorem pluribus. Instat omnium sit quod cap. 11. scribit S. Matth. vbi dicitur interrogatus Christus Dominus à discipulis Ioannis, num esset promissus humani generis Redemptor, huiusmodi dedisse responsum, quod habetur num. 4. cit. cap. *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: caci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Videbitur fortasse non nemini primo aspectu interrogationi responsum minimè facere satis: petunt enim pij nuncij, quis nam sit, non autem quid faciat Christus Dominus. Quorsum igitur tàm enucleatè ea enumerat, quæ facit, cum respondere breuissimè potuisset, esse se natum inter homines filium Dei? Verùm non potuit sapientiùs respondere: quandoquidem ex vno capite nolebat se prodere, nec palam prædicare. *Non dum enim venerat hora eius*, ex alio non poterat non facere satis nuncio tam cari capitis, ideò non dicit, se esse Messiam tot vaticinijs pręnunciatum, tot prædicatum oraculis, & simul opera recitat, quæ Ioanni nuncientur, vt vel nolens dignosceretur.

Operibus Christus Messiam se ostendit.

Matth. 11.

Polixenus, Dialecticus, Dionysium iuniorem alloquens aliquando, vt est apud Plutarchum in Apoph. reg. & imp. non longè ab initio, vehementiore percitus ita dicere non dubitauit: *Ego te redarguam. Verbis quidem*, respondit statim Dionysius; *Sed ego te rebus ipsis redarguo, tuis enim relictis, me meaque colis.* Egregia sanè responsio, & cordato principe profectò dignissima. O Polixene, quasi dicere vellet, si me dignum reprehensione putas, tua gesta vel te nolentem produnt

Plutarc.

A obiurgatione dignissimum, quippè multo acriùs, & ęquiùs es reprehendendus, quia scelestum colis. Eodem reprehensionis genere carpendi essent ij; qui dum pro congerendis laborant diuitijs, aut in captandis honoribus operam collocant, aut voluptatibus fracti, nihil non moliuntur, vt ventri seruiant, de sua tamen conditione (quod nō rarò accidit) acerrimè conqueruntur: nimirum qui verbis vitæ genus absque dubio improbandum vituperant, rebus ipsis probant, quibus vel inuiti se ipsos produnt addictos penitùs, ac mancipatos ijs rebus, quas ore tenus reprobāt, B atque condemnant. Caue ne aliud verbis, aliud factis ostendas: opera enim, non verba; facta, non dicta indicant quales simus.

De Tiberio scribit Suetonius in vita paulò post initium nu. 6. maximum subijsse discrimen, cum puer esset. Etenim cum comes esset fugæ parentum suorum, hos apud Neapolim sub irruptionem hostis, nauigium clàm petentes, vagitu suo penè bis prodidit: semel cum à nutricis vbere, iterum cum à sinu matris raptim auferretur ab ijs, qui pro necessitate tēporis mu- C lierculas leuare honere satagebant. Quantum id periculum, quale discrimen fuisse dicemus, Deus immortalis! dum summo studio se se conantur abscondere, & clandestino impetu hostem adoriri; penè prodidit miseros vagiens puellus. Id quia ad vnguem contingit scelestis, opportunè monebo, si dixero. Discite ò improbi, quæ sit ratio vitæ vestræ, cum maximè latere vultis, tunc maximè apparetis, quia vita se, vel inuita prodit. Quod cum ita se habeat: date obsecro pietati operam vt de vobis dici queat, quod felix ille cęcus Christi Domini manibus luce do- D natus, altercantibus Iudæis, non sine magna, & constantis, & sapientis animi commēdatione dicere minimè dubitauit, dum enim contenderent, Seruatorem nequaquam sanctum habendum esse, vt testatur Io. cap. 9. num. 25. omninò dubitationi aditum interclusit cum dixit: *Si peccator est nescio; vnum scio: quia cæcus cum essem, modò video.* Quasi sibi velit. Vos oratione discrepatis, & mutua verborum altercatione in diuersas abitis sententias; credat vnusquisq; quod lubet: mihi vero

Suet. Tiberius vagitu pene se prodidit puer.

Ioan. 9.

huius

huius hominis, (qui homine maior est) opera, omnem ad imunt dubitandi locum. Verissimè profectò,& eloquentissimè pronunciauit D. Io. Chrysostomus hom.6.ex varijs in Matth. locis circa finem. *Omni namque tuba clamor est per opera virtutum exhibitio, & ipsa luce splendidior est munda vita, licet innumeri sint, qui calumnientur.*

Chrys.

Notissimum est, quod de Apelle, & Protogene à Plinio lib.35. cap. 10. circa med. accepimus in hunc fere modū. Rhodi viuebat Protogenes, quò cum Apelles adnauigasset auidus cognoscendi opera eius, fama tantum sibi cogniti; continuò officinam petijt salutem dicturus ei,quem ad miraculum vsque suspiciendum, omniū ora prædicabant. Aberat ipse, sed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ Anus vna custodiebat. Hęc Protogenem foris esse respondit, interrogauitque simul nouum sibi hominem penitusque ignotum, à quo quęsitum diceret: ab hoc, inquit Apelles, arreptoque penicillo, lineam ex colore duxit summę tenuitatis per tabulam: reuerso Protogeni quæ gesta erant Anus indicauit. Ferunt artificem protinus, contemplatum subtilitatem dixisse, Apellem venisse: non enim cadere in alium tàm absolutum opus, ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxisse, præcepisseque abeuntem, si rediret, ostenderet, adijceretque, hunc esse, quem quæreret: atq; euenit. Reuertitur enim Apelles sed victus erubescens, tertiò colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus in portum deuolauit hospitem quærens. Placuitq; sic eam tabulam posteris tradi omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Mirentur alij pingendi artificium, & post hominum memoriam inauditam linearum subtilitatem, mirentur pictorum celeberrimorum in tenui quidem laborem, at tenuem non gloriam. Ego interea demirabor inuentum ingeniosissimū apertè probans, placuisse vtrique prodere se non verbis, aut dato nomine, sed exhibito opere: quippè cui peculiare est, qualis quisque sit, non modo sine errore, sed omni planè dubitatione amota aperire.

Plin.

Apelles, & Protogenes exhibito opere tacitè se prodiderunt.

At nisi fallor à pictorum pigmentis ad pigmentarij pulueris suauitatem, qua tàm humana, quàm diuina redolent myropolia, facere gradum, neque inutile futurum est, neq; iniucundum. Sanè mores odoribus comparari, & sacrarum, & prophanarum litterarum testimonio clarius est, quàm à me cōfirmari queat *Christi bonus odor sumus* de caris Deo affirmabat gentium Doctor, scribens ad Cor. ep.2. c.2. nu.15. imò ad suauissimos, & omni amore, ac veneratione dignissimos sponsi sui mores aperiendos, eos in sacro amoris Epithalamio sponsa castissima comparauit odori, concinens Cant. primo. *Oleum effusum nomen tuum.* En virtutum omnium flos, quo symbolo exprimatur: tùm sequitur, quod non minùs notandum censeo. *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vides, qualis sit dilectus, talis nempe, vt odoris suauitate trahat, & quodammodò compellat ad se se. Apta sanè similitudo, qua proditur, quanta sit vis diuini amoris ad hominum animos alliciendos. Etenim si panthera, vt memoriæ prodidit Plinius lib. 21. cap.7. circa med. indita sibi à natura suauitate odoris trahit post se animantes reliquos: Quod tàm ferum, ac ferreum pectus non euocet, & alliciat ad se mitissimus Iesus, cuius ingenij suauitas, & amica benignitas non potuit indicari conuenientius, quàm comparatione odoris. Quo loco minimè censeo prætermittendum nobile monumentum habitationis Christi in Aegypto, cuius mentionem facit Card. Baronius tom. 1. Annal. Anno Christi primo Aug. Imp. 42. cap. 21. ex Burcar. in descrep. Terræ Sanctę par. 2. cap. 4. vbi hæc habet: *Inter Heliopolim, & Babyloniam, medio fermè loco est balsami hortus: rigatur hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere, in quo fama est, Beatam Virginem Iesum paruulum pluries lauisse, cum esset in Aegypto propter metum Herodis.* Perpende, obsecro parumper cur exul Iesus lauari voluit fonte, quo balsami rigabatur hortus; cum ceteroqui magistrum se profiteretur vitæ asperioris. Enim vero, si extorris, si egenus, si summa rerum laborat inopia peregrinus Seruator, cur quæso delicias amet odoratissimi fontis? forte vt insinuet, vel inuito Herode, omnia circumquaq; perfusurum suaueolentia eum,

Mores odoribus comparantur.

Cant.1.

Baron.

qui

qui sanctissimo vitæ genere, odorati instar balsami, alliciat omnes, & compellat ad se. Hinc ab Eusebio Emisseno *armatam virtutũ* appellari inuenies, sanctioris vitæ institura, hom. de S. Maximo paulò post initium. Hinc apud Philonem lib. de somnijs leges. *Quemadmodum canes venaticos, aiunt, è longinquo ad feras peruenire, odorem secutos, cuius eximio sensu à natura sunt præditi: eodem modo, à iustitia, ceterisque virtutibus exhalantes suaues auras, amator scientiæ vestigat, vel ipso honestatis odore tamquam sacro nidore se recreans.*

Euseb. Emiss.

Philo.

Qua in re de Ethnicis nihil attinet dicere, cum exploratissimum sit, quod Xenophon in conuiuio protulit à Socrate inuitatus, videlicet olere viros probos oportere honestatem, atque virtutem. Similiter Zeno apud Laertium, vt mollem nescio quem, & effæminatis corruptum moribus illuderet, ac derideret peracutè dixisse perhibetur, *illum mulierem olere*. Quibus in hunc modum expunctis, interrogare libet, quorsum obsecro tàm virtutes, & probi mores, quàm vitia, prauæque affectiones, frequenter adeò odoribus comparantur? Gestit hoc loco animus, vt verum fatear, aperire quid sentiat: Odori conferuntur bonæ prauęque animi affectiones, quia idem plane, quod odori, vitæ nostræ contingit, quæ prodit se se etiam cum maximè vult latere. Odor non tangitur, & sentitur, absconditur, & se se diffundit, fugit oculos, manusque, & tamen illapsu tenuissimo sensim, sine sensu peruadit, vt cum minimè putas benè, vel malè olenti fagrantia sentias te perfusum. Quæ dum commemoro, legisse me recolo apud Plinium lib. 13. cap. 3. In fine de L. Plotio Romano ciue historiam vnicè accomodatam præsenti instituto: A Triũuiris proscriptus Plotius vim fugiẽs equissimi magistratus coniecerat se se in latebram Salernitanam, sed dum abscondere se se nitebatur, prodijt, ac prodidit illum exploratoribus odor omni casia, ac cinamomo redolens, quo de more delibutus, & ad vnguem nitidus, atque vnguentatus fragrabat. Mores odorem emittunt, adeò vt vel nolentem prodant; ideò odoribus comparati sapientissimè. Qua propter mentiò eum S. Paulino epist. 4. ad Seuerum

Plin.

L. Plotij latebre odoribus detectæ,

S. Paulin.

A quò breuiùs, eò aptius lectores commonefaciam. *Operum fragret vnguentum.*

Et quis scit, num ideò Iudæá, & Aegyptum tantum, inter omnes regiones, balsamo odoratissima arbore ditauerit Deus, vt inueret populo olim electo, tam in prosperis, quàm in aduersis notam futuram eam innocentiam, quæ boni instar odoris vndequaque semper diffunditur. certè apud Solinum cap. 48. leges: *Cum Iudæa potiti sumus, ita luci illi propagati sunt, vt iam nobis latissimi colles sudent balsama:* & breuiùs quidem, sed clariùs apud Dioscoridem lib. 1. cap. 18. sic scribẽtem. *Bal-*

Solin.

Dioscorid.

B *samum in Iudæa quadam valle, & Aegypto nascitur.* Perdifficilè profectò dictu est quantopere misereat me tui quicumq; es, qui tanto in errore versaris, vt arbitreris dolis, & captionibus rete abscondere. Dicam clarissimè quid tibi contingat, & si quod profero parumper consideres, dabis fortasse manus. Illud planè tibi euenire videtur, quod de Diogene Philosopho ex vitis Philosophorum recitat Cælius Rhodiginus lib. 13. lect. antiq. cap. 13. in fine. Platonis domum intrauerat Diogenes, cũ ecce tibi quasi furijs actus procalcare cæ-

Cal. Rhod.

Platon.

C pit pedibus fœdum in modum Platonis thoros non vulgari magnificentia exornatos, quamplurimis philosophiæ studiosis, qui eò conuenerant, non sine admiratione spectantibus, & cum interrogaretur quid faceret: respondit, *Calco Platonis fastum*: cui Plato semper sibi similis ingenij acumine plusquã humano respondit extemplo: *Calcas quidem, sed alio fastu.* Quot sunt qui Diogenis imitantur vafritiem, sed exitu non ab simili: nimirum dum fastum animi, aut quamlibet deprauatæ mentis cupiditatem cęlare arbitrantur, faciunt cordatis spectatoribus

Affectiones animi dum celantur aperiuntur.

D manifestiorem eam vim, quam patiuntur ipsi ab insolentibus animi motibus.

Ego sanè si dicere auderem operum testimonium certum adeò esse, vt ex eo securiùs dignosci queat, qualis quisque sit; securiùs inquam, quàm si Deus ipse ferret iudicium statueretque, quid de vno quoque sentiendum esset; reprehẽderer equidem, quasi ementienti superiectione, & plus nimio exagerata comparatione loquens de ea vi, quam, aio, operibus tribuẽdam, ad declarandum quales simus etiam

Ex operibus quam securè dignoscatur qualis quisque sit.

nobis

nobis inuitis. Attamen abstineas quicum-
que es huiusmodi censura, donec reci-
tem ingeniosam dubitationem, quam mo-
Auct. op. imp.
uet auctor operis imperfecti hom. 46. in
Matth. explicans illud epist. ad Romanos
cap. 2. num. 15. & 16. *testimonium red-
dente illis conscientia ipsorum, & inter se
inuicem cogitationibus accusantibus, in
die, cum iudicabit Deus occulta hominum,
secundum Euangelium meum per Iesum
Christum.* Quid hoc audio? ergo testi-
monio indiget, vt sententiam ferat, qui
scrutator cordis, ac renum Deus est? *vt
quid ergo*, loquitur citatus auctor, *expe-
ctat opera, qui conscientias nouit? num-
quid & tu in aliquo negotio testimonia
quaeris, cum tibi res ipsa fuerit manifesta?*
tantae dubitationi paulo post respondet
his verbis. *Et quis scit, quia aut malus
iustè damnatus sit propter malitiam suam
aut bonus propter beneuolentiam suam iu-
ste remuneratus sit, nisi voluntas demon-
stretur in opere? quale est enim illud iudi-
cium iustum, cuius iustitiam nemo cogno-
scet? non ergo Deus quaerit opera propter
se, vt sciat quomodò iudicet, sed propter
alios, vt omnes intelligant, quia iustus est
Deus.* O miram humani ingenij condi-
tionem, cui latius est credere testimonio
operũ, quàm sententiae à Deo latae. O inau-
ditam operum vim ad patefaciendũ qua-
lis quisque sit, quandoquidem Dei iudi-
cium firmat, ac fulcit adeo; vt cuiusque
probitas non à Dei sententia, sed ab ope-
ribus habeatur. In posterum mirabitur
nemo, si dixero mordicus vitam se pro-
dere, vel inuitam.

Coelare velle vitæ rationẽ ridiculũ est.

Detur mihi facultas seriò interpretan-
di quod fortasse per iocum factum fuisse,
accepimus ab Octauio Augusto. Scribit
Suetonius in eius vita cap. 98. paulo post
initium, Augustum die ante obitum,
togas distribuisse, ac pallia, vestimen-
ta nimirum Romanorum, atque Graeco-
rum, lege proposita, vt Romani Grae-
co, Graeci Romano habitu, & sermone
vterentur. Probè scio Augustum lepidè
hoc pacto voluisse iocari; cum nullo ge-
nere hilaritatis abstineret, vt cit. cap. lo-
quitur Suetonius, ad conualescendum
ex grauissimo morbo, cuius impetu, at-
que contumacia, paulo antea prostratus

A fuerat, atque consternatus. Verùm quod-
cumque tandem fuerit consilium Impera-
toris; illud sane in hoc ipso, & loquendi,
& vestiendi vsu promiscuo profitebor me
recognoscere, quod praesenti paradoxo
proponitur. Videlicet neque idiomatis,
neque indumenti mentitam speciem satis
esse, ad abscondendum, qualis quisq. sit.
Sola viuendi ratio seipsam prodit, hãc qui
vel aperire, vel celare quaesitis extrinsecùs
adminiculis putant; risum mouent, non
secus ac, qui Romani cum essent, videri
conabantur Graeci, & Graeci affectabant
mentito habitu haberi Romani. Deriden-
B da plane dementia, & excipiendus sibilis
error eorum, qui non percipiunt: Vitam
seipsam prodere vel inuitam.

Est mihi prae manibus exemplum, ad
confirmandum quod prosequor vnicè ac-
commodatum petitum ex rebus religiosè
gestis à S. Hilarione, quas S. Hieronymus
tradidit posteritati. Saepiùs abdere se se
satagebat, & subducere hominum con-
spectibus, longissimis peregrinationibus,
ne inanis gloriolae titillatione vexaretur
Hilarion; quem tamen Hesychius eius di-
scipulus quaeritare non destitit, nullo fra-

S. Hilarion frustra se abdere satagebat.

C ctus labore, nullis viarum detentus amba-
gibus, licet sine duce lustrans ignota lit-
tora, deserta penetrans inaccessa: *Hanc*,
verba S. Hieronymi post med. vitae S. Hi-
larionis, *hanc habens fiduciam, quia vbi-
cumque esset, diu latere non posset.* Latere
non potest quem mores produnt, neque
abdere se se licet ei, quem virę genus in
propatulo collocat, etiam nolentem. Eris
tu nobis in praesentia testis vxor Ieroboã,
quae cum simulato habitu latere velles, so-
lo tete incessu prodidisti inuita. Cõsulen-
dum moneo cap. 14. lib. 3. Reg. vbi à n. 1.
ad 7. meridiana luce clariùs patet expres-
D sum, quod hoc loco contendimus. Iero-
boam quippe vxori mandat, vt mutato
habitu, & planè personata Abiam in Silo
degentem adeat, atque ab eo, quid de
filij sanitate sperare possit, percontetur;
Sed ecce tibi; *Cum illa intraret*, verba
textus cap. citato à numero 5. & dein-
ceps, *& dissimularet se esse, quae erat, au-
diuit Abias sonitum pedum eius introeun-
tis per ostium, & ait: Ingredere vxor Ie-
roboam: quare aliã te esse simulas?* Sic se

Vxor Ieroboam incessu se prodidit.

3. Reg. 14.

res habet, Incessus ipse, imò sonitus pedū A latere satagentē prodit. Enimuero Tigridū maculas, & chamaleontis varietatem, aut Iani frontem geminam nequicquam induit, qui totus in eo est, vt mores animi, affectionesque recondat cordis affectato quodam colore probitatis, summo studio, atque eximia diligentia. Ipse pedum fragor huiusmodi frangit secretum, & dum cælate nitimur quales simus, frons loquitur, strepunt mores, prædicat vitæ ratio; breuiter corporis habitudo, vestium ornatus, extima hominis species clamant, & exclamant, nobis tacentibus, aduersus clandestinam, & co- B natu irrito subductam ab intuentium oculis nostri cordis conditionem. Subscribet facile Seneca epist. 95. paulo post medium inquiens. *Occursus me hercule, ipse sapientium iuuat, & est aliquid, quod ex magno viro, vel tacente proficias*. Ad percipiendū perspiciendūque, quàm probè quisque viuat, oratione non est opus; occursus ipse satis est ad imbuendum probis moribus animum intuentis.

Videri potest P. Didacus de Baëza tom. 2. comment. moralium in Euangel. hist. lib. 12. cap. 4. §. 5. & tom. 3. lib. 14. C cap. 4. §. 17.

Videndum etiam moneo R. P. Didacum Nissenum serm. in fer. 2. hebdomadę secundæ Quadragesimæ. Assumpt. 2.



IN CAPVT PRIMVM

Num. XVIII. & XIX.

Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem Vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam.

PARADOXVM X.

Iustis aduersitates minimè aduersæ.





IAM frequenter, quàm dilucidè sacrarum Oraculis litterarū monemur, Iustos in hoc sęculo vitā ducere inter angores, & ærumnas: sic Psal. 7. num. 20. *multa tribulationes iustorum*, sic Apoc. 7. num. 14. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna*; & alibi passim: huiusmodi sexcenta apertissima mihi sunt. In præsenti tamen contendo vsque adeò iustos ab angustijs immunes esse, vt ipsis aduersitates minimè aduersæ sint. Erudior exemplo magnæ matris Molitoris Dei, cuius integritate licet nulla vnquam maior, criminis tamen suspicione non caret. Quid tàm acerbum, aut quid tàm accommodatum ad iustum dolorem excitādum contingere poterat Virgini, quàm violati nota pudoris. Dolendum

Psal. Apoc. B. Virginis aduersitates.

dum equidem Augustissimæ cœlorum A Imperatrici pro tanta calamitate censerem, nisi mihi notissima esset innocentium animorum prærogatiua, cum quibus ipso infortunio tàm fortunatè agitur, vt ex ipsa aduersitate nihil omnino aduersi patiantur.

Hæc splendidè ne dicantur an verè, in præsentia examinandum est; offert se mihi locupletissimus testis eloquens non minùs, quàm probus Diuus Cæcilius Cyprianus decernens, quod hic non nemini videtur esse controuersum. *Pœnam de aduersis Mūdi* (verba Cypriani tractatu primo contra Demetrianum non multo post med.) *ille sentit, cui lætitia, & gloria in mundo est. Ille maret, ac deflet, si sibi male sit in sæculo, cui bene non potest esse post sæculum, cuius viuendi fructus omnis hic capitur, cuius hic solatium omne finitur. Cæterum nullus his dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur aduersis, nec frangimur, nec dolemus, nec vlla rerum clade, aùt corporis valetudine mussitamus, spiritu magis, quàm carne viuentes firmitate animi, infirmitatem corporis vincimus.* Apud Ho- C merum Illiados 5. accusat magnanimus Diomedes, imò tamquam in inimicum, & meritò quidem insurgit in eum, qui vt ab illustribus facinoribus Diomedis animum auocaret, timores, & pericula proponebat, indignum animo forti iudicans discriminibus deterreri, quæ inuicto viro, alacri animo subeunda sunt, vtpotè virtutis eximiæ exercitamenta, quæ plurimum cōferre possint splendoris, auferre nihil. Quanto æquius hanc gerent mentem amici Dei, quibus, vt Cyprianus loquitur, *nullus hic dolor est, nec consternantur aduersis*. Christi militem, pudeat D imbecillitatis suæ, si aduersitatibus frangatur, quasi vero ignoret, firmitate animi infirmitatem corporis vinci. Parum certè ab hac sententia discrepauit lyrici chori choripheus Pyndarus, postquam enim asseruerat bona huius vitę calamitatibus permisceri illo antiquo adagio: *Scis quod vnum ad bonum mala bina partiuntur mortalibus immortales*. Statim affert discrimen sapientes inter, & insipientes. *Illi namque accepta bona habent in promptu, quibus molestiarum acerbitatem non leuant modo sed delent. E contra insipientes præsentium malorum angustijs ita conficiuntur, vt omnino deficiant*. Hęc Pindarus ode 3. Pyth. non multo ante finem. Quam felices illas animas nuncupabis, quę cum conceptis expetant votis sedis eternę beatitatem, inter decumanos fluctus aduersantium calamitatū tranquillę quietis malaciam nactę placidè conquiescunt. Age quis quis vexaris, dum rei familiaris facis iacturam, dum B aduersa valetudine vteris, exclames alacer, benè est: Deo iudice, his non indigeo, alię mihi parantur diuitię longe diuturniores: bene est ęternum duratura valetudine quàm primum donabor, vel certè cura diligentius, quandoquidem corpore laboras, animi incolumitatem. Virtutes, hoc est, veras diuitias impensiùs accumules, quibus vtpotè maioribus bonis leuabitur mœrore animus, & vt Sapientem decet, celsitudini mentis tuæ ipsa infortunia famulabuntur.

Liceat, oro, inserere Ducis Hispani celeberrimi dictum, verè memorabile, de C quo mentionem facit Ioannes Boterus libro primo dict. memor. virorū illustrium paulo ante medium. Pugnaturus aduersus fortissimum Ducem Nemorensem Consaluus multo milite, eoque lectissimo castrametatus fuerat prope Cirignolam, nescio quo infortunio, concepto à tormentario puluere igne, Hispani exercitus cōmeatus incendio conflagrauit. Id vbi Consaluo renunciatum fuit, exclamasse dicitur læto animo, & hilari fronte; vicimus, vicimus commilitones; Deus quippe huiusmodi præsagio fore prænunciat, vt neque tormentis bellicis, neque D nouis certaminibus hostem inuadere debeamus. Equidem magnanima potius, quàm vera vox, & ad leuandos militum animos subita calamitate confectos, quam ad grauissimæ cladis acerbitatem deplorandam accommodatior. At negare quis vnquam poterit, quàm veritati consona amicorum Dei vox sit, qui ex præsentibus inimicę calamitatis incommodis, incommodi nihil subeant, & quid quid aduersi contigerit deridere aduersitatem meri-

E 2

Cyprian.

Iustis nil officit aduersi.

Homer.

Aduersitatibus frangi indignum.

Cyprian.

Pynd.

Boterus.

Magnanimitatis exemplum.

A meritò possunt. Fallor? interroga magnum & dicendi vbertate, & imperij maiestate Leonem, qui respondebit homil. 6. de Passione Domini in fine, vbi ait, *Deo propitio nulla nobis nocebit aduersitas. Quoniam si pro nobis Deus, quis contra nos?*

Leo.

Refero iam illustre exemplũ à sacris pe-ritum paginis, & Sancti Pontificis Gregorij auctoritate firmatum. Subactus à Babylonio Tyranno populus Dei, abiectam seruiebat seruitutem, & quod caput est, inter captiuos cenlebatur etiam carum numini caput Ezechiel. Quis non ęgrè ferat, sine delectu pium cum impijs cruciari? Profectò æqualitas ista, B summa inęqualitas est. Qui hęc animo voluit; responsum accipiat ex Gregorio, homil. prima in Ezechielem paulo ante finem dicente. *Agit hac diuina misericordia, vt ex vna, eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea spiritualibus virtutis prastet incrementum.*

Aduersitates Deo propitio non nocent.

Greg.

Quid porrò mens virtute prædita tàm ardenter exoptat, quid tàm vehementer expetit, quàm incrementum virtutis? si igitur talis est votorum summa, quorum compotes fiunt, cum infortunijs vexantur perspicuè satis patet, huiusmodi hominibus infortunium quoque fieri C fortunatum. *Bonis mentibus*, vt eiusdem Sancti Pontificis verbis lib. 14. moral. cap. 23. in fine loquar *& iam ipsa fiunt prospera, qua videntur aduersa.*

Iustis infortunia fortunata.

Greg.

Consule Poetarum augustissimum Principem Homerum, apud quem Iliados 15. inuenies, Idomeneum non alia notauilem, & abiectum ab inuicto secernere, atque magnanimo, nisi tolerantia difficultatum. Hinc similiter Sanctus Basilius homil. in Psalm. 33. aliquanto ante finem, ait. *Qui dixerit quod virum planè iustum tribulatio non deceat, nihil* D *aliud dicit quam Athleta non conuenire aduersarium. Athleta enim minimè certans quas habebit occasiones sibi coronas comparandi?* Quæ ardua sunt, atque laboriosa ferunt non æquo, sed libenti animo viri præstantes, imò maiori solertia arduis obuiam eunt, quàm ignaui refugiant. Veriùs sine dubio prædicabo, Pium ab impio secernit aduersitas. Hanc ille, vtpote cotem virtutis non refugit, aut perhorrescit, sed amplectitur peramanter, vsque adeò nequaquam aduersæ, sed maximè secundæ existimandæ sunt aduersitates.

Homer.

Ex aduersitatibus fortitudo.

Basil.

A[...] sitas pium [...] ernit ab impio.

Verum non aliunde sumenda sunt pro re proposita argumenta, quàm ex ipsa Sanctissima Virgine. Quærat enim non nemo, cur amantissimus Dominus Matrem suam electam ex millibus in has redegerit angustias, vt ipsemet integerrimus sponsus, de ipsius innocentia dubitaret? Cur homini ad suspicionem tàm prono matrimonio iungitur, quæ Virgo erat paritura? Faciet satis interrogationi Sanctus Bernardus inquiens: *Necessario desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc à Sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundia parcitur, quàm fama prouidetur. Tali consilio secretis cælestibus, & admittitur testis, & excluditur hostis.* Ita homil. 2. super missus est post medium; Itaque quid incommodi, vel detrimenti Virginum præstantissima capiat à suspicione sponsi non video. Imò penè exclamare compellor: ò sospitatricem, seruatricemque suspicionem, probate scilicet suffragium integritatis, quo simul omnis intercluditur temeritati aditus, & aperitur latissimus veræ, exploratæque cum Maternitate Virginitatis commendationi. Quod quia verissimum est tacebo lubens, nec plura in hanc sententiam congeram, dummodo loquatur Ioannes Chrysostomus, qui hoc idem examinans homil. 3. in cap. 1. Matth. paulò post initium, ait; *Et quidnam hoc est mirabile, inquies? vt scilicet & saluaretur Virgo, & suspicio pelleretur? si enim ab initio Iudæi ista audissent* (videlicet Mariam esse Matrem simul, & Virginem) *lapidassent Virginem indignè propter eam famam tractantes, & adulterij illam crimine condemnassent.* Putabis sæpe numero de tui existimatione nominis actum, sed si Deo seruis, tunc maximè tuo consulet honori rerum arbiter sapientissimus. Ab exemplo Virginis apertissimo cape leuamen mœroris, & afflictæ menti solatium præbe. Hoc sine dubio erat Mariæ in votis, & cum ei cedant omnia ex animi sententia, felix, faustum, fortunatumq; dicamus infortunium.

Bern.

B. Virginis aduersitas gloriosa.

Chrys.

Fabulo-

Fabulosum sine dubio, atque fictitium est, quod de Minerua canebat antiquitas, cui nulla aduersitas erat aduersa, calamitosa nulla calamitas. Etenim, vt Aristides Hymn. in Mineru. & Homer. 2. Iliad. scuto tegebatur immortali fuso auro, quod non modo Martis furores infringere, sed ne trisulca quidem summi Iouis fulmina possent peruadere. Præclara profecto sanctarum animarum, & potissimum Virginis maxime prærogatiua, cui longe meliùs consultum ex Diuinæ veritatis oraculo, quàm mendax antiquitas nouerit comminisci. Præclare regius Vates Psal.90. num. 5. canebat: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.* Vsque adeò omnem refellet ictum Diuinæ clypeus veritatis, vt contorta aduersitatum tela futura sint nocturni timoris, hoc est terriculamenta inania, & quæ sapiens minimè debeat pertimescere. Etenim nocturnis timoribus vexantur hebetes, cum inanimes offendunt arbores, vel inanes occurrunt vmbræ, quæ effœminatos, ac puериles animos concutere possunt nocere nullo pacto possunt. Eo plane modo, quo Belgis siue, vt alij loquuntur Sequanis contigisse Gallici restantur Annales. Isti cum nocte quadam sublustri lunæ lumine corruscante vidissent arundinetum vento agitatum, putauerunt exercitum esse Ludouici Vndecimi Christianissimi Regis, qui ex insidijs ipsos trucidare vellet. Vix Principis syderum serenissima illuxit facies, cùm deprehensa inanis terroris dementia, qui paulo ante, metu consternati omnem euadendi abiecerant spem, se se à risu cohibere non poterant. Quod quidem quàm frequenter accidat, non dicam, dummodo loquatur Seneca, qui felicius sine dubio id declarabit scribens epist. 105. post medium, his verbis. *Multa per noctem habita terrori, dies vertit in risum.*

Terribilis visu formæ, lethumq; laborq;
Egregiè Virgilius noster non re dixit terribiles esse, sed visu, idest videri, non esse. Quid, inquam, in his est tam formidabile, quā fama vulgauit. Hucusq; Seneca: fortasse nō potuit in re præsenti aptiùs dici.

Verum liceat, his ommisis, à florum regina, ad Reginam Cœlorum hanc commendationis partem traducere exemplo nostræ hebetudini potius, quàm eius, de qua loquimur amplitudini, accommodato ex illo apud Ecclesiast. elogio c. 24. num. 18. *Quasi plantatio rosæ in Iericho,* Beatissima Virgo communi fidelium consensu exornatur. Fortasse, vt intelligamus, Mariam roseti instar, irrumpentium aduersitatum turbine perflante, leui quasi flabello ventilari, vt longè latèq; spiret suauiùs, non autem vt truci, quasi flagello diuerberata conculcetur, atque prosternatur. Vel certè *plantatio rosæ* exprimit adamussim, quod in hac re censeo sentiendum. Rosa florum regina, ita spinarum satellitio cingitur, vt defendatur non laceretur. Crediderim, rosæ comparari Dei Genitricem, quia inimicarum calamitatum aculeis non confoditur, sed potiùs cingitur, ac fouetur. Quęso iam, num à veritate abhorreat, eam esse sanctissimæ Matris conditionem, vt nihil ex ipsa aduersitate aduersi patiatur? Quod non modo alienum à veritate, sed rationi maxime consonum demonstrabit Eusebius Emissenus, cuius homil. de Epiphan. Domini circa med. illud effatum est. *Qualibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur, ac vincitur, sicut in planis littoribus sine aliquo fragore vnda consumitur. Aurarum motus, ferociamque ventorum, montium obiecta suscipiunt; vallium verò subiecta non sentiunt.* Igitur Eusebij auctoritate, talem, tantamque iustorum prærogatiuam, vt nihil incommodi ex calamitatibus sentiant Beatissimæ Virgini, qui deneget, eam, is neque demissionis exemplar, neque humilitate concepisse affirmare velit necesse est. Nos interea, nequo insanientium turbinum frangamur impetu in morem plani littoris, demissione conspicui, Deo subiaceamus. Equidem, vt asseram, nihil aduersi, ex aduersitate iustis contingere, suadet eloquentissimus S. Cyprianus serm. 4. de moralitate paulo ante med. Vbi pluribus conglobatis exemplis, quorum singula, quod illustro, satis superque comprobarent, luculenter confirmat. *Arbor*, loquitur Cyprianus, *quæ alta radice fundata est ventis incumbentibus non mouetur, & nauis, quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus,*

Margin notes: Arist. — Psalm.90. — Terror inanis militum. — Seneca. — Eccles.24. B. Virgo roseti instar. — B. Virg. cur rosa. — Emissen. — S. Cyprian.

nec foratur. Et quando area fruges terit, ventos grana fortia, & robusta contemnunt, inanes palea flatu portante rapiuntur. Quæ similitudines eò magis arrident, quia depromptæ sunt è fontibus sacrarum litterarum. Arboris quidem ex Psalmo 1. num. 4. Nauis Prouerb. 31. num. 14. frugum denique. Lucæ 10. num. 2. Equidem certam veluti notam designaturus Christi Seruatoris. S. Gregorius Nazianzenus in Christo patiente non multo ante finem cecinit.

Greg. Nazian.

Ipse vt audio, hominibus
Hunc vim dare illam, qua mala premat
(omnia.

B

Iustis aduersitas prospera.

Igitur nec nouum, nec inauditum videri debet, si dicamus iustorum esse, ex aduersitate nihil aduersi pati. Explicauerat Origenes hom. 1. in Genesim, quid sibi velit, quod dicitur de creatione cetorũ, & repentium his verbis: *In magnis istis cetis impias cogitationes, & nefarios quosque contra Deum sensus arbitror indicari.* Verum paulo post obijcit sibi, inquiens: *Sed requiret, aliquis, quomodo ceti magni, & repentia in malo accipiantur, cum de omnibus simul dictum est; Et vidit Deus, quia bona sunt? Ipsis sanctis bona sunt ea, quæ illis aduersantur. Quia vincere ea possunt, & cum ea vicerint, maioris gloria efficiuntur apud Deum.* Hæc Origenes hom. cit. paulo post med. cui lubet adiungere Magni Gregorij auctoritatem cap. 6. lib. 8. moral paulo ante med. examinantis loquendi modum, quo S. Iob vtitur dũ inquit cap. 7. num. 4. *Expectabo vesperam. Nequaquam* (verba S. Gregorij) *formidabo vesperam dicitur, sed expectabo. Expectamus etenim prospera, formidamus aduersa. Vir igitur sanctus vesperam expectat, quia cum exerceri hunc tribulatione necesse est, ipsa ei fit aduersitas prospera.* Themistocles Athenis primum, tum ex Græcia quoque pulsus, cum se se ad Persarum Regem recepisset multis, magnifique muneribus a Rege munificentissimo locupletatus, suos alloquens exclamauit. *O pueri, perditi eramus, nisi perijssemus,* vt testatur Plutarcus in apoph. Reg. & Imp. circa med. Non est absimilis, me iudice, sors iustorum, quibus sæpe sępius contingit, vt aduersitatibus excitati promptiores ad Deũ confugiant. Oseæ 6. n. 1. Summus ipse totius vniuersitatis Princeps ac Dominus, sic fatur. *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Si aduersitas vrgeat, nulla interposita mora, ad Deũm confugiunt, à quo bonis omnibus ditati exclamare coguntur: perieramus, nisi perijssemus. Enimuero exoptanda calamitas tantarum parens felicitatum; imo felicissima infelicitas seruorum Dei. Videbor hoc loco eruditis à Seneca sententiam suffuratus; etenim lib. 1. de vita Beata cap. 16. circa med. ait: *In virtute posita est vera felicitas;* Et mox enumerat ea, quæ à virtute emanant, quæ, vt ipse loquitur, sunt ingentia, & æqua diuinis: *Nihil cogeris nullo indigebis, libereris tutus, indemnis, omnia tibi ex sententia cedent, nihil aduersum accidet, nihil contra opinionem, ac voluntatem.* Simile, quid præ oculis habuisse crediderim Solonem, apud Laertium in vita Philosophorum lib 1. circa med. dicentem: *Virtutem, atque probitatem iuramento fideliorem, cense. Nullum quippe discrimen est, in quo virtutis præsidium deficere queat.* Destitueris sæpe numero amicorum auxilio, eorum etiam, qui se se iure iurando obstrinxerunt. A virtute autem numquam. Id quod eleganter, æque, ac vere de tribus pueris Babylonico incẽdio ad posterorum admirationem erectis dixit Basilius, traduci non inepte poterit ad præsens argumentum, sic enim homil. 1. de laudibus Ieiunij circa medium ait. *Est lapis quidam eius naturæ, quem hinc Amianton Græci vocant, vt inquinari non possit. Hic ab igne non vincitur, sed impositus igni videtur ignescere, & in prunam verti, rursum exemptus igne perinde quasi fuisset aqua candidatus apparet purior. Huiusmodi erant trium illorum Puerorum corpora apud Babylonios.* Liceat dicere huiusmodi esse amicos Dei, quibus imminẽtium, imo inuadentium aduersitatum ignis tantum abest, vt noceat, vt potius conferat.

Orig.

S. Gregor.

Themistocli exilium fortunatum.

A

Osea 6.

Seneca.

Sola in virtute felicitas.

Solonem.

C

S. Basilius.

Lapidis Amianton natura.

Pueri in Babylonico igne innoxij.

D

Quod quidẽ, & scitè Dei peculiarẽ adinuentionẽ appellat, atque ad sydera extollit Isaias c. 12. per totũ, vbi se profitetur enarraturũ omnibus diebus vitæ suæ, fassurumque magnam miserationum Diuinarum multitudinem, quoniam iratum Deum expertus fuerat. Vt hinc pareat

non

non modo non esse erumnosas irato Deo inflictas ærumnas, sed maximè fecundas, atque exoptandas, vt pote argumentum non querimoniarum, sed laudum, gratiarum actionis, non luctus. Experimento suo se id didicisse testatur, carum Deo caput Ioannes: scribit enim Apocalipsis c. 4. & 5. fuisse se timore perculsum terrifici horrore spectaculi, cum præ oculis luctuo, sum, ac triste prodigium habuit leonem, scilicet egdem spirantem naribus, ignem ore vomentem, omnia circumquaque terrore complentem, ac luctu. Cum ecce ti bi terrifici spectrum leonis euanuit, & Agnus statim visus est: agnosce Dei morem, cui solemne est se se præbere sæpe numero leonem, cum videtur ira percitus varijs suos vexare calamitatibus. Tu tamen ne cede malis, namque dicto citius, qui minabundus videbatur leo, mutabitur in Agnum. Si qui forte supra fidem arbitratur, quę dicuntur, reuoceris in memoriam, quod Plinius lib. 2. cap. 103. scribit circa medium de Iouis Ammonis fonte, qui sicuti interdiu frigidus, & ad sitim leuandam sentitur iucundissimus, ita noctibus ferueт, & siti ęstuantibus maximè noxius, & ingratus est; imò ibidem describitur Trogloditis fons solis appellatus dulcis, & circa meridiem maximè frigidus, mox paulatim tepescens ad noctis mediam feruore, & amaritudine infestatur. Aduersitatum concurrentium ubertas, quæ ab hac vita tàm perenni manant cursu, fontem non immeritò dices, & quidem non Iouis, aut Solis, sed summi Dei, qui & dicitur & est luminum pater, cuius iussu abeunt, veniunt aduersa. *Nullum* quippè *malum est, quod non fecerit Dominus*, vt dicitur Amos 3. nu. 6. Examina discrimen, vna eademque aqua tribulationū (aquis etenim tribulationes exprimuntur) vnde Cant. 8. nu. 7. *Aquæ multæ nō potuerunt extinguere charitatem* ijs qui coecæ noctis caligine inter scelerū tenebras obuoluti cœlestis gratię orbati luce viuunt, amara est, & minime apta ad restinguendā sitim. Eadem meridiana supremę gratiæ luce si frueris per dulcis est, & perfrigida; Bias Prianæus, vt Diogenes Laertius lib. 1. de Vita Philosophorum in eius vita paulò post med. infelicem ducebat eum, qui ferre nequiret infelicitatem:

Iustis leones mutantur in Agnos.

Plin. Iouis Ammonis fons.

Fons solis.

Aduersitates similes Aquis. Cant. 8.

Diog. Laer. Infelices qui

A quanto ęquiùs felicissimum affirmabimus eum, qui non modo ferre possit, sed in ipsa infelicitate felix esse queat. Mirum est quod lego apud Plinium lib. 28. cap. 3. initio. Quorumdam hominū corpora fuisse terrori serpentibus. Tales fuisse dicuntur Psylli, Marsique, & qui Ophiogenes vocantur in Insula Cypro; ex qua familia legatus Exegon Nomine à Consulibus Romæ in dolium serpentium coniectus experimenti causa, circum mulcentibus linguis, miraculum præbuit. Et dubitabis inter aspides aduersitatum, & in-

B ter vipereos calamitatū morsus nihil aduersi te perpessurum. Sed si splendidiùs hæc dicuntur, quam veriùs, certe Darius, vt Danielis 6. testabitur, amicum Dei etiā post septem dies incolumen viuere famelicos inter leones. Quò etiam spectare visus est Dauid Psal. 90. num. 13. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*.

Iam amice lector feras velim sententiā num meritò dictum initio fuerit, Iustis aduersitates minime aduersas, perpendens potissimum illud Senecæ epist. 66. circa medium scribentis. *Hoc nobis persuadere*

C *conaris, nihil interesse, vtrum aliquis in gaudio sit, an in eculeo iaceat, & torto-rem suum lasset. Poteram respondere, quod Epicurus ait, sapientē, si Phalaridis tauro peruratur exclamaturum dulce est, & ad me nihil pertinet*. Præterquā quod ex eiusdem Senecæ sententia nullū habet momentū vexatio, & dolor, & quid quid aliud incommodi est; virtute enim obruitur, nec magis vllā portionem habent incōmoda cum in virtutem inciderint, quā in mari nimbus. Referrem quod de Pythagora Iamblicus, in vita c. 2. scribit, quem in omnibus habuisse asserit serenā quan-

D dam, & immutabilem tranquillitatem, adeo vt neque risu, neque ira, nec vlla animi perturbatione iactaretur: referrem quod de Socrate notū omnes, quē in triuijs illudebāt Copreę, quē in Theatro deridebat Aristophanes, in quem Xantippe domestica furia nouas excitabat quotidie turbas: Socratē inquā quē ab ęquabilitate animi minime deijcere potuerunt, & quod magis mirere, ipsa Xātippe cæteroqui tàm infesta, vt Aelianus memorat lib. 9. c. 7. dicebat etiā mille perturbationibus rem-

Plin.

Exegon inter serpentes illesus.

Seneca.

Pythagoras in omnibus tranquillus.

Aelian. Sapientis animus quies.

Seneca.

pub.

prob. obruentibus Socratem tamen eodem A semper vultu videri. O animum humano maiorē. Nimirum diceret Seneca ep. 59. *talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam, semper illic serenum est*; Hæc inquam referrem, nisi recolens pudore suffunderer: & fieri poterit, vt Dei amantes incorruptæ innocentiæ, veræque sectatores virtutis leuissimis aduersæ calamitatis motibus perturbentur: Inanis in morem nimbi, credite, euanescit aduersitas, si ei occurreret munimento virtutis.

Valetudinis recuperatæ iocosum exemplum.

Mirum dictu est, & auditu, quantum animo complector haud iniucundum, quod de Paleologo Imperatore scribit B Egnatius in eius vita. Decumbebat graui morbo correptus Imperator, & parum

Egnatius.

spei conualescendi reliquerat vis morbi, contra quam inania prorsùs, & nullius omninò fructus fuerant physicæ artis tentamenta, ac medicamenta. Accidit fortè, vt muliercula nescio quę Imperatrici suggereret non alia ratione decumbentem Principem sanitatem recuperaturum, quā vi natiui caloris torpescētis excitata, atq; exsuscitata cuius beneficio crassus humor, quo correpta languebāt mēbra cōsumeretur. Id porrò facillimè fieret aiebat si Im- C perator iracundia inflammaretur. Placuit consiliū, cuius gratia fuit imperatum famulis, vt omnes industriæ neruos adhiberent, vt Paleologus furore succenderetur. Dictum factum: acciti famuli, vel vocē imperantis dedita opera cōtemnunt, vel per iocum exhibibilant quid quid imperatur. Obstupescit primo ęgrotus Princeps, tùm animaduertens eo vsque Aulicorum insolentiam processisse, vt si fortè aquam peteret, cartam porrigerent, si aduocaret cœnam, præberēt baculum, & alijs huiusmodi iocis scurrilibus sexcentis deriderēt eum, quem summa veneratione prosequi D debuissent. Propterea quanto furore percitus fuerit Paleologus, & quibus minis, ac maledictis eorum, qui ministrabant fuerit insectatus perfrictę frontis temeritatem, faciliùs potest quispiam mente, quàm ego oratione complecti. Mihi sanè legenti hac ratione morbi superata pertinacia benè valuisse Paleologū egisseq; gratias ijs, à quibus amica fraude fuerat vexatus, satis erit afferere id planè contingere iustis, quibus minimè sanè aduersæ sunt censendæ aduersitates, si ijs, & animi morbi curentur, & bona valetudine vtantur: addo auream S. Cypriani sententiam ad meum animi sensum hoc loco aperiendum vnicè factam. *Vociferetur*, verba Cypriani serm. 5. de lapsis aliquanto ante med. *& clamet licet, & conqueratur ager impatiens per dolorem, gratias aget post modum, cum senserit sanitatem*. En quid accidat amicis Dei, vociferari quandoquidem coguntur, & conqueri, quemadmodum de Costantinopolitano Imperatore dicebamus, cum angustijs arctantur, & premuntur aduersis; si tamen aduersa sunt, quæ afferunt sanitatem.

Cyprian.


Imò nihil tàm prosperum, atque secundum contingere posse iusto affirmare non dubitabo, ipsa aduersitate. Hoc vtique probat allata à B. Petro Damiani similitudo lib. 2. epist. ep. 11. ad Desiderium S. R. E. Cardinalem data, vbi circa med. scribit in hunc modum: *Rosa purpurea rutilātior videtur esse vermiculo, sed quia nullam fert laboris iniuriam, inter quisquiliarum stipulas deputatur*. Audis deputandum esse inter viles abiectasq; quisquilias, qui nullam ferat laboris iniuriam. Sola in pretio est tolerantia laboris, sola iniuriarum patientia decus affert, & præsidium, vt hinc percipiamus neque laborem laboriosum, neque iniuriosam iniuriam, neque aduersam esse aduersitatem. Molles, delicatulos, qui summo studio vitare nituntur aduersa, rosas si dixeris rem acu tetigisti, quia rosarum instar nitoris amantes, ac studiosi deliciarum, cum nullam ferant laboris iniuriam, inter quisquiliarum stipulas deputantur.

Petrus Dam.

Tolerantia laboris preti...

Videatur P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. ad c. 1. ver. 12. Adnot. morali vnica. Nec non P. Didacus de Baeza tom. 2. Euang. hist. lib. 9. cap. 3. §. 5. eodem tomo lib. 11. c. 5. §. 11. & tom. 3 lib. 14. cap. 15. §. 7. eodem lib. cap. 21. §. 4. & lib. sequenti cap. 12. §. 5.

Videatur etiam R. P. Didacus Nissenus serm. in Sabbato 1. Quadras. Assumpto 5.



IN

IN CAPVT PRIMVM à Num. XIX. ad XX.

Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini.

PARADOXVM XI.

Imbellis Virginitas inuicta Propugnatrix.



EARVM, qui se obijciunt difficultatum nexus & faciunt, & indicant animi fortitudinem si S. Bernardo Epistola 256. ad Eugenium Papã paulò post initium his verbis scribẽti credimus: *Non est fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Similiter apud Poëtarum antesignanũ Homerum Iliados lib. 15. difficilia, atque ardua sunt, quæ tradunt Idomeneo, certam regulam, fortem ab abiecto dignoscendi. Quæ cum ita se habeant, mihi facilè persuadeo, non sine diuino contigisse consilio; vt S. Ioseph de Beatissimæ Virginis integritate anxius dubitaret. Nimirum violatę suspicio Virginitatis, imò inita consilia dimittendæ vxoris, discriminum omnium, quæ se se Mariæ obijcere poterant maximum æquo vel potiùs inuicto animo superari debebat à Virgine, vt eius exemplo luce pateret clarius, cõtra aduersa omnia firmissimum, at tutissimum esse propugnaculum Virginitatem. Quippè quæ licet in debiliore sexu videatur imbellis; inuicta tamen est propugnatrix.

Bernard.

Ex aduersis fortitudo.

Homer.

Consule caput 7. lib. 3 Reg. vbi sapientissimè hoc est, vt decebat Salomonem, inuenies expressum emblema, quod si fortè depinxeris, declarabis ad vnguẽ, quod dicimus. Habetur enim num. 15. citati

3. Reg. 7.

A capitis, *Et finxit duas columnas æreas.* In ære duro fortitudinem recognoscis, progredior vlterius ad partes huiusmodi columnarum attentiùs considerandas, de quibus nu. 19. scribitur. *capitella autem, quæ erunt super capita columnarum quasi opere lilij fabricata.* Vlterius animaduerto nomina fuisse columnis imposita, quod nequaquam commune, sed peculiare esse negabit nemo. Legitur autem num. 21. & num. 22. *& statuit duas columnas in porticu templi, cumque statuisset columnã dexteram vocauit eam nomine Iachin: similiter erexit columnam secun-*

Virginitas fortis.

B *dam, & vocauit nomen eius Booz.* Quæ nomina fortitudinẽ significare nemo tàm rudis est sacrarum litterarum, qui non teneat; iam si meminerimus, lilijs adumbrari virgineam integritatem, qui sit meus animi sensus prænoscitur à lectoribus antequam palam à me proferatur, videlicet Salomonis iudicio ærea fortitudo est candor integritatis. Neque Virgineum lilium stare potest, nisi æreo fulcimento. Ab his minimè diuersa sensisse S. Gregorium, semper existimaui, cũ apud eundem lib. 12. moralium cap. 21. initio legam. *Nil simplici corde felicius quia, quo innocentiã erga alios*

Greg.

C *exhibet, nihil est, quod pati ab alijs formidet. Habet enim quasi arcẽ quandam fortitudinis, simplicitatem suã.*

Thronus Salomonis ex Ebore.

Quoniam Salomonis incidit mentio accommodatè satis me allaturum in medium, in animum induco meum, quod de throno Salomonis explicat B. Petrus Damiani in illud lib. 3. Reg. cap. 10. nu. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem;* Quo loco interrogat citatus Petrus Damiani, quid est, quod aurum, & argentum, & lapides pretiosi, & omnis denique pretiosioris materiæ prętermitti-

3. Reg 10.

D tur gloria? Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis, & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur. Nodum soluit idem Sanctus his verbis. *Ebur, & mirabili candore relucet, & multa præeminet fortitudine.* Ita Damianus serm. 44. qui est primus in Natiuitate B. Virginis circa med. ne procedas vlterius, nisi prius diligenter attendas, præcipuam laudem Genitricis Dei desumi ex coniunctione fortitudinis, & candoris. Virginem porrò huiusmodi throno significari

B. Pet. Dam. In ebore candor, & fortitudo.

Thronus Dei B. Virgo.

ficari, certius est, quàm à me probari queat. Profectò thronus Dei dicitur Virgo ab Vgone in illud Eccles. 24. Thronus dicitur à S. Bernardo in illud Ezechielis primo tom. 1. serm. 51. vt alios interea omittam: Iam dicamus in hunc modum. Ebur diuinæ iudicio sapientiæ præponitur auro, & lapidibus pretiosis, quia exprimit clarius, & accommodatius repræsentat conditionem Virginis, cuius ea commendatio singularis est, vt eò quòd integerrima, fortissima sit eboris in morem, cuius candor cum fortitudine coniunctus eximium Virginis satis appositè exprimit simulacrum. Quibus ita constitutis, reor esse perspicuum, debuisse Virginem maximam tàm aduersa suspicione vexari, vt eius periculum faceret fortitudinis, quę propria est Virginitatis. Hæc autem quā munita sit, atque hostiles inter impetus tuta, declarabitur facilè exposito percelebri Marcelli facto à S. Augustino lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 6. circa med. memorato, cui si fortè non nihil de meo addere licuerit, rem acu tetigisse videbor non nemini. M. Marcellus Syracusarum celeberrimæ quondam vrbis expugnator inuictus miram gessisse dicitur curam virginitatis, etiā inter hostes seruādę. Etenim antequam oppidum victor inuaderet lege lata constituit, ne quis vllam violare auderet. Miratur loco citato Augustinus, tùm quia tantus honor habitus fuerit Virginitati, tùm etiam quia in omni antiquitatis memoria, nullum legamus delectum fuisse fanum Deorum, quod à militari cæde esset immune, cur igitur hostes spe concepta populationis, & victoria penè præsenti elati, imperatorio edicto, parcant potius virginibus, quàm templis? Crediderim, si fas sit aperire quod sentio, æquum fuisse, vt præ templis virgines a cæde, à sanguine, à laniena martialis furoris exciperentur, vt etiam ab Ethnicis, rudibus scilicet pietatis testibus indicaretur, totius nullum, ne ipsa quidem Numinum delubra, hoc est terrestria diuinitatis domicilia, excogitari posse propugnaculum, quàm Virginitatis. Sanè ad Principiam Virginem, explanationem Psalm. 44. scribens Hieronymus epist. 140. aliquanto post init. Virginitatem scribit, & describit armatā, dum ait:

B. Virgo cur dicatur similis ebori.

August.

M. Marcelli egregium facinus.

Virginitati habitus honor ab hoste.

Psal. 44.

Hieron.

A *Acingere gladio tuo super femur tuum potentissimè, specie tua, & pulchritudine tua. In Hebræo, accingere gladio tuo super femur tuum fortissimè gloria tua, & decore tuo. Istum arbitror te locum optimè intelligere, & accinctam Christi gladio militare. Vt autem scias, semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates: gentilis quoque error Deas Virgines finxit armatas.* Vsq; adeò suaptè natura virginitas est armis instructa, & ad propulsādā, & ad inferēdam hosti iniuriā paratissima.

Virginitas armata.

B Mirum est quod ex Lactantio refert Pierius Valerianus lib. 42. Hieroglyphicorum ipso initio, cum Lacedemonij bello cum Messenijs congressi, hostium impetum sustinere non possent, etiam ab acie pedetentim recederent inglorij, mox fuga sibi consulturi turpissime: cum id mulieres Lacedemoniæ deprehendissent, arma arripuerunt incredibili magnanimitate, factoque in hostes impetu, quis crederet? non modo lapsam Lacedemoniorum aciem fulcire, ac restituere, verum & Messenios fugare valuerunt. Quod cum ita sit nemo miretur in posterum, si legerit C in nostris hisce monumentis Virgines, ceteroqui imbelles, virtute bellica præstare plurimum, & ipsis bellatoribus antecellere. Præsertim cum id ego percipiam è Cantico Canticorum, vbi cap. 3. lectulus Salomonis describitur fortium præsidio circumuallatus, & lectissimorū manu militum circumseptus. Quo veluti ingenioso emblemate repręsentatur quidem pacificus Salomon Christus Dominus. *Ecce lectulus Salomonis*, vt verbis vtar Hieronymi loco mox citato paulò post. *sexaginta potētes in circuitu eius, de potentibus Israel, omnes tenentes gladios, docti ad bellum. D Vir, & gladius eius super femur eius, gloria ergo, & decore suo, siue specie, & pulchritudine diuinitatis sua, carnis operam mortificans, & natus ex Virgine futuris Virginibus virginitatis Princeps fuit.* Obseruo ex auctoritate S. Hieronymi, tunc se Principem Virginum exhibere Natum Deo, cū militaribus vndequaque instructus præsidijs, armatus conspicitur. Recognoscite, oro vos, Virgines in vestro Principe, qualis vos esse deceat. Nimirum semper instructos armis, semper inuictos,

Mulieres Lacedemonum bellatrices.

Virgines bellatoribus antecellunt.

Hieron.

ctos, semper ad inimicas vires retundendas, ac retardandas paratissimos. Et negabimus inuictam esse propugnatricem imbellem Virginitatem? Quinimò, quia nó æquis prosequimur passibus promeritum Virginitatis, dicamus insuper tantam Virginum esse fortitudinem, vt ne igne quidem, quo nil voracius, aut rabido leonum dente, quo nil validius, expugnari queant. Auctorem habeo D. Ioannem Damascenum lib. 4. Orthodoxæ fidei c. 25. post med. dicentem. *Quid tres pueri? nonne cum Virginitatem coluissent, ignis ardorem superarunt; id videlicet per Virginitatem adepti, vt eorum corpora, igne confici minimè possent? Nam quid de Daniele dicam cuius corpus Virginitate ita obduratum est, vt ferarum dentes ei figi nequiuerint*. Vt interea omittam dilectum Deo discipulum Ioannem Euangelistam in dolium feruentis olei Domitiani iussu immissum, ab eo exiuisse vegetiorem, vt sileam Cæciliam flammis balnearibus, in quas iniectam fuisse notum est, non modò non fuisse absumptam, sed ne guttam quidem expressisse sudoris; vt Luciam, & Agnetem tacitus prætermittam, populatore incendio nihil detrimenti fuisse perpessas. Quid plura? tacebo etiam Virgines nudis pedibus ambulantes super prunas, quemadmodum leges apud Alexandrum ab Alexandro lib. 6. cap. 2. non multo ante finem, quod ex Strabone lib. 12. accepit. Quasi Virginei membra corporis, flamma vorax contingere perhorresceret, si Eusebij Emisseni sequamur sententiam hom. 3. de Epiph. circa finem dicentis: *Intacta ignibus corpora, quia non sunt onerata peccatis. In illos enim sanis æstibus non licebit, quos ante libidinum flamma non attigit*. O nusquam penetrabile, ò plusquam adamantinum propugnaculum Virginitatis. Quæ obsecro fortitudo præstantior, quod robur firmius eo, cui non belluina rabies, cui non vis ignea quidquam potest afferre detrimẽti; neque verò nouũ videri debebit, aut inauditũ viro mediocriter erudito, si in præsentia asserimus, fortitudinẽ, & vim virili potiorem, propriã esse Virginitatis: Quicumque abnuis, adeas Alexandrum ab Alexandro lib. 2. genialium dierum c. 24. non multo ante finem, vbi leges circa

Damasc. Virginitas in igne illæsa.

Virgini leones non nocent.

Virginitati quanta exhibita reuerentia. Alex. ab Alex.

Emissen.

Alex. ab Alex.

A med. *Meatim gens est, Laxamatas vocant apud quos Virgo nisi qua hostem confecisset, nuptui dabatur nulli, & ex Carmanis vxorem ducebat nemo, nisi, qui hostis caput ad Regem detulisset*. Mille alij pro arbitratu probẽt experimentis Virginitatem. Illa digna viro censeatur in posterum Virgo, cui virile robur, & martiale prctus inesse hostili cæde comprobetur. Hinc crediderim apud Aegyptios vetitum fuisse teneris Virginibus calceis vti, vt apud cit. Auctorem leges lib. 5. genialium dierum cap. 18. paulò post med. Hinc spartanæ Virgines, vt idem scribit lib. 2. c. 25.
B aliquanto ante finem in Discorum iactu, cursibus, & palestra exercebantur. Quod, & à Platone probatum fuit, & insuper præscriptum, assuescerent luctari cum viris, iisque lacertosis, & validis, eoque pacto patientes laborum fierent, & ardua quæq; subire possent pugnaci animo. Imò lib. 5. mox laudati auctoris cap. 8. post medium comperies, apud Nasamones certamen à Virginibus edi consueuisse quot annis ad Paludem Tritonidis, non cursu sed pugnis, & fustibus concurrentibus, & compugnantibus Virginibus, ex quibus, si qua ictu concidisset falsa censebatur Virgo;
C victrix verò armata vectabatur curru triumphantis in morem. Vsque adeò firmum, & inexpugnabile robur peculiare, ornamentum est Virginitatis: O præclarum triumphum semper inuictæ integritatis, cum fieri nequeat, vt quæ Virgo est, cadat certamine, & dubitabimus num consonet veritati, inexpugnabilem censeri debere Virginitatem?

Verũ missa fiãt ista, cum sit in promptu eloquẽtissimi, ac Sanctissimi Io. Chrysost. auctoritas, cuius sententia, sẽper pugnax, vbique victrix Virginitas est: de qua to. 5.
D hom. 9. de Pœnitentia circa medium, ait. *Piuge mihi sermonem Virginitatis. Specimen, atque rei magnitudinem disce, quod bellum habet quotidie, nullatenus sedandum ipso Barbarico bello deterius*. Consonat cum eo, quod libro 3. de Sacerdotio paulò ante finem, vbi ad grauissima, & geminata certamina victricem descendere Virginem docuerat. Scitu dignum reor, & maximè ad rem præsentem accommodatum, quod S. Hieronymus lib. primo aduersus Iouinianum, aliquanto ante finẽ scribit

Virgines, quas lege uxorem nuptui apud Laxamatas.

Virginũ apud varios populos exercitationes.

Chrys.

Virginitas bellatrix.

Hieron. scribit his verbis: *Certè Romanus populus quãto honore Virgines semper habuerit hinc apparet; quòd Consules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de superatis* Virginitati exhibita reuerentia ab Imperatoribus. *gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus sit.* Bellicolæ gentis bellicosissimus hostium debellator, triumphum agens virgini cedit de via: quasi vero primas fortitudinis partes eidem deferendas esse arbitretur. Vel certè vt fateatur, virginem, vt pote fortitudine præstãtissimam, triumphi decore digniorem esse ipso triumphatore.

Dion. Imò si Dioni credimus lib.47: si quando Vestalis Virgo apud Romanos in publicum exiret; lictorum satellitio stipata non minùs quàm alij magistratus incedebat. Tantum non solùm honoris ac dignitatis, sed potestatis, ac virium tribuebant virginitati, quam non modò prosequebantur honore, & tutam volebant; sed iudicabant dignam, quæ armis muniretur, & inuicta omnibus, omnibus terrifica, ac metuenda videretur.

Gemmeum planè Numæ Romanorum Regis celeberrimi oraculum enucleatiùs explanabit, quod prosequor. Sacris interetat Rex religione, an potiùs superstitione venerandus: cum ecce tibi, vt Plutarchus (Plutarc.) in eius vita scribit, nuntius adest acerbi casus, qui monet hostes in Romanum agrum ingressos omnia circumquaque deuastare. Subrisit Numa, & placida fronte, animoque tranquillo respondit (Numæ Pompilij in sacrificio magnanimitas.) *Ego verò sacrifico.* Quasi verò nihil timere possit ab hostibus omninò inuictus, qui piè litat. Porrò licet sciam, quod animaduertit Origenes hom.9. in Leuit. proborum hominum corda esse altaria, & bonos quosque viros Sacerdotes esse ad hostias orationis, & pietatis offerendas Deo; tamen negari non potest munus id præcipuè virginibus conuenire, quæ singulari candoris prærogatiua rem sacram faciunt continenter, offerentes iuxta illud ad Rom.12. (Rom.12.) *Hostiam viuentem Deo placentem.* Nulla veriùs dici potest hostia viuens, quàm caro Virginea, quæ viua licet, hostia, tamen est Deo penitùs consecrata: vt mirum videri non debeat, si censeamus inuictam eam, quæ bacchantibus vndique hostibus, eorundem conatum deludens

A dicere potest, ego verò sacrifico. Præsertim cum Cant.8. num.9. (Cant.8.) *propugnacula* dicantur *argentea*: cur non potiùs ærea, vel adamantina, ad fortitudinem adumbrandam? Argentea crediderim dici, quia argenteo candore, qui Virginum est: omni amota formidine, propugnamur. (Integritas armat.) Hinc quod legimus Psal.2.num.12. (Psalm.2.) *Apprehendite disciplinam*: verrunt Symmachus, & Rabbi Salomon, (Symmach. Rabbi Salom.) *armamini munditia.* Ergo armat munditia? Hanc da virgineam, & aio inexpugnabilem.

Magna sunt hæc, sed fortasse non nemini maius videbitur quod subijcio; cum ponat B ob oculos tantam vim habere Virginitatem, ad armatos in sui tutelam milites educendos in aciem, vt etiam mortua, (Virginitas etiã mortua pugnat in hostes.) suos in hostes pugnare non desinat fortiter, & expugnare queat feliciter: lege Hieronymum lib.1. aduersus Iouinianum, apud quem Arcadia tota ita indignè tulit illatam virgini iniuriam, quæ ad Dianæ templum, ac simulachrum cõfugerat; vt bellum publicè sumpserit contra tyrannum Aristoclidem ad vlciscendam virginem. Verba Hieronymi lib. cit. aliquanto (Hieron.) ante finem ea sunt. *Aristoclides Orchomeni tyrannus adamauit virginem Stym*-C*phalydem: quæ cum patre occiso, ad templum Dianæ confugisset, & simulachrum eius teneret, nec vi posset auelli; in eodem loco confossa est. ob cuius necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, vt bellum publicè sumeret, & necem virginis vlcisceretur.* Hactenus Hieronymus, qui miro hoc Arcadiæ totius arma ruentis conatu reuocat mihi in mentem atrox Aiacis supplicium, eò quòd Cassandram virginem, quæ ad Mineruæ templum confugerat, per vim abstraxisset, cuius mentionem facit Pausanias lib. 1. (Pausan.) Cur obsecro tutum adeò voluerunt esse perfugium virginum, vt D templa Deabus, quas virgines arbitrabantur, (Virginitas se sola tuta.) dicata asylum essent confugientibus virginibus tutum adeò, vt nulla vi, nullo impetu dimoueri possent, aut violari. Videlicet arbitrabantur virginitatem se sola tutam esse, neque egere armorum præsidio, sed Dea Virgine licet inermi tutissimè propugnari. Aut certè indicare voluerunt, munimen omnium munitissimum esse Virginitatem.

Adsis tu quoque, tuoque accede suffragio

fragio mihi semper honorato, atque san- A ctissimo, Gottefride Buglione, sacrę columen militiæ, & christianę decus roboris memorande. Excitauerat pręclarè gestis in Turcarum inimicorum animis tantam sui admirationem Imperator fortissimus, vt hostes tàm infensi, tàm barbari, donarijs amplissimis, atque ditissimis oblatis, obsequentissimè postularint, quemadmodum scribit Io. Boterus lib. 2. dict. memor. virorum Illustrium circa medium, vt aperiret qua nam arte tantum roboris comparasset, vt semper inuictus, neque frangi à quopiam, neque debilitari vlla ratione posset? hisce auditis, oratoribus Turcarum respondisse dicitur Gottefridus: tantę firmitatis, ac fortitudinis eam solùm originem esse, quia nullis pellicum blãditijs se vnquam fuisse corruptum certo sciebat, seque non alio vsquã fœdarum voluptatum genere contaminatum recordabatur. O integritatem virgineam, virium vim. O roboris firmitatem inconcussam, castimoniam illibatam.

Io. Boterus.

Gottefridi integritas.

B

Videatur P. Franciscus de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. in cap. 5. lib. primi, num. 5. Annot. 17. circa litteram, sect. 2. C num. 14.

Videatur P. Didacus de Baëza tom. 1. commentariorum moralium in Euangel. Histor. lib 1. cap. 2. §. 9. sub titulo militari robore Ioseph insignis.



IN CAPVT PRIMVM
Num. XXIV. & XXV.

Exurgens autem Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.

PARADOXVM XII.

Illusor dum illudit, illuditur, & Peremptor dum perimit, perimitur.





PROBE teneo plures esse numero, & præstantium virorum auctoritate vnicè reuerendas rationes; propter quas summi Dei Filius mortalitatis nostrę indutus exuuijs, maluerit de desponsata D nasci, quàm de Virgine nulli iuncta marito. Has quia passim alij congerunt, data opera prætermitto. Illa mihi D. Bernardi in præsentia, instar omnium est futura; cum ex ea perspicuè intelligam, malum Dæmonem, vaferrimum illum illusorem illudi facilè posse, & truculentum peremptorem nullo negotio perimi, & quidem proprio gladio. Quęrens igitur S. Abbas ho. 2. super missus est, post med. cur Beatissima Virgo inuenta sit habens in vtero, cum iam esset desposata, respon-

Christus cur natus de desponsata.

F sum

Diabolus priùs vicit fœminā, deinde virū: victus priùs à fœmina, deinde à viro.

sum reddit illis verbis; *Vt sicut Diabolus prius seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminam vicit: ita prius à fœmina Virgine seduceretur, & postea à viro Christo apertè debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet; Diabolo Deus prudentior appareret, & fortior.* Ita Sanctus: nos itaque antequam ad gloriosas Seruatoris victorias de teterrimo hoste relatas apertissimè propiùs accedamus, discamus attentè ab integerrima Virgine rationem deludendi hostis acerrimi.

Id nostræ vtilitati, qua ratione fieri possit, omnium primus aperuit Regius Vates; qui Psal. 103. Dominum rerum omnium procreatorem alloquens, dixit. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Draconis nomine intellige Principem tenebrarū, iuxta illud Ioānis Apoc. cap. 12. num. 3. vbi dicitur. *Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem.* Perpende, antequàm vlteriùs progrediar, quorsum formatus fuisse dicatur; nempe si Dauid sapis, vt illudatur: addit S. Gregorius in nostram sententiam. *Nunquam enim conuenientius vincitur, quàm cum eius versutia pia fraude supetatur. ergo viri, vt bosti illudant, rigorem conuersationis in præsenti virtute babent: pro illusione infirmitatis, carni commodum quoddam in futuro promittunt.* Hæc Gregorius lib. 5. in primum Reg. paulo post initium. Egregium sane monitum, planèque salutare. Vt de truculentissimo hoste triumphum reportes, non est, cur vires exeras; non est, cur semper in arena desudes, aut stes in acie armatus: dabitur identidem nullo negotio, & quasi per iocum victoria honestissima. Vt puta, dum proponit turpia, quia hæc delectant, reuocata in mentem liquidissima beatarum mentium voluptate, fallere poteris veteratorem: ipso delectationis sanctioris amore reijcias, quæ proponit. Allicit ad diuitias per fas, & nefas comparandas? tu verò, quia veras filiorum Dei diuitias anhelas, turpem, malèque suadam auaritiam abijcies quàm citissimè. Atque vt huius rei, quæ maximi momenti est, certa quędam notio, ac veluti regula habeatur; diligenter animaduertendum est, tùm demū principē tenebrarum illudi, cum ijs ipsis, quæ

Psal. 103.

Apoc. 12. Diabolus factus, vt ei illudatur.

S. Gregor.

Diabolus illudendus, opponendo vera bona fallacibus.

A in nos iaculatur, venenatis telis cōficitur.

Videtur mihi peti posse similitudo a nece Valentiniani tertij imperatoris, de quo mentionem facit Nicephorus lib. 13. Zonaras lib. 3. alijque. Valentinianus, inquam, Aetij fortunam suspectam habens, virum egregium, cui Galliæ, & occidentis salus nitebarur, interficiendum curauit: sed, mirum dictu, idem Aetij miles ipsum obtruncat Augustum: & cum Valentiniano imperium concidit occidentis. Proh quam bene res cederet, si eo ipso, quo ad te perdendum vtitur malus Dæmon, ipse sine remedio perderetur. Vel certe, ne à

B teste temporum historia recedamus, consule eumdem Zonaram lib. citato, vbi leges, Leonem Armenum Græcum Imperatorem impium, mira quadam ratione vitam cum imperio amisisse. Ipso quippe Natali Christi die, de Michaële Balbo maiestatis reo sumpturus supplicium, deprecante Augusta, distulit pœnam, sine dubio consilio vindicis Dei; quandoquidem in ipsum vertit: etenim nocte insequenti Balbus è carcere elapsus, contrahit veterum coniuratorum manum, cum quibus sub monachorum habitu sicas feren-

C tibus, Imperatorem in symphoniacorum choro canentem tollit è medio. Eo modo, quo perimendus erat clanculum perimit peremptorem. Acceperam ab inimico tartareo iniuriam, in eundem pia fraude retorque. Eo prorsus modo, quo puer Hebræus giganteam illam Goliæ molem obtruncauit, vt habetur lib. 1. Reg. cap. 17. num. 50. vbi sic. *Cumque gladium non haberet in manu Dauid; cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius.* O nobi-

D le victoriæ genus. ô christiani triumphū bellatoris; cui datur hostem proprio gladio iugulare. Audi iam hac super re nectaream S. Bernardi facundiam. *Sed quæras fortassis, quemadmodum suo ipsius gladio Goliæ possis abscindere caput? id enim tanto tibi iucundius, quanto molestius bosti. Dico breuiter: accede itaque, de ea ipsa, qua te appetit vanitate perimens vanitatem. Elata siquidem cogitatione pulsatus, sit ex ea ipsa materiam, & occasionem sumas humilitatis, quo nimirum humiliùs deinceps, & abiectiùs, tanquam de superbo*

Niceph.

Zonaras.

Valētinianus occiditur ab Aetij milites.

Leo Armenus occiditur a Michaële Balbo.

1. Reg. 17.

Goliath suo gladio confoditur.

S. Bernardus.

Diabolus vincedus suis telis.

superbo homine sentias de te ipso? Goliam vtiq; Goliæ gladio peremisti. Hęc Bernardus in fine sermonis de Dauid, & Golia. Exurge igitur, & somnum animi expelle longius. Age, quid moraris è hostem suis confodias iaculis; illudentéque proprijs deludas captiosis ludificationibus; vt de te non tàm splendidè pronunciari queat, quàm verè, quod de inuicto nostro duce Christo Domino prædicauit Ioannes Chrysostomus homil. 2. in Matthæum non longè ab initio inquiens. *Quodque mirabile est, videbis mortem, morte peremptam; & maledictum esse maledicto extinctum, & per quæ Diabolus iam ante maximè valebat, per ea ipsa tyrannidem illius esse destructam*. Habes, nisi fallor, artem fallendi versipellem; captata scilicet occasione virtutis ab ijs, quæ ipsemet ponit ob oculos, offendiculis.

Chrys.

Præstitit id summa cum laude integerrimę famæ adolescens Ioseph, encomijs elatus sępe, sępiùs efferendus. Hic pudicitiæ heros constantissimus inaudita post hominum memoriam ratione pugnādi, impudicæ, & lasciuientis in morem pellicis dominę suæ impetum non alia machina (quis vnquam credere posset, nisi sacra testarentur oracula) non alia inquam machina furentis Veneris œstro mulieris audaciam, quàm rerum luxu cohibuit. Cum enim ad insaniam vsque bacchantis mulierculæ blanditijs allicere tur; respondisse fertur, quemadmodum leges Genesis cap. 39. numero 8. & 9. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi: quomodò ergo possum hoc malum facere?* Quæso te perpende paululum, vnde petat morum moderationem, atque modestiæ legem; nempè ex opibus, & rerum abundantia, qua vndequaque in domo ditissima affluebat. Mirum sanè, planèque nouum, cum ab Eusebio Emisseno eleganter non minùs quàm religiosè dicatur hom. 5. de Epiph. Domini circa med. *Argento, & auro expugnatur integritas; iustitia vincitur, innocentia proditur, pietas, fidesque violatur; ac de rebus ad præsentia subsidia concessis, detrimenta vitæ æternæ nequitia mortalis operatur*. Quę cum maximè consona veritati, quotidiano discamus experimento, quis in posterum admiratione dignum non censeat, facultatibus non violari, sed roborari fidem, incorruptum animi candorem non concuti, sed firmari; neque labefactari opibus integritatem, sed tutissimo veluti munimento obarmari. Ita sane, sed hoc paucorum omninò est; eorum scilicet, qui vibrata ab aduersarijs arma, in eorumdem capita nouerint retorquere. Quod praclarè gestum in vrbe regia Pharaonis paulo ante memoratum manifeste hoc ostendere, sic euincit, & ad nostram institutionem traducit S. Gregorius lib. 30. moralium cap. 9 circa medium. *Quia perceptæ gratiæ meminit; vim culpæ imminentis fregit: cum enim voluptas lubrica tentat in prosperis; hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda; & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum; vt sint ante oculos quæ percipimus, & quæ nos alliciunt subigamus: quatenus hostis noster, vnde oritur, inde moriatur*. Iam quisquis immanissimum hostem formidabas, sume animos, resume vires; quandoquidem suismet armis, & deluditur, & detruncatur.

Ioseph luxu luxuriam cohibuit.

Genes. 39.

Euseb.

Rerum affluentia in homines vires.

Greg.

Bona externa sunt arma contra Diaboli.

Hominis Scythę responsum plenum acuminis, ac leporis, vt auditu futurum reor non iniucundum, ita ad argumentum, quod prę manibus est, confirmandum, illustrandumque, fore arbitror vnicè accommodatum. Cum aliquando, cœlo inhorrescente, copiosa nix decidisset in terram, & omnia vndequaque gelu concreta rigescerent, vt scribit Aelianus lib. 7. c. 6. Scytharum rex quemdam nudū cum aspexisset, & suspexisset simul admirabundus; cum percipere non posset, qua ratione tempestatis perfrigidæ inclementiam ferret, interrogasse dicitur, an ne frigeret? qui e contrariò, horrentibus quotquot aderant rei miraculo, Regem interrogauit, rigeat ne ipsi frons: cumque ille negasset: ergo, ait, ne ego quidem rigeo, qui quantus sum, frons sum. Lepidum, & ingeniosum responsum, quo qui iocari, & deludere tentabat, mirum in modum delusus fuit. Nisi ad alia festinarem, aperiretur hic mihi omnino

Scythæ acutum responsum. Aelian.

campus ad dicendum latissimus pro hac, quam in præsenti profiteor piissima Dæmonis deludẽdi arte; quẽ, si nitatur timorem incutere difficultatibus, & asperitatibus propositis vitæ sanctioris, nos è cõtra interrogemus alacres, atque omnino imperterriti: defatigatia ne ieiunijs, laboribus, vigilijs, & similibus? negabit sine dubio; quia huiusmodi molestijs liber est, qui mole corporis non deprimitur: ergo respondeamus, ne nos quidem laboramus, qui quanti quanti sumus, quandoquidem Dei agimur spiritu, licet in carne ambulantes, spiritus sumus: scilicet, quod aduersario nostro naturę tribuit beneficium; nobis cœlestis gratiæ præsidium elargitur.

Asperitas vitæ exemplo Diaboli tolenda.

Placuit semper summopere illa Christianorum militũ solertia; quam ex Egnatio lib. 7. cap. 4. refert Vlysses Aldourandus. Galli, ac Veneti Ptolemaidem in ora Syriæ obsidentes, tabellariam columbam litteras circumferentem à Sultano suis ciuibus diutina obsidione defatigatis, adepti sunt; quibus significabatur Regem breui cum maxima classe hostium vires facilè extirpaturum; quo explorato pro interceptis litteris fictitias litteras affigunt; quibus Regis nomine monebantur obsessi, vt se dederent, hostibus parerent, rebusque suis consulerent; se alijs negotijs distractum, minime illis opitulari posse. Pertulit ita suis columba fictitias litteras, quibus perlectis, sine mora earum mandatis obsequentes, repente vrbem dediderunt. Ita cit. Auct. in Prolegom. in Ornitolog. sub tit. de vtilitate post med. præclarum vincendi genus: illusorem illudere ipsis, quibus contra nos vtitur, artificijs. Thrasillus Cinicus ab Antigono Rege petijsse dicitur drachmam, vt scribit Seneca lib. 2. de benef. cap. 17. initio. at Regi, inquit Antigonus, hoc dare non conuenit: sed illo subijciente, da igitur mihi talentum: atqui, respondit sapientissimus Princeps, hoc accipere non decet Cinicum. Non absimili dilemmate aduersarius noster illudetur facilè, & proprio gladio iugulabitur, aut enim proponit palmaria perpetranda facinora; & hæc dedecent eum, quem tot, tantisque beneficijs cumulauit Deus: aut leuiuscula quædam conatur excerpere;

Vlyss. Ald. Ptolemaidis obsessio, & deditio.

Seneca.

Antigonus Rex Thrasillũ Cinicum irridet.

In magnis tentationibus quomodo illudendus Dæmon.

In leuioribus item.

A & hæc per iocum deneganda sunt ei, qui elatione mentis sese comparare Altissimo non dubitauit; & quia effusus solet esse versipellis inimicus in promissis. (quæro etenim quos non pollicetur thesauros? quas superbo dignitates? quas, deliciarum amatori voluptates non spondet? ideo ex hoc ipso capite ab ijs, qui sapiunt reijcitur eo planè modo, quo Iasonem ab Epaminonda repulsum fuisse legimus. Iason enim Thessalorum princeps Epaminondæ inter facultatum angustias B laboranti, indigentique, duo aureorum millia misit: sed non modò aurum accipere respuit Thebanus Heros; verum etiam, cum primum Iasonem offendit. *Iniustis*, inquit, *manibus imperas*, ita Plutarc. in apoph. Reg. & Imp. post med. nimirum ex hoc ipso capite, quod opulenta sunt munera, quæ offert malus Dæmon, cauere debes, ne vendas libertatem; vt iniustum refellas eum, qui largitionibus tàm munificis dominatum affectat; quo fiat, vt vna eademq; opera, & tuam tuearis libertatem, & suis ille artibus derideatur.

Quia magna promittit diabolus reijciẽdus.

Epaminondæ magnanimitas

Plutar.

Perquàm lepidum est, quod Tiberio Romanorum imperatori contigisse scribit C Suetonius in vita aliquanto post initium num. 12. Ab Armenia rediens Rhodum tenuerat Tiberius; vbi & amœnitate, & salubritate insulę captus, modicis contentus ædibus, genus vitæ ciuile admodum instituit mutua cum Gręculis officia vsurpans propè ex ęquo, nullam habens dignitatis suę rationem. Cum igitur semel dixisset in familiari colloquio, velle se ægrotos inuisere: quod officij causa, & ad significãdam beneuolentiam proferebat: id autem ab ijs, qui aderant, longè aliter exceptum est, iussique sunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per va-D letudinum genera disponi: id vbi primum Imperatori nunciatum fuit re tam inopinata perculsus Tiberius, diu quid ageret incertus consilij hæsit; tandem singulos circuit excusans factum etiam tenuissimo cuique, & ignoto. Placet imitandum proponere, siue Romanæ inuentum calliditatis, siue dicamus Gracę fortunę euentũ. Quod si prestare nouerimus, hostem nostrum suis confodiemus armis, suis telis transfadigemus. Romani Imperatoris filij dignitas detrimenti multũ perpessa esset, nisi

Sueton.

Tiberij humanitas Rhodiis exhibita.

nisi consilio in arena capto ex eo ipso occasionem sumpsisset Tiberius de illis bene merendi perhumano alloquio, & officijs, humanitate plenissimis, ex quo Rhodij de imperatoria maiestate tàm demissè, atque humiliter sensisse visi erant. Simile quid nobis gerendum est. Si fortè auaritiæ laqueis nostros captare animos aggrediatur Diabolus, illicò veras nobis, & cœlestis patriæ, & gratiæ diuitias proponamus: si mollibus allicere tentet lenocinijs; amemus nos ardentiùs petennem beatorum corporum felicitatē: si difficultatum horrore retardare nos fatagit ab aspero virtutis itinere, reuocata in memoriam æternæ noctis caligine tormenta perpessu tàm aspera, genere tam grauia, conditione tam misera attentiùs consideremus: sic fiet, dum ijs ipsis, quæ aduersarius proponit, sentit iacturam, proprio gladio iugulatus in illud incidet, quod refugit; & quæ nostræ calamitatis incrementa sperabat, detrimenta experietur versutiæ suę. Id porro fiet, si indignis nostra conditione propositis, nihil nobis indignum moliamur; satis aptè ad id eruditi, exemplo Imperatoris paulo antè commendati.

Diabolus proponés rem, o-ralia bona, aut mala, elud endus oppo sitis æternis.

Geminum adhuc proferre in medium exemplum, minime futurū arbitror otiosum, dummodò vtrumque non parùm illustret, quod prosequor. Primum à tectiori petatur historia, quod scribit Ioannes Borerus lib. 1. dictorum memorabilium virorum illustrium circa medium. Pro Neapolitano Regno Alphonsus Aragoniæ Rex, & Renatus à Lotharingia fortissimè, & gloriosissimè dimicabant. Renatus cum cunctātem animaduerteret Alphonsum, tribunos geminos, cum belli, pacisque interprete Alphonso misit, qui suo nomine certamen Regi Aragoniæ indicerent: quibus Rex postridie tale dedit responsum. *Hæc vestro Duci meo nomine nuntietis: oblatam pugnam recipio lubens, nec pedem ab acie refero: quoniam verò moris est, vt prouocatus locū deligat, ac tempus decernat, sic statuo. Ducem vestrum Renatum inuictę Principe mentis præstolabor ego in Felici Campania pridie Kal. Octobris.* Quod, vt aduertit Boterus, callidum in primis, ac prudens consilium fuit ad validissima ducis Lo-

Io. Boter.

Alphōsus Aragoniæ rex Renatū à Lotharingia bellum indicentem illudit.

A thanrigię vires eludendas, cum probè teneret Alphonsus, non posse tanto temporis spatio florentissimum exercitum extra suam ditionem alere Renatum. Eludendi hostis facillima, & tutissima ratio; si ex ijs ipsis, quæ proponit, noueris illū elidere dicam, an eludere. His porro prętermissis, antiquioribus qui delectatur, Diodorum perlegat, apud quem lib. 11. perdiscet Himerenses, cum premerentur ab Amilcare Pœnorum Duce celebertimo; legatos misisse ad Gelonem Syracusanū Regem, rogatum auxilium; at ille interceptis Amilcaris ad Seleucios literis, in B quibus erat, vt certa die equitatum mitterent, equites suos mittit Seleuciorum ornatu: qui vbi primùm in hostium castra venerunt, pro socijs accepti, Amilcarem sacrificantem obtruncant, classem incidunt: Gelon perturbatos, ac perterrefactos tanti Ducis interitu, & classis instructissimæ laniena, hostes ex composito adortus, concidit, ac trucidauit. Eo prœlio ampliùs centum quinquaginta Pœnorum millia cęsa traduntur. Si contingeret, vt dum hostis animarum malus dæmon suadet superbiam, vel auaritiam, C eum, & laudabili auaritia, & Christiano homine digna superbia, de quibus suis paradoxis copiosè diximus, expugnares: o quàm gloriosa esset victoria; triumphus quàm felix. Facem prætulit Gelon ingeniosus, cui, vt pridem dicebam, potior fuit ex insidijs parta victoria, quàm valida vi expugnatus hostis: dimicare noluit, nisi epistolis interceptis, & simulato militum habitu. Quasi vero ab Amilcare, Amilcaris vincendi modum percipere satius duxerit, quàm aperto Marte triumphare. Vt intelligas, hostem profligare captatis consilijs ab eiusdē inimicis internuntijs, & tibi gloriosissimum, D & hosti fore perniciosissimum. Quod à Camillo Leonardo lib. 2. Spec. lapid. accepi, præbebit fortasse occasionem palam faciendi quid in hac re sentiam, similitudine non omnino improbanda. Magnetis fumus, vt scribit eit. Auctor, si tritus in ædibus fuerit, & in prunas ardentes iniectus, ita vt fumus euolet in altū; videbitur tota ruere domus, & vndequaque quassari: quo terrore paue facti, correptique, qui intus sunt, abiectis omnibus diffugiūt

Diodor.

Gelon Syracusanum rex per dolum Amilcaren Pœnorum duce obtruncat, & classē eius perdit.

Cam. Leon.

Magneticus fumus facit oculis præstigias.

atq; hoc artificio versutissimi latrones ditissima quæq; à domibus auferunt, & omnem diuitum supellectilem, nullo repugnante diripiunt. Tales sunt ludificationes malorum dæmonum, quos fures si dixero, vtar loquendi modo, quo Diuina Sapientia lib. 4. Reg. cap. 13. vsa est, vbi qui dicuntur *Latrunculi Moab.* Dæmones designantur: quibus disces solemne esse superbissimè, atque crudelissimè populari dona gratiæ, præque vitæ promerita bacchantium latronum in morem; quibus nihil sanctum est, nihil religiosum, ac tutum. Maneat tamen, tentationum iniectas nebulas fumum esse inanissimum, B quo aniculæ deterrentur ignaræ: tu verò tanta facilitate illusorem illudes, & Stygium arcebis latrontm; quanta, quis præmonitus mendacissimæ ludificationis, persistet immotus, pro certo habens, ruinam ædificij videri, non esse. Captiosas qui tenet fallacias, nullo negocio vitat. Quid faciliùs, quàm cum eo congredi, quem contempsisse, vicisse est.

4. Reg. 13.

Dæmones latronibus similes.

Tentationes dæmonum sunt fumus, & præstigiæ.

Legendum moneo P. Io Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. in cap. 1. vers. 23. Adnot. morali vnica à num. 11. & deinceps.

Videatur prætera P. Franciscus de Mēdoza tom. 2. in lib. 1. Reg. in cap. 5. n. 11. in expositione litteræ à num. 39. & deinceps, & eodem tom. superiùs: nempè in idem cap. 5. num. 4. in exposit. litteræ à num. 20. vsque ad finem.



A IN CAPVT PRIMVM à Num. XX. ad XXIV.

Hæc autem illo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens. Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius IESVM. ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorū, & deinceps vsq; ad n. 24. B

PARADOXVM XIII.

Otium minimè otiosum.

C OMNI remota suspicione confirmatur integerrima Virginitas Matris Dei, Iosepho dormiente. Ita ne verò maximi momenti negocium per somnium decernitur, & absoluitur? Benè est: si per somnium intellexerimus tranquillam iustorum quietem cum Gregorio magno in primum Regum 3. Qua Deo suo fruuntur per otium. Dicam equidem æquum fuisse, vt tantum negocium inter dormiendum absolueretur; vel quia sanctorum otium maximè negotiosum est, vel quia D minùs otiosi sunt nunquam serui Dei, quàm cum otiosi.

Greg.

Et sanè par est, vt otium ipsum seruorum Dei minimè sit otiosum, non secus ac de Octauio Augusto veterum testantur annales. Huius Principis vigilem adeò solertiam, vt ne ipso quidem otiaretur in otio, consequenti traditurus posteritati, Suetonius in eiusdē vita paulò post med. nu. 85. scribit: consueuerat quippè tempore balnei secum poëmata meditari, qu ę etiam non sine laude in lucem edidisse testatur

Augustus tempore balnei minime otiosus.

Suet.

testatur. Videlicet animo vacare, & vagari mente, etiam dum otiabatur, existimabat indignum eo animo, quem impetio gerebat dignissimum. Disce, quàm sit rationi consonum, vt otium amicorum Dei minimè sit, aut dicatur otiosum. Quod quo pacto fiat, docebo explicans otium hoc, de quo verba facio, à duplici potissimùm capite.

Primò quidem demonstrabo, Deo familiariter vti probos viros, dum otiari dicuntur.

Secundò verò examinabo rerum genera, quæ habent pre manibus, dum huiusmodi vacant otio: vt discamus, non modò, quale sit hoc otium, sed etiam quo pacto possimus cum laude otiari.

Otiari dicuntur probi viri, familiariter vtuntur Deo.

Atq; vt à primo dicendi sumamus initium, aio otium minimè otiosum esse proborum, quia cum otiari creduntur, familiariter vtuntur Deo. Ita ad verbum Sanctus Bernardus de vita solitaria non longè ab initio describens, quid agant illi, qui procul à negociorum strepitu secreti vitam ducunt, sic habet: *Otiosum non est vacare Deo; imò negocium negociorum omnium hoc est.* Et idem ibidem paulò supra inquit: *cum quo Deus est, nunquam minùs solus, quàm cum solus est.* Quam ego sententiam eò amplector libentiùs, quo disertiùs inuenio à B. Petro Damiani confirmatam lib. 6. epist. epist. 5. paulò post med. scribente: *Si laboris delectat exercitium, habet sancta quies laborem suum.* Vnde Dominus ad Moysen, vt habetur Deut. 5. *Vade*, inquit, *& dic eis: Reuertimini in tentoria vestra; tu verò hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata, cæremonias, atque iudicia.* Ceteris quippe in carnis suæ tentorio delectabiliter quiescentibus, seruus Dei non residere iubetur, sed stare cum Domino; vt quò remotiùs à mundi laboribus cessat, eo vigilantiùs in diuinis obsequijs ipse se sanctæ quietis feruor exerceat. O laboriosa sanctorum quies, quibus dum otiari cum Deo contingit, standum est infracti vigore animi, & tunc minùs cessandum est; cum cessare videntur. O negotium in otio actuosissimum.

Bernard.

Petrus Dam.

Deut. 5.

Cuius quidem rei, vt pote extra omnem controuersiam certissimæ vestigium aliquod inuenio apud superstitiosã antiquitatem, à qua more suo in sacris delirantes ad rem meam confirmandam aliquid non omninò dissonum decerpemus. In captãdis auspicijs si sedentem vidissent aquilam, existimasse antiquos rem, quam aggrediebantur perficiendã, futuram maximè laboriosam, testatur Vlysses Aldrouãdus lib. 1. ornithologiæ in Aquila sub titulo, auguria, & auspicia, paulò post init. Cuius etiam ibidem rationem reddit inquiens. *Nam sedenti Aquila, aues cetera molesta sunt.* Iam in hunc modum dissero. Nemo abnuet Aquila significari commodè posse eas sanctorum hominum mentes, quæ humilia sæculi huius despicientes feruntur sublimi volatu ad considerandam attentiùs, & amandam ardentiùs Diuinitatem. Hi dum sedent, idest Deo vacant orantes; dum contemplationi rerum cœlestium dant operam, in ocio negociantur. Etenim cum hoc pacto placidè conquiescunt, repugnantibus inimicarum auium conatibus, hoc est volitantium prauarum cogitationum incursibus, & dæmonum ingruentium molestia perturbantur; sed non deturbantur à sede quietis concupitæ, qua fruuntur, quia cum Deo. Sedent autem, cum seposita omni rerum fluxarum cura, vel psallunt Deo, vel Deum exorãt, vel similibus religiosæ mentis exercitationibus Deo vacant. Cæcutiat necesse est bono tam perspicuæ veritatis in lumine, qui non deprehendat huiusmodi negocium in otio non otiosum.

Aquila sedens laborem portendebat.

Vlyss. Aldrou.

Interrogas fortè cum Seneca, quo animo ad otium sapiens secedit? cum eodem respondeo. *Vt sciat secum quoque ea acturum, per quæ posteris prosit. Nos certè sumus, qui dicimus, & Zenonem, & Chrysippum maiora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent; quas non vni Ciuitati, sed toti humano generi tulerunt. Quid ergo est quare tale otium non conueniat; per quod futura sæcula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes omnium gentium homines, quique sunt, quique erunt.* Ita lib. de vita beata cap. 32. paulò post med. Eruditis vacare lucubrationibus, scientiarum nodos pensiculatiùs examinare, aliaque huiusmodi sexcenta secum, remotis arbitris, Deo auspice perficere, illud, de quo loquimur, otium est dignum sapiente

Seneca.

Otium sapiẽte dignum.

sapiente dignissimum viro amico Dei.

Ridiculum planè, & quidem meritò habetur, quod ex Seneca recitat S. Augustinus lib. 6. de Ciuitate Dei cap. 10. post med. inquiens: *Doctus Archimimus senex decrepitus, quotidiè in Capitolio mimum agebat, quasi Dij liberaliter spectarent, quem homines desierant. Omne illic artificum genus operantium, Dijs immortalibus desidet.* Sapiens disco monitum ab insipientia mimi. Gestum facere spectatore Deo, ne dixeris otiosum: cum nullos hominum respicit, si solos Dei oculos habeas intentos, satis ducas. Fateor ab hominibus non respici eum, qui in abscondito cordis Deũ alloquitur, qui lachrymis vbertim fluentibus maculas cordis lauat, qui secum reputat accepta ab auctore bonorum perennia munera: hæc porrò qui præstat, gestum se facere meminerit, non hominibus, sed Deo: ergo his minimè desidiosus; imò maximè addictus operi, & quidem præstantissimo, ac præclarissimo prædicetur. Quod elogium eò libentiùs profero, quò, ab eodem Augustino, petita auctoritate, apertiùs deriuari posse cognosco. Etenim cap. 17. lib. 12. de Ciuitate Dei post med. de summo rerum opificè verba faciens ait. *Non itaque in eius vacatione cogitetur ignauia, desidia, inertia. Nouit quiescens agere.* Quod commendationis genus amplum, atque magnificum Dei amicis aptari commodè potest; quibus vt reliqua fecisse communia beneficentissimum largitorem pro cõperto habemus: ita & ijsdem impartiri voluisse huius, siue quietæ actionis, siue actuosæ quietis prærogatiuam, cedere par est.

August.

Otium Dei nũquam otiosum.

Verùm quia, quàm actuosum sit nostrum otium, videbimus clariùs, perspectis negotiorum generibus, quæ in eo perficiuntur, satius erit in præsentia enucleare, quæ nam ea sint. Accedimus autem ad id, quod secundo loco proponebamus. Inuenimus porrò hoc prodesse plurimùm siue priuatam, siue publicam spectemus vtilitatem. Ergo vt de priuato commodo primo loco dicamus, nemo potest rebus suis consulere meliùs, quàm omnibus rem isso nuntio, vacando vni Deo. Mirum sanè, planèque inauditum est, quod sponsum inter sanctissimum animarum, sponsamque integerrimam contigisse legitur Cant. cap. 1. num. 7. vbi sic loquitur sponsa: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vibi cubes in meridie; ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos.* Hæreo hic, vt verum fatear, admiratione defixus. Etenim non video, cur tàm asperè expelli debeat à sponso, quæ ibidem pulcherrima dicitur. Nam vel succenset sponsus vel nõ succẽset ira percitus in sponsam. Si primũ, cur totus est in cõmendanda sponsa? Si secundũ, quare tanto correptus furore eam à se reijcit, atque contemnit? Præterquàm quod sponsa alloquebatur dilectum suum peramanter; cum æstuaret desiderio noscendi, vbi pasceret, vbi cubaret: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Enim verò amoris sunt hæc argumenta certissima, & animi indicia haud obscura cupientis cum sponso commorari. Cur ergo non à colloquio modò, & consuetudine, sed ab ipsa arcetur præsentia. Egredere, & abi. Rationem reddit Origenes ad rem nostram vnicè accommodatam; quia videlicet. *Anima, licet pulchritudine spectabili, licet incensa desiderio fruendi sponso suo, si tamen in otio, quo Deo familiariter vtitur, omnibus prætermissis, requirere negligat, qualem se gerere debeat, qualiter cum laude viuere, & qua ratione suis moribus legem ponere debeat: sponso placere non potest.* Otium quippè illud, quo fruimur Deo, plenum negotio debet esse: Negotium autem illud est, vt discutiamus decernamusque, quam viuendi rationem amplecti, quam fugere debeamus. *Ad eam loquitur*, verba Origenis hom. 2. in Cant. paulò post medium, *quæ intus iam sit anima: pro eo tamen, quod negligat requirere, quomodò agere debeat, quidue non agere: dicitur ei, exi tu; quasi quæ ob hanc desidiæ culpam foras mittatur ab eo, qui præstet.* Adeò non licet in otio otiari. Dimittitur à Dei consortio ea anima, quæ licet sponsa, licet intra penetralia secretæ consuetudinis recepta, eo tamen, quo quiescit tempore, suarum actionum rationem quamdam certam, ac veluti regulam statuere prætermittat. Dum Deo, vel eleuatione

Otium probi viri, priuatam vtilitatem prospiciens.

Cant. 1.

Orig.

Orig.

uatione mentis, vel fusis ore precibus vacat animus, otio fruitur; quia nullis distrahi debet labentis, & ludentis sæculi sollicitudinibus. Sed eo in otio recognoscere debet, quid, quo tempore, quomodo agat, loquatur, meditetur, vt nihil dissonum vnquam, aut inconcinnum proferat, perficiat, aut animo voluat, quo reprehendatur.

Gelonis consilium ad otiū propulsandū.

Gelonis Siciliæ Tyranni consilium meritò consequentium sæculorum memoria commendabitur. Is quippè, Carthaginiensibus debellatis, cum otio frueretur, consueuit Syracusanos sæpiùs ad agriculturam, tamquam in expeditionem educere, ne ipso quidem in otio otiarentur, vt est apud Plutarchum in Apoph. Reg. & Imper. non longè ab initio. Illustre profectò habes exemplum, quod imiteris, cum expugnatis hostibus otio frueris, tibi vacans otietis; atque ne malè feriatæ sint feriæ tuæ, sit tuum otium rerū Diuinarum cōsideratione aduersus rebellantes animi motus, adhibita vi, debellatis sensibus, conatu contra prauas cupiditates, sit inquam tuum otium minimè otiosum.

Plutar.

Exemplo vti libet, quod allatum fuisse à Seneca comperio. *Complectamur animo, & mente nostra obijciamus duas res publicas; alteram magnam* inquit Philosophus lib. de vita Beata cap. 31. *qua Dij, & homines continentur; alteram, cui nos adscripsit conditio nascendi, Hac autem Atheniensium erit, aut alterius alicuius, qua non ad omnes pertineat homines, sed ad certos: huic maiori Reipublicæ in otio deseruire possumus; imò verò nescio, an in otio meliùs: Vt quæramus, quid sit virtus. Natura, an ars bonos viros faciat. Deus sedens opus suum spectet, an tractet: Vtrumnè extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus, immobilis mundus, an inter caduca, & ad tempus nata numerandus. Hæc qui contemplatur, quid Deo præstat? ne tanta eius opera sine teste sint*. Quæ à Seneca sapientissimè prolata, si parumper considerentur, manifestum erit, quale sit otium, quod laudamus. Enimuero quanti momenti negocium sit seruire Reipublicæ maiori, quisque facilè intelligit, nullo docente. Tale autem esse sanctorum hominum otium, quod totum est in consideratione virtutis, Dei, rerum Diuinarum, labentium fugientis vitæ bonorum intima notione nemo non videt. Non segnis est talium hominum vita, quibus rerum maximarum negotia præ manibus sunt.

Seneca. Otium eruditum.

Scipionis otium.

Scipionem suum cognomento maiorem iam non iactet antiquitas verissimè dictitantem, se quando otiosus esset, plura facere, quemadmodum suis monumentis cōsignauit posteritati Plutarchus lib. paulò superiùs citato post med. Quandoquidē plures sunt aurea Christianæ Religionis sæculo, qui de se id veriùs prædicare queant. Non deest fortasse, qui quærat, quodnam sit huiusmodi in otio negotij genus, quod dum in hunc modum prosequimur, leuiter potiùs adumbrare videmur, quàm vt par esset adamussim exprimere. Breuissimè sic negotium hoc æstuosum esse, vtile, maximi omninò momenti.

Plutarc.

Id vt declarem, in medium profero, quod Plato in Phædone retulit de Socrate, qui morti proximus familiares rogasse dicitur, vt Aesculapio gallum, quem vouerat pro se sacrificarent: *Aesculapio inquiens, gallum debemus, quem reddite, neque negligatis*. Compellor in loco parumper subsistere, & ex me ipso moniti tàm inauditi, tàm noui rationē sciscitari, quam equidem ignorare me faterer vltro, nisi præferret in re satis obscura ingeniosę interpretationis facem mentis acumine maximè præditus Picus Mirandulanus in ea oratione, quam ad cœtum Roman. habuit, in qua sic loquitur. Pythagoras gallum nutrire nos admonet, idest, vt diuinam animæ nostræ partem diuinarum rerum cognitione, quasi solido cibo, & cœlesti ambrosia pascamus. Hic est gallus, cuius aspectum leo, idest omnis terrena potestas formidat, & reueretur, hic ille gallus, cui datam esse intelligentiā apud Iob legimus; hoc gallo canēte aberrās homo resipiscit; hic gallus in matutino crepusculo, matutinis astris Deū laudantibus quotidiè commodulatur; hunc gallum moriens Socrates cum diuinitatem animi sui, Diuinitati maioris mundi copulaturum se speraret Aesculapio, idest animarum medico debere se dicit. Hæc fere Picus, quibus si addas ex Pausania lib. 5. gallum

Plato.

Picus Mir. Gallum nutrire, quid sit.

Pausan.

gallum Soli fuisse dicatum, facilè inuenies cur Aesculapio præciperet sacrificandum Socrates. Aesculapius enim Phœbi filius credebatur. Nos autem ex Ethnicorum ineptijs sapiens monitum elijcientes dicamus, per gallum animum significari contemplantis, & à rerum turba omninò semoti, qualem fuisse certò scimus animum Ioannis de se ipso asserentis audiuisse fragorem aquarum multarum; sed à tergo perstrepentium, hoc est terrenarũ sollicitudinum, quibus terga vertisse, & nuncium se remisisse profitetur Apocal. cap. 1. num. 10. talis inquam animus, qui Diuinę Sapientiæ percipiendis vacet arcanis gallo significatur, si Pico credimus, cuius sentẽtia gallum alere audiuimus, nil aliud esse, quam contemplatrici sapientiæ operam impendere: Vno verbo otiari, sed cum Deo.

Apocal. 1.

B

Ex hoc, qui fructus consequatur, interrogas, leo, videlicet omnis terrena formidat potestas, & si cui id videretur parùm, animaduertat, hoc gallo canente, resipiscere hominem, hoc est, sapientia, duce, excutere somnum vitiorum, omnemque torporem ab animo amouere. O otium quauis actione vtilius? ò otium negotio supra quàm dici possit plenum? Hoc nempè Deum amplectimur, Diuino fruimur alloquio. Hoc inimicis terrorem incutimus. Hoc deficientis ab Imperio rationis audaciam corporis cohibemus. Quod tàm præclarum facinus? quæ tanti res ponderis? quale momenti tanti negotium? Genus otij laudatum apud omnem antiquitatem fuisse legimus, si Valerio maximo credamus lib. 8. cap. 8. circa finem illud Socratis, de Atheniense Socrate loquor, quem nulla latuit sapientiæ pars. Tantus itaque Philosophus non erubuit, interposita crutibus arundine, ludentibus filiolis alludere. Qua de causa, licet ab Alcibiade derideretur, minimè tamen à sapientibus vituperatus fuit; imò verò laudabile potiùs arbitrabantur otiũ illud, quo intermissis parumper grauiorum disciplinarum studijs, filiorum vacabat solatio, & paterno indulgebat amori. Quod si æquissimis rerum æstimatoribus visum est consentaneum rationi, quibus tandem efferendum esse laudibus decernemus otium illud, quod non filiorum

C

Socratis otiũ in arundine equitantis. Val. Max.

D

A vacat solatio; sed animorum integritati; quod non indulget paterno affectui, sed seruit Deo, & vacat æternitati? Si tamen vacuum vnquam est, quod Deo plenum est.

Venio iam ad vtilitatem publicam, cui prospiciunt illi, qui huic commendato à nobis otio indulgẽnt, in quo illud moliuntur, vt omnium consulant bono, communi seruiant vtilitati. Profectò si Alcibiadi Periclis fores eiusdẽ alloquendi gratia adeunti, responsum fuit Periclem, licet solum, non esse otiosum, sed in eo otio considerare diligentiùs quonam modo rationes Atheniensibus essent reddendæ, vt ait Plutarchus in Apoph. Reg. & Imp. paulò ante med. quanto magis nobis licebit monere eum, qui seclusis omnibus vacat Deo, prę manibus habere negocium æternitatis. Hunc tu otiosum ne putes: Propterea enim interrogat Bernardus; *Quando feriatur à negocio, qui nunquam feriatur à merito, quo consumatur negocium?* Ita de ordine vitæ non multo ante med. Quod didicisse se testatur serm. 85. in Cant. post med. à perenni Diuinę Sapientiæ fonte dum, inquit; *Sapientia scribe in otio ait sapiens Eccles. 38. ergo sapientiæ otia negocia sunt, & quò sapientia otiosior eò exercitatior.* Apertius eloquar. Periclis otium minimè otiosum fuit; quia secum meditabatur, quo pacto essent res Atheniensium benè gerẽdæ. Multo æquiùs dicam ego, minimè otiũ illud esse otiosum, in quo Reipublicæ Christianę negotia examinantur. Cum enim quia vacat Deo, perpendit, quæ ad morum integritatem pertinentia sunt alijs insinuanda: examinat, quid fieri liceat, quid non, vt alios doceat, eosque honestis imbuat præceptionibus. Hoc sine dubio nil aliud est, nisi publicam habere præ manibus vtilitatem.

Otium Reip. vtile.

Pericles licet solus nõ otiosus.

Plutarc.

Bernard.

Eccles. 38.

Consulendum moneo Senecam lib. 1. de tranquilitate cap. 1. circa medium, vbi Zeno, Cleantes, Chrysippus, & Stoici omnes, quos cum nomino, vt neminem fugit, amarores recẽseo otiosę litteraturæ, imperant sapienti vna, eadẽq; sententia, vt dent operam quàm diligentissimè negotijs Reipublicæ. Dicerem sanè, non Stoicos, sed Stolidos, quippè quos secum apertissimè pugnantes deprehenderem; cum sapiẽtem

Seneca.

Otium Stoicorum.

vacare

A vacare litteris, omni posthabita negotiorum cura, omni rerum publicarum procucatione neglecta, eorum præceptum sit; imò Stoicæ summa philosophiæ. Verùm, nisi fallor, philosophi præstantissimi nequaquam loquuntur pugnantia, sed declarant enucleatiùs, quale tandem esse debeat, quod tantopere commendant, otium litteratorum. Tale nempe, vt totum, quātum, quantum est, Reipublicę seruiat bono, & imperij consulat discriminibus. Testes mihi sint Aristoteles apud Alexandrum, vt Laertius in Aristotele, Antiochus, & Emphilus apud Brutos, & Lucullos, vt Plurarchus in Brut. & Lucull. Strato apud Philadelphios, vt Laertius in Strat. Arenodorus apud Augustum, vt Strabo lib. 13. Geotgicorum; Iunius Rusticus apud Antoninum, vt Capitol. in vita; qui omnes, vt innumeros prætermittā, an non benè, & cum laude administrandi formam imperij viris principibus tradiderunt expressam? id suis moliebantur studijs, id attentis meditabantur vigilijs; vt satis pateat, minimè otiosū illud, quod stringit, & fouet Rognorum negotium maximorum. Hinc Gotici senatores Imperij, vt scribit Procopius lib. 1. de Bello Gotico immeritò Amalasuntam accusabant, quod Aitalaricum sapientibus tradidisset informādum disciplinis liberalium facultatum. Otiosum id arbitrabantur barbari. Sed iniusta planè querela, & eorum, qui penitùs sint imperiti, otium esse minimè otiosum, quod perturbatas animi affectiones moderetur, quod ferendas leges perpendat attentiùs, quod rerum momenta examinet singula, ac totius imperij prospiciat felicitati.

Laer. *Plutarc.* *Laert.* *Strabo.* *Capitol.* *Procop.*

Quis, oro, licet mediocriter eruditus redarguet vnquam Misium in eo operam collocantem, quemadmodum Phot. c. 190. vt Vlyssem ab omni negotio auocatum doceat sapientiæ rudimenta. Enim verò vniuersa Græcia contradicit, proprio edocta experimento, quantum in Asia reportauerit vtilitatis à sapientia Vlyssis, cui licuit propterea otiosum esse, ne otiaretur.

Phot.

Quæ dum à me de Sapientium otio commemorantur, & commendantur, in gratiā eorum dicuntur, qui virtuti dant operam. Etenim virtus, & sapientia tanto inter se nexu iunguntur, vt neq; Socrates in Tect. neque Homerus in Illiade gemina litterarum lumina perspicacissima, potuerint ea agnoscere, tanquam duo seiuncta. Vnum, idemque est æquissimorum suffragio iudicum, virtus, & sapientia, adeò vt vacare sapientiæ, & virtuti operam dare sit omninò idem. Verus sapientiæ amator est ille Eraiscus Eubeus de quo mentionem

Virtus, & sapientia idem. *Socrates.* *Homer.*

B facit apud Phot. cap. 242. Damascius, qui non modò refugit amplexus impudicæ fœmininæ, hoc est iniquitatis, verùm neq; eiusdem voci aures præbet. Maneat igitur otium minimè otiosum, quod in præsenti propono illud esse, quod aut inuenit, aut facit sapientia probos, probitate sapientes; sapientes inquam, quia non sibi soli, sed omnibus sapiunt: Sapientes, quia dum rerum notionem consideratione perscrutantur, perspiciunt, atque perdiscunt, quā legem debeant sibi imponere iracundi, vt modum furori ponant; intelligunt quo pacto hominum licētia effrænatorum sit cohibenda, vt in officio contineantur; ne

Phot.

C multis, singulorum remedia malorum percipiunt, quibus eruditi omnium ordinum homines sectari virtutes, & abhorrere à vitijs facilè queant; Libeat propterea exclamare: ò otium desidiæ inimicum: ò otium vt nenum inertiæ, ignauię anthidotum, torporis flagellum, cui vacare, si noueris propriæ, vel alienæ studiosus felicitatis intra abdita solitudinis penetralia, do fidem, nunquam te minus otiosum fore, quàm cum fueris otiosus.

Quibus fusius allatis, tale conficitur argumentum. Otium illud, quo cum Deo

D agentes, & nostræ, & publicæ omnium consulimus vtilitati minimè otiosum est, sed tale est illud otium, quo Deo vacamus, & nobis, ergo tale otium minimè est otiosum.

Epit. totius parad.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 1. in Euang. hist. lib. 5. cap. 4. §. 8.

EVAN-



EVANGELIVM
Secundum Matthæum.



CAPVT SECVNDVM.

1 CVM ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus
Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosoly-
2 mam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vi-
dimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare
3 eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & om-
4 nis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes
sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi
5 Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem
6 Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, ne-
quaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat popu-
7 lum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis
8 tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, &
interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego
9 veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. & ecce stella, quam
viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat
10 puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes
11 domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt
eum. & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.
12 Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt
13 in regionem suam. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis
Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, &
esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum
14 ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, &
15 secessit in Ægyptum: & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur
quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui Filium
16 meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde,
& mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus
17 eius à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Tunc ad-

impletum

18 *impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam prophetam dicentem: Vox in Ra-*
ma audita eſt ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit
19 *conſolari, quia non ſunt. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini appa-*
20 *ruit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem*
eius, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri
21 *Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael: Au-*
22 *diẽs autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire:*
23 *& admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciui-*
tate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas:
Quoniam Nazaræus vocabitur.



IN CAPVT SECVNDVM

Num. I.

Cum ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis.

PARADOXVM I.

Prima principis Dos annonæ vilitas.



VONIAM ab Euangelico Vate Isaia cap. 9. nu. 7. audiuimus natum Virgine principem futurum; cum ex alio capite legamus Bethlehem editum in lucem, cogimur vti verbis Sancti Cypriani serm. de Natiu. circa medium dicentis: *Ad apicem regni, & principatus fastigium, quibus ascensionibus attinget?* Enim verò plus nimio distant mapale, & solium: stabulum, & aula regia: nuditas, & purpura: præsepe, & palatium. Qua propter quis admiratione defixus non perquirat, quibus ascensionibus attinget ad apicem regni, & principatus fastigium is, qui in summa rerum inopia, & tàm humili loco nascitur. Sanè apud Plutarchum in vita Demosthenis decernitur ab Erupide, siue, vt alii contenA dunt à Senecione in principibus principem obtinere locum illustrem patriam; *debet quippè*, vt citati Auctoris verbis vtar, *primum illustri patria prognatum esse quisque felix futurus sit*. Ob quam rationem Alexander Seuerus inter Rom. Imp. seruatissimus æqui; cum Syrus esset, affectabat tamen haberi ab omnibus oriundus à gente Romanorum pudore quippè perfundebatur patriæ obscuritate, cuius à poëta illorum temporum fuisse derisum testis est Lampridius. Cur igitur virum ignobilem, & obscurum oppidulum delegit natiuitati, qui edu-B cari debebat ad augustum cœli, terrarumque principatum. Hoc loco si demonstrauero non potuisse à Deo eligi patriam principatui aptiorem, fortasse operæ pretium minimè pœnitendum fuisse iudicabitur. *Bethlehem domus panis interpretatur*, Inquit Sanctus Gregorius homil. octaua in Euangelia, nihil porro est, quod æquè principem ornat, nihil, quod supra sortem vulgarium hominum extollat, & tantopere principatu dignum efficiat, quàm subiectorum commodo constans, & perennis abundantia C panis. Propterea apud Isaiam cap. tertio, num. septimo, vt ab eius auctoritate, à qua duxit initium præsentis Paradoxi dubitatio, penitus auferatur; propterea inquam, dicebat is, qui perfectissimum principis exprimebat exemplar, dum se se tanto oneri subtrahere conatur. *In domo mea non est panis, nolite constituere me principem populi*. Is igitur, cuius patria domus panis est, iure merito sibi vindicat principatum.

Verum vt certum aliquid in re fortasse non omninò apud omnes explorata statuamus, demonstrandum est primam D principis dotem esse annonæ vilitatem ex duplici potissimum capite. Primo quia, & ornamentum confert principe dignum. Secundo quia facultatem præbet cum laude operandi.

Non sum rerum ignarus adeò, vt non teneam viros grauissimos in diuersas abire sententias cum decernere volunt, quænam sit cõmendatio in principe princeps; adeo vt, quoties hac super re disceptant, toties discrepent. Etenim alij fortitudinẽ,

Pruden-

Cyprian. Quibus ascensionibus regni apex attingatur.

Plutarc.

Lamprid.

Bethlehem domus panis. S. Gregor.

Isai. 3.

prudentiam alii, consilium, & eloquentiam isti, illi liberalitatem, & munificentiam afferant non exornare modo, sed constituere principem supra communem hominum conditionem. Sanè Ennodius Theodoricum Italię regem in panegyri sic alloquitur: *Nec viri fortis in te deest securitas, nec cautela metuentis*. Aristoteles verò lib. 3. Polit. cap. 4. ait. *Prudentiam illius, qui praeest, solam virtutem propriam*. Non nihil discrepat magnus Alexander: nam, vt Plutarchus scribit in opusc. an sen. ger. resp. interrogatus, quonam modò breuissimo tempore orbis Imperium obtinuisset, respondit. *Consilio, eloquentia, & arte imperatoria*. Secus sensere Aegyptij, qui vt tradit Diodorus Siculus lib. primo, regiam in rege virtutem esse volebant liberalitatem. Propterea ex instituto veteri, cum sacerdotum coriphæus regi adesset diuinis rebus operanti, vt eum sui muneris faceret certiorem, illud monebat in primis, vt benignus suorum communicator esset. Talem vidit maiorum ętas Alexandrum Papam V. animi magnitudine, & eximia liberalitate clarissimum, qui vt Onuphrius in vita, sic in omnes fuit munificus, vt vix quidquam sibi, palatioque relinqueret, quod non effunderet alienæ vtilitari. Quare per iocum dictabat, se diuitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Papam. Præiuere permulti, quam plurimi etiam sunt consecuti, qui cum principis appellatione gloriarentur, beneficientissima munificentia tanti mensuram nominis impleuerunt.

Ennod.
Fortitudo, & cautela principis virtutes.
Arist.
Prudentia sola virtus porpria principis
Plutarc.
Consilio eloquentia, & arte imperatoria imperiū obtinuit Alexander.
Diodor. Sicul.
Liberalitasregia virtus.
Onuphr.
Alexader Papa V. omnia alienæ vtilitati effundebat.

Hęc ego in controuersiam reuocare non ausim, sed vt certam apud me veritatem è tenebris eruam: illud in præsentia contendo. Præcipuam principis dotem esse annonæ vilitatem. Confert enim, vt prius illustretur, quod fuerat primo loco propositum, confert inquam dignum principe ornamentum.

Hęrebat animi anceps Pharao ignarus, quid sibi vellent præteritæ noctis in somnijs adumbrata cœlitus mysteria, vt habetur Genesis cap. 41. Iosephum consulit, à quo cum audisset pręmoneri ostento illo haud obscuro, licet nocturnas inter tenebras, septem annis futuram annonę caritatem. Nuncij tàm noui acerbitate commotus explorat statim, quid consilij capiendum putaret. Ea autem fuit consilij summa, quemadmodum legitur cit. cap. num. 33. & 34. his verbis: *Ergo prouideat rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti*. Quæris, quam gerere debeat prouinciam delectus hic sapiens? paulo post num. 35. explicatur. *Qui congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetúrque in vrbibus*. Quanroperè placuerit Pharaoni consilium, faciliùs est mente, quam oratione complecti. Quid igitur erit pręmij, aut qualis tanto consiliario merces? Audi ex verbis eiusdem Pharaonis, quæ recitantur ibidem num. 40. & deinceps. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet: Ecce constitui te super vniuersam terram Aegypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti*. Dixit quoque rex ad Ioseph. *Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti*. Quot ac quanta sunt hæc! En hominem infortunio seruum, imperij collegam adlectum. En Ioseph ætate iuuenem, patria extorrem, diuturni fœditate carceris miserandum, regijs ornatum insignibus. En viro ignotę stirpis obligata Pharaonis fides, populorum tributa, obsequia, publici exhibiti plausus, festæ decantatæ acclamationes, omnium ordinum crebra tripudia. Quis non admiretur tàm subitæ, tam inopinatæ, tàm nouæ cursum felicitatis? Sed haud scio, quam meritò, quicumque ille est, demiretur, dummodò memor recolat mente, quæ tantæ fuerit origo prosperitatis, nempè oportunè monuit cogendam in horrea ingentem frumenti vim. Cuius ea sunt vota, vt re frumentaria subiectorum subleuetur inopia, cuius ea consilia, vt publica ditescat annonæ feracitas, is imperij tractet habenas solus sceptro dignus, & purpura.

Genes. 41.

 Hinc

Pierius. Hinc vt ex Leone Aegyptio Pierius A
Valerianus memoriȩ prodidit lib. 41. Hieroglyphicorum post med. factum arbitror; vt Isis prima repertas spicas capite circumtulerit in modum coronæ; equidem quis corona dignior vixit, aut viuet vnquam eo, cuius ad egenorum alimentum in cōgerendis frugibus desudat industria? Igitur ob repertas spicas, spicis coronetur Isidis caput; quia nulla corona honestior, & regnanti capiti accommodatior, quàm quæ ex frumento conficitur. Neque id obscurum videri potest, aut nouum ei, qui memoria teneat, quod habetur Ioan. 6. vbi numer. 15. Seruator sapientissimus consuluit sibi fuga, ne rex à turba, quam pauerat, eligeretur, *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Nimirum nullus est rudis adeò, qui non intelligat sceptro dignum, & omnium votis regni potiri debere eum, qui fame enectis opportunum panis subsidium habet in promptu. Sensit id diuino succensa amore castissima sponsa, Diuo Ambrosio interprete. Illa siquidem, vt compeller dilectum suum Cant. 1. sic fatur: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Hanc Sponsæ orationem examinans Ambrosius lib. de Isaac cap. 4. ait: *Rectè dicit, vbi pascis? Quia regale est Dei verbum*. Nullo ornamento dignitas regia splendescet magis, quàm si tuos pauperis panifex semper beneficus. Petere libet à sponsa, quæ, vt sapientissima, ità amantissima est, cur in laudes sponsi sui abitura eum ab imperio Diuinitatis, aut ab humanitatis purpura, aut ab omnipotentiæ sceptro non commendauerit? sed solum dixerit: Indica mihi, vbi pascis? Enim verò plena acuminis oratio, in qua quidquid regale, & magnificum dici potuit, explicatur. Vbi pascis? Hęccine imperatoria decora. Hæccine regalia ornamenta maiestatis? Quia nil tàm honorificum, aut prædicandum in rege, nil in imperatore tàm amplum, atque ad commendationem eximiæ dignitatis accommodatum, quam pascere.

Isis spicas in modum coronæ circumtulit.

Ioan. 6.

Cant. 1.

Ambros.

Docuit id ipsum sua auctoritate Aurelius, qui, vt Vopiscus in eius vita scribit, coronas confecisse dicitur de panibus, qui siliginei vocantur. Quid obsecro significant coronæ de panibus confectæ, nisi vel coronam sibi conficere principem, dum panem largitur, vel erogatione panis, tàm populos pascere, quàm se ipsum principem coronare?

Vopiscus.

Coronas de panibus confecit Aurelius.

Venit in mentem, quod de Triumuiris, & Romanis Imperatoribus norunt etiam mediocriter eruditi. M. Lepidus, M. Antonius, & Augustus Triumuiri in numismatibus spicas exprimi voluerunt, B
quos pari cum laude imitati sunt Imperatores Traianus, Adrianus, Antoninus Pius, Seuerus, Augustus, Septimius Geta, quemadmodum scribit Iacobus Bieus lib. quem de numismatibus edidit; vt tàm vendibili symbolo, & ad subiectorum animos captandos tàm apto repræsentarent animum principe dignum, cui nulla tribui potest commendatio præstabilior, nulla laus honestior, quàm annonæ vilitas, & pauperum alimentum. Ecce tibi animi regnantis insignia, remotis ambagibus, apertissima. Pinge spicarum fasciculum, & primam principis C
laudem expressisti. Disce, quo gloriati debeant ornatu. Disce, quod insigne debeant ostentare qui imperant. Id, si nescis, solum frumentum est.

Iac. Bieus.

Venio iam ad aperiendum, quo pacto facultatem præbeat cum laude imperandi annonȩ vilitas, quod secundo loco proposuimus. Philo Iudæus in eo, quem de creatione principis conscribit, libello inuestigans, quæ maxima cura esse debeat, qui scopus consiliorum eius, qui fastigium obtinet principatus, ait: *Ne in exiguis conterat operam princeps, sub præfectis eas delegabit, maiores* D
verò ipse examinabit diligentissimè, maiora dico negotia, quoties priuati, egeni, obscuri præmuntur, ita lib. cit. aliquanto post init. O aurea verè vox, & ea, quam ibi ingeniosissimus Auctor instituit persona dignissima. Priuata rei domesticæ laborant caritate, fame præmuntur, turpi vexantur egestate, & malè suada fame torquentur pupilli, viduę, innoxiæ virgines, familiæ pauperum; principis est liberali pecuniæ erogatione annonȩ facere vilitatem. Quocirca

Philo.

Quæ negotia principi sint.

circa nemo in posterum sanè mentis, humanæ salutis reparatori optimo patriæ obiecﬅet obscuritatem: nulla sane honorificentior, aut principi conuenientior ea excogitari potest, quæ & in nomine præfert, & edito in lucem nato Deo re ipsa præstat opulentiam panis.

Seneca.

Sapientissimus Seneca lib. primo de clementia cap. 17. initio, principem adumbraturus inquit. *Nemo regi tàm vilis est, vt illum perire non sentiat, qualiscumque pars imperij est*. Scitè, hoc est more suo cordatus Philosophus, cuius iudicio nihil tàtoperè regi debet esse cordi, quã ne pauperes pereant. Equidem vilissimam Imperij partem, eos si dixerim, qui fame laborant, & annonæ caritate vexantur, nemo inficias iuerit. Bonum igitur, ac faustum omen, princeps nascitur è cœlo in terram delapsus ad leuamen inopiæ, ad pauperum solatium, ad victuale ministerium famelicorum. Nascitur, vt liberalissima beneficentia miserorum subleuet inopiam, prospiciat calamitatibus; vno verbo porrigat esurientibus panem. Hic ego Athenienses in medium profero, à quibus in ceteras gentes, quasi corriuata traditur humanitas, ac veluti per traduces humaniter viuendi certa quædam norma, ac recta regula propagata. Istis (vt videre licet apud Cælium Rhodyginum lib. 18. lect. antiquarum cap. 25. initio) redditum fuit oraculum huiusmodi: tanto ceteris fore excellentiorem eorum administrationem, quãtum aues alias præcellat in nubibus Aquila. Quam felicem igitur, aut quàm præclarum huius Reipublicę iudicabimus dominatum? Mihi porrò cõsideranti diligentiùs, quam ob causam administratum ab Atheniensibus imperium, non hominum testimonio, sed superum suffragio, tanto cæteris antecellat, venit in mentem Athenienses senatores de subiectis populis peculiari quodam modò optimè meritos; quandoquidem rudibus terrę filijs, qui glande vescebantur, brutorum in morem, arandi, serendique frumenta rationem prẹmonstrauerunt: nihil quippe magistratum exornat adeò, nihil tantopere apud posteros commendat imperium, quàm frumenti copia subiectis populis comparata. Plena sint frumento horrea, vt omnium linguis, qui imperat dignus imperio circumferatur.

Nemo tàm vilis Regi, vt illum perire non sentiat.

Cal. Rhod.

Qua in te liceat mihi etiam per iocum innuere, quod Maometicæ monstrum perfidię, gesto (nisi fallor) memorando appositè confirmabit. Loquor de Abul Iacob, de quo Ioannes Boterus lib. primo dictorum memorabilium aliquanto post initium scribit. Hic, expugnato quodam oppido, eiusdem oppidi Præsidi obligatam in deditione fidem contra ius, fasque fregisse dicitur; cuius sceleris vt pote indignissimi postea pœnitentia ductus Abul imperio se abdicauit, & proiecto diademate, deposita purpura, sceptroque contempto, recepit se se Alexandriam, ibique fornariam ad mortem vsque exercuit. Admiror profectò pro eo, ac par est, barbari quidem, sed magni ingenij consilium eruditum. E rege pistor. Quam feremus sententiam de tanta non incostantis fortunę illata ludibrio, sed proprię consilio mentis concinnata catastrophe? Dicam, quod sentio. Regnare non nouerat, qui alieno fędabatur sanguine tàm perfidiosè mendax. Itaque vt eam, quam minimè callueram, artem imperandi perdisceret, par fuit, vt panificium exerceret; quia tàm proprium principum est, subministrare panem ad alimentum subiectorum, ad victum pauperum, quàm ab ipsis alienum pacem frangere, aut promissa rescindere. Nouis succedant vetera, vt communi consensu fateamur maximè veritati respõdens, domum principis esse debere domum panis; cum idem omninò quodammodo sit panifex, & princips. Gn. Pompeius, vt testatur Plutarchus in Apoph. Reg. & Imp. paulò ante finem, cum Romæ Vrbe quondam orbis regnatrice, ingens oborta esset fames maxima frumenti caritate, in Africam, Sardiniam, Siciliamque nauigauit, ingentique vi frumenti congesta Romam properabat. Sed ecce tibi procella ferox, & ventorum conflictu subita tempestas insurgit, qua trepidantibus nauium gubernatoribus, & se se salo committere refugientibus, Pompeius primus omnium nauem conscendit, anchorisque propria manu sublatis, exclamasse fertur: *Nauigare necesse, est, viuere non est necesse*. Quis hoc loco tantum facinus

Abul Iacob mirum consilium.

Plutarc.

facinus non demitteret? Quis amorem in patriam non extollat optimi ciuis? Cum tantus imperator maluerit caput suum in certum vitæ discrimen adducere, quàm ne breui quidem temporis spatio congesti subsidium frumenti retardari. Huius rationem si quæris, habes expressam apud eundem Plutarchum ibidem dicentem de

Plutar.

Pompeius annonæ procurator verbo, re Dominus.

Pompeio. *Creatus verbo quidem annonæ procurator, re ipsa Dominus terræ marisq;* Vt hinc fiat manifestum in Principe Gentium, non tàm viribus, quàm sapientia inclyta Republica, idem omnino fuisse quemquam renunciari terræ, marisq; Dominum, atque annonæ procuratorem. Antiquius Pompeio fuit muneris, ac patrium principis æstimatori optimo mortis subire aleam, quam ciues suos, licet breui fame laborare: quia principis gerebat personam, cui nil æquè cordi debet esse, quàm panem tribuere indigentibus. Dabit porrò non inuitus voluisse Regem cœlorum id mortalibus aperire, cum homo factus Bethlehem natus est, dabit inquam, qui leget apud Augustinum serm. 9. de

August.

Natiuitate Domini. *Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo.* Tantæ molis

Cur Angelorũ Dominus factus est homo

erat panem esurientibus porrigere, vt in hanc gratiam Angelorum Dominus factus sit homo: itaque quas suas ducat partes is, qui Dominus est mentium Beatarum, nempe panem manducantibus ministrare, qui non percipiat, bebes sit, qui non perspiciat, cæcus. Scitè, vt assolet, Aristoteles docuit Carthaginienses, non optimos solum, sed & ditissimos censuisse magistratibus admouendos, veluti arbitrarentur præcipuam principis dotem esse indigentibus opem ferre proprijs facultatibus erogatis. Huius veritatis quando cætera deessent, testes habeo Homerum, & Platonem viros absque dubio omni sapientiæ commendatione probatissimos. Ho-

Homer.

Cal. Rhodyg.

Vlysses mitissimus pater.

merus etenim, vt refert Cælius Rhodyginus lib. 8. lectionum antiquarum c. 1. initio, vt in Vlysse, tanquam in speculo principis repræsentet imaginem, mitissimum illum & appellat, & describit *Pa-*

Plato.

Rex debet esse Pastor.

trem: huius insistens vestigijs Plato, *Regem*, vt aptò appellet nomine, nuncupat *pastorem*. Pastoris porrò, sicut & Patris

A nullum tàm peculiare, tàm proprium, tàm accommodatum munus est, quam alimenta præbere. Verum missa fiant isthæc, & instat omnium sit Sanctissimi Patriarchæ Iacob suffragium, cuius votum Deo plenum describitur cap. 28. Genes. à n. 20. ad 22. *Vouit etiam votum, dicens: Si dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum.* Quid audio? Ergo Dominus a Iacob deligitur in Deum, si panem dederit? Sordidi animi est, & mentis abiectæ spe lucri tàm modici, proemij tàm exigui desiderio Dominum, vt Deum colere velle. Verum

B fallor. Is, qui panem dat ad vescendum, vtique dignus est cœli terrarumque amplissimo dominatu.

Quæ quidem omnia licet suadeant mihi, quod initio proponebatur, tamen superest adhuc maximi apud me momenti ratio, quæ firmiùs idem euincit, planèque persuadet. Quoniam si veritati consonum est, decere principem non præesse populis, qui quod prodesse non nouit, vt hoc eodem capite ad numerum tertium demonstrabo; nulla verò re prodesse tantopere possit princeps, quam

C facta præsidio pauperum annonę vilitate: profectò perspicuum est, principem in primis esse debere panificum. Quotus quisque autem est, qui non intelligat, nullum crimen esse tàm fœdum, tàm impium, tàm facinorosum, atque execrandum, ad quod turpis non compellat egestas, ac quodammodo cogat. Verissimè scilicet à Quintiliano in Declam. de malo famis nuncupatur. *Magistra peccandi, dirissima necessitatum, magistra malorum.* Sapientissimè Nazianzenus de paupertate orat. 23. famem vocat *malè suadentem*

Quintil.

Egestas magistra malorum.

Nazian.

Fames malè suadens.

Cyrillus.

D cum quo consentit Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Oseam: considerans enim incommoda, quæ post Christi mortem Hierosolymitani perpessi fuisse perhibentur, ait; *Famem compulisse fœminas Hebræorum ad deuorandos filios.* Et idem in Malachiam scribit matres, *pramente fame, vendidisse filios pro alimonia.* Consule Senecam lib. 3. de Ira c. 20. post med. vbi prosequitur, Persas ad misetanda quæque fuisse fame compulsos vsque adeò, vt mutua etiam se cæde fœdauerint. Scribit autem in hunc modum. *Cambyses*

Seneca.

freme-

A *fremabat, & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis, & inculta, humanoque ignota regio. Sustinebant famem, primo teterrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter arenas, radices quoque, & herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum habuerunt fame sæuius. Agebat adhuc ira regem præcipitem, cum* B *partem exercitus amisisset, partem comedisset, donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem; tum demum signum receptui dedit.* Hæc Seneca. Sapienter sine dubio iudicat sibi timuisse Cambysem, nihil enim non audet Populus famelica rabie concitatus. Cum itaque fames hydra sit vitiorum, virtutum vorago, naufragium integritatis, hac ablata, tollentur necessariò è medio furta, rapinæ, periuria, cædes, & quidquid criminosum, ac turpe, quidquid indecorum, ac fœdum humana moliuit impietas. Sanè S. Basilius homil. de squallore, & fame dicebat. *Quid fames non* C *cogit? Naturæ leges sæpè transgredi homines cogit.* At quid principem magis decet? decet inquam, imò facit quam humana, ac diuina iura, sancta, ac recta seruare? cum principem æquè constituant tutela virtutis, & pernicies improbitatis. Vtrumque feliciter contingit ei, qui nouerit opportuno panis præsidio famem à suis finibus propulsare.

Fames quid suaserit Cambysis militibus.

Basil.

Fames cogit transgredi naturæ leges.



IN CAPVT SECVNDVM

Num. I.

Cum ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iuda, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.

PARADOXVM

II.

Seruus Dei Rex.



MAGI dicuntur ab Oriente venisse; qui etiam, vt communis opinio fert, Reges fuisse perhibentur. Indagare lubet cur regis appellatio inuoluatur silentio ab Euangelistis? Honorificentius profectò fuisset, & Seruatori gloriosius, quod nemo non videt, si omni ablata dubitatione, sacrarum oraculis litterarum acccepissemus, eos, qui ad Christum infantem accesserunt venerabundi, fuisse reges. Cur igitur tantæ rei adhuc sub iudice lis sit? Magno id quidem consilio, nisi fallor; videlicet, si res attentè consideretur, nulla planè hac super re poterit esse controuersia. Cum enim, quicumque Deo seruit, rex sit nobilissimus: an non satis superque fuit explicatum eos fuisse reges, quorum diuitiæ, bona, vires, vita ipsa supremo rerum Domino tàm piè tàm religiosè, tàm sedulò famulabantur?

Magi cur non appellentur reges in Euang.

Seruus Dei est Rex.

Atque, vt certos orationi limites præ- D figamus: duo veluti capita statuimus, quibus Dei seruum regis appellatione consalutandum esse, existimamus. Nimirum Rex est. Siue ornatum, quo se spectabilem exhibet, contempleris; siue cum, quo pollet, consideres dominatum.

Placet ordiri à primo: quod quidem fuit ei perspicuum, qui ea, quæ ad mores pertinent, omnia vidit perspicacissimus Sanctus Gregorius. Præscriptum quippè olim à Deo sacerdotis indumentum consi-

derans ingenioſam affert rationem; cur auro, ac hiacynto purpura permiſceretur. *Vt videlicet*, inquit epiſtola 24. lib. 1. non multo poſt initium, *Deo dicatum cor in ſemetipſo ſuggeſtiones vitiorum reprimat; eiſque veluti regia poteſtate contradicat. Quatenus nobilitatem ſemper intimæ regenerationis aſpiciat, & cœleſtis regni habitum defendat.* Hucuſq; Gregorius: cuius ſententia veſtrum eſt, ò religioſę mentes; veſtrum, ò animi Deo dicati, ſceleribus ingruentibus, non modo firmum pectus obijcere, non modò ſtare inconcuſſos, non reluctari tantummodò: ſed poteſtate planè regia contradicere. Videtis ornatum regiorum indumentorum. Quæ ſint veſtræ partes in regia perſpicitis purpura, in auro, & hyacinto recognoſcitis. Par eſt, vt cœleſtis regni habitum defendatis. Id quidem ex Seneca eleganter adumbrari poſſe crediderim.

Greg.

Qui vitijs cõtradicit eſt rex.

Seneca.

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris.
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia.

Sic poëta non ignobilis canebat in Thyeſte choro 2. Proh Deus immortalis? quàm viuis poëtici leporis coloribus exprimit adamuſſim inſignem probitate virum, & habendum, & prædicandum eſſe regia dignitate pollentem. Non Phrygia acu chlamys diſtincta, non obſequioſa famulantium turba, non ſceptrum gemmis micans, quæ ſępiùs inducta perſona mentiuntur potiùs, quàm faciant regem. Longè diuerſa ſunt decora, longè pręſtantiora veri regis ſunt ornamenta: videlicet: mens ruinis impauida, animus fluxarum rerum abiecta mobilitate ſublimior; vno verbo purus ſceleris, & vitæ integer: is, inquam, qui nullo agitur metu; & poſuit penitùs diri mala pectoris, rex eſt. Comperio id fuiſſe decretum Romæ iampridem ab Auguſto, vt auctor eſt Ioſephus lib. 17. cap. 12. & ex eo Card. Baronius tom. annal. 1. anno Chriſti 8. ab Herodis morte Archelaus, atq; Antipas regis nomen affectantes, Romam nauigauerunt. Examinata coram Auguſto controuerſia, decretum fuit, Archelao donandam eſſe dimidiam regni partem, eo tamen pacto, vt regis nomine abſtineret, donec huiuſmodi honore ſe ſe probis moribus redderet dignum; accuſatus quippè fuerat multorum ſcelerum, non modò ab Antipa fratre, ſed à Iudææ gentis legatis. Sapiens ſanè Romani ſententia imperatoris; cuius iudicio non populorum tributa, aut cenſus vrbium, non ampla ditio, aut opulentæ diuitiæ regiam tribuunt dignitatem: tantùm probi mores ſatis exornant, & commendata viuendi ratio. Subdantur Archelao vrbes permultæ, regio cenſu diteſcat: non tamen dicatur rex; donec ſe regem eſſe honeſtate vitæ, & morum integritate probauerit. Ergo ornatus regius ſola probitas eſt, atque innocentia; his induti veſtibus purpura pretioſioribus gradiemur ad imperium immortalitatis veri reges, iudicio ſapientium.

Ornamenta regia mentiũtur regem.

Vera regis ornamenta.

Ioſephus. Baron.

Archelaus nõ appellandus rex, niſi probos mores induat.

Alia ſuperſunt ornamentorum genera, vt minùs communia, ita non minùs ad rem præſentem accommodata. Indici reges, vt ſcribit Cęlius Rhodyginus lib. 8. lection. antiq. cap. 2. initio: vſque adeò odoribus non oblectabantur modò, ſed gloriabantur; vt & quæſitis odoribus ab vniuerſo puluere pigmentario ſummo ſtudio pedibus etiam litis, benè olerent: & præterea, ad regiæ maieſtatis oſtentationem, atque ad miraculum magnificentiæ, vbi viſendos ſe publicè præbebant, & apparebant, circumquaque argenteis thuribulis miniſtri perplures iter vniuerſum, quo vectabantur, odoribus vaporarent. Barbara planè luxuria. Sed maieſtate, ac religione pleniſſima piorum hominum dignitas, qui cum Apoſtolo 2. Corint. 2. n. 15. dicere poſſunt. *Chriſti bonus odor ſumus.* Obtinuit iſtorũ pręrogatiua, vt vndiq; ſparſus odor vniuerſi pulueris pigmentarij oleat ſuauitatem, quam expreſſit cap. 1. Leuitici ſupremus rerum Auctor, vbi compræcipitur odor ſuauitatis Domino litandus, diuino deſcribitur ſtylo, quale à ſuis holocauſtum laudis exigat Deus. Et in Exod. cap. 30. num. 23. dicitur ex verſione ſeptuaginta. *Cape aromata florem mirrhæ electæ.* His ſimilibus inſtitutionibus ſacris Dionyſius Areopagita imbutus in diuinis perſpicendis lynceus de Eccleſiaſtica Hierarchia non longè à fine dicebat, in mente ſanctorum virorum eſſe quiddam ſacrum, & refer-

Indiæ regum in odoribus maieſtas. Cæl. Rhod.

Leuit. 1.

Exod. 30.

Dionyſ.

Sanctorum mens odoribus referta.

tum

tum odoris suauitate. An non audis? parùm videbatur Theologorum principi ad extollendam sanctorũ dignitatem dixisse, sacrum quiddam in eorum mente esse, nisi addidisset etiã, illud esse refertum odoris suauitate; hoc quippè mirum in modum regiam sanctorum perficit maiestatem; quibus nominatim, Indorum regum in morem, pedes odoribus affluunt; hoc est affectus pedibus adumbrati, omnium testimonio benè audiunt.

Vel certè dicamus, Dei seruos reges esse censendos; quandoquidem apud eumdem Cęlium Rhodyginum cap. cir. circa med. leges, Persarum regum ornamentum praecipuum, & veluti dignitatis regiae tesseram fuisse auream zonam, qua circa lumbos succingebantur; benè est: neque ornatus hic desideratur ad perficiendum omnibus numeris absolutum nostrorum regum decus; quorum proprium veluti indumẽtum designatutus Seruaror Christus Lucae 12. num. 35. dicebar: *Sint lumbi vestri praecincti:* ò auream, imò, ò regiam zonam integritatis.

Persarum regum ornamẽtum.

Christianorũ Zona integritatis. Lucae 12.

Veniamus iam ad dominarum nostrorum regum, quem praestantem demonstrare, atque eximium, non erit admodum difficilè. Quod nunquam possem tàm accommodatè proponere, quàm egregiè Magnus Gregorius expressit in expositione illius sententiae, quam Elin de Deo c. 36. libri Iob nu. 7. scirè protulit, ac sapienter inquiens: *Non auferet à iusto oculos suos, & reges in solia collocat in perpetuum.* Quaeris fortassè, de quibus nam regibus sermo sit? audi Sanctum Gregorium lib. moral. 26. cap. 21. initio. *Benè sancti viri scripturae sacrae testimonia, reges vocantur: quia praelati cunctis motibus carnis, modò luxuriae appetitum fraenant; modo ęstum auaritiae temperant, modò gloriam elationis inclinant, modò suggestionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt; reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo praeesse nouerunt. Dicatur rectè: reges in solio collocat in perpetuũ semetipsos enim regendo ad tempus fatigati sunt; sed in regni erectionis interna solio, in perpetuum collocantur.* Disce, obsecro, tanto doctore, vt tàm feliciter, quàm gloriosè sis regnaturus, imò vt nunc Rex sis, disce, quae tuae sint partes: prauas cohibere cupditares, modum ponere iracundiae, mentis elationem demitrete, carnis insolentiam retundere; vno verbo, reluctari hostibus, & ab inferiori natura mille titulis rationi, & Deo debitum exigere famulatum.

Greg.

Iob 36.

Reges, qui imperant suis affectionibus.

Hũc animi sensum peracutè declarauit Sanctus Paulus Apostolus; qui scribens ad Romanos cap. 6. num. 12. ait. *Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis cõcupiscentijs eius.* Equidem loquendi modus animaduersione dignissimus. Non enim dixit cauere diligenter, ne in peccata incidatis, videte, ne vos seducat hostis versutia, aut quid simile, quod satis ad rẽ esse videri poterat: nihil tamen huiusmodi Paulo facit satis, imò nihil dixisse se putat, nisi pronunciet: *non regnet peccatum.* Quid tàm regium, quàm exteros reges alienam ditionem contra ius, fasq; tyrannico dominatu occupantes repellere, atque reijcere. Regnat peccatum auctore Paulò: qui ergo peccato aditum intercludit, regem arcet, & immanissimum tyrannum suis propulsat finibus: non quidem mea, quę nullius est momenti, sed Eusebij Emisseni, hoc est, grauissima sententia homil. 4. de Epiphania dicentis: *Tyrannico dominatu malitia in nobis regnat.* Age igitur sume animos, resume vires, vt tyrannũ pellas; ne multis regis magnanimitate fortis, fortitudine magnanimi munere feliciter perfungaris.

Rom. 6.

Peccatum tãquam tyrãnus exi[?]ciendum.

Euseb Emiss.

Accedit magno Pontifici, quem afferebam paulo ante, dignitate quidem, sed suauitate orationis, & sanctitate morum nõ minor Sanctus Abbas Bernardus; cuius ad extollendos Dei amicos, dignum illud encomium est: *Nobile regnum possidet, qui cor suum possidet: non regnat, qui in corde suo deditus seruitutibus vitiorum, praesidet urbibus, & turbis populorum. Solus is regnat, qui disposito cordis imperio, ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum, & exteriorum.* Hucusque Bernardus cap. 13. de Interior. domo circa finem. Non poterat, quod prae manibus est copiosiùs illustrari. Rex nobilis, qui Deo seruit. Quęris, quod nam sit regnum? cor. leges requiris? ratio. Famulatum desideras? animi motus ad nutum incorruptae voluntatis. O quàm egregia, ò quàm

Bern.

Rex est, qui suos motus habet in potestate.

Regiũ conditiones in seruo Dei.

inclyta

inclyta, ò quàm beata regni ratio.

Patebit clariùs, quid possit, polleatque inclytus, de quo loquimur, rex, recitata amentia Magni Macedonis.

Alexander affectat haberi pro Deo.

Alexandrum Macedoniæ regẽ, orbis vniuersi heroëm, tanquam vanissimum caput affectatę diuinitatis nota reprehendet consequentium omnium memoria sæculorum. De eo illud scitu dignum leges relatum à Pierio Valeriano lib. 43. paulò ante finem sub tit. *fama longè, lateque propagata*.

Pier. Val.

Datis ad Græciæ ciuitates litteris, nullum non mouit lapidem, vt diuinos consequeretur honores; & decreto publico Alexandrum constituerent Deum: ea res cum matrem Olympiam offendisset probatæ integritatis fœminam; rex ipse, vt inceptum excusaret, & institutum suum probaret, insigne volumen ad matrem suam conscripsit, quemadmodum legitur apud Cyprianum, quo rationes multas congerere conatus est, quibus tantam esse euinceret dignitatem regis, tantam potestatem; vt contenderet regibus apotheosim decernendam, demonstraretque inde colendi, & sacrificandi ritum inoleuisse. Augustior nostrorum regum dignitas est, & potestas C maior, & ditio amplior; quibus sine controuersia diuini debentur honores. *Ego dixi, Dij estis* Psal. 81. num. 6. De seruis Dei, quæ falli nequit, loquitur sapientia.

Psalm. 81.

Seruus Dei Deus.

Longè præcellentior nostrorum est maiestas regũ, quàm inanitas Alexandri mente conficta, ac somnijs simillima; cuius acceptis litteris publico nomine respondendũ censuit Damis, vt Plutarchus in Apop. Lacon. scribit *Concedimus, vt si ita vult, Deus vocetur*. Arguté satis dicere voluerunt, nullam omninò rationem, neque meritum esse aliud, cur rex Macedonum inter Deos referretur; nisi quod ipse ita D vellet: regum, de quibus in præsenti loquimur, ea celsitudo, is dominatus est, vt quanto minùs ab ipsis affectatur, eò promptius, ac liberaliùs à largitore maximo ipsis diuinitas concedatur.

Alexandri iactantia argutè illusa.

Confugio igitur ad Sancti Gregorij auctoritatem luculentissimè, disertissimèque in expositione quinti ex Psalm. pœnitentialibus, ad illud psal. 101. nu. 23. *In conueniendo populos in vnum, & reges, vt seruiant Domino:* sic loquentis: *Per reges eos intelligit, qui animorum suorũ motus secundum Dei voluntatẽ* A *dirigunt; eisque regum more dominantur; dum in rationis eminentia, quasi in regali solio præsidentes, repugnantia quæque, seruituti subijciunt; & pacatis omnibus æquitatis leges, & innocentiæ iura in se ipsis disponunt*. Hæc Gregorius.

Psal. 101.
Greg.
Reges qui suis passionibus imperant.

In quibus perpende, quantum polleat is, quem regem in præsentia adumbramus. Iste sanè æquiùs longè, quam Alexander tantùm pollere dicatur, vt credatur quodammodò diuinitate donatus.

Sanè Vlysses apud Homerum cæcum illum oculatissimum odyssea 19. principis decus adumbraturus, nil aptiùs se proferB re posse arbitratus est; quam suis numeris regem, tanquam viuum, ac spirans Dei inter homines simulacrum repræsentare.

Homer.

Rex Dei simulacrum, & signum.

Propterea Artabanus Themistoclem alloquens, vt Plutarchus in Themistocle scribit, dicebat: *Principem colere ne graueris; quoniam summi Dei viuum est signum*.

Plutarc.

At quod nam, obsecro, signum similius, quod expressius diuinę simulacrum bonitatis mente possumus, animoque complecti, nequaquam mutis coloribus, sed viuis virtutum lineamentis adumbratum, C quod cum viro iusto similitudine, aut congruentia partium conferri, vel in contentionem venire queat? Vt hinc etiam sit manifestum, Dei seruum regis appellatione consalutandum: quandoquidem Ethnicorum etiam iudicio, rex solummodò is est; qui Deum moribus exprimit, Deum gestis repræsentat.

Iustus Dei simulacrum.

Quis ergo non videat, quantus, & qualis sit dominatus eius, qui Deum inter homines repręsentat; is autẽ solus est vir eximia probitate spectandus. Dionem orat. 1. leges magnum discrimen recognoscere regem inter, & eum, qui regijs ornamẽtis fulgeat. Assentirer libentissimè si vellet dicere, non esse D regem eum, qui purpura micet, sceptroq; sed eum qui incorrupta probitate, & sanctitate motum summum rerum opificem repræsentet: ita vt de illo dici queat non inani adulatorum fuco, non popularis arbitrio auræ; sed diuinæ oraculo sapientiæ, sed promeritis probatissimæ sanctitatis verissimè, meritissimèque rex est.

Dio.

Inter regem, & inter ornatum regis discrimen.

Porrò, ne quid meo marte in re tanti momenti videar comminisci, christiani hominis dignitatem regiam sic explicatã accipite ab Encherio Lugdunensi Episcopo,

dum

Luca 14.

dum exponit illud Lucæ cap. 14. num.31 *Quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem*; Subdit *rex est vnusquisque fidelis, qui se ipsum, & virtutum exercitum, qui in eo est, bene regere nouit. Hic autem aduersus regem alium bellum committit; per quem Diabolum intelligimus; quem quidem, & si maiorem exercitum habet, facilè tamē superamus; si non in nostra, sed in Dei virtute confidamus.* Ista Eucherius hom. in comm. vnius martyris post medium, quæ circumfertur in Bibl. Patrum. Vide an elegantiùs, aut clariùs præstantissimus, quem adumbramus, nostrorum regum dominatus describi potuerit.

Eucher.

Iustus tamquā rex committit bellum cū diabolo.

B. Pet. Dam.

Fauet mihi suffragio Beatus Petrus Damiani, cuius iudicio, sanctorum hominum dignitas regia est, & quidem non segnis, & ingloria, sed patens, pollensq; Consule lib. 1. epist. epist. 4. ad Vgonem Abbatem circa medium, vbi loquitur in hunc modum. *Spiritualis quidam campus est, vbi more palestræ caro fragilis aduersus potestates aëreas colluctatur. Illic Iosuè, nō ille Benun; sed cælestis ductor exercitus, suos docet milites, superbas quinque regum calcare ceruices: super quos nimirū triumphalem noscitur obtinere victoriam qui totidem sensus corporum per destrictæ custodiæ cohibent disciplinam.* Meritò iniuriæ reprehenderer, nisi tanti viri fretus auctoritate nominarem imperatorem maximum eum, quem quinque regum audio glorisissimum debellatorem.

Iustus sensus comprimens si milis Iosue.

Cel. Rhod.

Saporis Persarum regis tumor insolentissimus satis notus est; dedit epistolam ad Constantinum imperatorem, vt inuenies apud Cęlium Rhodygin. lib. 8. c. 2. in fin. cuius Initiū, seu inscriptio fuisse perhibetur ad potentiā nō tàm declarandā, quàm exaggerandam. *Rex regum Sapor, particeps siderum, frater solis, & lunæ, Constantino fratri meo salutem plurimam dico.* Libeat ab Insanissimis deliramentis sapientiæ monita expiscari. Tibi maximopere gratulor serue Dei; cum non solùm inferas diuinarum contemplatione rerum sideribus caput; verum etiam frater sis solis iustitiæ disertissimè dicentis Matth. cap. 12. num. 20. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quanta porrò est potentia, dominatus qualis eius, qui condit inter sidera caput, & frater est Imperatoris summi.

Saporis tituli superbissimi.

Iustus frater solis iustitiæ.

Matth. 12.

Mihi quidem videtur notatu dignissimū, quod animaduertit Venerabilis Beda lib. 3. cap. 43. in Lucæ cap. 20. nu. 24. vbi dicitur. *Dico enim vobis, quòd multi prophetæ, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis*: Sic habet: *Quos verò Lucas multos prophetas, & reges dicit, Matthæus apertiùs prophetas, & iustos appellat: ipsi sunt enim reges magni; quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Non sententijs modò, sed verbis consentiunt patres, & sapientia religiosi, & religione sapientes, sacrarum testimonio scripturarum; idem esse Deo seruire, ac regnare; & seruum, quò Dei famulatui addictiorem eò regem esse gloriosiorem. Regia igitur talis seruitus est, quæ talem tribuit dominatum, vt rebellantes hostium turmas possit tàm fortiter non cohibere modò, sed perdere.

Luca. 10. Beda.

Idem rex & iustus.

Quæ cum ita se habeant operæ pretium erit discere, quales nos cum hostibus gerere debeamus: quandoquidem reges sumus: dicam paucissimis, & reges decet ea planè mentis infractæ constantia, qua se gessit Sebastianus Lusitanorum rex, tēpore quidem extremus, sed præstantia animi, nulli maiorum suorum secundus. Is, vt legi apud Mallonium cap. 5. de sancta Sindone, intulerat bellum Muleo Auda Mulicieco; à quo inscrutabili diuinæ sapientię consilio, non modò profligatus fuit, sed captus, captiuusque deductus fuit in seruitutem; cum verò pacis conditiones proferrentur in medium: ea fuisse dicitur omnium prima, vt si rex dimitti vellet incolumis, & libertate donari arma deponeret, & ab inimicorum arcibus inermis discederet. His auditis, Sebastianus animo etiam inter hostilia vincula libero, contradixit palam abnuitque exclamans. *Regia libertas non nisi morte amittitur*: digna sanè, & tanto principe vox; & quam imitentur quot quot Christi fideles, hoc est veri reges, cum hoste teterrimo humanæ salutis manus conserunt: si fortè suadeat violandam esse iustitiam; Quando sanę mentis corrumpere conatur consilia; cum datam

Sebastiani regis in captiuitate magnanimitas.

Mallon.

Regia libertas morte amittitur.

Dæmon conatur nos armis expoliare.

datam præpotenti Deo fidem frangi à nobis expostulat, quando nullum non mouet lapidem, vt ab oratione, vel à corporis, animique continenti afflictatione abducat: quid aliud proponit, quàm deponenda esse arma fortissima, quibus sine dubio nunquam expoliari debet quisquis regia maiestate inclytus est, quisquis magni nomen, & omen habet; Is inquam, cuius dominatus, neque minuitur vinculis, neque carcere cohibetur, Verum mihi dicenti nulla penitus adhibeatur fides, nisi disertissimi & sanctissimi hominis auctoritatē protulero. Is est Eusebius Emissenus hom. 4. de Epiph. paulò post initium vbi sic fatur. *Ordinatio Dei nostri, cum cætera animantia ad periculum propulsandum foris sufficienter instruxerit, vel velocitate pedum, vel armis dentium, vel violentia vnguium, vel mole membrorum: hominem interiorem contra hostem magis intus armauit, intelligentiæ scilicet vigore, consilio sapientiæ, virtute iustitiæ, vt pretiosior nostri portio, velut de excelsa turre, ita de secreta fidei suæ arce tutius repugnaret; vt quamlibet forti aduersario contra reluctantem animam nil liceret.* Sicuti falsò cæstitur quisquis inermem hominem dicit, quem armis benè instructum vides, ita par est, vt hæc nunquam deponat, qui rex est, infortunio quippè occumbere potest: infortunio tamen succumbere nusquam debet; fiet porrò hac ratione, vt de huiusmodi animo inclyto adeò, atque illustri, non tàm splendidè, quàm verè celeberrima illa Venusini poëtæ sententia dici possit.

Emiss.

Deus cætera animantia foris, hominem intus armauit

Lattius regnes, auidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Ita ode 2. lib. 2. quæ est ad C. Salustiū. Habebis itaq; fines regni latiores, ampliorésque disiunctissimis terrarum partibus, si tuas cupiditates noueris refrœnare, & rebellantem sensuum audaciam in officio continere, con fringere vires Dæmonum, fallaces illecebrarum hastus retundere, ac conculcare. Allata hactenus consentiunt cum eo, quod a Magno Leone splendidè æquè, ac verè pronunciatur, cuius iudicio iustorum familia censenda est dignitatis regiæ non minoris: *Genus*

Leo.

A *electum* (sic fatur serm. 6. de Natiuitate Domini circa medium) *& regium regenerationis suæ respondeat dignitati.*

Quando autem de sapientiæ regno disceptamus, quis, obsecro, certiùs hac super re ferat iudiciū eo, quam is, qui inter sanctissimos sapiens, inter sapientes sanctissimus, dū vniuerso præest orbi terrarū summo dominatu, sapientiæ etiam (quod paucorum esse ignorat nemo) perfruitur imperio felicissimè VRBANVS VIII. qui tāqnam è tripode, conscripta ad Io. Ciampolium ode decernit, principatum hominum sapientium nullis planè finibus circumscribi. B

Aureo virtus solio decora
Regnat, & regnum neque Gangis vnda
Nec maris tractus positis columnis
Ciampole, claudit.

Hisce autem in hunc modum propositis, talis fiet ratiocinatio.

Qni ornatu fulget, & dominatu pollet regio, viribusque, rex est. At quicumque Dei est seruus talis est, ergo quicumque Dei seruus rex est.

Videatur R.P. Didacus Nissenus sermone in Dominica 12. post Pent. Assump. 2.

C Legatur P. Io. Antonius Valesquez tom. 1. in epist. ad Philip. ad cap. 1. ver. 1. Adnot. morali 5. vbi expenditur quanta sit dignitas Deo seruire.

Videri etiam potest P. Didacus de Baeza tom. 2. in Euang. hist. lib. 10. c. 5. §. 7. & tom. 1. in Euang. hist. lib. 2. cap. 4. §. 4. idem tom. 3. lib. 15. cap. 1. §. 7. & eodem lib. cap. 2. §. 9.

Pręterea videatur P. Ludouicus Cresollius in Mystagogo lib. 1. cap. 4. Sect. 3. & 4.

Necnon P. Cornelius à Lapide in primam epist. ad Corinth. B. Pauli cap. 15. D vers. 28.

Videatur etiam P. Io. Lorinus in comment. in Acta. Apost. cap. 2. vers. 18.

Necnon P. Io. de Pinna in comment. Ecclesiastici cap. 6. Ethologia 80. num. 5. & sequentibus.

Prætereа videatur P. Benedictus Iustinianus in cap. 1. epist. Diui Pauli ad Roman. tom. 1. ad illa verba, *Paulus seruus Iesu Christi.*

IN CAPVT SECVNDVM Num I.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.

PARADOXVM III.

Sapiens rege honorificentior.



AVDE Anime: quid cessas? denuò altiora aggredere quam vulgaris hominum ferat opinio. Placet: ideoque palam pronuncio, planèq; profiteor, nequaquam fuisse necesse vt regis titulo salutarentur ij, qui Magi, hoc est sapiêtes, nuncupantur. Etenim cum honorificèrior sit sapientis, quam regis appellatio, manifestum profectò est Orientis principes nobilissimos honoris gratia nominari reges minimè debuisse. Quod cum ita se habeat, vt sapientiæ desiderio vehementiùs inflâmemur, demôstrabo, quo pacto sit sapiens rege honorificentior. Id autem fiet manifestum ex triplici potissimum capite.

Primò quidem ab imperij amplitudine, cui præesse credimus sapientes.

Secundò verò ab honore, in quo habiti semper fuerunt ab ipsis principibus viris omni laude celeberrimis.

Tertiò demum à suffragio virorum præstantissimorum, quorum iudicio, sapientes dignitate regibus antecellunt.

Verum antequam ad rem propositam accedamus propriùs, necesse habeo non multis innuere, quæ nã sit sapiẽtia, de qua verba facimus in præsenti. Ea vtiq; quam Lactantius lib. 4. c. 3. asserit indissolubili nexu cum Religione coniungi, inquiens, *eosdem esse doctores sapientiæ, qui & Dei Sacerdotes*. Ea vtiq; quam sapientissimus Dominus Apostolis tribuit Matt. 23. n. 34. dicens: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes*. Ea vtiq; quã ad Romanos scribens c. 16. nu. 19. commendat Apostolus dum, ait: *Volo vos sapientes esse in bono*. Ea denique cuius *initium timor Domini est*. Hanc nos fine dubio vehementiori profe-

Lactant. Sapientes sunt sacerdotes, ac religiosi.

Matth. 23.

Rom. 16.

A quemur amore, si decreuerimus sapientes regibus honorificentiores.

Age ordiamur à primo, & amplitudinem imperij, quo sapientes gloriantur dilucidè demonstremus. In quo, ne à rectissimo tramite veritatis aberrẽ, manu ducor ab ingeniosissimo Philone, qui præber mihi occasionẽ pro eo, quod in manibus est philosophandi, dum lib. de somnijs inquit: *Quot quot habent ius huius ciuitatis mundana sapientiores cæteris*. In quibus verbis non modo prædicantur ius habere in hanc rerum vniuersitatem, qui sapientia sunt exculti, quod quidem sapientium di-

Philo.

B gnitatem satis, superq; supra regiam comprobaret magnificè; sed, quod animaduersione dignum censeo, ipse loquẽdi modus indicat nescio quid: dicitur enim; *mundana ciuitas*, vt orbis terrarum vniuersus comprehendatur: quasi verò terræ ambitus quantus quantus est, qui in tot regna diuiditur, si de sapientium dominatu mentio fieri debeat, vix vnam conficiat ciuitatem. Amplior si quidem sapiẽtis est ditio & nullis terrarum finibus, nullis orarum spatijs circumscripta, *astris* etiam, vt tritò

Amplior est sapientis ditio quam orbis terrarum.

C circumfertur sermone æquissimè meritissimèq; *dominatur*. Certè tradit Diodorus Siculus Aegyptios, & Saitas suam rẽpublicam in tres ordines ita diuidere cõsueuisse, vt in primo reponerent doctrinæ, & sapientiæ deditos, penes quos sũma rerũ esset & negociorum prouincia gerendorũ. Iurè equidem sapientium subdantur dominatui, quę ad bonum reipublicę pertinent, quęq; ad conseruandum conducunt imperium, amplificandumq; nec vllus hominum ordo eximatur ab arbitrio sapientium, cum regium quiddam sapientiã esse, Aristotele magistro, pronũciare possimus. Sequitur proinde vt sapientes sint regibus honorificentiores. Istis etenim non pro-

Diodor.

In Aegyptiorum republica primum locum tenebant sapientes.

Sapientis regium quiddam est.

D uincię aliquot, aut nationes certę obediũt (vt contingit regibus; quorum ditio certis limitibus circumscribitur) sed quotquot viuunt ratione prædıti gẽmeo parent sceptro sapientiæ. Petit quippè à sapientibus quicumque compos est mentis, qualem se gerere debeat in rebus arduis aggrediendis, perficiendisq; immò nihil inconsulto sapiente decernit. Igitur sapientes tàm latè regnant, quàm latè patens conuentus hominum, tàm amplo potiũtur dominatu, qui sapientia exornãtur, quàm

Sapientie sceptro omnes ratione prædıti parent.

Gens nulla reperitur quæ imperium ir... [illegible]

longè positi sunt limites orbis terrarum. Nulla namq; natio tàm barbara est, nulla tàm remota ab vrbanitate regia, quæ detrectet imperium eius, quo auctore ad benè, beatèq; viuendum aditus aperitur. Is porrò sapiens est, quo magistro quid rectę rationi consonum, quid vtile, quid honestū, atq; laudabile sit liquidò demonstratur.

Philo.

Hæc autem ampla sunt satis, atq; magnifica, sed adhuc maiora debentur pro meritis sapientium, qui ab ipso æquissimo æstimatore Deo tanti fiunt, si Philonem audiamus lib. de Sacrificio Abel, & Cain, vt orbi vniuerso præferantur. Immo si loquẽtem lubeat excipere Philonem lib. cit. circa initium, sic inquiet: *Sunt etiã aliqui* (de sapientibus sermo fit, vt legẽti patet) *quos promouet, & volantes super omnes species, omniaq; genera prope se ipsum collocat; sicut Mosi quoq; dicit. Tu verò hic sta mecum.* Et paulo infra. *Quin, & cum in terrenis eo vtebatur negocijs, non principis, aut regis communem aliquam virtutem indidit ei, sed Deum eum constituit.*

Sapientes super omnia creata & prope Deum collocantur.

Gratulor vobis sapientes, quorum dignitas non regia, aut imperatoria, sed planè ni dicere nefas, diuina sit. Neque ab hac sententia longè aberrasse crediderim Augustinū lib. 1. de sermone Domini cap. 3. dicentem. *Sapientia est contemplatio veritatis pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei.* Vides quid conferat huiusmodi lux veritatis. Hanc micanti sapientię splendore si perspicis, Dei similitudinem, & quasi personam induis. Quando autem ita se res habet, qui obsecro sunt eius fines imperij, qui inter homines Deus esse quodãmodo perhibetur. Dicamus cum S. Iob. cap. 28. n. 18. quod vulgata legit. *Trahitur sapientia de occultis.* Hebræus verò textus effert. *Pretiosior est sapientia margaritis.* Margaritis vtiq; longè præstantior, si tantam cõfert dignitatis præcelsæ maiestatem, vt nescio quam afferat speciem diuinitatis. Ideò, ni fallor, Eccles. c. 7. n. 20. eximius veteris Ecclesiæ Concionator verissimè protulit. *Sapientia confortauit sapientem supra decem principes ciuitatis.* In Græco est. *Sapientia iuuabit*; id est plus habet virium, & pollentior est, qui sapientiam callet, quam is cui pręsto est multitudo dynastarum, ac principum, licet alioqui potẽtissimi habeãtur, ac generosissimi. Tãtum videlicet, ac tàm amplum est imperium sapientium. Verùm adhuc clariùs illustrabitur, quod dico Chaldea paraphrasi, quæ est huiusmodi *Sapientia auxiliabatur sapienti, qui subegerit concupiscentiam malam, ideò, vt non peccet magis, quàm decem imperatores, qui fuerint in ciuitate.* Intelligis quale adumbro imperium, cui decem imperatores minores, & impares sint. Intelligis, de qua sapientia loquar, de ea nimirum, quæ concupiscentiam subijcit malam, vt non peccemus.

Sapientis dignitas diuina. August.

Iob 28. Margaritis sapientia pretiosior.

Eccl. 7.

Vera sapientia subijcit concupiscentiam.

Hinc fit, vt quæ hactenus amplæ sapiẽtię commendationes sunt habitę, videri iam possint mutila planèque manca pręconia. Tale est illud apud Marcum Tullium lib. 3. de finibus in fine, vbi Cato disserit in hunc modum. *Rectiùs enim appellabitur rex* (sermo fit de sapiente) *quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit: rectiùs magister populi quàm Sylla.* Disertiùs sine dubio ac clariùs cecinit Q. Horatius Flaccus lib. 1. epist. epist. 1. quę est ad Mecenatem in fine.

Cicero. Rex insipiens regio nomine indignus.

Horat. Regna sapiẽtes recusant.

Ad summã sapiẽs vno minor est Ioue, diues
Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regũ.

Perspexerunt id gemina illa sapientię lumina in toto litteratorũ orbe clarissima Empedocles, & Pittacus, quorum primus, vt Laërtius in vita tradit, oblatum imperium recusauit, malens pręceptis obedire sapientię, quàm hominibus imperare: secundus verò post aliquod tempus abdicauit se imperio, vt habetur lib. 1. §. ad Trebell. quia experimẽto didicerat honestius esse vacare bonis artibus, quàm regio diademate exornari. Eandem ferè de Platone sententiam tulisse comperio, & litterarũ, & pietatis studio celebrem S. Hieronymum epist. ad Paulinum paulò post initiũ scribentem his verbis: *Dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur (Is enim Athenis relictis, studia discendi, longissimas susceperat peregrinationes, octo, & viginti annos natus, vt auctor est Diogenes Laërtius in vita paulò post initium, in Cyrenen abijt, & illinc in Italiã ad Pythagoreos, & hinc in Aegyptũ, & rursus Athenas petijt) captus à piratis, & venundatus etiã tyranno crudelissimo paruit captiuus, vinctus, & seruus, tamẽ quia philosophus, maior emẽte se fuit.* O eximium sapientiæ priuilegiũ, ò singularem philosophiæ prærogatiuã qua non eximimur modò ærumnis, sed ipsis

Hieron.

princi-

Solo Ioue minor est sapiēs.

principibus, quorum imperio præmi videmur, maiores efficimur. Ergo si principibus maior efficitur, si solo Ioue minor est sapiens, quibus obsecro, & quàm longè, latèq; patentibus imperij finibus perfruitur? Profectò amplissimis.

Quamobrem mirum nemini debet esse si tanto semper in honore fuerint sapientes apud principes viros omni laude celeberrimos; & venimus iam ad illud, quod secundo loco propositum fuit. Nota sunt tàm è sacris, quàm è prophanis litteris petita decora, quibus exornatos fuisse accepimus sapientes à principibus

Sapientia ad sc[illegible] multos euocauit.

viris. Profectò ad sceptrum Aegypti Iosephum extulit sapientia, vt legitur Genesis cap. 41. In principis maxima Darij aula ad honores euexit Danielem sapiētia quemadmodum dicitur Danielis cap. 6. Xenophontem, vt Diogenes Laertius in vita, Cirus, atque Agesilaus principes coluerunt, vt pote sapientia præcellentem, Caium Plinium ad imperatoriæ classis imperium sapientia euocauit. Quo circa non fuit Alcidamanti laboriosum demonstrare, vt Aristoteles lib. 2. Rethoricorum scribit, homines sapientia præditos præcipuo honore non apud omnes modò, sed etiam [illegible] omnes habendos. Hinc similiter Od[illegible] ç ptimo Socij Vlyssis non possunt admirari satis, quo tandem pacto fierer, vt vbique terrarum tanti æstimaretur ab omnibus, ac tàm eximio esset in pretio litteris poetarum, ac linguis celebratus Vlysses. Sapientiæ nimirum talis est dignitas, ac tanta præstantia, vt sapientes colere, sapientibus subijci, à sapientibus iussa capessere, habeatur ab omnibus gloriosū. Sanè lib. 3. Regum, cap. 3. laudatur Salomon, quod regno prætulerit sapientiam.

Sa[illegible]on re- [illegible] tulit [illegible].

Sanè Persæ, vt Agathias lib. 2. scribit præcipua veneratione prosecuti sūt Cosdroā, non quia amplissimo frueretur dominatu potentissimi regni, sed quia Platonis libros ex tempore po[illegible]et interpretari. Imò quod maiorem sibi vindicat admirationem, id barbaris etiam exploratum fuit, vt apud Arabes prouerbio circumferretur *Disce scientiam ò puer vt sis imperator.* quemadmodum legitur in libello Adagiorum Arabicorū centuria 2. Prouer. 2 r. quia nimirum, nulli patet ad imperium aditus nisi sapientia exornato.

Insensissimū Licinij imperatoris odium in sapientes.

Vituperabitur, & meritò omnium consensu sapientium Licinius imperator, qui, vt tradit Victor in vita Constantini, Constantij, & Helenæ filij, odio insensissimo, & plusquam vatiniano prosequebatur sapientiæ sectatores, vsque adeò, vt bonarum artium studia reipublicæ pestem, atq; virus imperij nominaret. Cuius sententiæ rationem percontanti respondere m, ideò fortasse imperatori cæteroqui etiam non admodum commēdato innisos fuisse sapientes, quia æquo animo ferre non poterat eos, à quibus eximia apud omnes veneratione, ac singulari reuerentia ob præstantem, qua supra cæteros attolluntur, dignitatem superabatur. Truculentum Paiazeti facinus dum recito rem proposi tam cōfirmo vberiùs. Othomannici exercitus imperator eo tempore celeberrimus fuit rerum benè gestarum fama probatissimus nomine Acamet inter Turcarū dynastas omni bel[illegible] commendationis genere facile princeps Tanti ducis inuicta fortitudine probe perspecta, ac præclaris de hostibus relatis victorijs auditis, imperauit nunquam veriùs Turcarum Tyrannus Paiazetus, Acamet morte mulctandū, execrando penitus exemplo crudelitatis, non aliam necis indignissimè causam afferens, quam nimiam, vt ipse dicebat, sapiētiam, & virtutem eius, quem condemnabat. Quod dum refert Ioannes Botetus lib. 1, dictorum memorabilium Virorum illustrium monet futurum fuisse, vt tyrannus nequaquam modis sæuiret tàm diris, nisi animaduertisset maiori apud omnes in honore esse Acamet commendatione virtutis, & laude sapientiæ, quàm ipsemet imperator, licet purpura micās, ac sceptro potens. Tantum iure suo honoris vindicat sibi etiam apud Barbaros sapientia, vt mirum nemini videri debeat, si dicamus sapiētem quouis rege honorificentiorem. Equidem loquar ijsdem verbis, quibus Demetrius apud Senecam lib. 7. de beneficijs cap. 10. in fine. *Ego regnum sapientiæ noui magnum, securum,*

Truculentum à Paiazeto patratū facinus in sapientem.

Ioann. Bot.

Seneca

Ingens profectò præmium ac merces eximia, sed omninò impar pro meritis sapientium, quos regibus præferendos suo etiam suffragio imperatores præstantissimi comprobarunt. Etenim, vt Aelianus scriptum reliquit lib. septimo, cap. 21. &

Aelian. Principes viros sapientes maximi fecerunt.

vltimò

vltimo Cęſar, & Pompeius duo belli fulmina tanto proſequebantur honore ſingulari ſapientia exornatos, vt eos non modo adire frequentes, ſed colere, ac venerari quodammodo viderentur. Ariſtonem frequentabat Cæſar, Cratippum Pompeius, quos in tanto habebant pretio, vt ipſis inconſultis nil auderent decernere, & qui imperio fruebantur ampliſsimo ſubijcere ſe ſapientibus glorioſum eſſe arbitrabantur. Quanta Philoſophorum dignitas, quanta litteratorum celſitudo maximos Principes habere ſubiectos, & imperatoribus imperare? Commēdabitur ſemper Imperator Traianus, de quo Philoſtratus in Dione ſcribit, tanti feciſſe Dionem ſola ſapientiæ commendatione clarum, vt aureo curru, quo triumphum agebat, ſecum euehi iuſſerit Dionem, quaſi ſocium, ac collegam triumphi. Parum quippe optimo ſapientium æſtimatori videbatur quidquid ad exornandum doctiſſimi Dionis promeritum præſtitiſſet, niſi illum rege maiorem, ac ſummo terrarum orbis imperatori, & quidem triumphum agenti planè parem effeciſſet. O palmarem litteratorum gloriam, ò decus vnicum ſapientium.

Ariſtone & Cratippo inconſultis Cæſar ac Pompeius nil decernere audebant.

Dionem ſapientē Traianus curru in triumphum euehi ſecum, iuſſit.

Philoſtratus.

Quod ſubijcio leges apud Pliniū lib. 7. cap. 30. paulo poſt initium. Cneus Pompeius confecto Mithridarico bello intraturus domum Poſſidonij, commendatione ſapientiæ clari fores percuti de more à lictore vetuit. Hic ego ſi dixero magni Pōpeij iudicio nequaquā imperatori ſubiectum eſſe ſapientem, plus æquo videbor extollere exiſtimationem litteratorū. Sed re vera fierē ex procuratore prævaricator, diceremque lōgè minora pro meritis ſi id prętermitterem. Au[illegible] qu[illegible] abnuis, Plinium loco citato, ſic loquentē. *Faſces lictorios ianuæ ſubmiſit [illegible] cui ſe oriens, occidenſq; ſubmiſerat.* Magni pr[illegible]ecto p[illegible]deris auctoritas pro ea, quam in pręſenti ſuſcepi parte, ſed longè maioris [illegible] eſt, ſi Pōpeio Cæſarem Auguſtū addas; neque erit, vt arbitror iniuc[illegible]ū tantos imperatores, animis, atque [illegible] agnoſcere pares, quantum attinet ad decus, dignitatemque ſapientium. De Cæſare ſcribit Plutarchus, cum Alexandriam inclytam quondam vrbem victor, ac triumpho geſtiens nobili[illegible] eheretur, d[illegible]gnio-

Plin.

Cn. Pōpeius percuti oſtio vetuit Poſſidonij domū.

Plutarc.

tem locum Arrio Philoſopho conceſſiſse, iudicaſſeque ſatis ſe imperatoriç dignitatis exiſtimationi conſultum, ſi poſſet in ſecundis conſiſtere coram ſapiente. Quæ equidem vt nemo non videt ampla ſunt, & honeſtiſſima ſapientibus collata decora a potentiſſimis Principibus, ijſdemque gloriæ cupidiſſimis. Nunc tandem petitio quid dicere vellet Apophtegmate nunquam obliterando Iulius ſecundus Romanus Pontifex, de quo mentionem facit Ioannes Boterus lib. 1. dictorum Memorabilium Virorum illuſtrium non longè ab initio. Dictitabat inter ſapientiſsimos optimus, inter optimos ſapientiſsimus Pontifex: Sapientiam in plebeijs hominibus argentum eſſe, in nobilibus aurum, in Principibus verò vniones, & gemmas omni teſauro ditiores. Non poterat, [illegible] iudice, aptius declar[illegible]i præſtans ſap[illegible]tię dignitas, quæ tantum poteſt, pol[illegible]; vt non modo tollat [illegible]mo hu[illegible]i ge[illegible]re n[illegible]to[illegible], ſed exornet patritios, & q[illegible]d mitere [illegible]s, principes ipſos ſupra fortu[illegible] P[illegible]cipis c[illegible]t, & n[illegible]bi[illegible]ori q[illegible]m a que excel[illegible]ri in gradu collocet.

Cæſar triumphum agens dignorem locum ſapienti Arrio concedit.

In B[illegible]

Iu[illegible] P[illegible] [illegible]

S[illegible]ſt autem, vt ſapientium, hac ſuper re a[illegible] ſent[illegible]ntijs, quod proſequimur fir[illegible]ùs ſtat[illegible] a[illegible]us. Occurrit ante alios mortalium ſapientiſsimus Salomon inquiens Sapientiæ 7. num. 7. *Venit in me ſ[illegible]ritus ſapientiæ, & præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum exiſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Hucuſque Salomon. Digna ſanè eo viro oratio, cuius ore ipſa Sapientia loquebatur. Verum id adeò perſpicuum eſt, vt orbatis etiam vera a[illegible]rum l[illegible] mentibus fuerit manifeſtum ſanè apud Mahometicæ perfidiæ ſectatores adagij loco decantabatur intrituijs, vt habetur in citato Adagior. lib. centuria 2. Prouerb. a 2. *Scientia diadema eſt puero, & intellectus torques aureus.* Aureum ſine dubio monitū, quo docemur principis ornamentum, nullum pretioſius excogitari poſſe, atque præſtantius, quam quod à ſapiētia reportatur. Enimuerò copioſè non minùs, quam vere decernitur tantam

Salomon omnibus gemmis prepoſuit ſapientiam.

Sap. 7.

tantam esse sapientiæ dignitatem, vt cum A illa non opes modò, atque diuitiæ, sed ne ipsa quidem regia dignitas in contentionem venire queat. Propterea maximus litteratorum Aristoteles cap. 9. Politicorum docuit, si contingeret quempiam omnibus sapientiæ numeris ornatissimum, & quod inde cõsequens est, homine maiorem inter homines viuere, æquissimum futurum, vt huic populi pareant omnes, & famulatu venerentur maximè obsequioso. immo videtur apertè velle philosophus non posse reliquos omnes sine iniuria non obedire ei, quem supra fastigium hominum sine vlla controuersia sapientia extulisset. Vt mirum videri non debeat si oculatissimus idem philosophantium apex 2. Rhetoricorum moneat, solenne esse sapientibus censere se dignos appellatione regis. Id quidem intellexisti tu pridem cordate Socrates apud Platonem decernens feliciter orbi terrarum cessura omnia si imperauerint sapientes, quorum pro meritis omnis dignitas minor est. Vnde apud Homerum in Iliade: Græci malunt Calcantis, quam Agamemnonis iussa capessere, & qui principis detrectant imperium, iussa sapientis venerantur quodammodo religiosè. Tanto semper omnium iudicio præstantiùs, ac digniùs Principibus imperant sapientes, vt eo magis rectæ rationi sit consentaneum, promptius præ ipsis imperatoribus venerari sapientia exornatos.

Sapienti omnes parere æquissimum est.

Plato.

F[illegible] ce[illegible] dunt omnia sap[illegible] im perante.

Homer.

Græci iussa malunt capessere Calcantis quam Agamemnonis.

Profectò qui pollet sapientia iure censetur dignissimus principatu, vt demonstrat Plutarchus lib. de doctrina principum, qui habetur tomo 2. opusculorum, vbi etiam non commemorat modò cursim sed diligenter examinat dictum Alexandri Macedonis. Hic cum Corinthi vi- D disset Diogenem, eiusdem consideratâ sapientia, cuius commendatione miris laudibus extollebatur ab omnibus Diogenes, dixisse fertur imperator: *Ni Alexander essem, Diogenes essem*. De qua sententia sententiam ferens Plutarchus acris vir ingenij, ac mentis maximè perspicacis subdit: *Ob hoc magis etiam Diogenem fieri conueniebat, quod Alexander esset*. Ita Plutarchus: & sanè non sine acumine. Videlicet Alexander, hoc est gloriæ, & imperij maximè cupidus homo, quia flagrātissimè cupiebat regię dignitatis maiestatem, fieri Diogenes debuisset. Erras enimverò Macedonum maxime fortunā tuam Diogenis sapientiæ anteponens, aut pluris faciens tuum dominatum quā illius philosophiā. Hãc præferre debueras: honorificentior quippe sapientia, & corona dignior est, quàm imperiū, aut principatus.

Plutar.

Alexandri de Diogene dictum.

Alexander errauit pluris faciens fortunā suam, quam sapientiam Diogenis.

Iam patebit facilè, quàm inutilum, quā diminutum, quàm mancum fuerit Themistij encomium ad exornandos sapientes, speciosum licet videatur primo aspectu, ac gloriosissimum. Dicebat enim orat. 15. neque draconem purpureum, neq; argen- B team aquilam (celeberrima olim insignia imperantiū) facere imperatorem, si desit ea sapientia, quæ ad moderandum cum laude imperium supra quam dici possit necessaria est. Mihi vt verum fatear istheç commendatio impar videretur omninò, nisi ex illis, à quibus illustratur sententia, aquila videlicet, & dracone repręsentari crederem sapientes. Equidem procul dubio perspicacissima aquilę oculorum acies, & semper vigil draconis solertia sapientes adumbrant, vt ex his symbolis sta- C tuamus, imperia cum laude moderari non modò soliùs esse sapientis, sed præterea principem sapientia fieri, quę si desideretur nullius pretij futurum est decus, ac dignitas penitus nulla Dinastarum, ac regum. Verè Clemens Alexandrinus, & appositè lib. 6. Strom. aliquanto ante finem sapientibus nomen tribuit regis eorumq; dignitatē regali nomine consalutat.

Them.

Sapiens regali nomine cõsalutatur.

Cum autem tantam esse dicerimus sapientium dignitatem, si forte quęras, quā sublimis ea sit, & quàm præstans, paucis aduerte, docebo: dummodo in memoriam interea reuocemus ingeniosū Pauli Aemilij inuentum, quod tradidit posteritati Plinius lib. 34. cap. 8. paulo post initium Hic Romę in eadem æde, Fortunę signo Minerue simulacrum coniunxisse fertur, quod à Polycleto fuerat expolitum vsque ad miraculum artis. Vt exploratum esset apud omnes, Romanum imperium felix, faustumque futurum si fortunæ sapientia iungeretur. Iactantur regna, vt neminem latet, pręcipiti circumuectione fortunę, vt insanum loquitur vulgus, nos rectiùs dicemus certo diuinę arbitrio sapientię circumuoluuntur. Vnde Hecuba apud

Plin.

Cur fortunæ signo Mineruę simulacrum coniunctum.

Senecam in Troia, ſcena prima ipſo initio lamentabatur his verſibus. A

Quicumq; regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit Deos,
Animumque rebus credulum lętis dedit.
Me videat, & te Troia: non vnquã tulit
Documenta fors maiora.

Ab imminentibus huiuſmodi aduerſantium calamitatum periculis vna eximit ſapientia, quæ quoniam reges à diſcrimine vindicat, præſidium, & decus regum eſt, immo tutela regnorum. Conſequitur igitur, ni fallor vt maiori haberi debeat in honore ſapiens, quàm rex.

Hinc porrò non recedam, niſi allatis auctoritatibus vim, atque momentum addidero rationis. Liceat igitur innuere curſim, videri mihi quæ hactenus dicta ſunt, & maximè conſentanea, & vnicè reſpondentia rationi. Quotus quiſque enim eſt, qui non intelligat mentis imperium, animique dominatum tanto cæteris antecellere, quanto dignior eſt animus corpore, & quanto ęquiùs ratio eſt ſenſibilibus præferenda. Præſtat ſapiens imperij nobilitate reges purpura, ſceptroque micantes. Iſti quippè regunt imperio populos: affectiones ille pro arbitrio moderatur. Iſti tumultuantes ciues, & plebem multorum capitum belluam ille rebelles, reluctanteſq; motus animi coërcet, & continet in officio. Iſti imperant alijs non rarò ſui impotentes: ille ſibi ſemper modum ponit. Præſtat ſapiens imperij diuturnitate eos, quos regali elatos faſtigio veneramur. Abit ille, non obit. Etenim inſtitutionibus, & præceptis ad publicam poſterorum vtilitatem editis viuit etiam poſt mortem fama meritorum. Iſti luctuoſa rerum cataſtrophe concidunt breui, quorum memoria perit cum ſonitu, cum à regalis aulæ amplitudine deferuntur ad tumulum. Latiùs regnat, qui vltra rerum procreatarum terminos porrigit fines ditionis ſuæ: contingit id regnatrici ſapientiæ, cuius extrema linea diuinitas eſt. De Romano quondam imperio decantabatur.

Mentis imperium cæteris antecellit.

Præſtantiores ſapientes regibus.

Diſperſit cum Sole manus.

Quanto porrò latiùs imperant, qui non modo trans Indum, & Gangem, non modò vltra columnas Herculeas, terrarumque tractus quàm maximè diſſitos, ſed ſupra ſidera in ipſo beatarum mentium domicilio dominatur. Demum ſi rex Senatoribus, ſapiens virtutibus: ſi rex opibus, ſapiens bene factis gloriatur: & negabis hunc illo honorificentiorem? Facit pro me D. Ioannis Chryſoſtomi inductio lib. 2. ad Gentilem, & infidelem patrem ante medium, vbi veriſſimè, & eloquentiſsimè decernit Platonem Areſtonis filium Dyoniſio Siciliæ Tyranno, & Socratem Archelao, & Diogenem Alexandro, & Ariſtidem Alcibiade illuſtriores longè, & glorioſiores fuiſſe non ex alio capite, quàm commendatione ſapientię. Vſq; adeò ſapientiæ decus præcellit æſtimatione, ac pretio regiam dignitatem. Quod cum ita ſit, nequaquam temeritatis ſunt arguendi præſtantiſſimi illi philoſophi, quos regio indumento vti ſolitos fuiſſe ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 5. Gen. dierum. cap. 18. aliquanto poſt medium. Talis Pythagoras, quem auream geſtaſſe coronam, & non rarò purpuratum inceſſiſſe ait. Talis Gorgias, quem purpura fuiſſe conſpicuum aſſeuerat, quod & Empedocli Agrigentino refert fuiſſe familiare: decet enim idem ornatus veſtium, quos præcellentes facit dignitas non abſimiles. B C D

Chryſ.

Nouum philoſophorum indumentum. Alex. ab Alex.



IN

IN CAPVT SECVNDVM Num. I. & II.

Cum ergo natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes. Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

PARADOXVM IV.

Solùm qui sapit sibi, minimè sapiens.



QVOTIES principum Orientis, quæ ab Euangelista memorantur, facta animo, & cogitatione complector attentius, cōpellor dicere, eos esse verè sapientes. Vix enim Ierosolymam tenent, cum natum Iudæorum regem tàm publicè prædicant, vt omnibus innotescat. Enimverò pijs principibus satis esse non poterat offerre munera nato Deo. cum enim minimè sapiens sit, qui soli sibi sapit: par fuit, vt notionem diuinitùs acceptam alijs communicarent. Docuit id Philo Iudæus inquiens. *Est vir probus non suum tantùm, verùm etiam publicum bonum omnium, promptè suam opem offerens. Sicut enim sol omnibus lucet habentibus oculos: sic sapiens omnibus, quot quot sunt ratione præditi.* Ita Phil. lib. de somnijs post med. Illustre sanè præbet sapientibus exemplum luminum parens; vt, sicut ille omnibus lucet, sic isti omnibus sapiant.

Magi sapientes, quia sapientiam alijs communicant.

Philo.

Sapiens similis Soli.

Xenophon (quemadmodum didici à Dionysio Lambino in ode 3. lib. 1. Q. Hor. circa finem) vt sapientiam inutilem demonstraret, vti solebat exemplo Dædali, A qui à Minoë captus, & in carcerem vna cum filio coniectus, nouo, & post homines natos inaudito alarum remigio ita è custodia elapsus est, vt filium amitteret: quem videlicet non docuerat artem volandi. Hic acri Xenophontis iudicio è sapientium albo expungendus est: inutilis quippè eius sapientia censenda est, qui soli sibi prospicit. Quamuis non est, cur hic immorer diutiùs; cum longè grauiori auctoritate id ipsum confirmare queam. S. Bernardus quippè in hanc sententiam sic fatur. *Apostolus, cum de distributione donorum loqueretur, non ait simpliciter,* B *alij datur sapiētia, sed addit dicens, sermo scietia sermo sapientiæ: vt ostenderet, quod huiusmodi dona propter alios dantur; scilicet, vt alij ædificētur.* Hęc Sanctus ser. 53. ex paruis circa med. Habes cur viti à sapientia nuncupati Magi tàm publica prædicatione testentur editum in lucem lucis auctorem, vt hinc etiam percipere facilè possis, quæ tuæ sint partes, vt tanti mensuram nominis impleas, qui sapiens dicerìs. Equidem id sibi voluisse visus est benigno flammarum impetu deuolutus in terras diuinus Spiritus ipso Pentecostes C die: si quidem, vt doctoris officio fungeretur (*cum venerit Paraclitus ille vos docebit omnia.* Io. 14. 26.) flammas suas non exitiosos glomerauit in vortices; sed blandas crispauit in linguas. Enimverò, si diuini amoris doctrinam explicabat, cor symbolum aptiùs fuisset, quàm lingua; cor, inquam, quia sedes amoris, & quia amor vox cordis, si S. Bernardum audiamus. *Sermo cordis affectio est.* Ita Sanctus declam. de bonis deser. non multò ante med. Verùm linguæ fuere non corda, quia in eam gratiam diuina imbuebantur sapientia; vt Christianæ charitatis arcana alijs aperirent: neque enim sapientes censeri debuissent, nisi se vniuerso terrarū orbi doctrinæ prædicatione, miraculis D sapere comprobassent. Propterea eum Sancto Leone inferre licebit. *Ergo nullus bonus sibi soli est bonus; nec cuiusquam sapientis sibi tantum sapientia est amica.* Ita Sanctus serm. de S. Laurentio non multo post initium. *Non sum vni angulo natus* dicebat de se non tàm magnificè quam verè sapiens Seneca ep. 28. circa med. probe tenens; nihil tàm indignum

Dedalus non meretur nomen sapient.

Bern.

Sermo sapientiæ quid.

Spiritus Sanctus cur datus Apostolis sub forma linguarum.

Ioan 14.

Bernard.

Leo.

Nullus bonus sibi soli est bonus.

excogi-

A excogitari posse ea, quam profitebatur sapientia, quàm abdere se se intra angulos priuatæ vtilitatis.

Sapiens imitator naturæ.

Plin.

Memorandum, obsecro, apophetgma, & si dicere fas est, oraculum Laertij in Diogene Stoico perpendamus, cuius iudicio, ea inter præcipuas sapientis dos est, vt naturæ imitetur ingenium, ita vt naturam sequi, & pari passu cum natura incedere videatur. Vt verum fatear ignorarem, quid sibi velit hęc sapientis cum natura collatio; nisi ad dignoscendum, quodnam sit naturæ ingenium à Plinio manu ducerer; apud quem his verbis ipsa met natura loquitur. *Ego succum vini, liquo-* B *rem olei gigno; ego palmas, & poma totque varietates; neque vt tellus omnia per labores, aranda tauris, terenda areis, deinde saxis, vt quando quantoque opere cibi fiant: at ex me parata omnia, nec curuo adoranda aratro, nec cura laboranda; sed se se porrigentia vltrò, & si pigeat attingere, etiam cadentia. Certauit ipsa secum, plusq; vtilitatis causa genuit etiam, quam voluptatis.* Sic apud Plin. in proœmio lib. 23. paulo post initium. Discat sapiens imitari naturam; cuius vt insistat vestigijs, videat quanta feracitate certare debeat iple secum causa alienæ vtilitatis. C

Natura beneficentior, quã terra.

Lactan.

Alijs non studere latronum est.

Seneca.

Nunquam non commendabo dignissimã commendatione cẽsuram, qua Lactantius Firmianus Epicurum perstrinxit, eo quod, cum asserat munus esse sapientis vacare sibi: mancam, ac mutilam, imò nullam efformet, nisi veriùs deformet sapientiam. Docet enim, nullam esse humanã societatem. Verba Ciceronis Christiani. *Sibi quemque consulere: neminem esse, qui alterum diligat, nisi sua causa. Est planè cur quisquam putet hanc vocem esse sapientis, quæ potest latronibus aptissimè commodari.* Ita Lactantius cap. 17. D lib. 3. qui est de falsa sapientia in fine. Equidem sapientiam ne a primo quidem, vt aiunt, limine salutauit, qui potissimam sapientię partem adimit, quæ est alienis vacare commodis, & omnium seruire felicitati. Profero iterum Senecam; imò sapientiam sic loquentem. *Ego sic viuam, quasi sciam alijs me natum; & natura rerum hoc nomine gratias agam: vnum me donauit omnibus.* Ita lib. de vita beata, cap. 20. circa medium.

Chrys.

Mala vxor gymnasium philosophiæ.

A Ingeniosum est quod ad præsens institutum ex D. Chrysostomo traducere possum: sic enim hom. 26. in cap. 11. epist. 1. ad Corint. paulo ante med. scribit. *Fertur quemdam externorum philosophorum cum malam haberet vxorem, prauam, temulentam; & interrogaretur, qua gratia eius mores toleraret, respondisse: vt gymnasium, & palæstram philosophiæ domi habeam.* Hæc Chrysostomus. loquitur autem, nisi fallor, de Socrate; qui diù, & acerbissimè à Xantippe vxore, siue potius domestica furia vexatus, illustre præbuit specimen animi moderati, quemadmo- B dum scribit Seneca lib. 18. epist. ep. 104. post med. inquiens. *Accipite Socratem per omnia aspera iactatum, inuictum fame, & paupertate, quam grauiorem illi domestica onera faciebant; & laboribus, quibus ille domi exercitus, siue vxorem eius spectes moribus feram, lingua petulantem, siue liberos indociles, & matri, quàm patri similiores.* Illud hic animaduerto quod ex sententia Chrysostomi à Socrate responsum fuit: videlicet has domesticas turbas ferri a se æquo animo vt domesticos intra parietes gymnasium, & palęstrã haberet philosophiæ. Videlicet quidquid C agit philosophus, etiam cum intra priuatos lares concludi videtur, totum, inquam, publica eruditio est, atque ad omnium vtilitatem communis institutio.

Seneca.

Sapiens omnia agit ad aliorum vtilitatem.

Tacitus.

Sapientes qui publicã procurarunt vtilitatem.

Athen.

Philostr.

Laer.

Vt autem in animum inducam meum, sapientem non esse, nisi eum, qui publicæ vtilitati dat operam, persuadet in primis clarissimorum virorũ inductio; quos ideò sapientiæ principes æqui rerum æstimatores decernunt, quia non sibi vixere, sed omnibus. Testis mihi Seneca, quem scribit Tacitus lib. 13. Annalium in Neronis aula ingenium, & industriam in id collocauisse, vt Romanum cum laude imperiũ D administraretur. Testis mihi sit Athenion Peripateticus; quẽ scribit Athenęus lib. 5. cap. 13. Mithridati fuisse à consilijs. Testes mihi septem illi, quibus à sapientia cognomen fuit, quorum consilijs Artaxerses imperium moderabatur. Testis Dion quem Traiano præluxisse in rebus arduis sapientiæ face Philostratus scribit in eius vita: vt sileam Aristotelem apud Alexandrum, vt Laërtius tradit: Apollodorum apud Augustum; Valentem apud Claudiũ,

vt Phi-

vt Ph[illegible]stratus refert, post habita rerũ cõtemplatione, dedisse operã rei benè gerẽdæ ad publicam populorum vtilitatẽ. Hi nimirum verè sapere dicendi sunt; qui non sibi solùm, sed omnibus sapere satagebant.

Possem hic ego, tàm ex sacræ, quàm ex prophanæ historię monumentis eorum catalogum texere sapientium, qui suo docuerunt exemplo sapientiam minimè degenerem, verèque germanam eam esse, quæ non vacat sibi, sed publicæ laborat vtilitati. Equidem meo iudicio, is solùm sapit, quem ab otio retrabunt contemplationis iura regnorum, negotia principum, arduę rerum publicarum administrationes. Talem fuisse apud Aegyptios in aula Pharaonis Iosephum negabit solùm, qui non legerit cap. 41. Genesis, & deinceps: talem fuisse Danielem apud Babylonios in aula Nabuchodonosor regis, negabit solùm, qui non legerit caput 14. & vltimum prophetię eiusdem Danielis: talem fuisse Baruch apud reges Iuda, negabit solùm, qui caput primum eiusdem prophetię non legerit: vbi di[illegible]retissimè dicitur num. 3. *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoni[æ] filij Ioachim regis* (Baruch. 1) *Iuda, & ad aures vniuersi populi*. Videlicet m[illegible]ri suo fecisse satis se minimè arbitratus fu[it] vir cœlesti plenus sapiẽtia; nisi quẽ sanctissimis lucubrationibus confecerat librum, principibus, ac populo declarasset. Periisset populus Iudęorum, nisi Esdrę sapientia singularis regis Artaxerxis flexisset animum ad totius bene gerendę rei prouinciam Esdrę humeris imponendam, vt patet ex epistolis eiusdem regis ad Esdram datis; quarum exẽplum legimus lib. 1. Esdrę cap. 7. à nu. 12. & deinceps. Enimuero impar sectatorum sapientię pręconium est clandestinis sudoribus ope[ram] dare eruditioni, nisi eorumdem laboribus vniuersa respublica instauretur, atque instituatur. Is sapit, cui Senatorum aula pro exedra est: is sapit, cuius consilijs gubernantur imperia; is sapit, cui pro [illegible] ludo, quantus quantus est, aperitur orbis terrarum.

Neque ob aliam causam principes viri apud omnem antiquitatem celeberrimi habuisse perhibentur, vt Aelianus loquitur lib. 12. cap. 25. adiutores imperij viros eximia sapientię commẽdatione pro- (Philosophi consiliarij regum.)

A batissimos. *Vlysses* delegit Alcinoum, Achilles Chironem, Agamemnon Nestorem, Telemachus Menelaum, & Hector Polydamantem. Quis nesciat quod mox allatus auctor loco citato scribit, Hieronẽ Dinomenis filium vsum fuisse Simonide Cœo, Polycratem Anacreonte, Xenophõtem Proxemo, Antigonum Zenone. Vt interea missos faciam, è Romanis fastis petitos Imperatores, quibus culti sapientia viri fuere à consilijs. Lucullo profuit Antiochus Ascalonita, Mecœnati Arius,
B atque Augusto Athenodorus.

Atque vt orationem ad grauiora conuertamus, placet mihi B. Petri Damiani ratio; qua vtitur ad excitandos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopos, (Cardinalium Episcoporum officium.) datã ad ipsos Epistola, quæ est prima lib. 2. initio; vt suo doceant exemplo viuendi rationem, vt corrupto sæculo sapientia, ac probitate medelam afferant, vt talem ducant vitam, quæ cohibeat viuendi licentiam improborum. Hoc vt impetret loco citato ait S. Cardinalis. *Sæpe namq; melius ipsi discimus, dum docemus; & quasi proprio ore compellimur exequi, quod alijs inculcamus Salomone attestante, qui ait* (B. Pet. Dam.)
C *Prouerb. 16. Anima laborantis laborat sibi; quia compellit eum os suum*. (Prouerb. 16.) Desint reliqua omnia, quæ suadere possent, sapientis esse non vacare sibi, sed desudare alijs, (Docendo discitur.) nec quidquã habeat roboris vtilitas aliena ad permouendos sapientium animos, vt publicę seruiant vtilitati; saltem non desint suæ; & quando tunc discimus, cum docemus; doceamus incorruptam viuendi rationem, morum integritatem, re, verbo, industria omnibus prodesse satagamus; ne nobis deesse dicamur; quia negligimus discere dum docere prætermittimus, & magnam amittimus sapientiæ partem, si
D nobis solummodò studeamus. Prudentiam tenes, calles iustitiam, temperantiam colis, probitatem, fidem, mansuetudinem, vno verbo veræ sapientiæ partes omnes nexu stringis felicissimo, bene est: at è domesticis latebris caput exeras, necesse est; ne tanto lumine orbus orbis diutiùs viuat. Friget sine theatro sapientia, & renuit angulos orbi nata.

Ancipiti cogitatione distrabor, neque decernere facilè possum, quis feliciùs explicuerit quod prosequor, Seneca verbis,

an verò

Seneca.

an verò Sennacheribus facto vere memorabili. Seneca quidem de virtute verba faciens, sic scribit epist. 8. *Rectum iter, quod serò cognoui, & lassus errando alijs monstro*. Percipis, vel me tacente, oleum, & operā eum perdidisse, qui diu multumque desudauit in capessenda virtute, nisi illam alijs monstret. De rege Sennacheribo scribit Herodotus lib. 2. Cum in templum armatis copijs irruisset, victusque esset, à sacerdotibus cœlesti prodigio (mures enim immissi è cœlo exercitum deuastarunt) sapientium suffragijs Sennacheribi statua posita est in templo murem manu habens, cum hac inscriptione. *In me quis intuens, pius esto*. Profectò non poterat sapientiori cōsilio regis insani dementia corrigi. Etenim diuino flagello sapientior factus, par fuit, vt erecto in omnem posteritatem simulacro, consequentium ætatum erudiret memorias, doceretq; immortali monito pietatem. Quid quid, vel tuis percepisti laboribus, vel tuo didicisti periculo sapiens, salutare, pium; nisi ad aliorum institutionem communicaueris, perdidisti.

Virtus aquiritur dum alijs monstratur.

Herodot.

Licebit, vt arbitror, pro præsenti argumento interpretari insanissimum odium, quo sapientes prosecuti fuisse dicuntur imperatores gemini Licinius, & Balbus quorum vterq; vt testatur Zonaras lib. 3. mirum dictu est, quanto prosequerentur odio sapientiæ studiosos. Ille sapientiam & nominabat publicam pestem, & veluti luem tabificam auersabatur. Iste, erudiri iuuenes litteris, vetuit seuerissimè. Quorsum obsecro tanto, ac tàm immani exardescebant odio in sapiētiam, quæ supra quam dici queat, amabilis est? In quam fortasse gratiam, si velimus Charmi inuentum mitius interpretari, quem scribit Clemens Alexandrinus in Protrep. in Academiæ aditu aram amori dedicauisse; id, inquam, si mitiùs interpretari velimus, significare voluisse dicemus, nihil amore dignius sapientia posse animo comprehendi. Cur igitur tàm inuisam fuisse credemus sapientiā hisce imperatoribus? Nisi fallor, quia hebetes licet, ac rudes percipiebant tamen, soli sibi sapere non posse sapientem; ideoque sapientia præditum odio plusquam vatiniano prosequebantur, cum probè tenerent fo-

Licinius, & Balbus osores sapientum.
Zonaras.

Clem. Alex.

Charmus in aditu Academiæ aram amori consecrauit.

A te, vt omnes erudiret vnius sapientia; ac proinde vnus tantummodò sapiens tyrannidem principis perterrefacere posset. & insuper timebant ne ea, quæ potentia, atq; maiestas imperantis obtegebat, obducebatq; ab oculis imperitæ plebis scelera imperatorum, vnius sapientia facilè detegerentur. Audite igitur sectatores sapiētiæ vestrum est omnibus sapere, vestrum publicæ vacare felicitati, vestrum omnibus prospicere: quod si minimè didicistis, inanis est ea, qua tantopere gratulamini sapientiæ commendatio.

B Ab Antigono rege prolatum apophtegma in Zenonis morte immortalitate dignissimum illud fuit, cum stupore quodam atque horrore correptus protulit. *Quale theatrum amisi!* Theatrum enimverò laudum, hoc est omnium chorum virtutum, & veluti pulcherrimam speciosissimæ pompam integritatis nisi circumstantium exhibeat oculis vita sapientium, indecora illa est, & viro probo prorsus indigna. Omnem bonorum summam veluti in se ipso compendio comprehensam spectandam intuentium hominum obtutibus, imirandamque proponere sapientis

Antigoni de Zenone dictū

C est. Vnde apud Lucianum in Scytha legere magnificum illud Toxaris de Solone ad Anacharsim elogium: *Omnia iam viso Solone conspexisti hoc sunt Athenæ, hoc est ipsa Græcia*. Quanto æquiùs de Christiano sapiente dicemus talem esse debere, vt illum, qui videt, videat omnia decora vitæ laudabilis, in eo niteat donorum omnium effigies, & bonorum imago, quam admiratione prosequi omnes, omnes imitatione consequi queant.

Lucian.
Solonis laus eximia.

Finem dicendi facio petita similitudine ab eo, quod in summa rerum omnium caritate opem ab Elisco imploranti viduæ
D contigisse, testantur sacrarum oracula litterarum lib. 4. Reg. cap. 4. vbi dicitur Prophetæ iussu tandiu oleum vberrima, & ad admirationem vsque conspicua scaturigine effluxisse, quamdiu in promptu fuere vasa, quæ implerentur. Quod considerans Augustinus serm. 2. de Eliseo in Dom. 5. post Dom. Trinitatis, qui habetur tom. 10. paulò post medium ait: *Hoc attendite quod mulier illa quamdiu habuit vasa, vbi oleum infunderet, tandiu oleum creuit. Nam dixit filio suo:*

Aug.

Dei dona eo magis cresc. quo, lenibus communicantur

affer

offer mihi vas. Et ille respondit, non habeo, & ait scriptura stetisse oleum, postea quam vbi poneret non inuenit. Ideò ex industria debemus vasa quærere, quia dum alijs infundimus, plus habemus. Hæc Augustinus. Ita planè hominibus sapientiâ præditis contingere si dixero, reprehendi non potero. Etenim tandiu sapiunt, quamdiu alieno commodo sapiunt. Oleo autem sapientiam significari testatur Ambrosius lib. de Noë cap. 19. paulo post initium, vbi examinans quid significet oliuæ ramus, quem ad Noë detulisse dicitur columba ab arca demissa, Genes. 8. num. 11. *At illa venit ad eum portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo*: disseruit in hunc modum. *In ore quoque non frustra ramulus oleæ videtur esse delatus, eo quod virtus, & sapientia in sermone sui habeat claritatem: & ipsa statim specie lumen eius effulgeat.* Ita Ambrosius loco citato. Ergo vel lucis instar alienas illustret tenebras, vel instar fluentis olei ad alienam subleuãdam inopiam emanet sapientia, quæ publicę vtilitati communicata fit maior, pauca intra vasa conclusa deficiat necesse est. Quapropter quicunque sapientis nomine gloriaris, cura vt alijs sapias, ne tibi ipsi sapere desinas, dum alijs communicare negligis sapientiam tuam.

Ambros.

Genes. 8.

Olea sapientiæ symbolũ.

A B C (margin section letters)

Videatur Plutarchi opusculum, quod inscribitur: Maximè cum principibus viris Philosopho esse agendum.



A IN CAPUT SECUNDUM Num. II.

Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

B

PARADOXUM V.

Vera sapientia nullo magistro, sed proprijs tantùm laboribus discitur.



C ELEBERRIMAE nè, an potiùs celerrimæ felicitatis pæan illud notissimum Romani Cæsaris: *Veni, Vidi, Vici*: multorum vindicauit sibi admirationem? Vtinam quod sine dubio oportunius erit, obtineat à nobis imitationem. Quod, nisi fallor, illustriori prosopopœia Magorum pietas dicere potest (hoc quippe virtutis fuit, illud felicitatis) Veni, vidi, vici versutiam aduersantis Herodis: Venisse, & vidisse se dicunt. An quia hæ sunt Christianæ modestiæ partes? An quia venisse, & vidisse vicisse est?

Iulij Cæsaris celebre dictũ.

Venire, & videre vincere est.

D Verùm quomodocunque tandem se se res habeat; dicamus ad nostram institutionem: vidimus, & venimus extemplò perficere, quæ recta nobis ratio præscribit; tunc Christianę arcana sapientię, non alio ductore, sed stella præuia percipere poteris, hoc est verę germanęq; sapientię apicem te nosces occupaturum, cum nulla interposita mora perfeceris, quæ signatum super te lumen commonstrat rectæ rationis passibus præuium. Huiusmodi autem Christianę fastigium sapientię quę

sola

sola vera est, nullo magistro, sed proprijs tantum laboribus pro certo habeas te assecuturum. Præcepit] olim Dominus Leuitici cap. 1. num. 15. & apertiùs cap. 5. nu. 8. rationem, qua turtures, vel columbæ essent offerendę his verbis. *Offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas.* Quærit S. Gregorius, quò spectet huiusmodi præceptum, & vt quæstioni faciat satis, sic habet. *Nos ipsi in omnipotentis Dei sacrificium esse turtur debemus; ità vt caput nostrum retorqueatur ad pennulas: nō enim immeritò per caput, mentem intelligimus; sed caput ad pennulas retorqueri præcipitur; vt ea quæ dicis, facias; & os ad opera coniungas.* Ita S. hom. 7. in Ezechiel circa med. Mira coniunctio, & nexus Deo gratissimus, si caput pennis, hoc est intelligentia volatui præpeti coniungatur. Quę sint virtutis partes, quæ munera probi viri, quid à nobis exigat conditor optimus, vt animo complectaris, vt perficias opere nimirum consulere debes te ipsum. Caue, ne inter eos censearis, qui vident, sed non veniunt, illi nimirum, qui caput pennulis nequaquam iungunt. Tu verò ne hinc vacuus recedas, habes quibus rudimentis caput tuum sancta disciplina imbuatur, non librorum lectione, nequaquam præceptis, & prælectionibus à viris sapientissimis auditis, sed solummodò si pēnis illud iungatur. Pendēda moneo illa verba, *Per caput mentem intelligimus*, En summa Christianę sapientiæ, mentem tuam, tuam intelligentiam proprijs pennis iungas, & cursum in hoc sapientiæ stadio feliciter confecisti. Hinc videbis, sapientes Lacedęmonios in hac re, nequaquam collineasse, neque collimasse: etenim, vt scribit Pierius Valer. lib. hieroglyph. 33. circa med. Lacedæmones signum Apollinis auribus quatuor; totidemque manibus effingebant; vt hominis sapientia prędıti (credebatur enim Apollo sapiētibus pręesse) simulacrum referant in medium. Ex quo neminem reor esse, tàm rudem, qui non percipiat, eum solummodò inter sapientes numerandum esse; qui totidem habeat manus, quot aures. Toto cœlo, me iudice, aberrauerunt, sapientem illum existimantes, qui ęquè paratas habet ad opus manus, & ad excipiendam eruditionem aures: enimuerò proprio marte, non aliena fies eruditiōne sapiens. Consultiùs fortasse effinxissent; si vno tantum oculo expresso, plures addidissent manus. Verū quia nullam habebant veræ sapientiæ notionem arbitrabantur, imperito satis esse posse ad sapientis symbolum efformādum, tantundem opere complecti posse, quantum quis alio magistro percepisset. Nos rectiùs vni oculo, hoc est humani intellectus acumini à Deo nobis concesso; iuxtà illud psalm. 4. num. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, plures manus iungendas esse contendimus: hoc est opere complendum, quod mentis nostræ donatum diuinitùs lumen præmonstrat inter tenebras micans nostræ mortalitatis [illegible]

Id porrò longè meliùs poterit illustrari ab eo lumine, cuius ipse fons lucis auctor est, & laudatur inquiens Lucæ cap. 12. num. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Parùm est, si fulgeat oculis lux veritatis, in manibus esse debet, ab operibus scilicet, ne momento quidem temporis seiungi; in quam sententiam iui, auctore Sancto Petro Chrysologo serm. 24. qui est de seruo vigili post med. dicente in hunc locum, *Sociæ semper boni operis sunt lucernæ:* Antequam vlteriùs progrediar illud peculiare in hoc diuinæ veritatis oraculo animaduerto; comparari lucernæ lumen, de quo à diuina sapientia sermo fit cur non potius stellis, aut Soli? fortasse quia lucernæ lumen nostris manibus conficitur, nobis auctoribus splendet, nostro labore lucet. non sic Solis, vel siderum micat fulgor: vt intelligamus petendum nobis lumen non ab alio fonte lucis, quam à nobis ipsis: nempe nostræ manus conficere debent huiusmodi lumen, neque ab alio magistro lux nostris operibus præcedat, sed nostra comparata industria, quid nobis præstandum sit oportunè commonstret. Quocirca mentis supra quam dici queat impię, ac sceleratissimi animi est; ignaui scilicet, veræque sapientiæ imperiti minimè assequi eius commendationem sapientiæ, quam non extrinsecus fulgens, sed tuis accensū laboribus lumen ostendit apertè. Hinc ab Ouidio poëta nō ignobili lib. 7.

Margin notes (left column): *Leuit. 1. & 5* — *Greg.* — Scientia coniungenda operi. — In schola Christi non est immorandum præceptionibus. — *Pier. Val.* — Apollo cur [illegible] cum [illegible] totidemque manibus.

Margin notes (right column): *Psal. 4.* Christiano vnus oculus sed plures manus sunt. — *Lucæ 12.* — Lux sapientiæ Christiano habenda est in manibus. — *Pet. Chrys.* — Lucerna sapientiæ Christianæ proprio labore accendenda.

Section letters: A, B, C, D

lib. 7. Metamorphoseon paulò post initium, inducitur Medæa dicens.

Ouid.

Video meliora, proboque
Deteriora sequor.

Medæa sanè scelestissima ne, an funestissima tartarearum furiarum face, dignus loquendi modus. Verùm qui tàm palmare scelus non oratione tantum; sed opere quoque perficiat Medæa quanto scelestior? Quàm benè, quàm preclarè nobiscum agitur; qui in Christianæ adeptione sapientiæ operã collocamus; hanc nos tenebimus absolutissimè: si quidquid non alio, quam nostræ lucis ductu complectimur animo, opere compleamus. Quicumque in hac exedra, sapientiæ lauream affectas; te ipsum consule magistrum, te ipsum doctorem audi.

Insipientis est aliter operari quam quis intelligat.

De Aristotele oculatissimo illo naturalium arcanorum indagatore audire dignum censeo, quæ scribit Plinius lib 8. naturalis historiæ cap. 16. paulò post init. his verbis. *Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi; delegataquè hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrina viro aliquot millia hominum in totius Asiæ, Græciaque tractu parere iussa, omnium quos venatus, aucupia; piscatusque alebant, quibusquè viuaria, armenta, aluearia, piscinæ, auiaria in cura erant: quos percontando quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus cõdidit.* Cuius narrationis consideratiõne, tanta, vt verum fatear, admiratione corripior, vt exclamatione compellar. Deus immortalis? tantæ molis erat minimam naturalis philosophiæ partem animo comprehendere; vt solertissimum Aristotelis ingenium eam percipere non posset nisi collato cum aliquot millibus, vt ita dicam studio; nisi potiùs tot quasi præceptoribus præeuntibus, multorum annorum obseruationibus, & experimentis; longè diuersa ratio philosophandi, & obscuriora quæque arcana percipiendi ijs, qui in diuinam incumbunt philosophiam. Isti quippè proprijs laboribus consequuntur feliciter, quod sequuntur; si quæ ipsi per se perspiciunt, perficiant. In hac fuisse sententia Senecam dũ animaduerto, non possum mihi non gratulari sanè ep. 51. circa medium lego: *Erubescimus discere bonam mentem. At me hercule turpe est magisterium huius rei quærere.* Proh, quàm benè, & quàm breuiter? Pudeat in posterum alio magistro perdiscere, quod turpe est, alio doctore percipere, quàm se ipso.

Plin. Alexander cupidus noscendi animalium naturas.

Christiana philosophia sine aliorum adiumento discitur.

Senec.

Quis non suspiciat admirabundus Pythagoræ, Platonis, Apollonij exantlatos labores, suscepta itinera, longissimas peregrinationes confectas, vnius perdiscendæ philosophiæ cupiditate: audis Hieronymum. *Pythagoras Memphiticos vates: Plato Aegyptum, & Architam Tarentinum; eamque oram Italiæ. quæ quondam magna Græcia dicebatur laboriosissimè peragrauit; vt qui Athenis magister erat, & potens; cuiusque doctrina academia gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus,* & paulò infra *Apollonius, siuè ille magus, vt vulgus loquitur, siuè philosophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit.* Alijsque quam plurimis regionibus remotissimis, quas Apollonius adiuit numeratis concludit his verbis: *inuenit ille vir vbique, quod disceret; & semper proficiens, semper se melior fieri.* ita epist. 103. quæ est ad Paulinum paulò post initium. Quibus, si addere placuerit, quæ Aelianus lib. 4. cap. 20. initio scriptum reliquit de Democrito, maiorem habebit vim præsens ab inductione argumentum. Etenim Democritus Abderitas in studia philosophiæ adeò diligenter incubuit; vt rerum abditarum desiderio percipiendarum peruenerit ad Chaldæos, Babylonem petierit, ad Magos, & sophistas Indos se se contulerit: eoquè nomine fuerit à Theophrasto laudatus; quod circumiens meliora collegerit, quàm vel Menelaus, vel Vlysses, isti enim pecunias; Democritus sapientiam quæritabat. De Cleobulo nihil attinet dicere; de quo Diogenes Laërtius lib. primo de viris philosophorum in eius vitã initio scribit, illum vltimas Aegyptij plagas percipiendæ philosophiæ gratia petijsse. Quæ cum ita se habeant; quàm turpem ignaui, ignariquè animi notam subiret is; qui cum se solo magi-

Hieron.

Laert.

stro possit melior fieri; per incuriam maximè vituperandam negligat metam, non modò tàm obuiam, ac tàm propinquam, verùm etiam tàm vtilem, ac gloriosam attingere sapientiam.

Philosophia Christiana nõ est extra nos.

Subtilis Sancti Augustini ratiocinatio, qua Romanos deludit, nostro huic argumento, videbitur, vt opinor, non parùm accommodata. Hanc autèquam prosequam, moneo lectorem, fuisse apud Romanos veluti ignobiles, omni honore penitus spoliatos, actores fabularum: quibus tamen fabulis, & ludis, vnicè Deum coli arbitrabantur. Ex his autem, quæ videntur pugnantia, validam conficit ratiocinationem, non Africani modò cœli, sed Ecclesiastici orbis nitidissimus splendor Augustinus; demonstratque, opportuna captata occasione, Romanos non alios sequi, non alios imitari debere, quàm se ipsos. Enimuerò percipere nequeo, quo pacto consistere possint hæc duo, quo pacto cohærere; vt eo ipso ludo, quo Dij honorantur, inhonorentur turpissimè actores ludorum. Igitur, vt remittatis nuncium huiusmodi ludis tanquam libero homine indignis; non alium consulere debetis, quàm vos ipsos. Verba ab Augustino citata sunt hæc: *Sicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur; cum artem ludricam, scenamq; totam probro ducerent; genus id hominum, non modò honore ciuiũ reliquorum carere; sed etiam tribu moueri, notatione censoria voluerunt. Praeclara sanè, & Romanis laudibus annumeranda prudentia: sed vellem se ipsa sequeretur, & imitaretur. Ecce enim rectè quis quis ciuium Romanorum esse scenicus elegisset; non solum ei nullus ad honorem dabatur locus; verum etiam censoris nota tribum tenere propriam minimè sinebatur O animum ciuitatis laudis auidum, germanèque Romanum. Sed respondeatur mihi, qua consentanea ratione homines scenici ab omni honore pelluntur; & laudi scenici Deorum honoribus admiscentur?* His hactenus recitatis, quæ habentur cap. 13. lib. 2. de Ciuitate Dei post med. facem mihi proferri video ad compellandos eos qui turpia, indecora, inhonesta flagitia pleno ore frequenter vituperant; si fortè ea in alijs obseruare contingat. Istius modi ego hominem, vt sui moneam muneris, dicam: vellem te sequereris, te imitateris. Nempe non aliunde petenda recti regula est, quàm à te ipso. Porrò quę improbanda vituperas, quo tandem animo, qua fronte complecteris. Plenum lepore inuentum affirmare minimè dubitauerim illud Bionis (loquor autem de Bione Borysthenitæ) de quo Laërtius in eius vita circa finem posteritatis memorię prodit lib. 4. de vita philosophorum. *Is cum senio cõfectus graui morbo decumberet iussisse perhibetur ianua sua domus imponi rhamnum, & lauri ramum.* Nouum planè, & fortasse post hominum memoriam inauditum siuè spectaculum, siuè inuentum; sed, nisi fallor, consilium eò prudentiùs, sapientissimi viri; quò minùs commune. Etenim quorsum hæc tam inusitata coniunctio rhamni cum lauro: nisi, vt moneret disertissimè sapientiæ sectatores laurum, præmium scilicet frontium doctarum sine rhamno, quod genus est acutissimæ spinę, cuius mentionem facit Plinius lib. 24. naturalis historię cap. 14. paulo post init. inueniri non posse? Ea nempè sapientiæ conditio est, vt nequeat obtineri; nisi ęquo animo, & forti pectore toleratis spinarũ aculeis, innumeris nempe laboribus exantlatis. Errarem, si prætermitterem, quod censeo obseruatione dignissimum: videlicet spinas, & laurum non alibi, quam domi suæ reperiri ab eo; qui verus amator est sapientiæ. Nihil enim tantopere tuum est, quam obiectas, spinarum in morem, ad comparandas difficultates, tuis improbis laboribus, nequaquam verò alienis institutionibus superare. At si huiusmodi labores non Socrates, non Platones, non Pythagoras nõ Zenones, reliquosq; à studio philosophiæ retardarunt: quanta nos alacritate contendere par est ad intimam eius, quam profitemur Christianę philosophię, notionem; cuius, vt consequamur lauream; nõ alienã, sed nostram satis est percipere institutionẽ. Obuia consequenter, & facilis est non sentibus horrida, nisi domesticis; non spinis aspera, nisi quę domi germinant diuinę hominibus concessa sapiétię laurus.

Histriones Romæ viles.

Romani Deos colebant ludis.

Romani secũ ipsis non consequentes.

August.

Bion iubet apponi ad suam domum lauri, & rhamnum.

Laert.

Plin.
Sapientia non acquiritur sine laboribus.

Difficultates in studio superandæ laboribus.

Sanè non fine magna, & ingenij, & sapientię commendatione monebat Seneca,

vt quisq;

Sententia.

Non semper discendum ab alijs.

vt quisq; sui magister sit. Etenim ep. 33. A post med. scribit his verbis: *Turpe est ex commentario sapere. Hoc Zenon dixit: tu quid? hoc Cleantes, tu quid? quousque sub alio moneris? aliquod de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam auctores, semper interpretes sub aliena vmbra latentes nihil puto habere generosi, nunquam ausos aliquando facere; quod diù, didicerunt memoriam in alienis exercuerunt.* Tandem concludit epistolam his verbis *patet omnibus veritas, non dum est occupata: multum ex illa etiam futuris relictū est.* Quibus, vt pater, conatur euincere; ingeniosum quemq; eximere se debere è numero B gregalium discipulorum;& proprio marte sapientiæ negotium pertractare. Quanto æquiùs nostrum erit, nullo magistro veritatem indagare: veritas quippè Christus est, quam tenebis, non alienis addictus institutionibus, aut præceptionibus informatus; sed tuis laboribus, ac studijs summa diligentia perfectis. Pende illa verba, quibus nominatim carpuntur ignaui isti, nunquam ausos aliquando facere. quod diù, didicerunt. Tu te ipsum consule: nū iam diù didiceris, quid de humilitate, C quid de integritate animi, quid de cultu Dei senserint Augustini, Hieronymi, Ambrosij, imò quid ipsæ testentur sacræ paginæ, & diuina è cœlis in terras delapsa sapientia. Tu quid? perfice quæ peragenda accepisti, ne iudiceris inglorius auditor; qui memoriam in alienis exerceat, nihil proferat de suo, sis actor noui operis videns ipsemet inaudita ingenij monumenta. Pudeat imposterum scire, quæ alij dixerunt,imò potiùs sciendą alijs trade. Non est satis ab alijs facienda perdiscere;nisi alios etiam doceas facienda: dedecet namq; auditorem illum esse; qui potuit esse magister.

Faciendum quod ab alijs discimus.

Id ego quemadmodum altius repeto, D ita statuo firmiùs in hunc modum: Antiquissima sanè fuit & apud celeberrimas nationes vsu maximè recepta symbolica sapientia,quam percepere nisi fallor Agyptij ab Adamo, Enocho, Noëmo, Abrahamo,reliquisquè primis,& humani generis, & doctrinæ parentibus; Istis quippè quot res creatas in hoc orbe cernebant, tot videbantur esse characteres permagni fulgido diuinitatis illuminati nitore, quibus quæ lucem habitat inaccessibilem maiestas Summi Dei mortalium obtutibus illucescebat. Enimuero non alio magistro sapientiam hauserunt, qui sola creatarum rerum contemplatione supra rerum humanarum fastigium elati perceperunt arcana diuinitatis. En magnus Antonij liber multo ante perlectus ab ijs, qui nullo interprete eum summa cum laude euoluerunt. En illa cognitio matutina quam describit, & explicat Augustinus lib. quarto Genes. ad litteram à cap. 22. & lib. 11. de Ciuit. cap. 7. & 29. At verò quia hæc symbolica sapientia, quæ maior est & origo omnium scientiarum nullo fuit explicata magistro, sed sola primorum parentum contemplatione excogitata, quis non videat illam solummodò,quę proprijs laboribus discitur sapientiæ nomine consalutandam?

Symbolicæ sapientiæ vilitas.

Ergo primò humani generis Patriarchę auctores sine auctore fuere huius sapientiæ symbolicæ à scriptoribus tantopere celebratæ, & Aegyptiæ genti familiari adeò vt testatur Philo Iudæus lib. 1. de vita Moysis,Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum, & S. Cyrillus lib. 9. contra Iulianum. Hæc vt primorum sapientium, ita verę sapientię prima commendatio est, planèque princeps.

Philo. Clem. Alex. Cyrillus.



IN CAPVT SECVNDVM Num. III.

Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.

PARADOXVM VI.

Timeri cum vult princeps sibi soli certum timorem creat.



IX nati regis fit mentio; cum ecce tibi Herodes timore perculsus pelli regno pertimescit. Cur obsecro? equidem tam incertus ab ignotis hominibus sparsus rumor, regis animum nequaquam debuit commouere. Fama enim, vt plurimum vires eundo acquirens, (vt latinus canebat Homerus) longissimè à veritate aberrat. Præterquam quod esto, sit natus is, qui hereditario iure debeat Israëliticæ genti summo cum imperio preæsse: non tamen iure metu concutitur, qui & lectissimurum præsidio militum, & regijs instructus opibus, solio ab inermi, & pauperculo infantulo nulla ratione potuit deturbari. Cur igitur Herodes timeat tot ex capitibus vagienti populo ipse timendus? In promptu ratio est: nimirum timeat quia timendus. Mea etenim sententia solùm timeri cum vult princeps, certum sibi timorem creat.

Herodes timet, quia timendus.

Liberat me suspicione mendacij Sanctus Cœcilius Cyprianus Episcopus Carthaginensis, vt disertè, ita appositè in hanc sententiam disserens his verbis lib. 2. epist. epist. 2. paulo ante finem. *Sis licet satellitum manu septus; & clausum ac*

Cyprian.

A *protectum latus numeroso stipatore tueatur, quàm securos non sinit esse subiectos; tàm necesse est, vt nō sit & ipse securus; ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles.* O' lacrimabilis calamitas tyrãnidem affectantium sui se timoris artifices fieri; quoties subiectos mala, & nunquam satis vituperata dominandi libidine, perterrefaciunt. Qui nullo securus monumento vitam ducit, quàm miser, quàm infelix, quàm deplorandæ sit sortis qui vnquam satis valeat explicare? Certè, & veritatis luce, & Christianæ splendore sapientiæ orbatus Venusinus poëta

Principatus tenet, quos facit terribiles.

B Horatius. Ode 16. lib. 2. paulò post initium canebat.

Horatius.

Non enim gaza, neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantis.

Hic velim aures præbeas attentissimas, vt omnem omnino metum deponas, vt omni careas timore: cura ne timearis. Aegritudines, quibus principis animus concitatus non rarò tumultuatur, neque armata militum manu, neque multis diuitijs, neque vllo munimentorum, aut

Aegritudines animi nulla re extrinseca sanantur.

C copiarum præsidio arceri possunt, vel dimoueri. Verissimum est. Ad propellandum igitur, propulsandumque metum, quid consilij capere debeas, disce à Solone ad Periandrum rescribente his verbis ipso initio epistolæ, quæ habetur post eius vitam, apud Diogenem Laërtium lib. primo de vita philolophorum, circa medium. *Scribis tibi plurimos insidiari; & tu si quidem omnes è medio tuleris, ne quidem proficies.* Quibus, quia nequaquam sibi fecerat satis, mox circa med. epist. infert. *Esset ergo optimum abstinere tyrannide, & causas omnes metus auaD deres.* Ne ab ijs, quos premis imperio timeas, quodcumque moliaris; oleum, & operam perdidisti, si timearis. Antiquis noua contexere non erit, & reor ingratum legenti.

Laer.

Abstinendum tyrannide ei, qui non vult timere.

De Iacobo Almanzor lego apud Ioannem Boterum lib. primo dictorum memorabilium virorum illust. longè ab initio: omnem in eo operam, & industriam collocasse, vt subditos sibi deuinceret muneribus, in omnes profusissimus, & planè plusquam regiæ princeps libera-

Io. Bot.

litatis

litatis, hunc cum genitor admonere vellet, ne tanta bonorum largitione regni facultates minueret; fili, inquit rex, diuitijs spoliatus mortuus inter viuos censeri debet: illico magno patre filius maior, imò subdidit, mortuum, & si dicere fas est, plusquam mortuum, veriùs nuncupabo regem; qui in cordibus subiectorum eorumdem, conciliato sibi amori, vegeto calore beneuolentię non viuat. Quid illustrius dici potuit? enimuerò de vita principis, nequaquam benemeriti de suis, & à subiectis minimè amari, vsque adeò actum est; vt plusquam mortuus non alieno, sed suomet iudicio debeat reputari. Quod mihi quidem non facit satis ad aperiendam miserrimam horum principum conditionem, quos vituperamus. Non solum enim se se in certum capitis discrimen adducit inuisus subiectis populis princeps, verum etiam violentas manus infert quodammodo ipse sibi de mentis potestate deiectus, quasi Ophiusam ebibisset, herbam Aethiopiæ, quam si quis hauriat, illi minæ, terroresque serpentiũ ita animo obuersantur, mentemque deturbant, vt horrifica percitus rabie, inferat sibi violentas manus. Quam ob causam, vt apud Plinium lib. 24. cap. 17. leges, nefarij olim homines, atque sacrilegi illam haurire compellebantur. Testem ego appellarem Diocletianum Romani imperij furiam truculentissimam, quem scribit Capitolinus vsque adeò impotenti furore actum, vt sibi hausto veneno mortem intulerit; Hunc inquam testem appellarem; nisi instar omnium esset Herodes inter nefarios scelestissimus, qui cum tyrannide populos premeret, sæpe arrepto gladio suum perere tentauit iugulum plusquam parricida. O'quantum timere vel à se ipso debet, qui sic imperat, vt timeatur. Vnicum, idque firmissimum principum propugnaculum amor est populorum; quo si destituantur; leuissimo quouis excitato rumore, veluti furijs agitati stare loco non possunt. Propterea S. Bernardus, cuius ore veriùs, quã Nestoreo melle dulcior manabat oratio serm. 23. in Cant. non multo post initium monebat: *Erudimini, qui iudicatis terram. Studete magis amari, quam metui,* En germanæ compendium sapientię, qua vtinam imbuatur princeps, cuius etiam

Princeps, qui non amatur à subditis mortuus est.

Ophiusæ vis portentosa.

Plin.

Bernard.

Princeps studeat magis amari, quàm timeri,

A mentionem fecit supremi rerum arbitri oraculum sapientissimum, si Sancto Gregorio credimus consideranti, quod habemus Genesis cap. 9. num. 1. & 2. lib. 21. moralium cap. 10. circa med. his verbis: *Cum Noe Dominus, filijsque eius diceret; crescite, & multiplicamini subdit, & terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ. Non enim ait sit super homines, qui futuri sunt: & iudicio ei dicitur vt ab animalibus, non ab homine timeatur: quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri.* Metum à brutis extorquear, ab hominibus beneuolentiam, B vt eliciat, aliciat beneficijs: si sensum habet humanitatis quicumque sceptro nitet.

Præclarum Senecæ monitum plenam argumento nostro faciet sine dubio fidem. *Errat* inquit lib. 1. de Clementia cap. 19. post med. *Si quis existimat tutum esse sibi regem; vbi nihil à rege tutum est. Sed securitas securitate paciscenda est. Vnum est inexpugnabile munimentum amor.* Digna sanè tàm cordato viro sententia, in qua tamen perpendenda non immoror diutiùs: quia in medium proferre debeo geminum, idque clarissimum Romani lu- C men imperij Neruam, & Traianum; Quorum vterque extra omnem controuersiam feliciùs sapientia vix sint oratione complexi. Etenim Nerua Cocceius, quemadmodum Eutropius narrat lib. 8. dicere solitus erat, talem se in imperij administratione gessisse, vt speraret; si priuati ciuis vitam traducere contigisset; nulli se futurum fuisse inuisum, imo potiùs in amoribus omnium. Tantam in summo rerum dominatu aptauerat sibi beneuolentiam subiectorum. Vlteriùs ne progrediaris, nisi prius statuas certo, principem illum rebus suis cum laude prospicere; qui D absq; omni prorsus munimento militum, & armorum præsidio viuere securus potest: vno verbo: ille solummodò omni formidine liber est, qui se minimè exhibet formidandum. Nulla huic fortuna priuata est, nulla in vitæ mediocritate formido, etiam remotis arbitris insidiarorum periculis vacat. Neruæ, vt imperij, ita moderati animi ex asse hæres Traianus, & maximus, & optimus, quod paucorum est, merito quidem habitus, ab omnibus prædicatur, ea enim, vt citatus auctor te-

S. Gregor.

Genes. 9.

Homines timeri debent à bestijs non ab hominibus

Seneca.

Amor inexpugnabile regis munimentum.

Eutrop.

Neruæ etiam si imperio deijceretur, nil timebat.

stis est, quam memorabat sæpe, adhibebat semper, veluti libra pensabat omnia, cum aliquid decernendum esset; vt secum examinaret: Quàm amicum, quàm beneuolū principem habere vellem: si inclinata fortuna alterius imperatoris arbitrio mea causa ageretur. O' digna sanè vox, quam non recolant modò, sed imitentur principes. Præsertim cum non alio pacto suæ se consulere posse securitati arbitraretur Nerua: quàm si nulli timendus, amandus omnibus, & haberetur, & prædicaretur vulgo.

Traianus se gerebat vt priuatus.

Plutarchum minimè contemnendi virum ingenij in hac eadem fuisse sententia licuit mihi animaduertere, vitam Arati per otium legenti; in qua paulò ante med. sic ait: *Enimuerò nulla alia melior, ucque tutior principi esse potest custodia; quam vera, & constans subditorum beneuolentia. Cum enim adsueuerint plerique, & potentes non principem, sed principi suo metuere, multis ille oculis videt, multis auribus audit, præsentitq; ea, quæ aguntur.* Perplacet oppidò plurimū Plutarchi ratio; quę explicata à cōtrario; maiorem habere videbitur vim. Cūplures non principem, sed principi timent: hic tutus, & in vtramq; aurem dormire potest; quia, & pluribus vigilat oculis, & pluribus auribus agit excubias: at si & plures oculi non modò conspiciant, sed cōspirent viribus, & consilijs, vt inuadant, vt perimant; nemo se sine nota temeritatis tutum credet. Sed hæc obiter. Euolue mox citatum Plutarchi opus in quo circa finem leges; cum à Philippo rege Aratus in Ithomatam arcem fortissimā Messeniorum adductus, & rex sacris esset operatus; ab haruspice ad se allata exta, Arato conspicienda proposuit. Tum interrogatus à rege Aratus, num eam teneri à se arcem, an verò Messenijs reddi iuberet. Respondit: *Multi ò rex in Creta, magnique montes ex terra enati sunt; multi in Bæotia, & Phocide, tum in Acarnania quoq; & mediterranei, & maritimi loci; quorum tu cum nullum occuparis: omnes tamen incolæ vltrò imperata faciunt. Quippè saxis, & præcipitijs latrones inhærent, rex fidelitate suorum, & fauore fortiùs, tutiusuè habet nihil.* Sapiens supra quàm dici, aut excogitari queat Arati monitum. Non fossis, & aggeribus, nō arce quamuis mu-

Plutarc.

Subditorum beneuolentia custodia principis.

Fidelitas subditorum arx principis.

A nitissima; sed fauore, & fidelitate suorum tutos se principes arbitrentur. Huic propterea monito, & meritò quidem acquieuit Philippus, suo docens exemplo timori regum, atque imperatorum à scelere, aut à crudelitate frustra peti munimen.

Vtinam id animo comprehendisses, & præstitisses re ipsa Isabella Anglicanæ pietatis, nisi veriùs Christiani imperij vniuersi fax funestissima: quæ monentibus immanes in subditos principes, suisque inuisos diutiùs regnare non posse, respondere solebat: Principes humanos, ac mites, subiectorumque beneuolentiam affectantes, non modo regnare tutò non posse: verùm etiam, nihil tàm noxium esse principibus, quàm nimia bonitate conciliatas subiectorū mentes. Ita Io. Boterus lib. 1. dictorum memorabilium virorum illustrium, aliquantò ante medi. Horrent profectò piæ aures excipere tàm barbari ingenij rudimentū immane; quantò æquius procul à principum cordibus amandandum. Longè dissimilem animi sensum habuisse comperio Octauium Augustum, de quo scribit Suetonius in vita circa medium num. 58. *etenim* patris patriæ cognomen (verba Suetonij) *vniuersi repentino, maximoque consensu detulerunt ei. Prima plebs legatione Antium missa; dein ineunti Romæ spectacula frequens, & laureata: mox in curia senatus per Valerium Messalam id mandantibus cunctis. Quod bonum, inquit, faustumque sit tibi, domuiq; tuæ Cæsar Auguste; senatus te consentiens cum Populo Romano consalutat patriæ patrem: Cui lacrimans respondit Augustus. Compos factus votorum meorum patres cōscripti, quid habeo aliud Deos immortales precari; quàm vt hunc consensum vestrum ad vltimum vitæ finem mihi præferre liceat.* Videāt tanquam in exemplari principes, quæ summa debeat esse votorum; quid præcipuè debeant exoptare, qui dignitate, vel auctoritate cæteris præsunt. Videlicet vt amentur tanquam parentes, nequaquam verò timeantur, veluti Domini. Quod ideò vsque ad vitæ finem contigere sibi exoptabat Octauius: quia probè tenebat, tutum fore imperium, si contigisset amari.

Isabellæ Anglorum reginæ dictum barbarum.

Io. Boterus.

Sueton.

Augustus gloriatur titulo patris patriæ.

Sanè Iudicum cap. 9. à num. 8. ad 54. mutæ ipsæ arbores, sensuque carentes,

cum

Arbores eligunt quem sibi eligant regem.

eum de rege deligendo decernerent, oliuæ, & viti sceptrum obtulisse perhibentur: vt adumbraretur, ni fallor, imperij habenas tractandas esse ab ijs, qui suauis instar fructus, effusa in alios benefici humoris exuberantia amorem à subditis vel inuitis extorquere quodammodò queant. Vnde apud Homerum Iliados 10. Græcorum rex sui muneris partes alia ratione declarare non nouit; quam asserendo, plures sibi, eosque permagnos, ac perdifficiles exantlatos esse labores; vt omnem omninò inimicarum aduersitatum metum à subiectis sibi populis propulsans longiùs, ijsdem in amoribus, ac delicijs esset. Affectatæ diuinitatis grauissimi criminis accusabitur reus apud omnem posteritatem linguis, ac litteris sapientium Domitianus, non tàm Romano imperio, quam scelerũ turpitudine celebris. Quippè vt Suetonius in eius vita num. 13. tradit appellari volebat, per summam, ac nunquam satis execrandam temeritatem: *Dominus Deus noster*; scelestum profectò cõsilium, & supra quàm excogitari queat impium votum. Verumtamen, si ab ipso veneno, veneni antidotum capere velimus, vt vulgari prouerbio circumfertur dicamus adumbratas fuisse partes boni principis dicto tàm nefario. Quandoquidem ei, qui imperat, nihil tantopere debet esse cordi, quam amor subditorum: Sicuti Deo nullus, neque gratior, neque à summa bonitate exoptatus magis humani cordis affectus exhiberi potest, quàm amor: qui & ab ipso filio Dei magnum ideò mandatum dicitur, & frequenter sacris oraculis potissimum commendatur. Impium est, & execrandum, velle principem haberi à subiectis populis, Deum; talem se cum illis gerere, vt omnium sententia ab ijsdem, benefactis, liberalitate, clementia, cæterisque boni principis officijs, quasi homo homini Deus in terris ametur maximè laudabile.

Domitianus affectat dici Deus.

Suet.

Deo nil gratius amore.

Atheois primariæ senator nobilitatis, quemadmodum veteris memoriæ testantur indices, nescio qua accepta à libertino iniuria, vsque adeò in iras exarsit: vt eum fustibus, malè exceperit, sui nequaquam potens. Quod vt cognouit sapiens nescio quis ea ætate politicæ administrationis peritissimus, continere se non potuit, quin

A exclamaret. O' factum malè. actum est de nostra securitate. Profectò quot ictibus seruum percussisti; totidem in Athenarum muros irrupisti violentus inuasor, & qui vix vlla potuissent bellica machina labefactari, quasi mox corruent diruti tali potentiorum impetu: qui timeri si voluerint, meritò omni securitatis monimento sublato, metuant sibi necesse est. Te ego in hac re ducem sequor, ac magistrum Pisistrate. de quo Aelianus lib. 9. cap. 25. scribit cum regni tractãdas suscepisset habenas; nihil antiquius habuisse, quàm suæ consulere securitati; quod tamen mira arte assecutus est, & imitatione dignissima, siquidem obseruabat attentè quotquot in foro truci vultu obambularent cogitabundi; ijsque acciri iussis, perhumaniter eos interrogabat, quænam causa ipsis esset per forum vultu tàm mæsto oberrandi? simulque liberalissima largitione munerum, & tristem à subiectorum cordibus amandabat dolorem; & singulorum animos conciliabat sibi. Quo amoueri à se tutissimè arbitrabatur hominum insidias facinorosorum. O' beneficentia, vallum firmissimum principum: ò subiectorum erga principem amor populorum tutissima regum arx.

Qui male afficiunt subditos timorem sibi creant.

Aelian.

Pisistrati industria, vt amaretur a suis.

Audite principes, vt securi sitis ab omni metu; ne vos insidiæ circumueniãt; ne vis inimica deterreat: nullum deterreatis; nemini metum incutiatis. Equidem, nisi beneuolentia subiectorum continuas agat excubias; certo versatur in discrimine princeps. Nihil etenim tantopere debet timere, quam timeri, qui dignitatis præcelsæ culmine gloriatur. Quod eo confidentiùs assero, quo disertiùs pronunciatum inuenio à sapientissimo viro. Legi enim apud Cęlium Rhody g. lib. 8. lect. antiq. cap. primo post medium in septem conuiuio sapientium Pittaci tota Græcia celeberrimi scitu dignam fuisse sententiam. Tum demum incolumen, & omni metu solutum fore principem, si ciues non illum timeant, sed illi. Igitur princeps ne timeat, non timeatur, memor propterea Senecæ moniti in hunc modum scribentis epist. 47. paulò ante finem: *Colant potius te, quàm timeant. Dicet nunc aliquis me vocare ad pileum seruos, & Dominos de fastigio suo deijcere*; quod

Cel. Rhod.

Princeps neminé meruit, quem nemo metuit.

Seneca.

dixi

Subditi colant principem nō metuant.

dixi, colant potius dominum, quam timeant. Ita inquam, prorsus colant tanquam clientes, tanquam saluatores. Hoc qui dixerit, obliuiscetur, id dominis parum esse, quod Deo satis est, qui colitur, & amatur. Non potest amor eum timore misceri. Vsque adeò à subiectorum cordibus ablegandus est metus principis: imò tanta erga eum beneuolentia debet esse; vt metus ne minima quidem ex parte cum beneuolentia misceatur.

Legendum propono P. Didacum de Baeza tom. 2. comment. in Euang. hist. lib. 6. cap. 7. §. 7. tom. item 4. lib. 18. cap. vltimo §. 20.

IN CAPVT SECVNDVM Num. III.

Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.

PARADOXVM VII.

Non præest, qui non prodest.



VOLVOR eodem, auditis Magis, pertimescit Herodes, quasi verò iam ceciderit principatu. Benè est. tẽporibus aptos mores præsefert suis, iam regni solio cecidit, quia non præest, qui non prodest. Qua in re aperiam duo.

Primò hunc esse, & fuisse semper communem hominum sensum cuiuscumque sint ordinis, aue conditionis.

Secundò verò declarabo, qua ratione id præstare debeant, qui imperant; quos æquum est industria, facultatibus, modis omnibus seruire vtilitatibus subiectorum.

Omnes sentiunt principes debere alijs prodesse.

Huiusmodi autem communem esse hominum sensum, patebit facilè ex ingenioso Apophtegmate; quod est apud Ioannem Bot. lib. 1. dictor. memor. virorum illustrium aliquãtò ante med. Iapponẽsis nescio quis nomine Bernardus fortè Romę degebat, quo tempore de eligendo Summo Pontifice purpurati patres decernebant, è viuis erepto, diutino sex mensium morbo Iulio III. Quadam die, dum de more comitia celebrarentur, per Vrbem obambulans Bernardus socio dixisse fertur: *Principem habemus, eumque omnibus absolutum numeris, & vndequaque imperio dignum.* Tum socius: ecquis, oro, id tibi indicauit è certo certiùs id noui, subdidit, nulla interposita mora Iapponensis, video enim pauperes afflictos, ęrumnosos singularia præbere lætitię argumenta: habent igitur eum, qui consueuit prodesse; & quod inde consequens est, qui debeat pręesse callet artem imperandi, quia nouit modum benefaciendi. Nec Bernardum fefellit opinio; fuerat enim ad supremæ dignitatis culmen euectus Marcellus Secundus princeps optimus, quia factus ad benè merendum. Quanquam non est, cur id nostrorum temporum ignoti homines ex vltimis terrę partibus acciti declarent; cum antiqui illi sapientes in principe gentium vrbe, hoc est in ipso sinu vrbanitatis educati omnium vsurpata sermonibus appellatione, satis, superque aperuerint: non alio nomine principem nuncupantes, quàm patris. Ita enim à Seneca lib. 1. de clementia cap. 14. circa med. accepi. *Appellauimus patrem patriæ, non adulatione vana adducti: cætera enim cognomina honori data sunt: Magnos, & felices, & Augustos diximus; & ambitiosa maiestati quidquid potuimus titulorum congessimus: Patrem quidem patriæ appellamus; vt sciret datam sibi potestatem paternam; quæ est temperatissima liberis consulens, suaque post illos reponens.* Nihil, me iudice, clariùs, accommodatiùs nihil. Princeps non est, qui patris personam non induit. Homerus similiter odyss. 2 1. confirmat non parùm sua auctoritate, regum, ac principum pręstantiam supra cęteros paternam esse debere, & non nisi minoribus, ac subiectis peruti. lem. Vnde Iliados 1. Agamemnon ira percitus

Marcellus Secundus laudatur à beneficentia.

Seneca. Impe. ratores Romani nuncupati patres patriæ.

Homer.

Agamemnon iratus cõsulit fuis

percitus manus in sacerdotem per summam impietatem audet inijcere; tamen, licet sui impos demẽti furore salutis exercitus sui maximè se exhibeat studiosum, nimirum visus fuisset indignus imperio, si fuisset obliuione captus consulendi commodo militum, quibus imperabat. Non nihil furori detur, dummodò ne minima quidem ex parte votum iuuandi subiectis minuatur. Hęc nempè prima laus est, hæc commendatio principum, planè princeps.

Philo

Consentit Philo, cuius iudicium semper apud sapientes grauissimum erit lib. enim de creat. principis aliquanto post initium

Principes parentes ciuitatum.

ait: *Sunt principes publici parentes ciuitatum, & gentium.* B Iudæi philosophi breuis definitio, sed vnicè ad rem. Quæ mihi nullam afferunt admirationem legenti, quod de Mulio Malucco sectæ rege, barbaræ immanitatis monstro scribit Ioannes

Boter.

Bot. lib. 1. de dict. memor. vir. illust. paulo post init. (hic ille est Maluccus; qui luctuosam vniuerso orbi victoriam de pijssimo, & immortali fama meritorum illustri Lusitanorum rege Sebastiano reportauit) Hic inquam principis officium adumbraturus dicere solebat; eum, qui populos

Princeps non rogatus beneficia conferat.

imperio premit, tàm pronum esse debere C ad benè de subditis merendum, vt ijs beneficia conferat, antequam rogetur; ne postulatione indigentis suo muneri deesse videatur princeps. Cui Malucci dicto sententiam Senecæ si coniuxeris; fortè ideam principis efformare continget: non

Seneca.

omnino sine laude: Senecę autem verba desumenda sunt ex cap. 1. lib. 2. de be-

Beneficia quę sint gratissima

neficijs post med. vbi sic habet. *Gratissima sunt beneficia, parata, facilè occurrentia; vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi illud meliùs occupare, antequam rogemur; quia* D *cum homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubore; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit.*

Caro emitur quod precibus emitur.

Quoniam quidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est; nulla res cariùs constat; quàm quæ precibus empta est.

Is solũmodò præest, qui prodest: Quem-

Chrys.

admodum apertissimè pronunciauit S. Io. Chrysostomus hom. 52. in Acta Apost. ad cap. 26. circa finem inquiens: *Dic oro,* A *quid est proprium principis? nonne prodesse, & benefacere subditis?* Quod si principi desit, re ipsa princeps non est, sicuti idem Sanctus eadem hom. paulo superiùs explicat apta similitudine in hunc modũ. *Sicut enim medicum rex non faciet, neque rhetorem; ita neque principem. Extruat quis officinam medicorum; habeat etiam discipulos; habeat & instrumenta, & pharmaca; & ingrediatur ad ægrosos: nunquid sufficient hæc, vt præstent nobis medicum? minimè; sed opus est arte: & sine illa non solum hæc nihil prosunt, sed etiam damnosa: talis etiam princeps est, habet instrumenta,* B *vocem, iram, lictores; proscriptiones, mulctas; dona, laudes; habet, & pharmaca, leges; habet officinam, tribunal; habet discipulos milites.*

Princeps comparatus medico,

Ars principis est prodesse, ac benefacere, sicuti medici ars medendi, hoc vnum si desideretur, actum est; reliqua enim iam non conferunt, sed obsunt, non iuuant, sed destruunt. Propterea magno cum acumine gemini poëtarum principes maximi Homerus, & Virgilius, vt in heroicis viris principis expri-

Homer.

Vergil.

merent simulacrum, eos repręsentant vigiles aliena calamitate, & insomnes, vt C subiectorum defleant aduersitates. Sic Achilles Patrocli obitum tàm molestè fert vt nequeat obdormire.

Achilles insomnis propter Patrocli obitum.

At Achilles
Flebat dilecti amici memor neque ipsum somnus
Cepit omnia domans; sed vertebatur hùc, & illùc
Patrocli requirens vigorem.

Similiter pietatis heros Aeneas lib. 1. Aeneid. non multo antè medium propter suorum obitum, insomnis fingitur. Imò non alio pacto Iliad. 2. exprimitur Iupiter rex Deorum maximus; nisi quia cęteris D dormientibus, vt omnes iuuet, quemadmodum Iouem decet, insomnis excubias agit.

Aeneas insomnis in suorum calamitate.

Tàm proprium est principi prodesse; vt is solummodò dignus censeatur esse qui præsit, & sui omninò oblitus nil auidiùs expetat, nil exoptet ardentius; quàm suos leuare incommodis, & omni beneficiorum genere cumulare. Vnde antiqui Romani sapientia non minus, quàm imperio spectabiles, exterminata regum tyrannide; eos, penes quos summum administrandę reipublicæ dominatum constitue-

Iupiter insomnis cæteris Dijs dormientibus.

runt,

Consulum nomen vnde derivatum.

runt, Consules appellarunt, vt eos hoc nomine muneris sui commonerent; quo cogebantur consulere calamitatibus miserorum; quemadmodum à Sancto Augu-

Aug. 5.

stino didici lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 12. non longè ab initio. *Regalem dominationem non ferentes, annua imperia, binosque imperatores sibi fecerunt, qui Consules appellati sunt à consulendo, non reges, aut Domini à regnando, atque dominando.* Nomen, & omen principis habebis; si præesse studueris; vt consulendo subuenias, non imperando premas.

Id autem adeò certum extra omnem est controuersiam; vt visus sit Deus ipse sua voluisse auctoritate confirmare. Mentiar, nisi Diuinæ consilio sapientiæ ita cōparatum est; vt qui dignitate supra cæteros sunt conspicui, non alia ratione dignitatem, qua fruuntur, stabiliant firmiùs; quàm si obliti sui, & priuati boni immemores subiectorum bono consulant dili-

Eus. d. Emiss.

gentissimè, & in promptu Eusebij Emiss. digna cedro auctoritas. quærit, cur Zachariæ rē sacram facienti cœlesti Nuncio fuerit promissus filius, quod habet hom. 2. de Sācto Ioanne Baptista circa medium in

Zachariæ pro aliis oranti cō ceditur filius.

hunc modum. *Numquid credendum est, quod in templo tanti populi sacerdos hoc petierit, vt ei filius nasceretur? Numquid credendum est, quod pro hoc tantopere inuigilarit publicæ intercessoris oratio: vt intermissis suorum necessitatibus donari sibi à Deo posceret desperatum nomen parentis, & alienæ munus ætatis? Non ita est: sed dum ille sollicitus pro salute populi supplicat promissus est ei talis filius; dumque ille, non pro se, sed pro omnibus precem fundit: meruerunt pro futura fructu posteritatis pia desideria sacerdotis.* Nemo in animum inducat suum Zacchariam, illum videlicet, qui sacerdotali, hoc est omnium maxima dignitate Dei populo præerat, totum in eo fuisse; vt sacrificijs, atq; obsecrationibus filium à patre luminum, ac beneficentissimo largitore munerum impetraret; obtinuit tamē, quod, qui totus in eo est, vt subiectis prosit, præsit necesse est. Etenim qui principatu præminet, dignitatem suam minimè stabilem, sed mox ruituram sapienter pertimescit; si liberis careat par fuit, vt summus rerum Dominus Zachariæ filium pollicerētur, hoc est

A principem dignitatem firmaret in eo; qui non potuit non præesse, quia non defuit prodesse.

Quoniam verò id in præsentia ago, vt probem prodesse debere qui præest, sensum esse hominum cuiuscumque ordinis, ac conditionis illi sint, exemplum affero in medium principis barbari, quem inuenio à mea sententia non discrepasse. Etenim Gielaluddaulas Arabum rex, vt accepimus ex historijs Saracen Georgij Almacini arabicè scriptis, & nuper latinitate donatis à Thoma Erpenio lib. 3. cap. 8.

Singulares saracenorum regis exemplū.

B rex inquam Gielaluddaulas cum aliquando ingressus esset Tusum (quod gentis barbaræ templum est) interogasse fertur consiliarium suum, quid nam à superis petijsset? qui respondit vt Deo benè iuuante de Niso fratre tuo defectionis reo victoriam cōnsequaris (conciitauerat enim in regem rebellantes populos Nisus) Tūc Gielaluddaulas meæ vero, inquit, orationis summa hęc fuit. *Omnipotens Deus, si frater magis conuenit Muslimorum saluti, quam ego, victoriam ipsi de me concedas; si verò ego potior eo sum in commodum illorum, me illo superiorem reddas.* O' dignam

C verè vocem, qua ab immanissimarum gentium principe, quæ debeant esse imperantium partes verissima, & probatissima institutione teneamus.

Declarandum mihi esse intelligo, quod secundo loco proposui, videlicet ęquum esse, vt qui præsunt, ita prosint; vt industria, facultatibus, proprij discrimine capitis, modis omnibus seruiant vtilitatibus subiectorum.

Quæri solet; num timor deceat principem virum; videtur quippè primo aspectu ab inuicta mente alienum timore concuti. Audiamus, quid in hac re sentiat Plutar-

Plutarc.

D chus; qui asserere non dubitat metum aptissimè principi conuenire; sic autem docet lib. de doct. siuè ad principem in-

Qualis metus principem deceat.

doctum circa med. *Hic est principis metus, & humanus, nec ingenerosus; vt his, quibus imperat, metuat; nequid se inscio lædantur; non aliter, atque canes nocturnam, ac laboriosam ouium in septis custodiam, simul, atq; trucem audierint feram timent non sibi, sed his, quæ custodiunt.* Quod paulo post Catonis Vticensis illustrat exēplo; *Cato in Vtica victore Cæsare, reliquos*

Princeps comparatus canibus pecudum custodibus.

omnes

omnes iussit ad mare vocari, eos simulatq; imposuisset nauibus, prosperam ijs nauigationem precatus: ipse reuersus domum sibi necem sua manu consciuit; docens videlicet, quibus debeat timere princeps. Omnem mali formidinem à subiectis amouere, eorundem commoda suis anteferre, eisdem summa diligentia prospicere, regię sunt artes; has exercere si desinas, desinis etiam imperare.

Cato securus alijs consulit propria nece.

Adest inter Romanos Augustos memorandus in primis, commendandus in paucis Vulpius Traianus; qui vnicè ad Imperandum natus non immeritò credebatur; factus etenim adunguem videbatur, vt prodesset; igitur, vt præesset. De hoc ex Dione, Eutropio, & alijs scribit P. Horatius Tursellinus lib. 4. Epit. hist. in eius vita, cum fasciæ ad obligandum militum vulnera deessent; ne subuculæ quidem suę pepercisse; cuius quandò incidit mentio, prætermittere quis possit, quod de Aelio Adriano Traiani vt imperij, ita humanitatis successore idem ibidem scribit. Hunc cum obuia muliercula alloqui vellet, dicenti Cæsari, *sibi non vacare*; succlamauit *Noli igitur regnare*: & quia veritas nescia repulsæ est: eo monitu permotus princeps molles aniculæ aures prębuit. Audite, ò quicumque cęteris præestis; quoties oblatam occasionem subditorum seruiẽdi bono prætermittis; toties digni estis, qui regnare desinaris. Neque ex alio capite antistitis dignitate indignos sui temporis clericos censuit B. Petrus Damianus ep. 2. lib. primi, epist. initio scribens his verbis. *Clerici digni Episcopatus officio in nostris partibus non inueniuntur; omnes enim præesse inhiant, prodesse non curant.*

Traiani erga milites affectus.

Tursell.

Adrianus à muliercula monitus.

Petrus Dam.

Episcopatu valde pauci digni.

Propterea probanda semper mihi visa est illa populorum quorumdam in noua Hispania à Ioanne Boter. lib. primo dictor. memorab. viror. illustr. paulò post initium commemorata consuetudo: apud quos asserit fuisse in more positum principes opportuno tyrocinio ad capessendum imperium initiari. Is enim, qui hæreditario iure debebat imperij tractare habenas, per annum in templo vitam traducere cogebatur satis asperam; & si fortè præter paucas horas quieti concessas, somno consopitus obdormiscebat; admotis excitabatur stimulis ea voce. expergiscere: principis enim pręcipua pars est; vt vigil sēper excubet vtilitati, & commodo subditorū.

Boterus.

Cur Tyrocinia regum in noua Hispania.

Principis magna pars vigilia.

Cunctis qui præsunt, monitum fuit Magni Gregorij secunda part. past. cap. 6. *non praeesse hominibus gaudeāt, sed prodesse.* Inter hos numerari debet Pindarus Ephesiorum tyrannus. Etenim, vt auctor est Aelianus lib. 3. cap. 26. cum Croesus Ionię inuasor tradi in suam potestatem Ephesios postularet, eosq; propterea obsidione vrgeret, ac vexaret: missis ab Ephesijs legatis, pactionem huiusmodi proposuisse dicitur Croesus; nimirum concessurum se Ephesijs libertatem; dūmodò Pindarus, non modò deturbaretur imperio, sed ciuitate expelleretur. Conuentionem probauit Pindarus; & vni ex familiaribus Pasicli, tùm filij tutela, tùm bonorum cura delegata lubèns, ac spontè, imò hilari animo in Peloponnesum discessit; ne patria sub Lydorum iugum mitteretur; regium viuendi splendorem cum exilio commutans. Imò verò imperare non desinis, Pindare, quin potiùs non immeritò prædicaris tantò gloriosiùs præesse, quantò vtiliùs videris prodesse. Quod exornationis genus cum Caius Plinius de Vespasiano suo protulisset; dixisse se satis arbitratus est; ait enim in præfatione totius operis paulò post initium. *Nec quicquam mutauit in te fortunæ amplitudo; nisi vt prodesse tantumodò posses, & velles.* Cui præesse contingit, prodesse debet ex munere. Dilucida sunt hæc, & aperta satis: grauius tamen Isaiæ suffragium in promptu est cap. 3. num. 7. vbi dicitur. *Non sum medicus, nolite constituere me principem populi.* Vt sicut medici Industriæ, labores, ingenium, vires, facultates omnes incolumitati seruiunt ægrotorum; ita nil principi sit antiquius solario, atque vtilitate suorum. Certè ἄναξ veteribus rex dicebatur, quemadmodum, ex Plutarcho, & Eustachio didicisse se profitetur. Cęlius Rhodyginus lib. 8. lect. antiq. cap. 1. paulò ante finem. Nam ἄκος dicitur medela, quod illis subditorum cura incūbat. Propterea Iliados 4. Diomedes, vt Sthenelo suaderet, Agamemnonem dignum esse, quem subditi præcipuo prosequerentur honore: Magnificè commemorauit, mirum in modū Agamemnoni cordi esse, publico prospicere bono, suaq; subiectorum commo

Gregor.

Aelian.

Pindarus libēter exulat vt suis prosit.

Caius Plin.

Principatus dat facultatē benefaciendi.

Isai. 3.

Princeps cōparatur medico.

commodis posthabere. Sanè Iliados se- A cundo eumdem Agamemnonem fuisse à Nestore reprehensum, non solùm, tamquam auatum, tamquam iracundum; verùm, quod caput est, etiam tamquam abiecti virum animi fuisse delusum legimus omnes. Quomodò igitur à Diomede dignus prædicatur imperio? Verissimè quippe eruditissimus S. Hieronymus in cap. 5. Isaiæ aliquantò ante finem pronunciauit, *qui præsunt plurimum debent carere vitijs, & maximè ira*. An oblitum credimus poetam ingeniosissimum, & hoc loco bonum dormitasse Homerum? Nequaquam; sed magno cum artificio is, qui acrioribus itę stimulis inflammatur; is, qui dicitur sui impotens; atque insuper tamquam abiectus censoria notatur virgula; principatu nihilominus asseritur dignus: hoc solùm nomine; quia totus, quantus, quantus est viribus, ingenio, industria, suis prospicit diligentissimè. Iure igitur meritissimo præest, quia prodest. Luculenter probat principis esse suarum erogatione facultatum subiectorum prospicere vtilitati Hippolitus Clementis septimi nepos de gente Medicea munificentissima liberalitate, hoc est magni principis germana laude memorandus: adeò amplam regijs sumptibus alebat familiam, vt Pontifici visum fuerit famulorum numerum minuere. Auctor est Ioannes Buterus lib. primo dictor. memorab. viror. illustr. longè ab initio. Itaque Pontificiæ domus œconomo aceiri iusso, petit indicem famulorum; eoquè diligentiùs considerato, plures expunxit ab albo; imperans, vt Hippolito seriò renunciaret omninò dimittendos, quotquot manu propria Pontifex deleuisset; quia tot aulicorum famulatu minimè indigeret, Hippolitus regiæ indolis patrui nuncio audito, domus præfecto respondit. Verè quidem Sanctissimus Dominus enunciat me sine incommodo carere posse famulis; quorum nomina deleuit; at ipsi mea domo sine suo detrimento dimitti non possunt. Caue igitur quemquam dimittas; quod si feceris, non modò me ęgre laturum, sed fore tibi semper infestum certò scias. Cur obsecro maluit Hippolitus patruo obstare tanto cum discrimine; quàm impensis pro alendis famulis parcere: nisi quia probè tenebat, idem omninò esse, prodesse desinere, ac pręesse cessare. Itaque velis, remisque contendat per obstantem etiam patrui voluntatem egentium inopię subuenire, ne principatu cadat. Illustrius est, quod ab eodem citato auctore paulò post scribitur; quod eò libentiùs recito, quò clariùs enitet nostrorum temporum principes antiquis fuisse magnanimitate præstantiores. Alphonsus Neapolitanorum rex cum quemdam memorantem exciperet, tritam illam Titi querelam; qua diem se perdidisse lamentabatur, quoties vesperi recolebat, nulli se ea die beneficium B contulisse, exclamasse dicitur. *Gratias refero, quas possum maximas præpotenti Deo; quod nullum hactenus ex hoc capite perdiderim diem*. O' pręclaram vocem! Declarauerat Titus non imperare principem eo die, quo de suis non fuisset benemeritus; Alphonsus gestorum magnitudine impleuit quod ille pronunciauit, hic pręstitit.

Doctissimus Abulensis 3. Reg. 1. q. 23. animaduertit, prope fontes, & iuxta arbores fuisse olim reges sacro oleo delibutos. *Vnctio; vel coronatio regum* (verba C Abulensis) *fiebat apud fontes, & arbores*. Sic de Adonia, Salomone, Abimalec legimus. Primò siquidem regalia decora iuxta fontem Rogel collata sunt. Secundò prope fontem Siloe; Tertiò demum prope quercum celeberrimam Sichen. Quorsùm obsecro? An non fuisset ęquiùs, in frequentiori senatorum cœtu, in augustiori regij palatij aula principem maximum coronari? fallor. Par profectò fuit, vt à fontibus, & arboribus, qui ad regium principatus fastigium extollebantur, tamquam à perspicuis symbolis, notisque eminentibus perdiscerent: nihil esse D in principe, ac ne cogitari quidem posse, quod meliùs declaret, quę eius debeant esse partes; quàm profusa liberalitate, & benefico ingenio de alijs benemereri. Ea plane ratione, qua & arbores, non modò fructuum vbertate; verùm etiã viridi ramorum pompa vtilitati, atque voluptati hominum seruiunt: & fontes perenni aquarum gurgite (fons enim à fundendo dicitur, vt idem docet Abulensis in caput primum Genesis) ad fecunditatem terræ decurrunt. Ni arboris in morem fructus

Hieron.

Princeps debet ira carere

Hippoliti medicei munificentia.

Io. Bot.

Alphonsi Neapolitanorum regis munificentia.

Abulen.

Cur reges vngebantur prope fontes, & arbores.

Fons à fundendo.

Abulen.

A fructus continenter feras: nisi fontis instar irriguo, non tàm vndarum, quàm gratiarum lapsu decurras; principatus insignibus exornari non debes, iudice Deo. Tu mihi semper instar omnium futurus es, ô magnanime Phocion, quem nulla consequentium sæculorum obliterabit obliuio. inclyto huic Atheniensium duci, vt scribit Aelianus lib. 1. cap. 25. cum dono dedisset magnus Macedo centum argenti talenta; & quatuor insuper nominasset præcipuas ciuitates; quarum quamcumque ad libitum deligeret, vt eam imperio regeret eiusque census, & redditus in propriam vtilitatem conuerteret. Phocioni visum est, neque argentum, neque ciuitatem accipere; sed potius eos, qui in arce Sardis captiui tenebantur, liberos dimitti rogauit, Echecraridem sophistam, Athenodorum, Himenæum, & Demarathum. Probe tenebas, Phocion, principem eum non esse, qui premat imperio ciuitates, aut census, ac redditus exigat; sed qui miserorum leuare curas, captiuorum prospicere egestati, ærumnosis opem ferre summo studio conatur. Vt paucissimis vtar, ea fuit sententia Phocionis, Vt pręsis, prosis.

Phocion recusatis maximis donis, & thesaurorum liberatem.

dedisset.

B

C Videatur P. Ioannes Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. cap. 1. versic. 23. & 24. Annot. 3. per totam & P. Franciscus Mendoza tom. 2. in lib. Reg. in cap. 5. lib. 1. num. 9. in expositione litteræ num. 5. & 6.

Consule etiam R. P. Didacum Nissenum ser. in Sabbato 2. Quadr. Assump. 4.

Illustrabis etiam rem propositam ijs quę accommodatè & ingeniosè allata inuenies apud P. Io. de Pinna in commentarijs Ecclesiastici cap. 1. Ethologia 12. num. 9. & sequentibus.

D Iterum videndum moneo mox citatum P. Io. Antonium Velasquez tom. 2. in epist. ad Philipp. ad cap. 2. ver. 25. & 26. Adnot. moral. 1.

Insuper habes permulta, quæ huc reuocare potes, apud Didacũ de Baeza tom 1. comment. moral. in Euang. hist. lib. 3. cap. 5. §. 9. & 10. & tom. 2. lib. 6. cap. 7. §. 12. & cap. sequenti §. 2. & tom. 3. lib. 14. cap. 16. §. 23. & tom. 4. lib. 16. cap. 16. §. 14. & alibi.

A IN CAPVT SECVNDVM
Num. VIII.

Mittens illos in Bethlehem, dixit: ite & interrogate diligenter de Puero: & cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

PARADOXVM VIII.

Sapientia insipiens.





VLGATA à Magis natí Iudęorum regis fama Herodes metu perculsus seniores & cogit, & consulit, discussisque diligenter singulorum sententijs, decernit rogare Magos; vt cum inuenerint quem quærebant, certi aliquid nuncient. *Cum inueneritis renunciate mihi.* Cordatum sanè consilium: rei grauissimę summam exteris, ignotisque capitibus committere. An non suis rebus consuluisset satiùs impius rex, si premens altum corde dolorem, clam exploratoribus probatæ fidei demandasset, vt Magorum insistentes vestigijs, certo certiùs deprehenderent; vbi nam gentium esset, Puer natus, quem ipse pertimescebat? Quid facilius? quid oportuniùs? nihil sane. Verùm ita arcana superni Numinis prouidentia comparatum est; vt scelestorum hominum diuino reluctans consilio sapientia insipiens cognoscatur. Quod vt illustrem, libet silentio inuoluere no-

Herodes non bene sibi consulit.

K tissimum

ssimum illud gentium Doctoris effatum: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Stulti sunt* addit Gregorius, *qui veram sapientiam non intelligũt.* Prætermittere autem sine nota non possum ingeniosam Euseb. Emisseni ratiocinationem, examinantis insanum eorum furorem, qui etiam in martyrum cineres sæuiebant. *Sacra corpora*, verba sunt Emisseni, *funeris honore priuantes ignibus dabant, & post hominum mortem contra ipsam pugnabant humanitatem: & cum iam causa periisset furoris, finem non imponebant crudelitati; sed tamen vellent, nollent beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis inuidebant. Quomodò semper malitia, cum stultitia coniuncta est.* Hæc Emissenus hom. de Sancta Blandina Lugdun. circa finem, aurea sanè conclusio. Animaduerte nexum inter stultitiam, & malitiam. Ego verò tibi in memoriam interea reuocabo, quod melliflua facundia S. Bernardus in rem præsentem affert explicans illud psalm. 10. num. 6. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui fieri potest, dixerit fortasse non nemo, vt quis animam suam odio prosequatur; nisi is sit mente captus? rem enim vero acu tetigisti, quisquis hæc animo voluis: accipe iam tam obuium, quàm appositum S. Abbatis exemplum, quo, cuiusmodi sit hæc dementia, meridiana luce clariùs patebit. *Si vidisti hominem scalpere manus*, inquit ille serm. de Conuers. ad cleric. cap. 4. *& vsque ad sanguinem confricare, euidentem habes in eo similitudinem animæ peccantis expressam. Sic laceramus, sic exulceramus proprys manibus animas infelices. Neque id quidem immisitiarum studio gerimus, sed stupore quodam insensibilitatis internæ. Effusus siquidem animus damna interiora non sentit; quia nec intus est. Quid vero mirum si propriam minimè sentiat animarum læsionem, quæ sui ipsius oblita & penitùs absens sibi in longinquam profecta est regionem.* Ades iam quisquis flagitio seruis; sapere tibi videris; sed maximè desipis; quod non odio tui accidit, sed stupore mentis planè dementis. Etenim dum blandè scalpis, fœdè exulceras, & pro medicamine nouum vulnus infligis: ò præposterum prudentiæ fallentis remedium.

Greg.

Emiss.

Psal. 10.

Bernard.

A Talis est insipiens mundi sapientia; quia videlicet stupida sui oblita, omninò absens anima peccantis est.

Iam miseram flagitiosi hominis conditionem satis superq; explicuisse sibi visus est regius vates psalm. 48. 13. cum dixit: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vtinam id intelligerent aliquando, qui emendicata sapientiæ commendatione desipiunt. Vetsipellis doloso astu fraudum laqueos intexens, prudens dicitur; mentis elatione tumescens per fas, & nefas aditum sibi faciens ad concupitos honores; vt indulgeat cu-
B piditatibus mille nocendi artibus vtitur; qui voluptatis tyrannide premitur; quicumque, vel liuoris, vel auaritiæ igniculis æstuans, nouit suam explere sitim: vno verbo scelestus quisque per humanæ prudentiæ anfractus continuò circumuoluitur, catus ab omnibus nuncupatur: nesciens miser ob eam præcipuè causam, quàm aptè iumentis insipientibus comparetur; comparetur inquam? imò vero postponatur necesse est. S. Bernardũ ser. 35. in Cant. paulò ante finem audiamus. *An non tibi videtur ipsis bestijs quodammodò bestialior esse homo ratione vigens, & ratione*
C *non viuens? conuersatione degeneri iura naturæ transgrediens, rationis compos, rationis expertia moribus, & affectibus imitatur.* Quæris qua id tandem ratione contingat? respondebit inter eloquentes sanctissimus, inter sanctos eloquentissimus S. Leo serm. 5. de Natiuit. post medium. *Mundo ergo, idest prudentibus mundi sapientia, tua cæcitas facta est.* Ad alia gradum facere non possum; nisi priùs in medium afferam, quid idem S. Pontifex de hoc eodem tyranno, qui disserendi præbuit occasionem; censeat sentiendum
D his verbis. *Sæuitia Herodis volens primordia suspecti sibi regis extinguere: huic dispositioni nesciens seruiebat: vt dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur; annunciatum cælitus dominatoris ortum insignior vbique fama loqueretur.* Ita Sanctus serm. 2. de Epiphan. paulò post initium. Non poterat impij principis dementiam clariùs explicare; cum ipsum, quem ab hominum memoria delere vellet, facit suis conatibus fama super æthera

Psalm. 48.

Sapientes mundi similes iumentis.

Bernard.

Leo.

Herodes inuitus publicat Christi natiuitatem.

A ethera notum. Vel certè, si cum Philone philosophari velimus, insipientis Herodis sapientiam reprehendemus: dum enim mendaciorum sipario suam abscōdit versutiam ne de principatu deturbetur; se principatu cecidisse seruili suo ingenio manifestè prodit. Subdo verba Philonis. *Ne reipublicę princeps dolosè versetur; nam fallaces mores ad seruile non liberale ingeniū pertinēt; dum rebus simulatio pratexitur, at princeps ad hūc modū tractare debet.* Hæc ex Philone lib. de creatione principis aliquanto post init. O vesanam principis sapientiam: mentitur, ne regno spolietur; spoliandus regno, quia mentitur.

Principem decere astutos mores. *Philo.*

B Descripsit, & derisit sapientiam huiusmodi insipientem S. Petrus Chrysologus perbellè carpens dementissimum conciliū hominum vanissimorum: apud quos in more positum erat bruta necare animãtia, vt diuinorum oraculorum arcana perciperent. *Occidebatur pecus*: verba Chrysologi, *vt quod viuum nil scierat, diuinaret occisum, & loqueretur ex fibris mortuum quod nunquam fuerat ore prolocutum*. Ita Sanctus serm. 5. qui etiam de duobus filijs prodigo, & frugi paulò ante med. vide quid moliatur lynceum humanarum mentium acumen, quod autem complecti nequeunt, quod mente assequi non possunt; vt suis rebus consulant, inter brutorum animalium fibras perscrutari se posse confidunt; quàm semper vesana hominum sagacitas, si à Deo abhorreat. Istud ego, vt adumbrem, verbis vtar Plutarchi dicẽtis. *Non animalium modò quorundam oculi per tenebras videre possunt, interdiù cæcutiunt: sed & quorundam hominum calliditas, atque prudentia, ita est comparata. Huius inæqualitatis causa est ignoratio philosophia*. Ita Plutarch. in vita Arati aliquantò post initium. Ipsissima sapientium mundi conditio, qui bono diuinæ veritatis in lumine penitus orbati luce cęcutiunt, inter humanorum consiliorum tenebras videntur oculatissimi: vt enim diuitijs, existimationi, consulant maximè sapiunt; vt Deo, quæ Dei sunt, exhibeant, vt à recta ratione rebellantes motus contineant in officio omninò desipiunt: huius autem inæqualitatis causa est ignoratio philosophiæ: hoc est illius sapientiæ, quæ docet terrena despicere, & amare cœlestia. Nec me piget rerum supernarum notionem philosophiæ nomine compellasse, cum Sanctus Petrus Chrysologus nuncupet illam ipso initio serm. 38. qui est de iniuria æquo animo toleranda cœlestem philosophiam, & circa medium eiusdem sermonis, diuinam philosophiam: huic des operam, ne meridiana sis in luce Thiresias, Argus inter nocturnas humanæ sapientię tenebras. Quod apertissimè à S. Paulo prima ad Corinth. 8. num. 2. pronunciatum, idem eloquentissimus antistes Rauennas recognoscit de humana sapientia verba faciens. *Hoc scire, nescire est. Probauit hoc Apostolus, quia homo, quando se putat aliquid scire, tunc nescit*. Ita Sanctus serm. 52. qui est de Lazaro non longè à fine. Quid si id cognitum fuisse ab Ethnicis comprobauero? Sanè gloriosum erit veritati ipsos aduersarios suos habere procuratores. Consule Plinium lib. 34. cap. 8. vbi inuenies à Paulo Aemilio collocatum fuisse Mineruæ simulacrum in templo Fortunę. Percipio quid tibi velis magnę vir mentis Paule Aemili: Nulli nisi Fortunæ hoc est Deæ orbatę lumine, ac penitus cœcæ Minerua

Chrysol. Vanitas antiquorum in auspicijs.

Plutar.

Astuti similes animalibus cæcutientibus in luce.

Sapientia cœlestis benevocatur philosophia. *Chrysol.*

C iungatur; quia pares cum paribus facillimè congregantur. vt non minùs incerta, & oculorum acie destituta Minerua iudicari debeat; quàm Fortuna: vtriusq; simulacrum eodem in fano constituatur. Præterquam quòd sapientiæ studiosi antiquitùs noctuam Mineruę consecrabãt, quemadmodum leges apud Pierium Valerianū lib. 20. hieroglyphicorum paulò ante medium: quo symbolo velint nolint, suam sapientiam fatentur insipientem. Quemadmodum enim noctuæ in tenebris volitant oculatæ solùm, absente sole; quo pręsente cœcutiunt: ità planè quos commen-

D datione sapientiæ mundus suspicit, fateatur necesse est eos inter errorum tenebras hac illac volitare; sed micante, solis lumine, hoc est veritatis luce coruscante luce omninò destitui. Satius erit Ambrosium audire lib. 5. Hexaemeron cap. 24. paulò post init pro nobis sic fantem. *Noctua ipsa quemadmodū magnis, & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem: & quo fuerit nox obscurior, eo contra vsum auiū cæterarum inoffensos exercet volatus.*

Plin. Cur simulacrū Mineruæ in templo fortunæ.

Noctua cur sacra Mineruæ. *Pier. Val.*

S. Ambr.

Noctuæ comparantur sapientes mūdi.

Exorto autem die, & circumfuso splendore solis visus eius bebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris. Quo indicio sui, declarat, esse aliquos, qui cum oculos babeant ad videndum, videre non soleant; & visus sui officio solis fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor; quos habent sapientes mundi, & non vident: in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebrosa rimantur. Porrò autem à fide deuij, perpetua cæcitatis tenebris implicantur, habentes in proximo diem Christi, & lumen Ecclesiæ, & nihil videntes: aperiunt os, quasi scientes omnia, acuti ad vana, hebetes ad æterna; & longa disputationis anfractu prodentes inscitia propria cæcitatem. Huculque Ambrosius: quibus perlectis, feras velim sententiam, num clarius dici potuerit, quosdam videntes nō videre, hoc est sapientes minimè sapere?

Cal. Rhod. Mentionem facit Cælius Rhodyginus lib. 29. lect. antiq. cap. 13. post medium eius historiæ, quam hic lectorum & oculis, & iudicio subjcio. Puer Barbarus, cum venisset Athenas, magnus, opinor, sibi videbatur; quod Græcas litteras tres didicisset α β γ. cumq; in patriam remeasset, magno popularium fauore exceptus contra prætorem quemdam Græcè concionantem positus est, qui postea quam perorauit, vt erat alter ille vocalissimus, (cum illud Ciceronis verum sit, plerosque suæ conscios imbecillitatis ad vociferationem, veti claudos in equum insilire) exclamare pertexit α β γ. quo clamore perterritus prætor siluit. Barbari verò eiuem suum vicisse existimantes, illum magno plausu domum reduxerunt: huius barbari sapientię assimilem si dixero sapientiam mundi; ne transuersum quidem digitum à veritatis linea aberrabo putant se plurimum scire, & magnificè iactitant suā in rebus arduis prudentiā, consilia, dexteritatem, qua arbitrantur eludere se posse Dei legem, mente capti, ac barbari, vix prima tenent elementa virtutum, & quasi de comparata sapientia tripudiant. Sapientia verè insipiens, quando te putas aliquid scire, tunc nescis. Vnde, & Delphici Apollinis oraculo tunc primùm sapientia cunctis pręferendus fuisse perhibetur Socrates: vbi dictitare palam cępit vnum id scire se, quòd sciret nihil. Au-

Barbarus imperitur cōfundit C æcum scientissimum

Quādo Socrates ab oraculo sapiens iupeatus.

diant scioli planè inscij huius sęculi inflati sapientia, cui sępè sępiùs fidunt tantoperè, vt summam Dei sapientiam eludere conentur: si sapis; seias te nihil scire eorum, quę eum Dei voluntate pugnant.

Marci ab Ephesο derisa diuino consilio versuta sapientia nobis instar omnium fit; vt statuamus, tunc maximè insipientes sapientes deprehendi eos, cum in Deum pugnant; cum omnes adhibent industriæ neruos, vt sapere videantur: rem totam sic accipite ex Iosephi Deo amabilissimi Methenensis Episcopi responsione ad libellum Domini Marci Eugenici Metropolitę Ephesij in quo Marcus, quid de sacra Synodo Florentina sentiret, exposuerat, sic ergo ait Ioseph Episcopus. *Ita libros omnes, qui producti sunt, corruptos vocando stultissimus ab omnibus habitus est Quando misisti etiam Nicomediensis præsulis ministrum, vt afferret codicem S. Basilij, in quo dictum illud habetur. Cur enim necesse est, & catera. Ille verò siuè malitia sua permotus, siuè etiam à verbis admonitus voluit occulere veritatem: atque accepto codice venit ad fenestram cogitans dictum illud abradere; signatoque folio, in quo sententia habebatur, cultellum quærebat, quo illam eraderet; at verò Spiritus veritatis non permisit id fieri, ne veritas extingueretur: excitat ergo flantem auram, per quā factum est, vt folio, in quo dictum inerat, mutato aliud se offerat: ille festinans aliud expunxit pro alio; Deinde celeri gressu reuersus ad Synodum audacter ibat ad conuincendos latinos. Vt verò pater eius librum aperuit, & integram sententiam vidit; toruè in ministrum intuens, rem commonstrabat: at ille tremebundus clamauit; ita mihi Domine tua prosit benedictio; deraſi illam; quomodo autem rursus integra sit, ignoro. Ita cum inuenta esset intacta sententia, confusi recessistis; Et tam non te pudet dicere latinorum dogma abs te demonstratum esse absurdum.* Hanc narrationem inuenies in fine Concilij Florētini 4. tom. Concilorum Grçeolat. in pagina 684. in hoc facto tamquam in speculo intueri licet repugnantem Deo sapientiā, tunc se prodere insipientissimam; cum mille artibus satagit haberi cordata. Contingit planè, quod scribit Ambrosius in cap. 1. ep. 1. ad Corinth. paulò ante finē Inquiens quid

Marcus Ephesinus versutia sua se prodit.

Ambros.

quidquid homines sine Deo sapiunt, stultum est. Quo risu fuisse exceptum credimus Marcum ab Epheso, qui ad infringendam Florentini Concilij auctoritatem mandauerat paginam è codice deradendam, sed quia versura sapere in Deum machinatione desipere est: par fuit, vt in tanto consessu vaferrimi ingenij aperiretur fraus, & sapientia insipiens derideretur.

A

Neque pigebit, vt reor, lectorem vrbano Mori responso rem propositam inspicere confirmatã. Huius verò mentionem facit Io. Boterus lib. 1. memorabilium vir. illustr. non longè à fine. Propositum fuerat impium nescio quid, & religioni repugnans ab eo, qui regia auctoritate totius regni consilio maximo præerat, quod omnium votis exceptum, & probatum, solummodò ab incorruptæ fidei, & mentis infractę viro Thoma Moro vituperatum fuit, & solidis rationum momentis reprobatum. Tulit id iniquè iniquissimus præses consilij; qui continere se non potuit, quin Thomam dementiæ, atque insaniæ carperet; cum contradicere minimè vereretur virorum sententię sapientissimorum. Cui Morus salis plenissima respõsione subdidit: si ita se res habet, referendę sunt auctori Deo ex animo gratię; quandoquidem regi nostro (quod raro accidit) in supremo cosilio regni sui, vnum solummodò è consiliarijs habet insanum. Dicere voluit, quod & nos de quouis humanę sapientię cœtu affirmare non dubitabimus; eos insanissimos esse, qui sibi de sapientia blandiuntur.

B

Thomas Morus constans in asserenda veritate.

C

Consulat qui voluerit P. Didacum de Baeza tom. 2. commentar. in Euang. hist. lib. 11. cap. 2. §. 4.

Legantur quæ eruditè tradidit P. Alphonsus Salmeron in epist. D. Pauli 1. ad Corinth. disp. 3. initio tom. 2. qui est operum 14.

D

Insuper quę in eamdem epist. cap. 3. num. 19. in tom. 1. scripsit Benedictus Iustinianus, & cap. 1. eiusdem epist. nu. 19.

Denique videatur P. Ioannes de Pinna in Ecclesi. cap. 3. ethologia 43. num. 17.

IN CAPVT SECVNDVM Num. III. & IV.

Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.

PARADOXVM IX.

In principe nullum crimen leue.



TVRBATVS Herodes dicitur, & audito nuncio nati regia, seniorum exquisiuisse suffragia. Enimverò moderatè satis, & tyrannus ipse se gerit; & fluctuantis animi curarum reciprocantium æstu iactata vicissitudo exprimitur satis remissè. Debuisset potiùs nefarius princeps describi furijs agitatus iniquis, & insano furore correptus, nihil non execrandum, ac flagitiosum moliri; vt vltima primis responderent. Magnum profectò fuisse necesse est rabidæ mentis incendium, quod, ne pleniore quidem gurgite exundantis nocentium puerorum sanguinis, potuit restingui. In eam tamen lubens adducor sententiam; vt mihi persuadeam hominis mente capti insaniam vix leuiter in sacra pagina adumbratam, quia in principe viro, vel tenue vestigium criminis, magnum veluti portentum sceleris ab omnibus exprobratum. Nimirum in principe nullum crimen leue est.

Herodis turbatio non satis exaggerata in Euangelio.

Proferam in medium iam Plutarchi sententiam, quæ mihi plurimum facit, cum decernat in hunc modum: *Minima etiam nobilium, & illustrium virorum delicta calumniantur homines*. Cimoni vinum

Principi quælibet minima obijciuntur.

Subditi colant principem non metuant.

A *dixi, colant potius dominum, quam timeant. Ita inquam, prorsus colant tanquam clientes, tanquam saluatores. Hoc qui dixerit, obliuiscetur, id dominis parum esse, quod Deo satis est, qui colitur, & amatur. Non potest amor cum timore misceri.* Vsque adeò à subiectorum cordibus ablegandus est metus principis: imò tanta erga eum beneuolentia debet esse; vt metus ne minima quidem ex parte cum beneuolentia misceatur.

Legendum propono P. Didacum de Baeza tom. 2. comment. in Euang. hist. lib. 6. cap. 7. §. 7. tom. item 4. lib. 18. cap. vltimo §. 20. B

IN CAPVT SECVNDVM Num. III.

Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.

PARADOXVM VII.

Non præest, qui non prodest.



OLVOR eodem, auditis Magis, pertimescit Herodes, quasi verò iam ceciderit principatu. Benè est. tēporibus aptos mores præsefert suis, iam regni solio cecidit, quia non præest, qui non prodest. Qua in re aperlam duo:

Primò hunc esse, & fuisse semper communem hominum sensum cuiuscumque sint ordinis, aut conditionis.

Secundò verò declarabo, qua ratione id præstare debeant, qui imperant; quos æquum est industria, facultatibus, modis omnibus seruire vtilitatibus subiectorum.

Omnes sentiunt principes debere alijs prodesse.

A Huiusmodi autem communem esse hominum sensum, patebit facilè ex ingenioso Apophtegmate; quod est apud Ioannem Bot. lib. 1. dictor. memor. virorum illustrium aliquātò ante med. Iapponēsis nescio quis nomine Bernardus fortè Romę degebat, quo tempore de eligendo Summo Pontifice purpurati patres decernebant, è viuis erepto, diutino sex mensium morbo Iulio III. Quadam die, dum de more comitia celebrarentur, per Vrbem obambulans Bernardus socio dixisse fertur: *Principem habemus, eumque omnibus absolutum numeris, & vndequaque*
B *imperio dignum.* Tum socius: ecquis, oro, id tibi indicauit e certo certiùs id noui, subdidit, nulla interposita mora Iapponensis, video enim pauperes afflictos, ęrumnosos singularia præbere lætitię argumenta: habent igitur eum, qui consueuit prodesse; & quod inde consequens est, qui debeat pręesse callet artem imperandi, quia nouit modum benefaciendi. Nec Bernardum fefellit opinio; fuerat enim ad supremæ dignitatis culmen euectus Marcellus Secundus princeps optimus, quia factus ad benè merendum. Quanquam

Marcellus Secundus laudatur à beneficentia.

C non est, cur id nostrorum temporum ignoti homines ex vltimis terrę partibus acciti declarent; cum antiqui illi sapientes in principe gentium vrbe, hoc est in ipso sinu vrbanitatis educati omnium vsurpata sermonibus appellatione, satis, superque aperuerint: non alio nomine principem nuncupantes, quàm patris. Ita enim à Seneca lib. 1. de clementia cap. 14. circa med. accepi. *Appellauimus patrem patriæ, non adulatione vana adducti: cætera enim cognomina honori data sunt: Magnos, & felices, & Augustos diximus; & ambitiosæ maiestati quidquid potuimus*
D *titulorum congessimus: Patrem quidem patriæ appellamus; vt sciret datam sibi potestatem paternam; quæ est temperatissima liberis consulens, suaque post illos reponens.* Nihil, me iudice, clariùs, accommodatiùs nihil. Princeps non est, qui patris personam non induit. Homerus similiter odyss. 21. confirmat non parùm sua auctoritate, regum, ac principum pręstantiam supra cęteros paternam esse debere, & non nisi minoribus, ac subiectis perutilem. Vndę Iliados 1. Agamemnon ira percitus

Seneca. Imperatores Romani nuncupati patres patriæ.

Homerus

Agamemnon etiā iratus cō-
sulit suis

percitus manus in sacerdotem per sum- A mam impietatem audet inijcere; tamen, licet sui impos demēti furore salutis exercitus sui maximè se exhibeat studiosum, nimirum visus fuisset indignus imperio; si fuisset obliuione captus consulendi commodo militum, quibus imperabat. Non nihil furori detur, dummodò ne minima quidem ex parte votum iuuandi subiectis minuatur. Hęc nempè prima laus est, hæc commendatio principum, planè princeps.

Philo

Consentit Philo, cuius iudicium semper apud sapientes grauissimum erit lib. enim de creat. principis aliquanto post initium ait: *Sunt principes publici parentes ciuita-* B *tum, & gentium.* Iudæi philosophi breuis definitio, sed vnicè ad rem. Quæ mihi nullam afferunt admirationem legenti, quod de Mulio Malucco fessæ rege, barbaræ immanitatis monstro scribit Ioannes Bot. lib. 1. de dict. memor. vir. illust. paulo post init. (hic ille est Maluccus; qui luctuosam vniuerso orbi victoriam de pijssimo, & immortali fama meritorum illustri Lusitanorum rege Sebastiano reportauit) Hic inquam principis officium adumbraturus dicere solebat; eum, qui populos imperio premit, tàm pronum esse debere C ad benè de subditis merendum, vt ijs beneficia conferat, antequam rogetur; ne postulatione indigentis suo muneri deesse videatur princeps. Cui Maluccci dicto sententiam Senecæ si coniuxeris; fortè ideam principis efformare continget non omnino sine laude: Senecę autem verba desumenda sunt ex cap. 1. lib. 12. de beneficijs post med. vbi sic habet. *Gratissima sunt beneficia, parata, facilè occurrentia; vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi illud melius occupare, antequam rogemur; quia* D *cum homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubore; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit. Quoniam quidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est; nulla res cariùs constat; quàm quæ precibus empta est.*

Principes parentes ciuitatum.

Botor.

Princeps non rogatus beneficia conferat.

Seneca.

Beneficia quę sint gratissima

Caro emitur quod precibus emitur.

Chrys.

Is solùmodò præest, qui prodest: Quemadmodum apertissimè pronunciauit S. Io. Chrysostomus hom. 52. in Acta Apost. ad cap. 26. circa finem inquiens: *Dic oro, quid est proprium principis? nonne prodesse, & benefacere subditis?* Quod si principi desit, re ipsa princeps non est, sicuti idem Sanctus eadem hom. paulò superiùs explicat apta similitudine in hunc modū. *Sicut enim medicum rex non faciet, neque rethorem; ita neque principem. Extruat quis officinam medicorum; habeat etiam discipulos; habeat & instrumenta, & pharmaca; & ingrediatur ad ægrotos: nunquid sufficient hæc, vt præstent nobis medicum? minimè; sed opus est arte: & sine illa non solum hæc nihil prosunt, sed etiam damnosa: talis etiam princeps est, habet instrumenta, vocem; iram, lictores; proscriptiones, mulctas; dona, laudes; habet, & pharmaca, leges; habet officinam, tribunal; habet discipulos milites.* Ars principis est prodesse, ac benefacere, sicuti medici ars medendi, hoc vnum si desideretur, actum est; reliqua enim iam non conferunt, sed obsunt, non iuuant, sed destruunt. Propterea magno cum acumine gemini poëtarum principes maximi Homerus, & Virgilius, vt in heroicis vitis principis exprimerent simulacrum, eos repręsentant vigiles aliena calamitate, & insomnes, vt subiectorum defleant aduersitates. Sic Achilles Patrocli obitum tàm molestè fert vt nequeat obdormire.

Princeps comparatur medico,

Homer.

Virgil.

Achilles insomnis propter Patrocli obitum.

At Achilles
Flebat dilecti amici memor neque ipsum somnus
Cepit omnia domans; sed vertebatur huc, & illuc
Patrocli requirens vigorem.

Similiter pietatis heros Aeneas lib. 1. Aeneid. non multo ante medium propter suorum obitum, insomnis fingitur. Imò non alio pacto Iliad. 2. exprimitur Iupiter rex Deorum maximus; nisi quia cęteris dormientibus, vt omnes iuuet, quemadmodum Iouem decet, insomnis excubias agit. Tàm proprium est principi prodesse; vt is solummodò dignus censeatur esse qui præsit, & sui omninò oblitus nil auidiùs expetat, nil exoptet ardentius; quàm suos leuare incommodis, & omni beneficiorum genere cumulare. Vnde antiqui Romani sapientia non minus, quàm imperio spectabiles, exterminata regum tyrannide; eos, penes quos summum administrandę reipublicæ dominatum constituerunt,

Aeneas insomnis in suorum calamitate.

Iupiter insomnis cæteris Dijs dormientibus.

Consulum nomen vnde desiuatum.

Aug. 1st.

runt, Consules appellarunt, vt eos hoc nomine muneris sui commonerent; quo cogebantur consulere calamitatibus miserorum; quemadmodum à Sancto Augustino didici lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 12. non longè ab initio. *Regalem dominationem non ferentes, annua imperia, binosque imperatores sibi fecerunt, qui Consules appellati sunt à consulendo, non reges, aut Domini à regnando, atque dominando.* Nomen, & omen principis habebis; si præesse studueris; vt consulendo subuenias, non imperando premas.

Id autem adeò certum extra omnem est controuersiam; vt visus sit Deus ipse B sua voluisse auctoritate confirmare. Mentiar, nisi Diuinæ consilio sapientiæ ita côparatum est; vt qui dignitate supra cæteros sunt conspicui, non alia ratione dignitatem, qua fruuntur, stabiliant firmiùs; quàm si obliti sui, & priuati boni immemores subiectorum bono consulant diligentissimè, & in promptu Eusebij Emiss. digna cedro auctoritas. quærit, cur Zachariç rê sacram facienti cœlesti Nuncio fuerit promissus filius, quod habet hom. 2. de Sâcto Ioanne Baptista circa medium in

Euseb. Emiss.

Zachariæ pro alijs oranti côceditur filius:

hunc modum. *Numquid credendum est,* C *quod in templo tanti populi sacerdos hoc petierit, vt ei filius nasceretur? Numquid credendum est, quod pro hoc tantopere inuigilarit publici intercessoris oratio: vt intermissis suorum necessitatibus donari sibi à Deo posceret desperatum nomen parentis, & aliena munus ætatis? Non ita est: sed dum ille sollicitus pro salute populi supplicat promissus est ei talis filius, dumque ille, non pro se, sed pro omnibus precem fundit: meruerunt pro futura fructu posteritatis pia desideria sacerdotis.* Nemo in animum inducat suum Zacchariam, illum videlicet, qui sacerdotali, hoc est om- D nium maxima dignitate Dei populo præerat, totum in eo fuisse; vt sacrificijs, atq; obsecrationibus filium à patre luminum, ac beneficentissimo largitore munerum impetraret; obtinuit tamê, quod, qui totus in eo est, vt subiectis prosit, præsit necesse est. Etenim qui principatu præminet, dignitatem suam minimè stabilem, sed mox ruituram sapienter pertimescit; si liberis careat par fuit, vt summus rerum Dominus Zachariæ filium polliceretur, hoc est A principem dignitatem firmaret in eo; qui non potuit non præesse, quia non defuit prodesse.

Singulare Saracenorum regis exemplũ.

Quoniam verò id in præsentia ago, vt probem prodesse debere qui præest, sensum esse hominum cuiuscumque ordinis, ac conditionis illi sint, exemplum affero in medium principis barbari, quem inuenio à mea sententia non discrepasse. Etenim Gielaluddaulas Arabum rex, vt accepimus ex historijs Saracen Georgij Almacini arabicè scriptis, & nuper latinitate donatis à Thoma Erpenio lib. 3. cap. 8. rex inquam Gielaluddaulas cum aliquando ingressus esset Tusum (quod gentis barbarę templum est) interogasse fertur consiliarium suum, quid nam à superis petijsset? qui respondit vt Deo benè iuuante de Niso fratre tuo defectionis reo victoriam consequaris (concitauerat enim in regem rebellantes populos Nisus) Tûc Gielaluddaulas meæ vero, inquit, orationis summa hęc fuit. *Omnipotens Deus, si frater magis conuenit Muslimorum saluti, quam ego, victoriam ipsi de me concedas; si verò ego potior eo sum in commodum illorum, me illo superiorem reddas.* O' dignam verè vocem, qua ab immanissimarum gentium principe, quæ debeant esse imperantium partes verissima, & probatissima institutione teneamus.

Declarandum mihi esse intelligo, quod secundo loco proposui, videlicet ęquum esse, vt qui præsunt, ita prosint; vt industria, facultatibus, proprij discrimine capitis, modis omnibus seruiant vtilitatibus subiectorum.

Plutarc.

Qualis metus principem deceat.

Princeps comparatus canibus pecudum custodibus.

Quæri solet; num timor deceat principem virum; videtur quippè primo aspectu ab inuicta mente alienum timore concuti. Audiamus, quid in hac re sentiat Plutarchus; qui asserere non dubitat metum aptissimè principi conuenire; sic autem docet lib. de doct. siuè ad principem indoctum circa med. *Hic est principis metus, & humanus, nec ingenerosus; vt his, quibus imperat, metuat; nequid se inscio lædantur; non aliter, atque canes nocturnam, ac laboriosam ouium in septis custodiam, simul, atq; trucem audierint feram timent non sibi, sed his, quæ custodiunt.* Quod paulo post Catonis Vticensis illustrat exêplo; *Cato in Vtica victore Cæsare, reliquos*

omnes

omnes iussit ad mare vocari, eos simulatq; impofuiſſet nauibus, proſperam ijs nauigationem precatus: ipſe reuerſus domum ſibi necem ſua manu conſciuit; docens videlicet, quibus debeat timere princeps. Omnem mali formidinem à ſubiectis amouere, eorundem commoda ſuis anteferre, eiſdem ſumma diligentia proſpicere, regię ſunt artes; has exercere ſi deſinas, deſinis etiam imperare.

Cato ſecurus alijs conſulit propria nece.

Traiani erga milites affectus.

Adeſt inter Romanos Auguſtos memorandus in primis, commendandus in paucis Vulpius Traianus; qui vnicè ad imperandum natus non immeritò credebatur; factus etenim adunguem videbatur, vt prodeſſet; igitur, vt præeſſet. De hoc ex Dione, Eutropio, & alijs ſcribit P. Horatius Turſellinus lib. 4. Epit. hiſt. in eius vita, cum faſciæ ad obligandum militum vulnera deeſſent; ne ſubuculæ quidem ſuę peperciſſe; cuius quandò incidit mentio, prætermittere quis poſſit, quod de Aelio Adriano Traiani vt imperij, ita humanitatis ſucceſſore idem ibidem ſcribit. Hunc cum obuia muliercula alloqui vellet, dicenti Cæſari, *ſibi non vacare*; ſuecclamauit *Noli igitur regnare*: & quia veritas neſcia repulſæ eſt: eo monitu permotus princeps molles aniculæ aures prębuit. Audite, ò quicumque cęteris præeſtis; quoties oblatam occaſionem ſubditorum ſeruiēdi bono prætermittis; toties digni eſtis, qui regnare deſinatis. Neque ex alio capite antiſtitis dignitate indignos ſui temporis clericos cenſuit B. Petrus Damianus ep. 2. lib. primi, epiſt. initio ſcribens his verbis. *Clerici digni Epiſcopatus officio in noſtris partibus non inueniuntur; omnes enim præeſſe inhiant, prodeſſe non curant.*

Turſell.

Adrianus à muliercula monitus.

Petrus Dam.

Epiſcopatu valde pauci digni.

Propterea probanda ſemper mihi viſa eſt illa populorum quorumdam in noua Hiſpania à Ioanne Boter. lib. primo dictor. memorab. viror. illuſtr. paulò poſt initium commemorata conſuetudo: apud quos aſſerit fuiſſe in more poſitum principes opportuno tyrocinio ad capeſſendum imperium initiari. Is enim, qui hæreditario iure debebat imperij tractare habenas, per annum in templo vitam traducere cogebatur ſatis aſperam; & ſi fortè præter paucculas horas quieti conceſſas, ſomno conſopitus obdormiſcebat; admotis excitabatur ſtimulis ea voce. expergiſcere: principis enim pręcipua pars eſt; vt vigil sēper excubet vtilitati, & commodo ſubditorū.

Boterus.

Cur Tyrocinia regum in noua Hiſpania.

Principis magna pars vigilia.

Cunctis qui præſunt, monitum fuit Magni Gregorij ſecunda part. paſt. cap. 6. *non praeſſe hominibus gaudeāt, ſed prodeſſe.* Inter hos numerari debet Pindarus Epheſiorum tyrannus. Etenim, vt auctor eſt Aelianus lib. 3. cap. 26. cum Croeſus Ionię inuaſor tradi in ſuam poteſtatem Epheſios poſtularet, eoſq; propterea obſidione vrgeret, ac vexaret: miſſis ab Epheſijs legatis, pactionem huiuſmodi propoſuiſſe dicitur Croeſus; nimirum conceſſurum ſe Epheſijs libertatem; dūmodò Pindarus, non modò deturbaretur imperio, ſed ciuitate expelleretur. Conuentionem probauit Pindarus; & vni ex familiaribus Paſicli, tùm filij tutela, tùm bonorum cura delegata lubèns, ac ſpontè, imò hilari animo in Peloponeſum diſceſſit; ne patria ſub Lydorum iugum mitteretur; regium viuendi ſplendorem cum exilio commutans. Imò verò imperare non deſinis, Pindare, quin potiùs non immeritò prædicaris tantò glorioſiùs præeſſe, quantò vtiliùs videris prodeſſe. Quod exornationis genus cum Caius Plinius de Veſpaſiano ſuo protuliſſet; dixiſſe ſe ſatis arbitratus eſt; ait enim in præfatione totius operis paulò poſt initium. *Nec quicquam mutauit in te fortuna amplitudo; niſi vt prodeſſe tantumodò poſſes, & velles.* Cui præeſſe contingit, prodeſſe debet ex munere. Dilucida ſunt hæc, & aperta ſatis: grauius tamen Iſaiæ ſuffragium in promptu eſt cap. 3. num. 7. vbi dicitur. *Non ſum medicus, nolite conſtituere me principem populi.* Vt ſicut medici induſtriæ, labores, ingenium, vires, facultatea omnes incolumitati ſeruiunt ægrotorum; ita nil principi ſit antiquius ſolatio, atque vtilitate ſuorum. Certè [illegible] veteribus rex dicebatur, quemadmodum, ex Plutarcho, & Euſtachio didiciſſe ſe profitetur. Cęlius Rhodyginus lib. 8. lect. antiq. cap. 1. paulò ante finem. Nam [illegible] dicitur medela, quod illis ſubditorum cura incūbat. Propterea Iliados 4. Diomedes, vt Sthenelo ſuaderet, Agamemnonem dignum eſſe, quem ſubditi præcipuo proſequerentur honore: Magnificè commemorauit, mirum in modū Agamemnoni cordi eſſe, publico proſpicere bono, ſuaq; ſubiectorum

Greg.

Aelian.

Pindarus libēter exulat vt ſuis proſit.

Caius Plin.

Principatus dat facultatē benefaciendi.

Iſai. 3.

Princeps cōparatur medico.

commo

commodis posthabere. Sanè Iliados se- A cundo eumdem Agamemnonem fuisse à Nestore reprehensum, non solùm, tamquam auarum, tamquam iracundum; verùm, quod caput est, etiam tamquam abiecti virum animi fuisse delusum legimus omnes. Quomodò igitur à Diomede dignus prædicatur imperio? Verissimè quippe eruditissimus S. Hieronymus in cap. 5. Isaiæ aliquantò ante finem pronunciauit, *qui præsunt plurimum debent carere vitijs, & maximè ira*. An oblitum credimus poetam ingeniosissimum, & hoc loco bonum dormitasse Homerum? Nequaquam; sed magno cum artificio is, qui acrioribus irę stimulis inflammatur; is, qui dicitur sui impotens; atque insuper tamquam abiectus censoria notatur virgula; principatu nihilominus asseritur dignus: hoc solùm nomine; quia totus, quantus, quantus est viribus, ingenio, industria, suis prospicit diligentissimè. Iure igitur meritissimo præest, quia prodest. Luculenter probat principis esse suarum erogatione facultatum subiectorum prospicere vtilitati; Hippolitus Clementis septimi nepos de gente Medicea munificentissima liberalitate, hoc est magni principis germana laude memorandus: adeò amplam regijs sumptibus alebat familiam, vt Pontifici visum fuerit famulorum numerum minuere. Auctor est Ioannes Boterus lib. primo dictor. memorab. viror. illustr. longè ab initio. Itaquè Pontificiæ domus œconomo acciri iusso, petit indicem famulorum; eoquè diligentiùs considerato, plures expunxit ab albo; imperans, vt Hippolito sectiò renunciaret omninò dimittendos, quotquot manu propria Pontifex deleuisset; quia tot aulicorum famulatu minimè indigeret. Hippolitus regiæ indolis patruo nunclo audito, domus pręfecto respondit. Verè quidem Sanctissimus Dominus enunciat me sine incommodo carere posse famulis; quorum nomina deleuit; at ipsi mea domo sine suo detrimento dimitti non possunt. Caue igitur quemquam dimittas; quod si feceris, non modò me ęgre laturum, sed fore tibi semper infestum certò sciaa. Cur obsecro maluit Hippolitus patruo obstare tanto cum discrimine; quàm impensis pro alendis famulis parcere: nisi quia probè

Hieron.

Princeps debet ira carere

Hippoliti medicei munificentia.

Io. Bot.

tenebat, idem omninò esse, prodesse deserere, ac pręesse cessare. Itaque velis, remisque contendat per obstantem etiam patrui voluntatem egentium inopię subuenire, ne principatu cadat. Illustrius est, quod ab eodem citato auctore paulò post scribitur; quod eò libentiùs recito, quò clariùs euincit nostrorum temporum principes antiquis fuisse magnanimitate præstantiores. Alphonsus Neapolitanorum rex cum quemdam memorantem exciperet, tritam illam Titi querelam; qua diem se perdidisse lamentabatur, quoties vespe- B ri recolebat, nulli se ea die beneficium contulisse, exclamasse dicitur. *Gratias refero, quas possum maximas præpotenti Deo; quod nullum hactenus ex hoc capite perdiderim diem*. O' pręclaram vocem! Declarauerat Titus non imperare principem eo die, quo de suis non fuisset bene meritus; Alphonsus gestorum magnitudine impleuit quod ille pronunciauit, hic pręstitit.

Doctissimus Abulensis 3. Reg. c. q. 23. animaduertit, prope fontes, & iuxta arbores fuisse olim reges sacro oleo delibutos. *Vnctio, vel coronatio regum* (verba C Abulensis) *fiebat apud fontes, & arbores*. Sic de Adonia, Salomone, Abimalec legimus. Primò siquidem regalia decora iuxta fontem Rogel collata sunt. Secundò prope fontem Siloe; Tertiò demum prope quercum celeberrimam Sichem. Quorsùm obsecro? An non fuisset ęquiùs, in frequentiori senatorum cœtu, in augustiori regij palatij aula principem maximum coronari? fallor. Par profectò fuit, vt à fontibus, & arboribus, qui ad regium principatus fastigium extollebantur, tamquam à perspicuis symbolis, notisque eminentibus perdiscerent: nihil esD se in principe, ac ne cogitari quidem posse, quod meliùs declaret, quę eius debeant esse partes; quàm profusa liberalitate, & benefico ingenio de alijs benemereri. Ea planè ratione, qua & arbores, non modò fructuum vbertate; verùm etiã viridi ramorum pompa vtilitati, atque voluptati hominum seruiunt: & fontes perenni aquarum gurgite (fons enim à fundendo dicitur, vt idem docet Abulensis in caput primum Genesis) ad fecunditatem terræ decurrunt. Ni arboris in morem fructus

Alphonsi Neapolitanorum regis munificentia

Abulen. Cur reges vngebantur prope fontes, & arbores

Fons d... [illegible]

Abulen.

fructus continenter feras: nisi fontis instar A irriguo, non tàm vndarum, quàm gratiarum lapsu decurras; principatus insignibus exornari non debes, iudice Deo. Tu mihi semper instar omnium futurus es, ò magnanime Phocion, quem nulla consequentium sæculorum obliterabit obliuio. inclyto huic Atheniensium duci, vt scribit Aelianus lib. 1. cap. 25. cum dono dedisset magnus Macedo centum argenti talenta; & quatuor insuper nominasset precipuas ciuitates; quarum quamcumque ad libitum deligeret, vt eam imperio regeret eiusque census, & redditus in pro- B priam vtilitatem conuerteret. Phocioni visum est, neque argentum, neque ciuitatem accipere; sed potius eos, qui in arce Sardis captiui tenebantur, liberos dimitti rogauit, Echecratidem sophistam, Athenodorum, Himenæum, & Demarathum. Probe tenebas, Phocion, principem eum non esse, qui premat imperio ciuitates, aut census, ac redditus exigat; sed qui miserorum leuare curas, captiuorum prospicere egestati, ærumnosis opem ferre summo studio conaretur. Vt paucissimis vtar, ea fuit sententia Phocionis, Vt presis, prosis. C

Phocion recusatis maximis donis pr. [?] captiuorum libertatem.

Aelian.

Videatur P. Ioannes Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. cap. 1. versic. 23. & 24. Annot. 3. per totam & P. Franciscus Mendoza tom. 2. in lib. Reg. in cap. 5. lib. 1. num. 9. in expositione literæ num. 5. & 6.

Consule etiam R. P. Didacum Nissenum ser. in Sabbato 2. Quadr. Assump. 4.

Illustrabis etiam rem propositam ijs que accommodatè & ingeniosè allata inuenies apud P. Io. de Pinna in commentarijs Ecclesiastici cap. 1. Ethologia 12. num. 9. & sequentibus.

Iterum videndum moneo mox citatum D P. Io. Antonium Velasquez tom. 2. in epist. ad Philipp. ad cap. 2. ver. 25. & 26. Adnot. moral. 1.

Insuper habes permulta, quæ huc reuocare potes, apud Didacū de Baeza tom 1. comment. moral. in Euang. hist. lib. 3. cap. 5. S. 9. & 10. & tom. 2. lib. 6. cap. 7. S. 12. & cap. sequenti S. 2. & tom. 3. lib. 14. cap. 16. S. 23. & tom. 4. lib. 16. cap. 16. S. 14. & alibi.

IN CAPVT SECVNDVM

Num. VIII.

Mittens illos in Bethlehem, dixit: ite & interrogate diligenter de Puero: & cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

PARADOXVM VIII.

Sapientia insipiens.





VLGATA à Magis nati Iudęorum regis fama Herodes metu perculsus seniores & cogit, & consulit, discussisque diligenter singulorum sententijs, decernit rogare Magos; vt cum inuenerint quem quærebant, certi aliquid nuncient. *Cum inueneritis renunciate mihi*. Cordatum sanè consilium: rei grauissimę summam exteris, ignotisque capitibus committere. An non suis rebus consuluisset satiùs impius rex, si premens altum corde dolorem, clam exploratoribus probatæ fidei demandasset, vt Magorum insistentes vestigijs, certo certiùs deprehenderent; vbi nam gentium esset, Puer natus, quem ipse pertimescebat? Quid faciliùs? quid oportuniùs? nihil sane. Verùm ita arcana superni Numinis prouidentia comparatum est; vt scelestorum hominum diuino reluctans consilio sapientia insipiens cognoscatur. Quod vt illustrem, libet silentio inuoluere no-

Herodes non bene sibi consulit.

"issimum illud gentium Doctoris effatum: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Stulti sunt* addit Gregorius, *qui veram sapientiam non intelligũt.* Prætermittere autem sine nota non possum ingeniosam Euseb. Emisseni rationem, examinantis insanum eorum furorem, qui etiam in martyrum cineres sæuiebant. *Sacra corpora*, verba sunt Emisseni, *funeris honore priuantes ignibus dabant, & post hominum mortem contra ipsam pugnabant humanitatem: & cum iam causa perijsset furoris, finem non imponebant crudelitati; sed tamen vellent, nollent beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis inuidebant. Quomodò semper malitia, cum stultitia coniuncta est.* Hæc Emissenus hom. de Sancta Blandina Lugdun. circa finem, aurea sanè conclusio. Animaduerte nexum inter stultitiam, & malitiam. Ego verò tibi in memoriam intereà reuocabo, quod mellea facundia S. Bernardus in rem præsentem affert explicans illud psalm. 10. num. 6. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui fieri potest, dixerit fortassè non nemo, vt quis animam suam odio prosequatur; nisi is sit mente captus? rem enim vero acu tetigisti, quisquis hæc animo voluis: accipe iam iam obuium, quàm appositum S. Abbatis exemplum, quo, cuiusmodi sit hæc dementia, meridiana luce clariùs patebit. *Si vidisti hominem scalpere manus*, inquit ille serm. de Conuers. ad cleric. cap. 4. *& vsque ad sanguinem confricare, euidentem habes in eo similitudinem animæ peccantis expressam. Sic laceramus, sic exulceramus proprijs manibus animas infelices. Neque id quidem inimicitiarum studio gerimus, sed stupore quodam insensibilitatis interna. Effusus siquidem animus damna interiora non sentit; quia nec intus est. Quid vero mirum si propriam minimè sentiat animæ læsionem, quæ sui ipsius oblita & penitùs absens sibi in longinquam profecta est regionem.* Ades iam quisquis flagitio seruis; sapere tibi videris; sed maximè desipis; quod non odio tui accidit, sed stupore mentis planè dementis. Etenim dum blandè scalpis, fœdè exulceras, & pro medicamine nouum vulnus infligis: ò præposterum prudentiæ fallentis remedium. Talis est insipiens mundi sapientia; quia videlicet stupida sui oblita, omninò absens anima peccantis est.

Greg.

Emiss.

Psal. 10.

Bernard.

A

Iam miseram flagitiosi hominis conditionem satis superq; explicuisse sibi visus est regius vates psalm. 48. 13. cum dixit: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vtinam id intelligerent aliquando, qui emendicata sapientiæ commendatione desipiunt. Versipellis doloso astu fraudum laqueos intexens, prudens dicitur; mentis elatione tumescens per fas, & nefas aditum sibi faciens ad concupitos honores; vt indulgeat cupiditatibus mille nocendi artibus vtitur; qui voluptatis tyrannide premitur; quicumque, vel liuoris, vel auaritiæ igniculis æstuans, nouit suam explere sitim: vno verbo scelestus quisque per humanæ prudentiæ anfractus continuò circumuoluitur, catus ab omnibus nuncupatur: nesciens miser ob eam præcipuè causam, quàm aptè iumentis insipientibus comparetur; comparetur inquam? imò vero postponatur necesse est. S. Bernardũ ser. 35. in Cant. paulò ante finem audiamus. *An non tibi videtur ipsis bestijs quodammodò bestialior esse homo ratione vigens, & ratione non viuens? conuersatione degeneri iura naturæ transgrediens, rationis compos, rationis expertia moribus, & affectibus imitatur.* Quæris qua id tandem ratione contingat? respondebit inter eloquentes sanctissimus, inter sanctos eloquentissimus S. Leo serm. 5. de Natiuit. post medium. *Mundo ergo, id est prudentibus mundi sapientia, tua facitas facta est.* Ad alta gradum facere non possum; nisi priùs in medium afferam, quid idem S. Pontifex de hoc eodem tyranno, qui dissetendi præbuit occasionem; censeat sentiendum his verbis. *Sæuitia Herodis volens primordia suspecti sibi regis extinguere: huic dispositioni nesciens seruiebat: vt dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur; annunciatum cælitus dominatoris ortum insignior vbique fama loqueretur.* Ita Sanctus serm. 2. de Epiphan. paulò post initium. Non poterat impij principis dementiam clariùs explicare; cum ipsum, quem ab hominum memoria delere vellet, facit suis conatibus fama super

Psalm. 48.

Sapientes mũdi similes iumentis.

B

Bernard.

C

Leo.

D

Herodes inuitus publicat Christi natiuitatem.

æthera

ethera notum. Vel certè, si cum Philone philosophari velimus, insipientis Herodis sapientiam reprehendemus: dum enim mendaciorum sipario suam abscōdit versutiam ne de principatu deturbetur; se principatu eecidisse seruili suo ingenio manifestè prodit. Subdo verba Philonis. *Ne reipublicę princeps dolosè versetur; nam fallaces mores ad seruile non liberale ingeniū pertinēt; dum rebus simulatio praetexitur, at princeps ad hūc modū tractare debet.* Hæc ex Philone lib. de creatione principis aliquanto post init. O'vesanam principis sapientiam: mentitur, ne regno spolietur; spoliandus regno, quia mentitur.

Principem dedecent astuti mores. *Philo.*

Describit, & derisit sapientiam huiusmodi insipientem S. Petrus Chrysologus perbellè carpens dementissimum conciliū hominum vanissimorum: apud quos in more positum erat bruta necare animātia, vt diuinorum oraculorum arcana perciperent. *Occidebatur pecus*: verba Chrysologi, *vt quod viuum nil scierat, diuinaret occisum, & loqueretur ex fibris mortuum quod nunquam fuerat ore prolocutum*. Ita Sanctus serm. 5. qui etiam de duobus filijs prodigo, & frugi paulò ante med. vide quid moliatur lynceum humanarum mentium acumen, quod aurem complecti nequeunt, quod mente assequi non possunt; vt suis rebus consulant, inter brutorum animalium fibras perscrutari se posse confidunt; quàm semper vesana hominum sagacitas, si à Deo abhorreat. Istud ego, vt adumbrem, verbis vtar Plutarchi dicētis. *Non animalium modò quorundam oculi per tenebras videre possunt, interdiu caecutiunt: sed & quorundam hominum calliditas, atque prudentia, ita est comparata. Huius inaequalitatis causa est ignoratio philosophiae*. Ita Plutarch. in vita Arati aliquantò post initium. Ipsissima sapientium mundi conditio, qui bono diuinæ veritatis in lumine penitus orbati luce cęcutiunt, inter humanorum consiliorum tenebras videntur oculatissimi: vt enim diuitijs, existimationi, consulant maximè sapiunt; vt Deo, quæ Dei sunt, exhibeant, vt à recta ratione rebellantes motus contineant in officio omninò desipiunt: huius autem inæqualitatis causa est ignoratio philosophiæ: hoc est illius sapientiæ, quæ docet terrena despicere, &

Chrysol. Vanitas antiquorum in auspicijs.

Plutarc. Astuti similes animalibus caecutientibus in luce.

A amare cœlestia. Nec me piget rerum supernarum notionem philosophiæ nomine compellasse, cum Sanctus Petrus Chrysologus nuncupet illam ipso initio serm. 38. qui est de iniuria æquo animo toleranda cœlestem philosophiam, & circa medium eiusdem sermonis, diuinam philosophiam: huic des operam, ne meridiana sis in luce Thiresias, Argus inter nocturnas humanæ sapientię tenebras. Quod apertissimè à S. Paulo prima ad Corinth. 8. num. 2. pronunciatum, idem eloquentissimus antistes Rauennas recognoscit de humana sapientia verba faciens. *Hoc*

Sapientia cœlestis benevocatur philosophia. *Chrysol.*

B *scire, nescire est. Probauit hoc Apostolus, quia homo, quando se putat aliquid scire, tunc nescit*. Ita Sanctus serm. 53. qui est de Lazaro non longè a fine. Quid si id cognitum fuisse ab Ethnicis comprobaueto? Sanè gloriosum erit veritati ipsos aduersarios suos habere procuratores. Consule Plinium lib. 34. cap. 8. vbi inuenies à Paulo Aemilio collocatum fuisse Mineruæ simulacrum in templo Fortunę. Percipio quid tibi velis magnę vir mentis Paule Aemili: Nulli nisi Fortunæ hoc est Deæ orbatę lumine, ac penitus cœcæ Minerua

Plin. Cur simulacrū Mineruæ in templo fortunæ,

C iungatur; quia pares cum paribus facillimè congregantur. vt non minùs incerta, & oculorum acie destituta Minerua iudicari debeat, quàm Fortuna: vtriusq; simulacrum eodem in fano constituatur. Præterquam quòd sapientiæ studiosi antiquitùs noctuam Mineruę consecrabāt, quemadmodum leges apud Pierium Valeriānū lib. 20. hieroglyphicorum paulò ante medium: quo symbolo velint nolint, suam sapientiam fatentur insipientem. Quemadmodum enim noctuæ in tenebris volitant oculatæ solùm, absente sole; quo pręsente cœcutiunt: ità planè quos commen-

Noctua cur sacra Mineruæ. *Pier. Val.*

D datione sapientiæ mundus suspicit, fateatur necesse est eos inter errorum tenebras hac illac volitare; sed micante, solis lumine, hoc est veritatis luce coruscante luce omninò destitui. Satius erit Ambrosium audire lib. 5. Hexaemeron cap. 24. paulò post init pro nobis sic fantem. *Noctua ipsa quemadmodū magnis, & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem: & quo fuerit nox obscurior, eo contra vsum auili ceterarum inoffensos exercet volatus*.

S. Ambr. Noctuæ comparantur sapientes mūdi.

K 2 *Exorto*

quidquid homines sine Deo sapiunt, stultum est. Quo risu fuisse exceptum credimus Marcum ab Ephefo, qui ad infringendam Florentini Concilij auctoritatem mandauerat paginam è codice deradendam, sed quia versuta sapere in Deum machinatione desipere est: par fuit, vt in tanto confessu vaferrimi ingenij aperiretur fraus, & sapientia insipiens derideretur.

Neque pigebit, vt reor, lectorem vrbano Mori responso rem propositam inspicere confirmatã. Huius verò mentionem facit Io. Boterus lib. 1. memorabilium vir. illustr. non longè à fine. Propositum fuerat impium nescio quid, & religioni repugnans ab eo, qui regia auctoritate totius regni consilio maximo præerat, quod omnium votis exceptum, & probatum, solummodò ab incorruptæ fidei, & mentis infractę viro Thoma Moro vituperatum fuit, & solidis rationum momentis reprobatum. Tulit id iniquè iniquissimus præses consilij; qui continere se non potuit, quin Thomam dementiæ, atque insaniæ carperet; cum contradicere minimè vereretur virorum sententię sapientissimorum. Cui Morus salis plenissima respõsione subdidit: si ita se res habet, referendę sunt auctori Deo ex animo gratię; quandoquidem regi nostro (quod raro accidit) in supremo cõsilio regni sui, vnum solummodò è consiliarijs habet insanum. Dicere voluit, quod & nos de quouis humanę sapientię cœtu affirmare non dubitabimus; eos insanissimos esse, qui sibi de sapientia blandiuntur.

Consulat qui voluerit P. Didacum de Baeza tom. 2. comment. in Euang. hist. lib. 11. cap. 2. §. 4.

Legantur quæ eruditè tradidit P. Alphonsus Salmeron in epist. D. Pauli 1. ad Corinth. disp. 3. initio tom. 2. qui est operum 14.

Insuper quę in eamdem epist. cap. 3. num. 19. in tom. 1. scripsit Benedictus Iustinianus, & cap. 1. eiusdem epist. nu. 19.

Denique videatur P. Ioannes de Pinna in Eccles. cap. 3. ethologia 43. num. 17.

Boterus.

Thomas Morus constans in asserenda veritate.

IN CAPVT SECVNDVM Num. III. & IV.

Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.

PARADOXVM IX.

In principe nullum crimen leue.



TVRBATVS Herodes dicitur, & audito nuncio nati regis, seniorum exquisiuisse suffragia. Enimverò moderatè satis, & tyrannus ipse se gerit; & fluctuantis animi curarum reciprocantium æstu iactata vicissitudo exprimitur satis remissè. Debuisset potiùs nefarius princeps describi furijs agitatus iniquis, & insano furore correptus, nihil non execrandum, ac flagitiosum moliri; vt vltima primis responderent. Magnum profectò fuisse necesse est rabidæ mentis incendium, quod, ne pleniore quidem gurgite exundantis nocentium puerorum sanguinis, potuit restingui. In eam tamen lubens adducor sententiam; vt mihi persuadeam hominis mente capti insaniam vix leuiter in sacra pagina adumbratam, quia in principe viro, vel tenue vestigium criminis, magnum veluti portentum sceleris ab omnibus exprobratum. Nimirum in principe nullum crimen leue est.

Proferam in medium iam Plutarchi sententiam, quæ mihi plurimum facit, cum decernat in hunc modum: *Minima etiam nobilium, & illustrium virorum delicta calumniantur homines. Cimoni vinum obijcie-*

Herodis turbatio non satis exaggerata in Euangelio.

Principi quælibet minima obijciuntur.

Cimon vinosus. Scipio somniculosus. Lucullus sumptuosus.

obijciebatur, Scipioni somnus; Lucullus ob cœnas sumptuosas malè audijt. Hæc Plutarchus concludens libellum de doctrina principum, siuè ad principem indoctum, aureum profectò, planèque dignissimum viris principibus; Ita se res habet, quas nullius momenti notas humilis fortuna tegit, detegit fastigium principatus. Quis vnquam Domitianum Titi fratrem non modò tamquam prodigum, & in ludos effusum reprehendisset; verùm etiam, quòd diebus singulis, statutum sibi sepòsuerit tēpus ad muscas stylo configendas, quemadmodum Suetonius scribit in eius vita, nisi ad Romani fastigium imperij euectus præfuisset orbi terrarum? Commodum Imperatorem M. Antonini veri filium, si intra priuatæ fortunæ limites vitam traduxisset, quis ad hęc vsque tempora censoria notaret virgula, quòd cum gladiatoribus, bestijsquè depugnaret in amphitheatro? vt testatur Eutropius lib. 8. Antoninum Caracallam, vt iræ maximè impotentem quis redargueret? Claudium Neronem, quis accusaret dementię; quòd Britannico filio prætertito, Neronem priuignum heredem imperij instituerit? Nimiam Sergij Galbæ seueritatem, Tiberij Neronis subdolum, & fingendis virtutibus factum ingenium, Caligulæ feritatem, & inexplebilem Romani sanguinis sitim, quis redargueret? nisi è supremę solio maiestatis Romanum moderari essent imperium? Videlicet, quæ in homine fortunę mediocris, ne animaduerterētur quidem; in principe viro omnium sæculorum memoria deridentur.

Domitianus muscas stylo configit.

Commodus imperator cū gladiatoribus & bestijs depugnat.

Eutrop. Caracalla iræ impotens.

Claudius Nerone adoptat Britanico præterito.

Tiberius astutus. Caligola ferox.

Propterea sapienter, apud Philonem Iudæum lib. de Creatione principis non multo post initium his verbis loquens inducitur princeps cordatus, ac religiosus: *Ergo cum alij reges sceptro vtantur pro gestamine; mihi pro sceptro erit hoc legum compendium: hoc insigni glориabor, hoc me inuictum reddet, & inculpabilem, summique regis imitatorem.* Ex quo licet pateat satis perspicuè, quanta æqui, ac recti reuerentia principi esse debeat: id tamen vberiùs confirmari poterit, ab exemplo, allato eodem libro paulò superiùs; vbi sic de Moyse loquitur. *Mox post acceptam potestatem iubetur Deuteronomium, hoc est legum compendium, describere manu propria: quo magis ea præcepta inhæreant animo. Nam legentibus elabuntur sententiæ, quod lectio moras non patitur: qui autem scribit per ocium imprimit, & infigit menti singula fideliter.* Hæc Philo: ex quibus facilè intelligimus, quanta diligentia debeant se iuris seruantissimos præbere; & ne latum quidē vnguem à legum sanctionibus recedere terrarum domini, atque dynastæ. Etenim *summus locus*, vt eum Gregorio lib. 26. moral. cap. 19. circa med. loquar, *benè regitur; cum is, qui præest, vitijs potius, quàm fratribus dominatur.* Si naturæ spectemus conditionem vnius omnes fortunæ sumus: nullum relinquat in animo suo vitijs dominatum, qui sine nota alios premere imperio velit.

Philo.

Lex sceptrum principis.

Moyses iubetur Deuteronomium manu propria describere.

Quæ scribuntur altiùs animo desigūtur.

Greg. Princeps potiùs domitor vitijs, quā subditis.

Apud Persas, vt scribit Aegyptię litteraturę peritissimus Pierius Valerianus lib. 44. non multo post init. Sol eum, penes quem summa esset imperij maiestas, indicabat. Hoc porrò quam illustre sit principis hieroglyphicum, qui non videat, cœcutiat necesse est; sed vt accommodatum ei, de quo verba facimus, innotescat. Sic accipite: Siderum princeps, principum simulacrum est; quia sui luminis neminem habet admiratorem, cum aureo lucis thesauro mortalitatis nostrę tenebras illustrat: & si quando defectus contingat, lunę obiectu; infimæ plebeculę, & vilium etiam homunculorum confluentium frequentia, ad spectandum luminis defectum, quasi ludibrio exicipitur; & quasi digito cōmonstratur; licet breui tēporis spatio, & non omninò lumen amittat. Se ipsos in sole recognoscant rerum domini: hæreatquè illorum mentibus altiùs, funestum atrati luminis aspectum, quamuis nequaquam densis facinorum tenebris obducantur, obseruari ab omnibus, ac derideri. Sol enim princeps siderum, princeps sol hominum. Ideò licebit cum S. Bernardo epist. 127. init. principes increpare dicendo: *Principis error tantis obest, quantis præest.* In quem locum aduerto, tamquam notatu dignum, dici principem obesse pluribus non scelere vel flagitio, sed errore: quod innuisse mihi videtur Plutarchus, monens, Gn. Pompeio crimini datum fuisse, quòd vnico digito caput scalperet: enimuerò nodum quærit in scirpo, qui tanto viro minime isthæc

Pier. Val.

Sol hieroglyficū principis.

Sol tunc maximè spectatur cum eclipsim patitur.

Bernard. Princeps error multis obest.

Plutarc. Pompeius reprehēsus, quòd vnico digito caput scalperet.

isthæc obijciat. Verùm audi philosopum
Arist.
*Quemadmodum indigniùs ferri, maiorisq;
haberi solent dedecori verrucę ficusuè in fa-*
Peccata in principe magis notantur.
*cie; quàm notæ, naui, atque mutilationes
in reliquo corpore: sic etiam minima quæ-
que principum, & rempublicam admini-
strantium errata notantur, & pro magnis
habentur.* Hęc in politica; seu in præce-
ptis gerendæ reipublicę non longè ab ini-
tio. Cuius quidem rei non est, cur peta-
mus aliunde confirmationem; cum ex no-
bis ipsis satis, superque comprobari queat.
Ita quippè natura comparatum est, vt nul-
lum cordi infigatur vulnus, quod lethale
Cordis vulnus semper lethale.
non sit diserrè Galenus lib. 5. de locis af-
fectis cap. 2. paulò post initium, Hippocra-
tes primo de morbis: vnde Cornelius Cel-
sus lib. 5. cap. 26. asserit seruari non posse
cui cor perculsum est; quin, & maturam
mortem tunc necessariò secuturam. Cre-
Princeps cordi cōparatur.
diderim, quia cum cor princeps membro-
rum sit, eadem lege, qua principes, coër-
cetur, quibus nullum leue crimen est; ea
ratione, qua nullum cordis vulnus non le-
thale: Et hęc fortasse ratio est, cur à Ma-
Greg.
gno Gregorio in expos. psal. 50. vers. 1.
dicatur. *Vulnus autem peccatum est*, vul-
nus vtiquè, quod si principem tangat, nun-
quam est leue: crescit quippè grauitas
criminis dignitate peccantis. Vnde Saty-
rico canebat acumine Iuuenalis.
Iuuen.
Vitiū in principe notabilius.
*Omne animi vitiū tanto conspectius in se
Crimen habet; quanto, qui peccat, maior
habetur*

Testabitur maior Scipio non tàm expu-
gnata Carthagine, quàm principe viro di-
gnissima moderatione omnium litteris cō-
mendandus. Redacta in seruitutem Car-
Scipionis cōtinentia.
thagine, cum quidam milites virginem
forma maxima spectabilem adduxissent,
militari cupiditate peramplum sanè do-
narium. Quid expectatis? sui nequaquā
oblitus fortis hostium, fortior sui debella-
tor Scipio: libenter, inquit accepissem,
Plutarc.
si priuatus, & non imperator. Ita Plut.
in apoph. reg. & imp. post med. Hinc So-
Laer.
lon, vt scribit Diogenes Laërtius lib. 1.
de vita philosoph. circa med. lege sanxit
Princeps mortis reus si semel sit, ebriosus.
principem morte mulctandum, si vel semel
tantummodò vino liberaliùs indulsisset.
Scitè propterea monebat Chrysostomus
Chrys.
hom. 5. in epist. ad Thessalonicenses a. c. 2.
circa finem scribens: *Principem oportet,*
A *non honoribus, sed virtutibus subditos ex-
cellere.* Quasi verò talis esse debeat prin-
cipis virtus, vt nisi excellat omnibus, gra-
uissimè deficere censendus sit.

Vnum ego apud Isaiam cap. 3. animad-
uerto, Dei vindicis oraculo, in Iudaicum
Isai. 3.
populum pronunciari omninò mirum: cū
num. 4. dicitur, *& dabo pueros principes*
Princeps puer datur in pœnam.
eorum. Sanè non videtur, adeò graue in-
commodum, cum Dominus ipse asserat,
puerilem ętatem nullum impedimentum
afferre, quo minùs ad trabeas ducum, &
Puerilis ætas apta ad regnū.
ad regum sceptra, quis de rebus grauissi-
mis acturus mittatur. Vnde ad Ieremiam
B diuino dicitur oraculo, vt habetur cap. 1.
Ieremiæ num. 7. *noli dicere: Puer sum:*
Ierem. 7.
quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis.
Cur igitur, ad exaggerandam pœnam re-
belli populo inferēdam dicitur: *Dabo pue-
ros principes eorum:* crediderim, quia
Peccata puerorum excusationem habent.
verum quidem est, puerorum errata excu-
sari facilè, & haberi à sapientibus leuiora:
verumtamen, vt intelligatur, principem
fore perniciosissimum, prænunciari debuit
puerum illum futurum. Nullum enim in
principe crimen, leue est, & quod in alijs
à iuuentute posset excusari, grauissimum
C est in eo, in quo summa requiritur probi-
tas, & virtus absolutissima. Vnde lib. 2.
Roboam cur dicatur iuuenis.
Paralip. cap. 13. num. 7. iuxta lectionem
Hebręam, puer Roboam dicitur, non vtiq;
defectu ętatis, sed turpitudine flagitiorum:
fortasse, vt percipiamus, ea, quæ in homi-
ne mediocris fortunæ, & infimæ sortis
nihili fieri potuissent, vt pote iuuenilia: in
principe supra quàm dici queat turpia, in-
digna, nefaria esse iudicanda. Id innuere
voluisse visus est Cęsariensis Archiepisco-
pus Basilius commentario in 3. cap. Isaię
Basil. Cęsar.
aliquantò ante med. dum inquit: *Verus
princeps non per hæc externa insignia inter-*
D *noscitur, cuiusmodi sunt purpura, torques,
seu amiculum pertenue, ac molliculum, &
diadema: sed per id, quia virtutem obti-*
Virtus eximia facit principem.
net principe dignam. Quasi verò non
quæuis virtus deceat eum, qui alios pre-
mit imperio; sed ea debeat esse tàm præ-
stans, tamque pręcellens, vt non tàm di-
gnitate, quàm probitate præesse videatur.

Dabo libens huius simulacrum virtu-
Princeps similis Veneris signo.
tis, quam in principe requiro. Hæc, me
iudice, deberet esse simillima simulacro
Veneris, quod Herodes Marathonius de-
dicauit

dicauit, tàm raræ pulchritudinis; vt quoties illud Damascius perspiciebat, admiratione perfusus, ferè vsque animi deliquium numquam satis intueri, ac contemplari posset: quemadmodum Photinus tradit cap. 242. Vel certè dicerem, virtutum decus, quod in principe eminere par est, adumbrari posse à Demetrij pulchritudine, de quo Plutarchus in vita testis est, nullum vmquam pingendi magistrum, sculptorem nullum ad viuum exprimere potuisse oris habitudinem maiestate plenissimam, qua Demetrius præditus erat. Egregia in principe mens sit, & confluentium conspiratione virtutum pulcherrima, atque ornatissima; quę ne orationis quidem depexæ pigmentis exprimi queat.

Photinus.

Plutar.

Princeps cōparatur Demetrii pulchritudini.

Cuius rei ea subdit in mentem ratio, quā suggerit mihi sententia Pindari asserentis principem Dei vniuersa exornantis imaginem esse. Hanc porrò imaginem, quis contradicet, si dixero, nō Phidię requirere industriam, non Polycleti, non Myronis, sed ipsummet principem, vt dignitate, ita probitate præstātem, semet in Dei similitudinem effingentem virtutis opera, manuque simulacrum omnium planè decētissimum, & aspectu iucundissimum, ac Deo maximè conueniens. Quod cum ita sit, nemo reuocabit in controuersiam vllam criminis labem non leuem, sed grauissimam censendam esse in eo, qui Deum ipsum præseferre debet, ac repręsentare. Agathoclem Siciliæ tyrannum scribit Aelianus lib. 11. cap. 4. tidiculo admodum fuisse capite: cum enim paulatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductus myrtea corona crimen obtexit; quæ quasi vallum erat, & tegmen caluicici. Hæc crinium destitutio minimè latebat Syracusanos, caucbant tamen, comprimebantque dicteria; ne grauissima, plecterentur pœna, & extremo damnarentur supplicio ab Agathocle. Hic ego disco ab ingenio stolidè feroci quanti momenti sit in principe vero sola destitutio capillorum. Nil leue ducam imposterum, quod quantumuis minimum desideretur in principe.

Princeps imago Dei. Pindarus.

Aelian. Agathocles myrtea corona vtitur ad obtegendam caluiciem.

His meliora, qui velit consulat P. Didacum de Baeza tom. 3. in Euang. Hist. lib. 14. cap. 2. §. 4. & tom. 4. lib. 16. cap. 8. §. 5. insuper P. Franciscum de Mendoza tom. 1. in lib. Reg. in cap. 1. num. 3. in exposit. litteræ à num. 24. & deinceps.

Videri potest etiam P. de Pinna in c. 7. Ecclesiastici ethologia 89.

Videatur etiam inferiùs, Paradoxum: Nulla culpa leuis: quod est in cap. 5. à num. 20. ad 23. in fine Paradoxi sententiæ à Domitiano lata.

IN CAPVT SECVNDVM à Num. IV. ad VII.

Et congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda: nequaquam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

PARADOXVM X.

Contraria operi, Deo Secunda



IRABILIS planè in omnibus Deus: sed in hoc potissimùm, si dici potest se ipso mirabilior; quod contrarijs, & pugnantibus vti & nouerit, & consueuerit, tamquam instrumentis aptissimis ad suum finem consequendum. Ecce tibi; principes sacerdotum, & scribę populi, nato Redemptori infensissima capita, eisdem ijs, quæ tanto studio incunt, consilijs

Sacerdotes & scribæ Christo nato subseruiunt.

consilljs nolentes seruiunt ortum eiusdem
confirmantes antiquorum vaticinio pro-
pherarum. Is, vt dicebam mos, prępo-
potenti Deo semper fuit cōtrarijs vti, tam-
quam secundis; quippè cui aduersarij ipsi
obsequuntur. Obseruandum moneo, quid
contigerit Ieremiæ, quod habetur in eius-
dem prophetia cap. 38. num. 7. videlicet
Ierem. 38.
Dei amicus deturbatus in puteum, ab ipsis
mortis, imò sepulchri faucibus, ereptus
fuit, ope, & opera Abdmelech hominis
Aethiopis; non dux seligitur de populo
Dei; sed viro extraneo, moribus religione
cultu maximè alieno, rei gerendæ prouin-
cia demandatur satis ardua. Cedunt om-
nia iuxta votum; quia Deus est auctor;
cuius nutibus parent etiam, quæ cętero-
qui essent aduersa. Id quod pręd ixit aper-
tè Sophonias cap. 3. num. 10. Dei nomine
prædicans: *Vltra flumina Aethiopiæ
inde supplices mei, filij dispersorum meo-
rum, deferent munus mihi*. O' vim planè
miram omnipotentis Dei; cui homines nō
religione modò, sed humanitate etiam pe-
nitùs spoliati prouoluūtur in genua vene-
rabundi. E superstitiosis mentibus elicere
religionis obsequia, solius est artificis sū-
mi. Certè Balac rex impius adduci iussit
Balaam, vt execraretur populo Dei: cui
tamen fausta, & fœlicia, vel inuitus, & le-
ge reclamante ominatus est: quemadmo-
dum scribitur Num. cap. 22. & 23. quod
& Philo Iudæus eleganter prosequitur
lib. 1. de vita Moysis non longè à fine: quo
loco libens taceho, Asellum animal, vt ne-
mo nescit, apprimè stolidum, hominis di-
uino illustrari lumine partes egisse ad ad-
mirationem vsque.

Ieremias è puteo extractus ab Aethiope Abdemelech.

Soph. 3.

Balaam benè precatur Israeli cui vt malediceret, fuerat vocatus à Balac.

Philo. Asina docet Balaam.

Sed his omissis venio ad illud, quod
S. Petrus Chrysologus adnotauit super il-
la verba Matth. 13. num. 55. *Non ne hic est
fabri filius?* Quibus ve sana Iudæorum
temeritas conata est Seruatoris minuere
dignitatem, iniusta ignobilitatis nota. Sed
ignari dum obscurare nitebantur, illustra-
bant magis. audi Chrysologum serm. 48.
non multo ante med. sic fantem: *Dice-
bant hic est fabri filius, sed cuius fabri fi-
lius, non dicebant, vt arte vili, ars lateret
auctoris; & Deitatis nomen fabrile nomen
absconderet*. Quibus quia Chrysologus
non fecerat sibi satis; vt magis dilucidè
suum animi sensum aperiret sermone se-

Matth. 13.

Pet. Chrys.

Iesus fabri filius, idest Dei

A quenti in fine ait: *Iste est fabri filius:
Benè personam tacuit, vt proderet ex arte
genitorem; dicendo non Ioseph, sed fabri fi-
lius: & quis talis faber, qualis est iste? qui
ex nihilo tantum, talem fabricatus est mū-
dum, & quis faber talis? Dic ergo Iudæe
fabri filium fatearis inuitus*. Ecce qua
ratione, iisdem obloquētium inimicorum
dicterijs supra quam exoptari posset Dei
filius exornabatur. *Validis* absque du-
bio, vt verbis vtar Eusebij Emisseni;
*Nititur priuilegijs, qui causam de aduer-
sarij asserit instrumentis. Speciosa victo-
ria est, contrariā partem cartulis suis, velut
B proprijs laqueis irretire; & testimoniorū
suorū vocibus cōfutare; & æmulū telis suis
euincere: vt pugnatoris tui augumenta
tuis probētur vtilitatibus militare*. Hacte-
nus Emiss. ho. 2. de Pasch. paulò post init.

Euseb. Emiss.

Quę Eusebij sententia reuocat mihi in
memoriam, quod de Isacio imperatore
ex Nicera refert Io. Boterus lib. 1. dictor.
memorab. viror. illust. aliquantò post init.
Boter.
Exoptabat vehemētissimè imperator Do-
sitheum ab insula Ierosolymitana, ad Co-
stantinopolitanę Ecclesiæ gubernacula
C promouere. Videbat porrò Isacius fore,
vt Antiochenus antistes, nomine Balsamo,
tùm ea, qua præditus erat humanarum, di-
uinarumque rerum peritia; tùm etiam,
qua inflammabatur cupiditate dignitatis
honestioris, obijceret quoddam canonum
decretum, sanciens; ne ab vna in aliam
Ecclesiam gradum facere liceret cui-
quam; quod à Græcis religiosè admo-
dum obseruabatur. ideò aduocari iussit
Antiochiæ præsulem, quem perhumani-
ter exceptum in hunc modum est allocu-
tus. Mihi equidem esset in votis, ò Balsa-
mo tuæ committere prudentiæ, ac fidei
D commendare regendam Ecclesiam Con-
stantinopolitanam. Verùm facessit mihi
negocium, ac omninò desistere cogit, cum
animo recurrit, vetitum esse Ecclesiasticis
sanctionibus; ne Episcopi ea, quam mode-
rantur, Ecclesia derelicta, nouæ præficiā-
tur. Hausit bibulis auribus, quæ in hanc
sententiam ab Isacio prolata sunt, Balsa-
mus; & pro temporis oportunitate actis im-
peratori gratijs, spopondit superaturum
se omnem omninò difficultatem: igitur po-
stridie coacta patrum, ac Episcoporum
Synodo tàm artificiosè canones interpre-
tatus

Isacius imperatori illudit Balsamonem.

Vetitum episcopos ex vna Ecclesia ad aliam assumi.

tatus est, vt omnes facilè in suam adduxerit senteotiam, & statutum fuerit, licere Episcopis priore relicta Ecclesia, alteriùs suscipere administrationem. Effecit Balsamo, vt horum omnium certior statim fieret imperator, qui extemplò ad Constantinopolitanam sedem non Balsamonē, sed Dositheum euocauit. miro artificio contigit, vt qui futurus fuisset aduersarius acerrimus; fieret omnium optimus procurator. Hanc Deo laudē tribuamus, Emisseni vestigij insistentes, de eo prędicemus: speciosa profectò victoria est, & eo digna, qui vinci nequit, vt ego interpretor, contrariā partem velut proprijs laqueis irretire, & æmulum telis suis vincere, vno verbo, contrarijs, vti tanquam instrumentis voluntatis suæ.

Isaacius Imperator nominat Dositheū patriarcham Constantinopolitanum.

Maioris sine dubio ponderis est futura auctoritas S. Io. Chrysostomi, id ipsum sanctiore confirmantis exemplo, petito à cap. 26. Genes. vbi perhibetur. Isaac fuisse tutum perhumano pattocinio regis inimici. Verba Chrysostomi hom. 51. in Genesim sunt. *Vide quomodò varia sint via sapientia Dei, & quomodò omnia iuxta suam voluntatem faciat; & in inuijs viam inueniat per illa ipsa, quæ maxime aduersa videntur salutem seruorū suorū cōseruans. Hinc enim est, quod rex ille tantam habet curam iusti, quasi prædicans eum omnibus ciuitatis sua inhabitatoribus; & declarans, quam gloriosus sit, & summo bonore dignus, quem & maximi faciebat.* Hæc Chrysostomus hom. cit. paulò ante finem, ibique in hanc sententiam alia. Quibus addere licet, quod habetur Lucę 10. n. 34. vbi non leuita, neque sacerdos, sed Samaritanus dicitur misericordia motus oleum vulneribus semimortui hominis infudisse. Nimirum is famulatur obsequio, qui cæteroqui Iudæo maximè infestus nocere debuisset.

Chrysost.

Isaac honoratus ab iniquis rege Abimelech.

Luca 10.

Samaritanus è ciuitate maxime infensa Iudæis, iudæi curat vulnera.

Examinat, quod scribitur Matth. 20. num. 1. *Vespere autem Sabbati qua lucescit in prima Sabbati*, S. Petrus Chrysologus serm. 74 paulo post init. inquiens: *tenebrescit vesper, non lucescit. Vespera mater noctis parturit diem: mutat ordinem, dum agnoscit auctorem: anhelat creatori seruire, non tempori.* Non ex auroræ gremio, sed è sinu vesperæ diei lucem in lucem prodire, nil aliud est, quàm suū agno-

Matthæus.

Chrysol.

Ex vespera Dei voluntate nascitur dies.

A scere auctorem: cui solemne est, contrarijs etiam vti, atq; pugnantibus; vt quod sequitur assequatur.

Sunt in promptu gemina è sacris petenda litteris, huius testimonia veritatis. Primùm quidem habetur Ieremiæ cap 25. num. 38. Vbi dicitur. *Desolata est terra à facie iræ columba.* Probè teneo, iuxta litterā verba fieri de Assyriorum exercitu, qui consueuerant, in gratiam Semiramidis olim reginæ, pro vexilli signo gestare columbam. Sed libeat perpendere huius auis naturam; qua certè, nulla à militari feritate aliena magis: hac tamen vtitur

Deus exterminat suos rebelles per columbam.

B Deus ad inferendam impijs solitudinem, excidium, vastitatem. Alterum autem suppeditabit historia Danielis cap. 1 n. 15. vbi dicuntur tres inclyti adolescentuli Hebręi, post plurium dierum ieiunium apparuisse meliores, & corpulentiores. Profectò emaciare debuisset, omnemque adimere coloris venustatem tàm longa inedia; nisi Dei mos esset, rebus suapre natura contrarijs vti, tamquam aptissimis instrumentis voluntatis suæ.

Tres pueri Hebræi post ieiunium formosiores.

Notum lippis, vt aiunt, & tonsoribus est, quod de S. Fœlice Nolano presbytero

C accepimus. Hunc cum furore perciti cultores idolorum persequerentur, geminos inter parietes occultauit Deus modo plane miro. Etenim factum diuina ope fuit; vt araneanum telis aditus repente obduceretur, opportunum plane siparium, non tàm ad Dei seruum abscondendum, quàm ad Dei aperiendum ingenium. Quorsum enim telis videretur araneatum, quas ad cęlandum minime aptas esse nemo non videt; nisi vt hoc pacto comprobaret omnipotentis opus esse, adhibere contraria ad suum finem tàm fœliciter, quàm facilitet consequendum. Nil tàm tritum, nil

S. Felix Nolanus telis aranearum contegitur.

D tàm communiter in ore omnium est, quàm Horatianum illud lib. 4. odarum, ode 3. circa medium.

Horatius.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam.

Cui si compares, quod monet S. Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio cap. 6. circa medium deprehendes nullo negotio, quam verùm sit quod in præsenti contendo. Animaduertit enim Sampsonem, vt habetur

Ambr.

Sampson fortis natus e matre imbecilla.

habetur Iudicum 13. ex matre ieiuna, & debili editum fuiſſe in lucem. Quis Sampſone fortior, qui ex imbecilla matre naſci debuit, vt innoteſceret, Deo auctore fieri; vt fortis, & validus ex infirma, & debili naſceretur.

Adſit mihi in re præſenti teſtis locupletiſſimus Elias, qui, vt ſcribitur lib. 3. Reg. cap. 18. num. 34. iuſſit aquam copioſiùs iterum, & tertiò ſuperinſundi, vt diſſecti boues igne cœlitus miſſo conflagrarent. Quid agis amice Dei? quid cogitas? vt ignem non emortuæ modò, ſed dilaceratæ hoſtiæ membra concipiant; aquas effundis? Sed benè eſt: perge porrò. Quandoquidem veniunt in contentionem verus Deus, & Baal. Vt autem ſummus rerum opifex proprio dignoſcatur indicio adhibeantur, quæ ſuaptè natura contraria eſſent operi: vt meridiana luce clariùs pateat, fieri Deo ſecunda; & quæ natiuo frigore flammas extinguerent lymphæ, excitent iubente Deo.

Elias vt eliciat ignem, aquam victimæ ſuperinfundit.

Non poſſum non memorare, hoc loco quod refert Io. Boterus lib. 1. dict. mem. viror. illuſtr. paulò ante med. de Ioanne à Caſtro Indiarum porege. Arx, Dium, dicta arctiſſima obſidione vrgebatur, gemino & Turcarum, & Cambaiæ regis exercitu florentiſſimo. Accurrit larurus opem, auxiliaribus copijs Prorex: & vbi primùm arcem tenuit, iuſſit ianuas aperiri, quæq; multo claudebantur ferro, portas patefieri. Admirantibus vero nouitatem militibus, reſpondiſſe dicitur magnanimus Ioannes, Chriſtianum bellatorem contra nefarios ethnicos prœliantem, dedecere, vel momento temporis, clauſis ianuis impetum hoſtium ſuſtinere. Videlicet cum cauſa religionis agitur, & Deo duce pugnatur, vt quiſque tutus ſit, aggerum, portarumque munimentum, ac propugnaculum auferatur. Dictum comprobauit euentus: fuſi enim, ac profligati receſſerunt hoſtes & Luſitaniæ regis, & ſummi Dei. Didiceras, vt arbitror, inuicte Ioannes, à Sampſone, à Dauide, à Gedeone, nullo armorum præſidio; imò oppoſitis ad pugnandum inſtrumentis, qualia ſunt maxilla mortui iumenti, funda paſtoris, olla infracta, hoſtes debellare; proprium eſſe eorum, qui Deo militant: Cui contraria operi ſecunda ſunt.

Io. Bot.

Io. à Caſtro prorex Indiarum vt reſiſtat obſidentibus iubet portas aperiri.

A Apocalypſis cap. 22. num. 1. vt Dei aperiat magnitudinem, prę omnibus diſcipulis Chriſto carus Ioannes ait; *Oſtendit mihi fluuium ſplendidum tamquam cryſtallum procedentem de ſede Dei.* Miror ſane. cur enim non dicatur potiùs, fluuius adamantinus, gemmeus, vel aureus, vt ſymbolo magis appoſito repræſentetur omnium mentibus, quę ſit præſtantia diuinæ naturæ. Hanc tamen, ni fallor non potuit Deo dilectus ingenioſiùs adumbrare Quod vt aperiam recitabo verba S. Baſilij hom. 3. in Hexameron paulò ante med. dicentis. *Cryſtalli naturam eſſe conſtat:*
B *quem ob exuperantem aquæ congelationem in eam eſſentiam, quam obtinet, aſſeuerant tranſmutari.* Quod ſi ita eſt, dicamus fluuium procedentem de Sede Dei, tamquam cryſtallum eſſe debuiſſe. Ex aqua etenim vndequaq; diffluente, ac permeante, cryſtalli concreſcit firmitas: vt hinc patefiat magnitudo Dei; cui ſolemne eſt, rerum oppoſitarum adminiculo vti: fluentem aquam ſolidat in cryſtallum. Procedit de ſede Dei cryſtallinus fluuius, muto, vt ita dicam ſilentio prædicans: hic ille eſt rerum opifex ſupremus, cui ſicuti
C ſolida, fluida ſunt: ita & imbecilla ſunt fortia, & aſpera ſunt ſuauia, & indocta ſapientiſſima: Vno verbo quæuis naturæ ſua pugnantia operi, ſecunda ſunt Deo.

Fluuius criſtallinus egreditur de ſacie Dei.

S. Baſilius.

Id meo iudicio callere quodammodo viſus eſt, affectator ille diuinitatis Iulius Cæſar, de quo ſcribit Suetonius in vita poſt med. num. 59. tanta fuiſſe præditum magnanimitate; vt etiam videretur vti ad aſſequendum, quod ſequebatur, ijs, quæ contraria videbantur. Cum enim de more captarentur auguria, & hoſtia immolanti aufugiſſet, deterritis, quotquot aderant, ea fuga, quaſi ominoſo portento: ſo-
D lus Cæſar cenſuit profectionem aduerſus Scipionem, & Iubam minimè differēdam. Similiter in egreſſu nauis prolapſus in terram, verſo ad meliùs omine, quo reliqui metu concutiebantur: in animum inducentes ſuum, aduerſamfore fortunam: alacri vultu, & imperterrita mente exclamauit: *Teneo te Africa.* Meo iudicio intelligebat magnæ vir mentis, opus conditione humana maius, planeq; Deo dignum eſſe aduerſis, ac repugnantibus vti, tamquam ſecundis: & ipſa contraria, vel nanciſci,

Suet.

Iulius Cæſar mala omina conuertit in bonum.

cifci, vel facere fibi obfequentia. Itaque cui fua natura obftantia, atque rebellia famulantur, ac feruiunt, hunc tu iure quidem optimo Deum dices.

Cal. Rhodyg. Chrysogonus remigi [illegible] ad harmoniam temperat.

Reuocare lubeat in memoriam, quod legitur apud Cælium Rhodyg. lib. 9. lectionum antiq. cap. 10. paulò poſt initium de Chryſogono quodam, qui in Alcibiadis naui ab exilio redeuntis, canendi ſpecimen præbuit ad miraculum vſque conſpicuum: tanta enim, ac tàm ſingulari arte vocem modulabatur; vt & remigum manus dirigeret, & cum illi remorum pulſum, cum Chryſogoni cantu coniungerent: periucundam, ac ſupra modum ſuauem audientibus redderent harmoniam. Propterea tanta canendi peritia habita fuit à nauigantibus, & fortaſſe non immerito, humana maior planèq; diuina. Quid enim tàm diſſonum, quàm quaſſa, ac ſine lege repercuſſa crebris remorum ictibus aqua? quid tàm inconditum, quàm ſtrepitus nautarum? Igitur quo pacto fieri potuit, vt ad audientium aures melos acciderer adeò dulce? hoc, quod fortè fabuloſum eſt, veriſſimè ſenſui facem præfert conſideranti, trium Puerorum canticum, Danielis 3. quorſum enim ad canendum Deo non beatæ modò mentes, non homines, non ſenſu carentia, ſed beſtiæ etiam eaq; vocis inconditę prouocantur? Deus immortalis? ſi rugiat leo, remugiat bos, ſi perſtrepat vndequaque aër incondito belluarum reboantium tumultu, ecquod melos poterit exaudiri dignū Deo? imò digniſſimum. Ex fragore quippè muſico melodi repugnante, conficere ſuauitatem harmonicam, & blandam vocum conſonantiam attemperare; non artis humanæ opus eſt, ſed miraculum facultatis diuinæ. Quam hoc pacto ſe ſe patefacere confirmat D. Ioannes Chryſoſtomus in epiſt. ad Romanos cap. 8. hom. 15. paulò poſt init. inter quæ hæc habet. *Scimus enim, inquit, quod ijs, qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum. Cum autem dicit, omnia, & ea item, quæ moleſta eſſe videntur, dicit: Nam vt afflictio, vt inopia, vt carcer, vt fames, vt mors, vt quoduis aliud ingruat: Quapropter non ait, quod ijs, qui Deum diligunt, nulla accidit res, quæ aduerſa ſit: ſed quod ea adiumento eſt ad bonum. Quod multo*

Tres pueri Hebræorum beſtias ad canendum inuitans.

Chryſ.

Poteſt Deus hæc omnia in contrarium commutare.

A *maius eſt, quam ſi prohibeas, aduerſa ne accedant, aut vbi acceſſerint tollas.* Maneat igitur nil magnificentiùs, aut oportuniùs ad Dei magnitudinem prędicandam excogitari poſſe, quam ſi dicamus: contraria operi, Deo ſecunda.

Didicerunt id quidem, & ſuo experimento, & totius documento poſteritatis chariſſima Deo capita Dauid, & Ieremias. Ille quidem, vt legitur lib. 1. Reg. cap. 28. & 29. capite periclitatur in aula regis Iſrael: & è contra in illa Gethæi regis idolorum cultoris maximo habetur in pretio, & excipitur honeſtiſſimè. Similiter Iere-

B mias vt cap. 39. vaticinij eiuſdem legitur in aula regis ſui Sedeciæ in carcerem detruſus maximum honoris, & vitæ diſcrimen ſubit: ſecus apud Monarcham Chaldęum tanta cum humanitatis, & beneuolentiæ ſignificatione tractatur, vt ipſemet ſupremus princeps eiuſdem Ieremię curam gerens in hunc modum allocutus fuerit militum principem, vt leges num. 11. 12. citati capitis. *Præceperat autem Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magiſtro militum dicens: tolle illum, & pone ſuper eum oculos tuos; nihilque ei mali facias: ſed, vt voluerit,*

C *ſic facias ei.* Quandoquidem ergo amici Dei tanti fiunt, tantoque excipiuntur honore ab ijs, à quibus vtpote Dei inimicis nihil non timeri debuiſſent, fateamur neceſſe eſt, in more poſitū eſſe ſummo Deo; vt vtatur ijs pro arbitratu tanquam ſecundis, quę cæteroqui contraria eſſent habenda.

Legenti mihi omnibus abſolutam numeris P. Cauſini narrationem, quæ inſcribitur: *Pietas Fortunata.* viſum eſt id adamuſſim repræſentari, & ſine dubio longè feliciùs, quàm vel à nobis hactenus factū

D ſit, vel fieri queat. Conſule mox laudatam narrationem, in qua aliquantò poſt initium, à grauiſſimis acceptum auctoribus relatum reperies; quod de virgine Athenaide, ſine magna admiratione non poſſumus memorare. Hęc Athenis orta, obſcuris parentibus Leontio philoſopho, & patre & magiſtro, dederat operam philoſophiæ, & humanioribus litteris, ad miraculum imbuta, cum à fratribus Ginnaſio, & Valerio, defuncto Leontio, hæreditarijs bonis ſpoliaretur, coacta fuit ſe ſe

Dauid à fideli rege male tractatus: ab infideli rege fouetur.

Ieremias id.

Athenaidis hiſtoria.

conferre

Athenais à fratribus excluditur ab hæreditate paterna.

cōferre Constantinopolim; in tam afflicta, fortuna opē implorans à Pulcheria Augusta, quæ tanta cū æquitate, erepto è viuis Arcadio patre, orientalis habenas imperij moderabatur; vt veluti Ecclesię decus, & christiani orbis columna omnium sermonibus celebraretur. Ad hanc molles habuit aditus Athenais: quia sospitatrici

Athenais apud Pulcheriam imperatricem gratiam inuenit.

pauperum, nil gratiùs, quàm pupillarum solatium contingebat. Itaq; virgo Atheniensis regiam petit; & quia speciem, pulcherrima facie, sceptro dignam, vel nolens, præseferebat: facilè traxit ad se oculos, animumque Pulcherię. Scitè namque dixit Isocrates, in laude Helenæ, pulchritudinem augustiorem, pretiosiorem, diuiniorem rebus omnibus. Obstupuit, imò venerata est peregrinam puellæ elegantiam Augusta; cuius iudicio veriùs, dici debuit, quàm ab Euripide in Oreste, Electra decantata fuerit, ob pulchritudinem, Veneranda. Quid plura? primo illo aspectu secum ipsa statuit, eam Theodosio fratri despondere. Sed interea ecce tibi in genua prouoluta exponit supplicis morem, quæ iam imperio destinabatur, quam asperè per summam iniuriam, à fratribus tractaretur: & ingenerata audientiū

A Pulcheria destinatur vxor Theodosio fratri imperatori.

animis a pulchritudine, reuerentia obtinuisset a Pulcheria, quod postulabat; nisi dicendi ratio, & oratio maiestate, & sapientia plenissima, Augustę mentem cepisset, ad accipiendam innoxię virgini summam, etiam in tanto infortunio, fęlicitatem. Breuiter, illud cœpisse consilij fertur Pulcheria, in alteram diem differendi quod ab Atheniensi puella proponebatur; quasi verò tunc temporis non liceret per otium examinare rationum momenta; quę in re satis obscura potuissent afferri, animum in diuersa distrahente

Perorat causam meā apud iudices.

varietate negociorum. Itaq; certa die indicta pro decernēda fraterna lite, dimittitur virgo; statimq; rē totā Theodosio aperuit amantissima soror, & oculatissima: vix finē dicendi fecerat, cum ambo proni in eam iuere sententiam, vt reuertentem virginē, & pro se apud Pulcheriam perorantem exciperet fenestralibus è cancellis abditus Theodosius. Igitur, ne lōgum faciā, Athenais dicta die nō multis perorauit. perorauit autem? imò exorauit. Etenim, & ipsum imperatoris animum expugnare, & ab au-

A ditoribus extorquere commiserationem dicenti puellæ non fuit admodum difficile. Quin id parùm fuit: eam quippe designauit ad nuptias Theodosius: quia omnium animis indidit magistra natura: dignum esse, qui euehatur ad sceptrum, pręstanti pręditum pulchritudine. Hinc Egesippus lib. 1. cap. 36. animaduertit, non ex alio capite Antipatrum præpositū fuisse omnibus, qui nati post ipsum proponebantur; nisi ob elegantem oris habitudinē, qua cęteris pręcellebat. Sic enim habet. *Cui forma, cui decoris gratia suppeteret: vt iure præferendus omnibus æstimetur.* Meritò igitur ad capessendum

Theodosius à videt & deflet ...

Pulchritudo digna imperio.

Antipater ob pulchritudinē prælatus fratribus.

B imperium pręfertur omnibus Athenais; quæ omnes eximia pulchritudine antecellit. Neq; potuit ab ijs, qui iudices aderant, non obtinere commiserationem; quia vbi pulchritudo, ibi ara misericordiæ est, ex sententia Philostrati in epist. vbi ipsam pulchritudinem aram dicit esse misericordię. Quasi verò nequeat misera esse pulchritudo; cum ad eam, tamquam ad aram spectantium confluat commiseratio: Vel certè extollatur ad imperiale solium Athenais, præstanti forma virgo pulcherrima:

Pulchritudo ara misericordiæ.

C quia cū pulchritudo ara misericordię sit, meritò pręomnibus ad imperium euehetur; cum nil æque ornet, aut faciat imperantem, quam commiseratio. Verùm ne videar euagari: destinata ad sceptrum florentissimi imperij, atque amplissimi Athenais, arcebatur à connubio ex superstitione, qua infidelitatis obuoluta tenebris, veræ fidei lumine destituebatur. Id vbi primùm exploratum fuit, atque compertum; indignum, supra quàm dici queat, visum est imperij dynastis, & nominatim Attico Constantinopolitano Patriarchæ, & Paulino qui fuit carissimum imperatori

D caput, viro diuinarum, humanarumque scientiarum in primis erudito, indignum inquam probis hominibus visum est, virginem tot, tantisque & naturæ bonis affluentem, & liberalium facultatibus disciplinarum exornatam, supernę muneregratię spoliari. Propterea eo vehementiùs inflammabantur ad aperiendos puellę singulari ingenio predię, Deorum inanium errores; quos per summam diuinitatis iniuriam venerabatur: quo acriùs repugnabat illa lepidissimo dicendi genere

Athenais de fide disputat.

L fetens

accomodata, & flexamina oratione proferens in medium, quæ ex Hesiodi commentis, ex Pythagoræ apophtegmatibus, ex iuuentis Homeri, à teneris annis didicerat, deliramenta poëtarum. Sed tandem vi veritatis impulsa dedit manus Athenais, & quemadmodum ex Socrate lib 7. cap. 21. anno Christi 421. paulò post initium refert Cardinalis Baronius tom. 3. annal. Ecclef. ab Attico Episcopo Constantinopolitano, lustralibus sacri fontis abluta aquis, Eudoxia nominata, Theodosio nupsit. Hæc celeberrima illa Eudoxia est, quę viginti nouem annos in imperio egit, tanta cum laude; vt non modo exitu religiosissimo (quamuis Eutichij errore per aliquod tempus commaculata) vitam clauserit; verùm etiam hominum iudicio sapientissimorum credatur magni imperij decora suis virtutibus superasse. Hic ego interrogo, quid tàm repugnans virtuti quàm eximia forma? quam qui colit, hostem domi souere credimus infensissimum probitati: quid tàm aptum ad auocandos à pietatis studio animos; quàm blanda muliercularum suadela? quid tàm noxium christianæ probitatis sectatori, quàm earumdem aspectu, alloquijs, consuetudine frui vsque ad delicias? quarum illecebræ, lepor, venus quem non alliciant, quem non corrumpant, aut à recto virtutis tramite non dimoueant? hæc tamen non Eudoxiæ modò ad veram capessendam religionem, & ad fastigium sanctitatis obtinendum strauit iter: sed Theodosium etiam maritum christianæ sanctitatis reddidit amantiorē. Videlicet talia sunt portenta, eius de qua loquimur sapientissimæ bonitatis Dei; cui solemne est vti tamquam secundis contrarijs etiam, ac repugnantibus.

Athenais baptismo lustratur.

Athenais dicta Eudoxia.

Videat qui velit P. Didacum de Baeza tom. 1. commen. in euang. hist lib. 3. c. 6. §. 6. & tom. 2. lib. 7. cap. 1. §. 1. Item tom. 4. lib. 18. cap. 1. § 14.

Videatur etiam P. Cornelius à Lapide in epist. B. Pauli ad Corinth. cap. 10. ad vers 13. Nec non epist. ad Philemonem versu 15. 16.

Ad hunc ferè sensum adduci possunt quæ tradit P. Benedictus Fernandius in Genes. cap. 34. sect. 4. num. 4. tom. 3. & cap. 3. sect. 23. num. 8. tom. 1.

A

IN CAPVT SECVNDVM
Num. VIII.

Ite, & interrogate diligenter de Puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

PARADOXVM XI.

B

Qui cautè peccat, flagitiosorum pessimus.



AVDI pium, audi religiosum: cultum pollicetur, seque venerabundum accessurum esse, & in genua prouolutum ad nati regis pedes, supplicantis in morem is, qui Deum inter homines vagientem, odio plusquam vatiniano prosequitur. Enimuerò Vertunnus vafer tigriū C maculis obducta fronte deludere satagit delapsam è cœlo sapientiam. Crediderim Sinonis astu, hoc est telo omnium validissimo tenebrarum principem, vti voluisse aduersùs tenellum humanæ salutis Reparatorem. etenim agebatur de summa rerū. Nato siquidem in terris cœlorum rege, tartarea tyrannis quam non pertimescat perniciem? quam cladem non perhorrescat? Itaq; vt extremum adhibeat conatum, atq; vires exerat validissimas: personatam induit impietatem. Profectò nihil ad sanctimoniam labefactandam, aut infringendam pietatem excogitari potest D validius facinorosa mente, quam species probitatis abscondit. Omnium sermonibus vsurpatur tritum illud dicterium, tractumq; passim ad omnia: *Si non castè, saltem cautè.* Quo communiter dicere volunt sapientes sceleris cuiuslibet turpitudinem nefariam licet, & criminosam, minus tamen plurimum; si saltem clanculum, & obducto veluti sipario perpetretur. Verùmtamen contradico manifestè, asserens flagitiosorum pessimum

Herodes pietatem simulat.

Sanctitatis simulatio maximè perniciosa sanctitati.

simum esse eum; qui criminosus cum sit, nullum non moueat lapidem, vt criminis amoueat suspicionem: quia si pectum fucato integritatis colore tegatur, obtinet inter scelera principatũ. Primò quia nullũ adeò perniciosum, nullum tam noxium virtuti, & virtutum amatoribus scelus est. Secundò verò quia nullum adeò inuisum, & Deo, & hominibus crimen est; quod non longè superetur ab hoc, quod in præsentia vituperamus.

Vt autem manifestum fiat, quod primo loco propositum est; aio fictam probitatis speciem, siue hypocrisim maximè noxiam esse virtuti, & virtutis sectatoribus perniciosissimam. Caue abnuas, ne auctoritati S. Bernardi repugnes. Sunt, inquit S. Abbas (ser. 66. in Cant. paulò post init.) *qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali: mali videri timent, ne parùm sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit; nec vnquam bonus, nisi boni similitudine deceptus est. Ita ergo in malum bonorum boni apparere student; mali nolunt, vt plus liceat malignari.* Mille nocendi artibus nititur malus dæmon homines agere præcipites, ac dare pessum; nulla tamen perniciosior illa; qua clanculum, & per cuniculos bonos etiam, nempe strenuos virtutum propugnatores prosternere nouit, ac debellare. Nulla peior iniquitas illa; quæ nouo semper ardet incendio flagitio'que fœditatis: hæc autem tam dira, tam noxia, tam luctuosa, si Bernardo credimus, solùm præstat mentitæ virtutis minio coloratum crimen. Id autem accepi ab eloquentissimo Tullio dicente. *Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum; qui tum, cum maximè fallunt; id agunt, vt viri boni esse videantur.* Ita Cicero lib. 1. de officijs aliquanto ante med. Vides, igitur, quo pacto vitium os, habitumque gerens virtutis in morem vafettimi, & nequissimi proditoris, cum non possit æquo marte congredi, se se minimè prodit, vt certiùs prodat.

Diceret hic S. Leo, quod ser. 9 de Quadragesima paulò ante med. pronunciauit his verbis; *Plus plerumq; periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* Huiusmodi hostis quàm præ cæteris sit nocens, cum satis manifestè constet volens omitto. Quæ ad patefaciendas, quales, ac quantas malo nostro vires habeat hypocrisis, copiosissimè non minùs, quàm verè congerit S. Petrus Chrysologus ser. 7. per totum, videat, qui velit: nobis innuere sufficiat, quæ habentur ser. cit. paulò post Init. in hunc modum. *Hypocrisis crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Iampridem didiceram à S. Gregorio virtutes arma esse; quibus muniti in arenã descendere possumus victores. *Omnes gentes* (loquitur S. Pontifex) *ad Dei omnipotentis seruitium perducuntur; quæ cõtra occultos hostes fideles acies virtutum armis robustas ducunt.* Ita cap. 1. in lib. 1. Reg. At obsecro, quale non intentat excidium; si fucata persona virtutis iniquitas, nostris, contra nos armis pugnete O' fallaciarum inextricabiles nexus; si virtutes virtutum armis expugnantur.

Neq; verò multum ab opinione nostra aberrasse crediderim S. Cyprianum ser. de ieiunio, & tentatione Christi dicentem. *Hypocrisis, quasi tinea, quod integrum erat rodit, & occupat; & sanctitatis fundamenta euellit, ac dissipat.* Equidem malorum pessimum est, ædificij fundamenta labefactare, quippe quę molem ædificij vniuersam substentant: at quanta demum, ac quàm deploranda pernicies censenda erit, si euellantur fundamenta penitùs, ac dissipentur. Vel certè dicamus cum Reparatore humanæ salutis, hypocrisim similem esse fermento iuxta illud Lucæ. 12. num. 2. *Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.* Scitè venerabilis Beda in hunc locum postea quam exposuit notissimam fermenti conditionem; quod totam inficit massam, atq; corrumpit subinfert monitum apprimè salutare his verbis. *Sic nimirum simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate, & veritate fraudabit.* ita loco citat. Iam quis neget verò veriùs hypocrisim omnium esse vitiorum perniciosissimam? Pugnat cum humilitate elatio animi; cum luxu re sanctus amor charitatis stare non potest; destruit libido temperantiam, eodemque modo licet ire per singula: verùm hypocrisis omnium est pestis virtutum, ac tabes virulenta sanctitatis

Hypocrisis maximè noxia virtuti.

Bernard.

Hypocritarũ descriptio & fraudes.

Tullius. Hypocrisi nulla capitalior iniustitia.

Leo.

Insidiator occultus, magis timendus, quã hostis manifestus.

Chrysol.

Hypocrisis ... virtutem inuadit.

Greg. Virtutes arma quibus hostes vincimus.

Cyprian.

Hypocrisis fundamenta virtutum euellit.

Luca 4.

Hypocrisis similis fermento.

Beda.

Hypocrisis omnes virtutes inquinat.

Sententia apud me semper grauissima S. Patris Augustini aperit mihi aditum, & digito veluti commōstrat sensum quemdā fortasse minimè contemnendum. Etenim enarratione in psal. 57. non longè ab initio ait: *videte ergo, si non sequantur se voces istæ; hypocritæ, quomodò potestis bona loqui cum sitis mali?* Quasi velit dialecticus perspicacissimus necessariò sequi: es hypocrita; igitur non potes bona loqui. Potest bona loqui auarus, potest superbus, & sic de reliquis non autem hypocrita; qui adeò nefarius est, vt ne sermone quidem bonus videri queat sine magna virtutis iniuria. Hunc ego Polypode adumbrari si dixero, non penitùs aberrabo. De hoc Aelianus lib. 1. varar. histor. cap. 1. testatur, cuius etiam mentionem facit S. Basilius hom. de legen. libris gērilium circa finem; sub scopulis latitantem sedere, & eorumdem colorem scopulorum induere; adeò vt idem omninò cum scopulis esse videatur. fit autem non rarò, vt pisces, tamquam ad scopulos; ita ad polypodes adnatēt; à quibus validissimè implicari, & repentè capti perimuntur. Exitu planè miserando, quem firmum crediderant scopulū, charybdim offendunt inexplebili vortice rapacissimam. Nullæ à quouis facinoroso tàm iniquitabiles struūtur insidiæ, nullæ tàm perniciosæ, quam ab hypocritis, quorum ea fallēdi ars est, vt scopuli simulent firmitatem, & mentita virtutum inconcussarū speciē scopulum referant stantem, firmumque mōres inter inrequietos fluctuantiū aquarum; vt sine remedio noceant, & faciliùs enecent accedentes. Propterea dicam grauissimè, simul ac verissimè cum S. Basilio hom delegendis lib. genrilium circa med *Hic est extremus iniustitiæ terminus, si quid eredendum est Platoni: iustum videri eum, qui non sit iustus.*

August.

Hypocrita nō potest benè loqui.

Aelian.

Basil.

Hypocrita polypodi comparatur.

Polypus scopulo affixus, quasi scopuli particula, pisces venatur.

S. Basilius.

Hypocrisis vltimus iniquitatis terminus.

De hoc hominum genere illud non immeritò ferri posse iudicium mihi videtur, quod de fabuloso Proteo expressū reliquit augustissimus litterarorum P. Augustinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 10. ipso fine his verbis, *sicuti de Proteo dictū est formas se vertit in omnes; hostiliter insequens, fallacitèr subueniens, vtrobiq; nocens.* Nec breuiùs, nec clariùs dici potuit, quòd contendo. Proteus diuersas induens formas ad vnguem imitatur mores deceptorum istorum, qui probi, ac pij aspectu personari, etiam cū opem ferre simulant, ac prodesse videtur; maximè obsunt. Sanè cū vtrobiq; nocentes sint, necesse est, vt fateamur nullum istis nocentiorē, nequiorem, aut perniciosiorem nullum. Neq; vero persimilem in hac re M. Basilij sententiam tacitus omittere sine nota possum hom. enim prima de ieiunio paulo post. init. ait. *Hypocrita dicitur histrio, qui in theatro personā sustinet alienam, sæpè heri eum sit seruus: aut regis eū sit priuatus itidem pleriq; vitam suam velut è proscenio ad ostentationē componunt.* Aptissima, ni fallor, comparatio, ex eo præsertim capite; quòd sicuti qui mimos gerunt, & inanibus in scena Indificarionibus circumfusam detinent plebem, proiectæ sunt famę, & perditi nominis: tàtidem hypocritę sint æstimādi. Hinc Deo plenus, & mille probatus aduersitatibus S. Iob c. 3. vbi cum vsq; ad n. 3. totus in eo fuisset, vt improbos quasi orarionis penicillo depingeret; cum eos appellasset ignobiles; cum nuncupasset indignos; cum pronūciasset squalidos; eosq; tam affabrè descripsisset, vt nō tàm auribus, quàm oculis spectandos sub iicere visus fuisset, tamquā luridos, emaciatos, pannosos, miseros, omni calamitatis genere pressos: quasi sibi nequaquā fecisset satis sequenti n. 4. concludit his verbis, *& mandebant herbas, & arborum cortices.* Si quæras, quid sibi velit post tot enumeratas ęrumnas huiusmodi conclusio; quæ non multum habere videtur roboris, & minimùm energiæ. Respondebit Gregorius M. primo quidē habita maxima decoris ratione adūbratos, quasi leuiter fuisse scelestos; quos iure optimo, & ignobiles; & miseros, & squalidos, & luridos nuncupabis: quibus ita constitutis reliquum erat, vt omnium flagitiosissimos describeret; eorumq; faceret mentionem; qui vtpotè mortalium perditissimi maxima diligentia sunt cauendi: dicit ideò, *mandebant herbas, & arborum cortices.* Audi S. Pontificem lib. 20. in Iob c. 15. circa med. sic fantem: *Herbas mandere est leuia quædam, ac tenera de antiquis patribus imitari: arborum verò cortices edere est eorum opera superficie tenus agere.* Qui se flagitijs luxuriæ, iræ, superbiæ, & similibus turpi admodum cōtagione fedauit, inter ignobiles, inter miseros,

Hypocrita similis Proteo.

August.

Proteus in varias formas se induit.

Basil.

Hypocrita comparatur histrioni.

Varij iniquorum tituli.

Iob.

Hypocrisis omnium iniquitatum maxima.

Greg.

ros, inter ęrumnosos censeatur. Quid ad huc mali superest? Quid maioris incómodi, aut sceleris grauioris reliquũ est? dicã breuissimè auctoritate fretus maximi, & Sanctissimi Pontificis, si herbas comedat & corticibus pascatur. Hic enimuerò necesse est malo sit peior, hic pessimo habeatur nequior, hic scelesto nocentior prædicetur, quandoquidem quidquid agit, superficie tenus agit.

Hisce autem auditis, nemo non intelligit, quàm verè dicamus nullum adeò inuisum, & Deo, & hominibus crimen esse, quod longè superetur ab hoc; quod in pręsentia vituperamus. Quod sanè vel nobis tacentibus maximè obuium est in illa arbore, de qua Matthæi cap. 21. num. 9. etenim si arbor illa repræsentabat eos, qui sine fructibus bonorum operum viuunt in glorij, de quo canebat ille. (nati.

Nos numerus sumus, & fruges consumere

[Margin: Christi imprecatione aref. cit arbor infructuosa.]

Cur arefiat eius imperio, qui curare venerat, non perdere humanarum mentium sterilitatem? satiùs fuisset, censebit aliquis, cœli rorem, terræ pinguedinem impartiri; vt fructus ferret feraciores, quàm vnquam tulisset antea. In hac re nihil ex mea sententia profero in medium, cum sensum indicet minimè pœnitendum S. Hieronymus in hoc caput circa medium inquiens, *nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm; iactationem legis, & ornamenta verborum*. En quid supra omnia sit Deo inuisum, en cur se cohibere non potest à maledicto mitissimus bonorum largitor; quia pomposa foliorum ostentatio repræsentat hypocritam, qui totus est in verborum ornamentis, & phaleris elocutionum, pietatem simulans nugator nefarius. De huius salute quemadmodum ea, de qua loquimur, arbor testatur, actum omninò videtur, & spes fermè nulla superest euadendæ perditionis. Quo cum nullum excogitari possit damnum perniciosiùs, aut crimen scelestius, dicemus verè peccatum omnium pessimum hypocrisim esse. Quod quidem eo vsurpo confidentiùs, quo clariùs expressum inuenio Iob. cap. 34. num. 30. vbi dicitur, *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*: quo loco ex interpretatione Glos. ordinariæ, & Lyrani hypocritæ nomine Antichristus designatur. Pręnuncia vox hæc est, quæ monet, fore vt Iudęi facinorosissimi desertores summi Dei, quasi ducem sequantur, ac regem Antichristum. Ita Antichristus, quem cum nomino perditissimũ mortalium, & Deo infensissimum menti legentium infero, antonomasticè hypocrita nuncupatur; vt idem & fateamur perditissimum, & hypocritam. Quid plura? Non Deo solùm, cui omnis inuisa iniquitas est; sed hominibus etiam, quibus non rarò probantur flagitia, displicet summoperè colore virtutis personata iniquitas.

[Margin: Hypocrita comparatur arbori infructuosæ. Hieron.]

[Margin: Hypocritæ salus penè desperata.]

[Margin: Iob.]

[Margin: Glos. Lyran. Antichristus nuncupatur hypocrita.]

Venit in mentem, quod de Archidamo Lacedæmoniorum rege testatur Aelianus lib. 7. c. 20. venerat Lacedæmonem Cœus quidam ætate prouectus: cum autem nescio qua de causa senectutis suæ eum puderet, canos occulere conabatur tinctura. Itaque cum in conspectum prodijsset Lacedœmoniorum, statim atque circumfusa ciuium panegyri audiente, exposuit, cuius gratia venisset; tex Archidamus consurgens: quid inquit, hic sani diceret, qui non animum tantum gerit mendacem, sed etiam caput? Quo pacto magno cum acumine declarauit explodendum esse hominem, tamquam dementem, mendacem, & nullius omninò pretij. Vide, quo fundamento: firmissimo, nisi fallor. Quem ficto colore blandientem oculis deprehẽderis, adeò vt aliud præseferre conetur longè diuersum ab eo, quod re vera sit, procul dubio hunc asseras, & omni spoliatum sanitate mentis, & omninò indignum, cui aures prębeantur; imò exibilandum à sapientibus, fugiendumque.

[Margin: Cœus fr... ca... ... (partly illegible)]

[Margin: Archidami ... Cœus ... (partly illegible)]

Patebit id manifestius, perita à contrario argumentatione. Mirum dictu est, quantam sibi probitatis opinionem comparauerit Aristides. Certè illud memorię proditum est, cum ij versus, quos Aeschylus de Amphiarao conscripserat, in theatro canerentur.

Nam vult vir esse, nõ videri hic optimus,
Qui mentis alta fructiferam sultans segetem
Consulta callens germinat grauissima.

[Margin: Qui sunt probi volu... esse non videri.]

Hæc inquam dum in theatro canerentur omnes in Aristidem oculos coniecerunt; sicuti Plutarchus in Apoh. regum, & imperatorum paulò ante medium scribit. Disce ab vno tantum homine, sed totius

[Margin: Aristides laudatus à sinceritate virtutis. Plutar.]

totius approbatione theatri, quæ summa haberi debeat commendatio, quæ probatissima laus; quid demum omnium in se ora, oculosque conuertat laudatores. Videlicer qui vult vir esse non videri optimus. E contrario porrò, qui cum non sit, videri affectat: necesse est, neminem non habeat vituperatorem. Et meritò, quia scitè, vt semper magnus sapientium suffragio Seneca morum præceptor præstantissimus lib. de vita beata cap. 1. paulò post medium dixit: *Nulla res nos maioribus malis implicat; quàm quòd ad rumorem componimur*. Nihil opinionis causa, quia hoc nullum damnum grauiùs, sed omnia conscientię gratia facias, quo nil sanctiùs, honestiusuè.

Seruire famæ multorum malorum causa.

Hypocritæ similis picæ. *Pier. Val.*

Proprerea vt magna eum laude hypocritam exprimeret; picam ingeniosæ depingebat antiquitas, quemadmodum testatur Pierius Valerianus lib. 23. hierog. circa medium; sapienter sanè; quia anteriore parte pica niueum ostentat candorem; posteriore verò tetro, nigroque coloro suffunditur; quapropter monebat Pythagoras, vt est apud citatum auctorem ibidem, ad imbuendas perutili institutione hominum mentes; *Ne gustandum quidem ex ijs, quibus est nigra cauda*. Nos verò, remotis ambagibus, clarissimè pronunciamus, ac disertissimè hypocritas maxima diligentia fugiendos, vtpotè omniũ perniciosissimos. Primò quippè aspectu niueam prę se ferre videntur integritatem, vt occultiùs insinuent virus nequitię atra nigri coloris obscuritate haud obscurè adumbratum.

Pythagoræ dictum contra hypocritas.

Hypocritæ maximè fugiendi.

Ergo par est, si Pythagoram audimus, vt dolosos hosce homines, qui mentita specie integritatis tàm nefariè fallũt, odio plusquam vatiniano prosequamur par est, vt non vituperemus modò eorum consuetudinem, sed abhorreamus penitùs, atq; auersemur.

Consule P. Didaeum de Baeza tom. 3. comment. in euang. hist. lib. 13. cap. 1. §. 14. & eodem tomo lib. sequenti cap. 16. §. 30. Immo hoc idem argumentum illustrari potest ex eodem auctore tom. 2. lib. 6. cap. 3. §. 14.

IN CAPVT SECVNDVM Num. VIII.

Ite, & interrogate diligenter de Puero.

PARADOXVM XII.

Diabolus, Mundus, & Caro salutis animarum procuratores.





ADESTE, adeste quotquot aduersariorum debellantium telis crebris succumbentes, vestrorum culpam criminum in inimicorum, vel vires, vel versutiam transferre consueuistis: fortè enim fortuna continget, vt è vestra cogamini sententia, discedere. Profectò Herodes dum magis commendat etiam atq; etiam, vt de puero humani generis vindice diligenter interrogent: & videtur factus ex præuaricatore procurator; & occasionem præbet mihi peropportunam demonstrandi, eum esse diuinæ bonitatis ordinem: vt ipsi Christi Domini, & salutis animarum hostes infensissimi, etiam dum tentant, obesse saluti nostræ, eidem obsequiosè famulentur. Demonem, Mundum, Carnem, hostes acerrimos nouimus omnes: hos meum erit euincere nostrarum animarum salutis procuratores esse maximè salutares.

Herodes dum aduersatur Christo, maximè illi seruit.

Age à primo ducamus exordium, euincamusque principem tenebrarum, tunc maximè vtilitati Christifidelium prodesse; cum conatur obesse. Ducem sequor S. Petrum Chysologum, qui admiratione perfusus, cum considerat, cur Christus Dominus, vt habetur Marci 9. num. 18. dixerit de Energumeno, *afferte illum ad me*. serm. 51. qui est de dęmoniaco surdo, & muto paulò post med. ait, *Quasi longè*

Pet. Chrys.

positum

postrum curare non posset, afferte illum, vt A
Qui non cre- dunt Deo, cre- dunt dæmoni.
qui saltem docenti Deo noluistis credere, vel dæmone confitente, credatis, & sentiatis vos ipsos diabolo nequiores. dæmone confitente vincitur scelestorum perfidia; quæ cęteroqui more suo Christo dicenti reluctaretur. In hac planè sententia inuenio fuisse S. Bernardum explicantem tritam illam sponsi commendationem can. 4. num. 11. *Mel, & lac sub lingua eius.* Quo loco monet S. Abbas, sub lingua sponsi melleam esse dulcedinem, sed in lingua duritiem. *Id quidem necesse* inquit ille,
Bern. Sub lingua Sponsi dulce, in lingua durum.
nam quod in lingua est, durum sonat. Durus sermo, qui non baiulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, &c. Quid durius poterat dici? Hucvsque Bernardus lib. sent paulò ante finem, equidem nihil tàm efficax est, ad retardandos hominum animos à studio pietatis, quàm aspera quædam durities; qua in arduo virtutis itinere frangimur, ac profligamur: quod igitur tanto malo remedium? Est in promptu, si S. Bernardo credimus. Ipse nequam angelus tantam diluet difficultatem, docens, facillimè fieri posse, vt Christi fideles nullam sentiant duritiem; *Noli errare* loquitur Bernardus loco prox. cit. *lapis videtur, panis est.*
Christo iubēte mollescunt lapides ex diaboli confessione.
Esto tamen lapis sit. Num tu credis, quod & dæmones credunt? si filius Dei es, dic vt lapides isti, panes fiant. Omnes nouimus quis hoc dixit. Non dubitat ille posse solo dicto (quo quidem faciliùs nihil est) ex lapide panem facere, quem filium Dei esse credit. Fas est ab hoste doceri. Dicamus & nos filio Dei, dic vt lapides isti panes fiant. Animaduerte obsecro antequam ad vlteriora progrediamur, qua ratione, veterator antiquus, tunc maximè Christi fidelibus profuerit, cum Seruatorem ipsum nefaria audacia aggredi non dubitauit? Quid perniciosiùs, quod fieri certè non poterat, si de ipso Redemptore, desertor angelus victoriam retulisset? Quid vtiliùs, quam nostram commonefacere imbecillitatem; filium Dei dicto citiùs saxeam duritiem in panes permutare consueuisse.

Præclaram excipite prosopopœiam, qua S. Cyprianus, quis credat? dæmonē ita loquentem inducit, vt facilè segnes,

A ac desides excitare queat. *Atque vt pigros, ac steriles,* scribit Carthaginensis antistes serm. 1. de eleemosyna circa finem: Cyprian.
nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat; vt plus conscientiam sordidam dedecoris, ac turpitudinis suæ rubor cedat, ponat vnusquisque ante oculos suos diabolum cum seruis suis; idest cum populo perditionis, & mortis in medium prosilire dicentem. Diaboli concio ad sequendum Christū.
Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis, ac crucis redemi: sed nec regnum cœleste illis promis-
B *so, nec ad paradisum restituta immortalitate denuò reuoco: & munera mihi, quàm pretiosa quàm grandia, quàm nimio, & longo tempore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant? Quid ad hæc respondemus fratres carissimi? Qua ratione defendimus? qua excusatione purgamus Qui zabuli seruis minores sumus; & Christo pro pretio passionis, & sanguinis, vicem, nec in modicis rependimus.* Subsiste parumper in loco. Introducitur diabolus magno flagitiosorum satellitio stipatus:
C quis non extimuisset venenatis aculeis plenam concionem ad compellendos in flagitia hominum animos? Ecce tibi, qualem profert sermonē viri sanctissimi æque & eloquentissimi Cypriani iudicio: quia videlicet sic se res habet; infensissimus hostis cum nos conatur destruere, instruere cogitur. Hinc non recedam; nisi priùs indicem S. Pauli consilium ei, de quo verba facio, maximè consonum. Scribens enim ad Corinthios cap. 1. num. 5. decernit nefarium illum, atque paterni thori violatorem sathanæ committere, ne dispereat. ait quippe; *Iudicaui tradere huiusmodi sathana, vt spiritus saluus fiat.* Incestus traditur sathanæ ad salutem animæ.
Ergo humanæ salutis hostis deterrimus,
D non ratò dat operam, vt spiritus saluus fiat.

Neque solùm generatim, ac vniuersè prędo tartareus admonet nos, quæ nostræ sint partes; sed etiam nominatim ea, quæ ad integritatem animi spectant, reuocat in memoriam: quod ita esse intelligemus, si recolamus, quod refert Io. Boterus lib. 1. dict. memor. viror. illustrium aliquantò post initium de malo dæmone, qui os, habitumque homini similem Boter.
gerens,

gerens, igneo quondam raptatus curru Panormum inuasit: & pluribus solo ęquatis ædificijs, permultis è medio sublatis hominibus, in quodam pariete grandioribus caracteribus scriptum reliquit: *Aliena reddere oportet; si vultis vestra cum pace possidere*. Fides sit penes auctorem dummodo vnusquisque animaduertat; ne mendacij, & quidem iure arguatur; si suorum flagitiorum culpam transferat in malum dęmonem. Certè apud S. Hieronymum in vita Hilarionis non multo ante med. leges malum dæmonem interrogatum; cur in Gazensis emporij oppido vriginē inuasisset his verbis. *Quare ausus es ingredi puellam Dei?* respondisse, *vt seruarem eam virginem*. Quod nouum non videbitur consideranti, quod habetur Iob cap. 2. num. 6. Dei etenim oraculum fuit in summa, malo dæmoni concessa facultate vexandi Iob. *Animam illius serua*. Credideram huiusmodi prouinciam, vni è cœli mentibus demandandam; vt seruetur anima, dęmoni traditur custodienda. O' summa Dei bonitas, cuius beneficio diabolus è nequissimo præuaricatore fit vel inuitus solertissimus procurator. Ingeniosè satis S. Petrus Chrysologus considerat serm. 65. qui est de Lazaro in fine; qua ratione parere potuerit Redemptoris voci Lazarus, vt habetur Ioánis 11. n. 45. dicitur enim prodijsse ligatis manibus, & pedibus: quomodò venire potuit, si vinculis detinebatur? *Lazare veni foras*, iam loquitur S. antistes. *Timet tartarus: ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad superna: Sic factus est viuorum relator, qui raptor esse consueuerat mortuorum.* Mirum, sed verum est diuinæ bonitatis ostentum; vt tartareæ potestates, vel inuitæ nostræ seruiant sanctitati.

Malus dęmon scribit legem restitutionis.

Hieron.

Dæmon insidet corpori virginis, vt eius virginitatem seruet.

Iob

Animam Iob iubetur dæmon seruare.

Chrysol.

Tartarus factus est relator viuorum.

Quod fortasse prę oculis habuit Seruator noster, cum Matth. 10. num. 16. pronunciauit: *Estote prudentes, sicut serpentes*; cur non potiùs ab elephanto, quo nulla belluarum prudentior esse perhibetur, prudentiam præcipit perdiscendam? videlicet serpentem ipsum, idest aduersarium dęmonem vult esse nostrum præceptorem. Serpentes quando corpus nequeunt, caput curant abscondere à vulnere. Disce potiorem partem, nempe animam maxima diligentia à peccati vulnere

Serpens docet homines prudentiam.

Serpēs vt seruet caput obijcit corpus vulneribus.

A custodire. Vnde S. Augustinus in hunc locum in expositione psalmi 57. non multo ante med. ait: *Quid est, estote sicut serpentes? offer omnia membra tua percutienti; dummodò caput integrum serues: Caput viri Christus*. Vel certè prudentes, sicut serpentes monemur esse; vt discamus obturare aures ad vocem cantātium, malèque suadentium; vel veterem exuere hominem: quæ si perfeceris singula, omnes prudentiæ numeros expleuisti, non alio magistro, nisi serpente. Quandoquidem autem serpentis incidit mentio, non erit omninò ab re afferre in medium, quod

B refert Hyginus in Ophiucho, vbi scribit, Glaucum Minois filium fuisse ab Aesculapio reuocatum in vitam. In quo mendacio tàm palmari, vt more suo exorbitans antiquitas fabulam fucata aliqua veritatis specie coloraret, commenta est Aesculapium vsum herbam nescio qua ab angue allata. *Itaque* subdit Hyginus. *Anguis, & in Aesculapij tutela, & in astris dicitur collocatus*. Imò, si Aeneam Platonicum audiamus in dialogo, cui Theophrastus titulus est: & Palephatus lib. de non cred. fabul. narrat; hic Glaucus excesserat è viuis,

C melle suffocatus, quemadmodum cecinit, etiam Claudianus de victoria Stiliconis.

Aug.

Perdenda omnia, vt seruetur Christus.

Serpēs docet nos exuere veterem hominem.

Hygin.

Glaucus reuocatus à mortuis vi herbæ quam anguis attulit.

Serpēs Aesculapio sacer & relatus in astra.

Cretaque, si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulchro:
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

Quæ licet fabulosa d[illegible]ārentur per iocū.
Nos tamen an[illegible] dicamus seria ludo.

Animorum medelam conficit sæpenumero peritissimus medendi magister Deus, non alia medicata herba; quàm ea, quæ à dracone tartareo affertur. Pereunt quam plurimi melle voluptatum mollissimarum;

D qui vt ab imperio mortis reuocēt gradus; inimicus anguis præsto est; cui data facultas vexandi homines, efficit sæpenumero, vt perditissimi quique se se recipiant ad bonam frugem.

Deus nostrum animum sanat per tribulationes immissas à dracone.

Verùm à fabulis poëtarum ad experimenta philosophorum faciamus gradum; & quādo inimici humani generis sub metaphora draconis fecimus mentionem: venit in mentem, quod cum alijs refert Cæsalpinus lib. 3. artis medicæ cap. 8. paulò post initium: lapidem quemdam in

Cæsal.

eapite

Lapis antidotum venenorum in capite draconis.

capite draconis reperiri miræ planè virtutis ad arcendam veneni vim tabificam aptissimum. Draconem malum dæmonem si nuncupaueris; consenties cum eo, quod

Apoc. 12.

scribitur à Ioanne Apocal. 12. nu. 3. cuius in capite lapis, hoc est obdurata ad nocendum consilia, auctore Deo, prosunt, dum obesse nituntur; neque aliunde remedia, petenda sunt ad præcauendum virus peccati. Quoties reijcitur praua suasio, in caput ipsius suadentis conuertitur; & ipsa draconis obdurata peruersitas fit nobis occasio probitatis. De Arabibus tamquam miraculi loco suspiciendum, & prædican-

Cal. Rhod.

dum est, quod scribit Cælius Rhodyginus lib. 18. lect. antiq. cap. 35. post medium

Arabibus viperarum morsus non sunt letales.

iis namq; viperarum morsus minimè sunt letales; Quam parùm id est, si tamen verum est, collatum cum eo, quod in præsentia prosequimur. Nobis venenati, & plusquam viperei antiqui serpentis mor-

Dæmones nostro profectui obsequuntur.

sus, non modò non letales sunt; sed quod maximè mirum est, vnicè salutares. Igitur *& ipsi spiritus iniqui* (vt verbis vtar B. Pe-

Petrus Dam.

tri Damiani opusc. 23. cap. 4. ipso fine) *profectus nostri sunt obsequio deputati. Nā dum tentamur, & non succumbimus; dum impetimur, & præualemus; dum opugnat certè violentus hostis, & non expugnat: futuræ nobis retributionis pondus accumulat; & dum laborem certaminis irrogat; victoriæ nobis materiam subministrat.* En hostem beneficum, & malignum spiritum de hominum salute optimè meritū. Quanta sunt hæc diuinæ miracula bonitatis, vt ipse diabolus nostræ seruiat sanctitati.

Veniamus iam ad mundum, qui & ipse concionatoris munere fungitur, vt Magn. Gregor. apertissimè, disertissimèque prænonuit. Considerat illud Seruatoris oraculum, quo declarabat, quibus nam terrarum circumscribi deberet limitibus cœlestis notio doctrinæ, vt habetur Mat-

Matth. 10.

th. 10. num. 7. *euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum.* Subdit Sanctus Pontifex hom. 4. in euang. paulò ante medium. *Hoc iam fratres carissimi, & si Euangelium taceat, Mundus clamat. Ipse iam, & à quibus amatur, amarus est.* Iam qui non audit, vel sacrorum oratorum, vel Dei voces: audiat

Mundus amās est suis amatoribus.

saltem clamorem mundi: hoc ipso quippe clamat, quia amarus: testes sunt, quotquot viuunt, de quibus tàm verè, quam sæpe circumfertur poëticum illud. Nemo sua sorte contentus. Nimirum, & amatoribus suis, amarus est mundus. Atque aliud nobis clamore suo insinuat quçrendum regnum, perenne, immortale, diuturnum, fçlix, vno verbo, domicilium beatorum. Iam verba Gregor. loco citat.

Mundus impellit nos quærere alibi felicitatem.

Gregor.

Nobis regnum aliud, quod sequitur ostendit. Ipsa ruinæ eius prædicant, quod amādus non est. Excidia, bella, calamitates mundi, quibus continuò affligimur, nobis, si sensu penitùs careamus, facilè persuadent, aliam inuestigandam esse fœlicitatem. Quam sententiam vtpote veritati vnicè respondentem, quasi verò minime sibi adhuc fecisset satis, luculentiùs idem S. Pontifex hom. 28. in euang. in fine prosequitur inquiens. *Ecce iam mundus in se ipso aruit: adhuc in cordibus*

Greg.

nostris floret. Vbiq; mors; vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur. Aliquando nos mundus delectatione retraxit a Deo nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos iam mundus mittat ad Deum. Et quousque tandem mundum sequemur, qui ab ipso mundo tot ærumnarum fœditatibus, tàm immundo reijcimur.

Mundus suis ca amitatibus eijcit nos à se & remittit ad Deum.

Obseruauit id quoque incerti nominis sed auctoritatis nequaquam incertæ auctor, cuius libellus inter opera S. Cypriani, sed fortè eidem falsò adscriptus, circumfertur. Huius sententia, homines etiam curis, ac sollicitudinibus distracti. ij videlicet, quibus conflatur mundus suadent, imò si considerentur attentiùs planè persuadent, diuino cultui impendendam operam diligentissimè. Sic enim cit. lib. qui est de singularitate Clericorum paulò ante med. ait: *Inter ipsa ferè carnis mercimonia, multi voluptatem corporis negligunt, scilicet, quando à legionibus exercitia meditantur armorum; aut crepat litibus forum; aut resonant litibus auditoria; aut negotiatores commercijs instanter incumbunt; aut artifices in artificia ipsa propensi sunt: quantò magis vbi non carnale opus, hominum, sed spirituale agitur angelorum.* Hæc ille: æqua iudicij lance perpende, opus angelorum esse famulari Deo. Igitur vt tuo muneri facias satis, disce quid doceant non sacræ paginæ, non diuina oracula,

Sectatores mundi docet nos suo exemplo fugam voluptatum.

oracula non hominum, & sapientia, & religione præcellentium institutiones: sed cupidi scientiarum, sed forenses litium disceptatores, sed milites, sed mercatores; quorum labores nostram excitent necesse est negligentiam; quorum solertia nostram accusat segnitiem: cum illi tot, ac tanta, æquo, imò libenti animo ferant; vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Imò parùm hoc videbitur legenti Philonem. *Dei templum summum, verumq; æstimandum esse, mundum hunc vniuersum, cuius sacrarium sit cælum in tota rerum natura præstantissimum; donaria verò sidera. Sacerdotes, & æditui potestates angelicæ.* Ita lib. 2. de Monarch. ipso initio. Cur ergo dicere non liceat: ò mundum (si tamen huius procreatæ rerum vniuersitatis molem mundi nomine intelligere fas est, dum de morali mundo verba facimus) ò mundum, inquam, seminarium religionis, ac sanctitatis. Perpende iam quanto cum acumine, ab Ennio apud Cælium Rhodyg. lib. 1. lect. antiq. cap. 3. aliquantò post initium, mundus nuncupetur clypeus. Clypeus profectò, quo inimica retundimus tela, quo tuti pugnamus: & nullus penitùs patet truculentorum hostium vulneri locus.

Philo.

Mundus est templum Dei

Mundus nuncupatur clypeus.

Verùm adest, ni fallor, aliquis audiendi percupidus, quonam pacto caro, quę venenato blanditiarum melle sępissimè inficit, suadeat nobis terrena despicere, & amare cœlestia. Vna mihi in hac re Sancti Petri Chrysologi breuissima quidem, sed ingeniosissima sententia, vsque adeò placet; vt si præter illam nil possem afferre satis fecisse crederem in hac argumenti parte muneri meo. Lege serm. 43. vbi paulò ante med. humanos sensus appellati competies. *Scholam disciplinæ.* Videlicet, vt probatæ institutionibus disciplinæ imbuaris; nequaquam longis peregrinationibus scholam tibi conquirere debes; quoniam habes domesticam; nempè quis crederet? sensus tuos. Mentiar, nisi hoc, quod primo aspectu vix credi posse videtur, meridiana luce clariùs contemplandum exhibeat coloribus eloquétiæ suæ optimus, & dicendi, & faciendi magister S. Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum post medium his verbis. *Rectum te Deus fecit; & cum cætera ani-*

Chrys.

Sensus schola disciplinæ.

Cyprian.

A *malia prona, & ad terram situ vrgente depressa sint; tibi sublimis status, & ad cælum, atque ad Deum tuum vultus erectus est. illuc intuere, illuc oculus tuos erige in supernis Deum quære. Vt carere inferis possis ad alta, & cœlestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis cum serpente, quem colis, sternis? sublimitatem serua, qua natus es. Perseuera talis, qualis à Deo factus es. Cum statu oris, & corporis animum tuum statue. Vt cognoscere Deum possis; te ante cognosce.* Hæc Sanctus. Vides ipsam oris habitudinem indicem quemdam esse, vt quasi

Erectio corporis incitamentú ad animi rectitudinem.

B manu duceret ad cœlestia: neque aliunde immortalis animus regulam suæ rectitudinis petere debet, quàm ab ipso corpore. Cum statu oris, & corporis animum tuum statue. hactenus credideram ab animo corpus; nunc nouo documento percipio animum à corpore sui muneris commonefieri. Philippus Alexandri pater cum in amæno loco castra metaturus, audisset pabulum illic iumentis non esse, vt est apud Plutarch. in apoph. reg. & imp. non longe ab Initio, *qualis* inquit, *nostra est vita, si ad asinorum commodum nobis est viuendum?* Nemo iam difficile censeat sumere

Plutarc. Regious aliquando iucundum ad commodum asinorum.

C occasionem animum auocandi ab amore labentis vitæ ex iis ipsis necessitatibus; quas secum fert sarcina carnis nostrę: quæ sanè, si cætera desiderentur, ex hoc ipso capite sanctioris vitæ pręceptrices possent non immeritò prædicari.

Necessitates vitæ magistrę sanctitatis.

Id ipsum ratione satis ingeniosa comprobaret arcanorũ naturæ indagator perspicacissimus Aristoteles; cuius ea sententia est sent. 36. Problem. quæst. 1. *Hominis facies cũctis animantibus formidabilis est; in qua magnificentiæ, & magnanimitatis humanæ inter cætera viuentia decor*

Arist. Facies hominis belluis formidabilis.

D *inditus est.* hæc ille. Et fieri poterit, vt te vmquam abiicias inter animalium sordes, comparatus iumentis insipientibus, & similis factus illis? Ad maiora natus es, quam vt seruias voluptatibus; quod vel nobis tacentibus ipsa caro proclamat. Effrænatarum cupiditatum immanes belluæ, bruta animantia, hoc est inuadentes dæmones perhorrescere debent, vultus tui maiestatem: qua si philosopho credimus, *Homines facies cunctis animantibus formidabilis est.* Neque erit omnino ab re

memo-

memorare, quod aduertit Vitruuius lib. 3. cap. 1. humani corporis structuram tanto compactam artificio, eamdemque tam adamussim dispositam, vt optimam architecturæ formã præseferre videatur. Quorsum autem omnia in pondere, numero, & mensura humani corporis conditor Deus disposuit, nisi vt continenter nobis versaretur ob oculos nostrarum partium esse, cum in moribus ordinem seruare, cuius veluti exemplar in mẽbris gestamus? Prætermittere non possum S. Bernardi auctoritatem ser. 24. in cantica paulò post med. dicentis. *Corporis staturam dedit homini Deus rectam forsitan; vt ista corporea exterioris, vilisque rectitudo figmenti, hominem interiorem spiritualis suæ seruandæ rectitudinis admoneret; & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gestare animum? peruersa res est, & fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cælos liberè suspicere, cælorumque luminaribus oblectare aspectus: spiritualem verò, cælestemque creaturam suos è contrario oculos, idest internos sensus, atque affectus trahere in terram deorsum, & quæ debuit nutriri croceis, hærere luto, tamquam vnam de suibus, amplexarique stercora.* Hæc loco cit. ibique plura.

Humani corporis structura architecturæ idea.

Exterior rectitudo admonet nos internæ rectitudinis.

Imò obseruant sacrarum literarum studiosi, vt refert Andreas Laurentius lib. 1. hist. anatom. cap. 2. circa med. Noè arcam ad humani corporis mensuram fuisse compositam. Vt enim humani corporis longitudo est trecentorum minutorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta: sic arcæ mensura circumscribebatur longitudine trecentorum cubitorum, latitudine quinquaginta, altitudine triginta. Quorsum verò in tantæ structura molis ad humani corporis proportionem perficienda, veluti Polycleti regula, vti voluit architectus Deus? nisi, vt intelligamus tantùm abesse, vt mole corporis demergamur inter vndarum ingruentium sinuosa volumina: vt potiùs omnino incolumes fluctibus supereminemus: ea ratione, qua arca Noè tutũ fuit nauigiũ in deploraro illo naturę pene deficienris naufragio. Quæ licet videantur dici magnificè, maiora tamen dicenda supersunt. Qualia ea S. Paulo habet Augustinus ser. 16. de verbis Domini in Matth. paulo ante finem; *Nescitis*, inquit Apostolus 1. ad Corint. 3. *quia templũ Dei estis sed forte, ait aliquis templum Dei, animus meus est, non corpus meum: infelix interpretatio: Nescitis inquit idem Apostolus, quia corpora vestra templũ in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo.* Vidit id longè prius Theologorũ princeps Dionysius ab Atheniensi areopago ad Christi sapientiã euocatus. Etenim secundo cap. de cœlesti Hierarchia sub finem proponit: cur cœlestes illæ, atque diuinæ mentes in sacris literis ita rerum corporatarum simulacris effictę scribantur; vt etiam partium ignobilium sæpe numero mentio fiat. Vnde Apoc. 2. fit mentio ventris, & alibi passim pedum, lumborum, & similium; respondet S. Dionysius his verbis: *cælestibus ergo formæ consentanea ex ijs etiam partibus corporis, quæ minimùm sunt in honore, ac pretio adhiberi possunt: præsertim cum corpus etiam ipsum, quod à vera pulchritudine statum suum accepit in omni partiũ suarum descriptione, quædam dignitatis, ac pulchritudinis, quæ animo cogitatur, vestigia adumbrata habeat. fieri potest, vt per eas animus noster ad primam speciem materia expertem excitetur.* hæc cit. cap. non multo ante finem. O mirum si dicere fas est diuinæ artificium bonitatis. Hæc ipsa mortalitatis sarcina, qua querimur continuò deprimi, subleuat nos ad eorum amorem; quorum desiderio si inflammemur; diuites sumus certo pignore æternæ beatitatis.

Arcæ proportio facta ad proportionẽ humani corporis

Corpus nauigij animæ ne demergatur.

Corpus templum Dei.

Angeli describuntur ad formam humani corporis.

Animus contemplatione corporis excitatur ad vitam, naturam sua dignam.

Mirum illud facit in rem præsentem oportunè. quod scribit Cœlius Rhodig. lib. 18. lect. antiq. cap. 27. per totum, de Albanis, qui ad Caucasum Iberiæ adiacent. Serui apud hos sacri nuncupantur; quandoquidem sacerdotes, qui sacris præsunt serui sunt. Imò pręcipuum ex ijs inerrantem siluis sacra præcinctum catena sacerdos annuis epulis sumptuosiùs saginat; mox ad immolationem producit. mẽtiar, nisi quid simile innuere voluisse visus est Apost. Paulus ad Rom. 12. num. 1. *exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam.* Membra ipsa, & corpus hoc, quod corrumpitur, & animam aggrauat, animi sunt addicta famulatui. & seruus quidem corpus est, quemadmodum expressè asserit Cassianus collat. 7. cap. 5. sed

Apud Albanos in monte Caucaso serui sunt Sacerdotes.

Ibidem seruus saginatus, catenatus immolatur Dijs.

Corpus nostrum seruus sed em sacerdos, & hostia.

A sed seruus planè sacer: quippe qui est sacerdos, & hostia fiat; si catena diuini timoris continuò reuinctus sacris saginetur epulis bonorum operum. Quis verò salutis animarum procurator rectiùs nuncupari queat, quam sacerdos? Abrogetur propterea imposterum Solonis lex, quæ vt cit. auctor refert cap. 24. circa med. interdicebatur ne amare seruum liceret.

Quæ cum ita sint, benè habet; ita sanè se se res habere debuit, ne careret successoribus vaticinium Isaiæ 49. num. 17. vbi ex lectione sept. quemadmodum in eum locum notat S. Hieronymus dicitur. *citò ædificaberis, à quibus destructa fueras.*

Anima nostra iterum ædificatura destructoribus suis.

B Verùm si domesticam Ierusalem religiosæ animæ intelligere velimus; innuit fore tempus, videlicet sæculum legis gratiæ, planè aureum; quo spiritale virtutum ædificium ab ipsis debeat destructoribus instaurari: bono animo esto: ædificaberis, à quibus destructa fueras: & quod caput est, dum maximè impugnaris, tunc ædificaris. Quis credat? & tamen consonat maximè veritati. Lycurgus Lacedœmonius, vt scribit Plutarchus in apoph. Reg. & Imp. circa med. vetuit, ciues suos aduersus eosdem hostes militare sæpius, ne hostes efficerentur bellicosiores.

Hostes discit artem bellicã, si sæpiùs irritentur.

C Nulla tàm frequens querela; quàm eorum, qui miseram accusant hominum sortem: propterea quod assiduo ab insensissimis hostibus bello impugnemur. Impugnamur autem? imò efficimur bellicosiores. Torpesceret nostra virtus sine æmulatione. Igitur tantùm abest, vt diabolus mundus, & caro obsint; vt potius prosint.

Quibus ita constitutis, libenter non minùs vsurpabo, quàm opportunè, notam illam diuinæ bonitatis exornationem, à Vate sanctissimo Zaccharia, ad grati significationem animi decantatam, vt habetur

Salus nostra ex inimicis nostris.

D cap. 1. Lucæ num. 71. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* ò manus inimicorum beneficas: ò conatus hostium salutares; cum summi boni consilio ita comparatum sit; vt ij ad absolutissimæ summam felicitatis ab hominibus obtinendam, auxiliarem conferant operam; qui odio nos truculentissimo persequuntur. Aut certè quis iam non gratuletur ex animo militibus Christi? cum longè nobilius sit, & laude dignius illorum certamen, ac pugna præstantior prodigioso illo bellandi genere; quo profanæ scriptores historiæ militem nescio quem Cõstantij Imperatoris fecerunt illustrem. Menelaus namque in Constantij imperatoris acie, arma tractans vsque ad miraculum dexteritatis, vt scribit Zosimus lib. 2. terna simul in hostem tela iaciebat, vnoque ictu totidem confodiebat hostes, quot tela, peritissimus iaculandi contorquebat.

Menelaus insignis telorum iactor.

Quanto porrò fœliciùs, ac gloriosiùs stabunt in acie milites Christi? quibus datum est, non modò vno ictu, tres simul hostes cruentare: sed tria insensissima capita, diabolum, mundum, & carnem telis tribus simul expugnare; & quidem non alijs armis, aut aliâ bellandi arte, quàm ea, quàm ipsimet hostes, vel docent, vel præbent.

Pugnandũ armis hostium.

Plura qui velit legat P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. ad cap. 4. nu. 22. annot. 14. circa litteram sect. 1. à nu. 18. & deinceps, & eod. tom. ad cap. 5. n. 9. in exposit. circa litteram num. 33.

Similiter cõsulat P. Didacum de Baeza tom. 1. comment. in Euang. hist. lib. 2. c. 8. §. 8. & tom. 2. lib. 7. cap. 2. §. 14. & eodem tom. lib. 11. cap. 7. §. 6.



IN

IN CAPUT SECUNDUM Num. XI.

Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

PARADOXUM XIII.

Solus contemplator mortis & philosophus, & rex est.



MYRRHAM, quæ moris memoriam ingerit, Deo, offerunt, qui sapientes iidem, ac reges sunt. An quia sola sapiētia est mortis meditatio? an quia reges facit? vtrumque. Etenim solus cōtēplator mortis & philosophus, & rex est.

Bernard. Philosophia est meditatio mortis. Vt ordiar à primo, est in promptu aureum S. Bernardi monitum in fine speculi monacorum dicentis. *Summa est philosophia meditatio mortis.* Consentit gemmeo suo dicendi genere D. Petrus Chrysologus, dum serm. 54. Zacchæum alloquens circa med. ait: *Festinans descende, vt expectatus intres philosophiā mortis.* Aegyptij profectò eximiæ commendatione sapientiæ celeberrimi in conuiuia inferre solebant sceletū, id est exiccata hominis, atque inter se compacta ossa, & monere conuiuas, vt voluerent animo, se breui tales fore, vt scribit Plutarchus in conuiuio septem sapientium non longè ab init. cuius moris vtpote singularis petenti rationem respondere possem ex eodem Plutarcho, qui opusculo de educandis liberis inquit, *Sola philosophia medetur animi motibus, atque agritudinibus.* Meritò sapientes ad homines in officio continēdos, ne delicijs epularum frangerentur, obiecto mortis spectaculo animi motibus medebantur. Neque verò aberrasse dicar à veritate asserens philosophiam mortis esse meditationem, cum Platonis effatum sit. In quam sententiam scribebat Seneca

Chrysol.

Plutarc.

Philosophia medicina animi.

Seneca.

A epist. 26. *Egregia res est mortem condiscere superuacaneum forsitan putas id discere quo semel vtendum est. Hoc est ipsum quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus. Qui mori didicit seruire dedidicit.* Perpende quàm sæpe reputat discendā esse mortem. Vulgo de facultatibus, ac liberalibus disciplinis verba facimus, cū eas asserimus perdiscendas. Facultas vtrique sapientissima mors est, quæ temperantiam rerum omnium, ac benè agendi docet rationem, quę mores probè instituit, affectiones animi moderatur; vno verbo; quę germana philosophia est, vt norma viuendi. Mors discēda.

B S. Chrysost. in psalm. 111. pag. 363. breuissimè, sed aptissimè in rem meam, vt describat virum probum, ait: in morte *esse tranquillitatis praceptorem.* Eam vtrique tranquillitatem docet, quæ philosophum deceat, hæc porrò nulla est, nisi quæ mortis in lyceo perdiscitur. Immò quod expressiùs probat propositum. Celtas apud virorum fortium sepulchra obnoctare cōsueuisse, scribit Tertullianus de anim. c. 57. eaq; ratione profitebantur percipere se germanam rerum abditarum cognitionē, C quā nullis cæteroqui laboribus; nullo studio, quantumuis assiduo percipere potuissent. Et negabimus mortem magistram esse philosophiæ? cum sole clariùs deprehendamus mortuorum monumenta scolas esse sapientiæ, atq; exedras veritatis. Chrysost.

Cuius veritatis auctorem naturę in mutis etiam animātibus simulacrum aliquod exprimere voluisse comperio. Memoriæ quippè proditum est aues non nullas reperiri à Galeno lib. 11. de simp. medic. facul. nuncupatas sepulchrales, eò quod sepulchrum in capite ferant. Haud dubitem his auibus adumbrari homines sepulchrū D gerentes in capite, dum mortem memori versant animo; quo fit, vt volucrum in morem pennis præpetibus credantur se cœlo, sideribus inferant, supra sordes abiectæ mortalitatis volitent expeditissimè contemplatricis beneficio philosophiæ. quod innuere voluisse Zoroastrem veteris theologiæ auctorem eminentissimum testatur Cælius Rhodyginus lib. 16. lect. antiq. cap. 18. in fine: ait enim, *Hoc Zoroastrem significasse arbitror, cū esse alatā animam commenuisceretur, ac confractis alis* Galenus. Aues sepulchrales, quod sepulchrum gerant in capite.

labi in corpus præcipitem: rursumque latiùs plumantem, ac denuo factam volucrē superna repetere. Si quæras quid sibi velit denuo plumas induere, respondebit cit. auctor significari speculandi compotem scientiam, & disciplinam philosophiæ: cuius institutionibus, à sensibus abducimur longiùs, & quodammodò ab humilibus nostrę mortalitatis auolamus. Id porrò fiet, si sepulchrum geramus in capite hoc est mortem attentè, & continuò meditemur.

Ex hoc capite meritò laudauit Marcellam viduam in eiusdem epitaphio S. Hieronymus epist. 16. ad Principiam virginem paulò ante med. his verbis. *Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, vt ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset; laudans illud Platonicum qui philosophiam, meditationem mortis esse dixit: vnde, & noster Apostolus prima ad Cor. 15. quotidie inquit morior.* Vtinam & nos moriamur in dies attenta mortis contemplatione. Neque silentio inuoluam hunc eundem Platonis sensum, vtpotè sępius memorandum, expressiùs fuisse prolatum ab eodem Hieronymo epist. 3. ad Heliodorum in epitaph. Nepotiani post med inquiens, *Platonis sententia est: omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Laudant hoc philosophi, & in cœlum vsque ferunt.* Quia parùm erat dixisse philosophiam meditationem mortis; nisi adderetur non modò præcipuam vitæ partem, sed omnem sapientium vitam, quanta, quanta est mortis esse contemplationem, & hoc quidem omnium suffragio philosophorum; Phædonem Platonicum consulat, qui pluribus intelligere velit quid in hac re senserit Plato: Plato inquam hoc est vir sapientissimus, & eruditissimus temporum suorum; qui, & ita locutus est, vt quæcunque diceret magna fierent, vt [illegible] Augustino lib. 3. cōtra Academicos c. 17. paulo post init. loquar. Nos interea ad alia gradum faciamus.

Non modò cadauera ad Orientem solem conuersa [illegible] sepeliendi mos fuit: sed apud eosdem sepulchra ipsa ad orientem [illegible] Laërtius de vita philosophorum lib. primo in Solone Salaminio circa medium. mirum fane. quid enim sepulchra, mortuorum domicilia, aut cadauera sensu carentia commune habent cum sole, qui fons vitæ atque auctor est? Verùm ea ciuitas, quę parens vtique fuit fœcunda semper, effeta nunquam probatissimæ sapientię, debuit indicare, quantam habeat affinitatem, cognitio veritatis cum mortis consideratione. Equidem sol veritatis repręsentat cognitionem iuxta sententiam S. Augustini in illud psalm. 57. num. 9. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem, hoc est, inquit ille, veritatis notionem habere non potuerunt.* Hanc sequūtur sapientiæ studiosi, & nunquam assequuntur fœliciùs, quam cum consideratione mortis, penè mortui, & in sepulchris degētes; vt de illis dici queat quod scribitur Apoc. 14 num. 13. *Beati mortui; qui in Domino moriuntur.* & ad Colos. cap. 3. num. 3. *mortui enim estis; & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mortui vtique attenta & quotidiana mortis cōtemplatione [illegible] quippè respicimus orientem solem [illegible] hoc est percipimus abdita germanæ veritatis, cum mortem contemplamur. Vsque adeò certum est, meditatione mortis sapientem virum facere sibi aditum ad abdita veritatis absconditę percipienda. V[illegible] in humana, ac diuina sapientia multum proficere, nempe percipere morum moderandorum rationem, ac cœlestium arcanorum tenere mysteria: mortis memor viuas: mortuorum enim est spectare orientem solem.

Q[illegible] mentionem fecimus de Solone [illegible] fortasse erit, obiter [illegible] memoria repetere, quod ipsum fecisse [illegible] paulo superius cit. Diogenes Laërtius circa finem eiusdem vitæ: Solon iam iam diem obiturus, (obijt autem apud Cyprios ætatis suæ anno. 80.) monuisse suis imperasse dicitur, vt in cineres redacto corpore, eosdem cineres per prouinciam disseminarent: fortasse quia vir sapientiæ amantissimus deprehendere minimè potuit; qua ratione, rem sapienter gerere posset vtiliùs, vel sapientibus ipsis prospicere opportuniùs [illegible] cineres disseminando. Philosophis quippe nihil tàm dignum, nihil tàm congruum est, ac salutare, quàm viua semper, & præ oculis habita mortis recordatio.

Libeat

Hieron.

Pythagoras primus apud ethnicos autor immortalitatis & animarum transmigrationis.

Virgil.

Libeat ab Ethnicorum etiam delira mentis, veritatem indagare. Lego apud Sanctum Hieronymum in Apolog. aduersum Ruffinum paulò ante finem, primum fuisse immortalitatis animæ assertorem Pythagoram; de quo sic habet. *Et quia pythagorica dogmata legisse me dixeram: audi quid apud Græcos Pythagoras primus inuenerit. Immortales esse animas, & de alijs corporibus transire in alia. Quod quidē, & Virgilius in 6. Aeneidos volumine sequens loquitur.*

Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores, supera vt conuexa reuisant
Rursus, & incipiant in corpora velle reuerti.

Se primùm fuisse Euphorbum, secundò Callidem, tertio Hermotimum, quartò Pyrrhum, ad extremum Pythagoram: & post certos temporum circulos ea, quæ fuerant rursum fieri; nihilque in mundo videri nouum. philosophiam meditationem esse mortis, quotidie de corporis carcere nitentem animæ educere libertatem. Huc vsq; Hieronymus, cui coniungo, quod S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 2. init. de Pythagora scribit: quem asserit maximi habitum fuisse, & ab eo etiam philosophię nomen exortum. Quod cum ita sit, dicere non vereor, Pythagoram & habitum, & consalutatum fuisse philosophorum principem; cuius ea philosophiæ summa fuit, vt non vna sed crebra, & repetita morte hominis animam faceret immortalē. Cæcutientis, orbatique animi vera luce error palmaris sine dubio habendus est; qui tamen quoquomodo adumbrauerit veritatem. Etenim Christiana, hoc est vera sapientia docet, animam non alia ratione inter beatas cœli delicias fieri immortalem: quàm crebra mortis recordatione. hanc versemus animo, hanc mente voluamus, hanc sedulò contemplemur, qui verè lauream sapientiæ exoptamus.

August.

Pythagoras quanta fuerit existimatio.

[illegible]bra mortis [illegible]tio [illegible] mo[illegible] otta.

Video hærere quam plurimos admiratione defixos, expectantes percipere quonam pacto mortis meditatione ad regiam dignitatem erigamur. Quid enim habet commune mortis recordatio cum principatu? Aio tamen mortis considerationem, vsque adeo homines decere, vt eos quodammodo reges facere videatur. Visum est mihi non omninò ineptè huc reuocari posse, quod scribit Curopalates p. 110. de imperatoribus orientis: qui vt ipse asserit, solebant pro regio ornamento, sinistra in manu textile ferre aureum; in quo inclusus aggestusq; puluis continebatur: vt præclaro documento testarentur, habenas imperij ab eo teneri cum laude; qui mortis memoriam haberet prę oculis continenter: eumq; dignum esse qui imperaret; cui puluis, ac cinis esset pro sceptro. Morem barbarorum minimè barbarum refert. Io. Boterus lib. 1. dict. memor. vir. illus. 1. post init. Qua die apud Tartaros princeps suscipit habenas imperij solemni ritu mortis memoria renouatur: quasi non aliunde, quā ex consideratione mortis gradus fieri debeat ad supremi fastigium dominatus. Etenim antequam coronetur imperator super rudi gausape nigri coloris, circumstantibus proceribus regni, pulla veste indutis in morem iacentis cadaueris stratus solem iubetur respicere: vel quia mores sceptro dignos, & purpura alio præceptore faciliùs percipi minimè posse crederēt, quam hominum patre: aut certè ad pompam regiæ magnificentiæ quemquā regio licet sanguine clarum euchi nulla ratione posse, nisi præconcepta animo mortis recordatione; quæ quasi ad regale solium manu duceret. Inuentum me iudice pulcherrimum, & supra quàm dici queat salutare. Regnū nos beatitatis manet quotquot per abrupta mortalitatis palātes erramus fœlicitatis æternæ sedem affectamus, & meritò in Christo quippè geniti regali progenie gloriamur. Hæreat tamen altè nostris mentibus, tanti apicem imperij, ac tàm eximiæ gloriæ decus mortis recordatione parari.

Imperatores orientis sinistra gestare solitι puluerē

Boterus.

Apud Tartaros principes inaugurantur in [illegible] [illegible], [illegible] solem respiciēs.

Regnum cœlorum [illegible] mortis recordatio[illegible]

Hanc fortasse sententiam voluebat animo sapientissimus Lycurgus, quem scribit Alexander ab Alexandro lib. 3. Gen. Dier. cap. 2. paulò post init. mortuos sepeliri mandasse amictu puniceo velatos, & corolla virentibus oliuarū frondibus exornatos. Id sibi volebat Antoninus imperator, qui vt Herodianus l. 4. testatur totus in eo erat, vt Achillis tumulū exornaret coronis. Vnde Sophocles in Antigono canebat.

Alex. ab Alex.

Lycurgus [illegible] bet mortuos [illegible] pelliri pu[illegible] [illegible] duntaxat, & coronatus oliua.

Antoninus Achillis tumul[illegible] coronat[illegible]

Libationibus ter libatis mortuū coronat.

Nimirum intelligere debemus, quales animo cōcipiendi sint, qui diem obierunt: sanè non alia ratione, quā regio ornamento exornati. Nos verę sapientiæ lumine donati beneficium mortis esse fatemur coronam immortalitatis: ac redimiri, vt gloriosum est, & exoptabile, ita certo certiùs contingit illis, qui mortis meditationi vacantes certo certiùs regnum præstolantur beatitatis.

Huc reuoco non solum quod de Pacuuio narrat, sed quod addit de suo Seneca epist. 12. circa finem. Pacuuius verbo tenus, Syriæ prætor, sed re ipsa princeps ac dominus: regionem enim amplissimā, vt philosophus loquitur, fecerat suam. In quo dominatu illud mihi, & mirum dictu, & admiratione videtur esse dignissimum. Solebat diebus singulis post cœnam in cubiculum deferri funesto & quasi parentali famulorum cantu quo resonabant ad symphoniam: *Vixit, Vixit*, Domesticum viri patritij, imo amplissimo dominatu, viri principis funus monet, satis apertè emori nunquam debere mortis memoriam inter lautissimas dynastarum epulas; atqui inter domus regiæ ditissimas opes, memoriam funeris in dies reuiuiscere oportere. Audiamus iam ad sapientium eruditionē quid de suo addat philosophus, qui loco citato, hæc subdit: *Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat; nos in bona faciamus & in somnum ituri. læti hilaresque dicamus. Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi. Ille beatissimus est, & securus sui possessor; qui crastinum sine sollicitudine expectat.* Hucusque Seneca; cuius judicio ea demum omnibus absoluta numeris sapientia est; quę vnamquamque diem putat extremam; quæ nunquam sibi crastinam pollicetur, quę diebus singulis vixisse se putat: vno verbo, quę mortis memoriam versat animo continenter, ac sedulo contemplatur.

Pacuuius Syriæ prætor à cœna deferri solitus in cubiculum cum præcensione mortis.

Senec.

Dare oro vos, atque obtestor vt memorandum Domitiani gestū, meo marte possim interpretari, quod ex Xiphilino refert Causinus lib. 3. symbolo 3. Domitianus primoribus senatorum, & equestris ordinis funebrem induxisse dicitur cœnam prorsus inauditam, & miram. Apparauit ędes omni ex parte nigerrimas: erāt enim atra laquearia, parietes, ac pauimentum, in eoque sedes nudæ eo modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet, absque comitibus, ac primum omnium iuxta vnāquamque columnam collocatam, factam instar sepulchri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque de ea lychnulus paruus, vt assolet in monumentis. Quis non miretur insuetas imperatorię cœnę lautitias. Verùm adhuc supersunt admirabilia; namque pro ministrantium famulorum turba, nudi pueri noctuinę veluti laruæ atramento fœdari cœnantibus quantum cum horrore seruiebant? vt sileam omnia quibus in mortuorum exequijs vtebantur eo tempore circumquaque fuisse disposita. Hæc inter spectra tàm multa, tàm varia, tàm immania cœnabant conuiuæ Domitiano de mortis horrore verba faciente. Quid obsecro cum lautitijs principum habet commune mortis memoria? Quid ferale spectaculum exequiarum cum conuiuijs imperatorum? fallor, nisi ex hoc ipso possimus percipere, peculiari modo mortis horrorē animo voluere, ac si pulchrales pompas meditari sedulo, vel ipsas inter nobiliorum congressus, & familiares procerum comporationes, virorum principum esse, ac dynastarum. Quasi vero quemadmodum ab epulis vitam sic, à mortis meditatione bene viuendi, & cum laude regnandi percipiant disciplinam. [illegible] dū cœnant pares regibus [illegible] atores atrato mortis spectaculo, [illegible] multiplici circumcingantur, dum imperatorijs accumbunt epulis, quia principibus viris æque ac cibus, fructuosa est mortis recordatio, quā[illegible] luctuosa. Nisi enim crebro voluant animo mortis memoriam, habenas imperij cum laude moderari non possunt.

Domitianus [illegible] conuiuio.

Causinus.

Videatur R. P. Didacus Nissenus sermone 1. in Quadragesima Assumpto 4. vbi explicat quantam vim habeat mors ad docendum quę nostræ sint partes, vt cum laude viuamus.

Videatur etiam P. Didacus Celada cap. 16. num. 194. necnon Christophorus Auendagna serm. 2. festo S. Theresiæ.

IN

IN CAPVT SECVNDVM Num. II.

Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham.

PARADOXVM XIIII.

Auaritia maximè laudabilis.





Icuti crebrò ita copiosè, & ab antiquioris ætatis, & a nostri sęculi scriptoribus, auaritia vituperatur: adeò vt nihil legenti tam obuium sit. Verùm quia hominum animi diuitiarum cupiditate tenentur vnde maximus poëtarum canebat lib. æneidos 3. non longè ab initio.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Si laudabile genus auaritiæ proposuero, sine dubio nostri monumenta laboris eò libentiùs perlegentur, quo facultates auidiùs desiderantur. Adeste igitur quot quot diuitiarum cupiditate vehementiùs inflammamini, & sapientissimorum spectaculo Regum cum auro pretiosa orientis aromata Christo pauperi largientium, discite, copiarum sitim, & famem auri nequaquam execrandam esse, sed sanctam.

Christus suadet nos vt opes congeramus, & recludamus.

Diuinæ sapientiæ nostram suo dignantis alloquio mortalitatem oraculum fuit apud S. Lucam cap. 12. num. 33. *facite vobis sacculos, qui nõ veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Arrige aures, & mentem erige: hortatur te ad condendas, congregandasque diuitias, qui sapiẽtiam è sinu summi patris delapsam mortalibus communicauit. Interea subijcere debeo verba S. Petri Chrysologi ser. 13. qui est de terrenorum cura despicienda circa finem, sic fantis. *si vis seruare tuorum pretia prædiorum; & sacculorum fortè condita te delectant: fac tibi sacculos, quales ille præcepit; qui iam cupiditatis tuæ*

A *custos est, & prouisor.* Mira dico, sed vera. En humanæ prouisor cupiditatis, qui christianę creditur esse predicator paupertatis. Imò progredi licebit vlteriùs quo pertingere non auderem, nisi eodem sanctissimo, & eloquentissimo Chrysologo duce, qui ser. 25. de eod. argumento: ait post med. *ecce docet auaritiam, qui caperat suadere contemptum: Christe quò te pertrahit amor tuorum? vt auarum lucri faciat; facis eum, quod desiderat, non quod oportet audire.* Ibidem bis similia videri possunt: auaro sanè nihil tantopere arridet, nihil in delicijs est, quàm venditarum frugum

Christus prouisor humanę cupiditatis.

B pretium clam sacculis recondere, & diuitias diuitijs aggregare. Age itaque fac tibi sacculos: caue profundas, aut dilapides; sic enim monet Deus ipse factus infinitæ pietatis suæ miraculo, tuæ prouisor, & custos cupiditatis. Vt autem latior aperiatur aditus ad dicendum lectoribus meis, cursim indicabo præcipua quædam huius, de qua loquimur, auaritiæ capita, ac veluti fontes, quibus augeri in immensum huiusmodi christianæ diuitiæ facilè queant. non enim loquor solùm de liberali erogatione bonorum in Christi pauperes; sed

Qualibet virtus numeratur in diuitijs mẽtis.

C de quauis exercitatione virtutis, qua mẽtis diuitias assero congregari.

Vt igitur constet, laudabile hoc auaritiæ genus, & apertissimè patefiat, sic accipite. Aberrant aberrant à veritate, qui arbitrantur Christi pauperes à congerendis diuitijs debere esse alienos; audiãt S. Bernardum, dicentem: *non putent diuites huius sæculi, fratres Christi sola possidere cælestia, possident & terrena.* Quod vt probet paulo post subdit, *quare à quouis eorum, qui insatiabili corde, lucris temporalibus inhiat:* quid nam de his sentiat, qui sua vendentes, *& dantes pauperibus Re-*

Pauperes pro Christo possident etiam terrena.

D *gna cælorum, pro terrena mercantur substantia sapienter agant nec ne, procul dubio respondebit sapienter. Quare item cur quod approbat, ipse non faciat? non possum inquiet: Quare? profectò, quia domina auaritia non permittit, quia liber non est: quia non sunt sua, quæ possidere videtur, sed nec ipse sui iuris. Si verè tua sunt expende ad lucra, & pro terrenis cælestia commutato. si non vales; fatere, te pecuniæ tuæ non Dominum esse, sed seruum, custodem, non possessorem.* Ita Sanctus

Diuites non sunt domini rerum suarum.

ser. 21. in cant. circa med. præcipuè examinanda sunt illa verba, *si verò tua sunt.* Profectò cupidus nihil tàm optat, quàm verè diuitias possidere: fœlix qui ea, de qua agimus, cupiditate, quæ commendanda, non condemnanda est, continenter æstuat. Disce obsecro, si verè cupidus es, quo pacto ditescere queas; nec eesses vnquam ab huiusmodi quæstu diuitiarum. At ne videar nouum quid, & supra hominum fidem afferre, cum profero diuitem, ac cupidum diuitiarum esse eum, qui sua liberaliter largiatur Dei amore: recito verba Senecæ lib. 1. de vita beata cap. 20. circa finem dicentis; *nihil magis possidere me credam, quàm bene donata.* Si possidendi cupidus es: tuarum partium statuas esse bene donare.

Seneca.

Quæ alijs elargimur cavere sunt nostra.

Imò, vt tam vtile monitum altiùs hæreat humanis mentibus: an tu Domitianum imperatorem diuitem appellabis, quem Suetonius scribit inopia factum fuisse rapacem? Rerum imperij Romani potiebatur, hoc est totius terrarum orbis diuitias possidebat: nihilominus insana planè cupido restingui omnino non potuit. An tu Caligulam locupletem credes, quem tradit Suetonius pretiosas margaritas aceto liquefactas sorbere consueuisse; conuiuis ex auro panes, & opsonia apponere; dictitando, aut frugi hominem esse oportere, aut Cæsarem? quid plura? Caligulam, inquam, quem vicies, ac septies millies H. S. non toto vertente anno absumpsisse accepimus diuitem iudicabis? cum certè citatus Suetonius in vita, p. an. med. egentem appellet. An tu Tiberium tertium Romanorum imperatorem abundantem opibus prædicabis? quem testatur Suetonius in vita circa med animū ad rapinas cōuertisse; & inter cętera Gn. Lentulum augurem, cui census erat dives, metu, & angore ad fastidium vitæ ab eo actum: vt ne quo, nisi ipso hærede moreretur. Vt omittam ab auidissimo auri eapite Galliarum, & Hispaniarum, Syriæque, & Græciæ principes conhscatos ob tam leue, ac tàm impudens calumniarum genus, vt quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent; An tibi videbitur diues Nero; rapinis vsque adeo inhians: vt, cum interdixisset vsum amethystini, & ty-

Exempla imperatorum in summis diuitijs pauperum

Suet.

Domitianus ex inopia factus rapax.

Caligula sumptuosissimus.

Idem vocatus egens.

Tiberij rapacitas multis exemplis confirmata.

Neronis sagacitas ad rapiendum.

A tij coloris, summisisset q; qui nūdinarū die pauculas vncias venderet, pręclusit cūctos negotiatores? quemadmodū tradidit Suetonius in vita ante med. Hos tu opulētos, & sapienter cupidos ne dixeris: nisi priùs magnum Gregorium audiueris homil. 18. in Ezechiel. aliquāro post med. sic fantem. *ille pauper est, qui eget, eo quod non habet: nam qui & non habens, habere non appetit; diues est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui cum paupertate conuenit non est pauper.* Enimuerò si nuncium remittens opibus amore Dei nunquam pauper est; si cupidus diuitiarum semper est pauper; profectò liquet. Christi paupertatem genus esse laudabilis sępe, nunquā laudatę satis auaritię. etenim non aliò collimant vota, non aliò collineant Industriæ auarorum; nisi vt nunquam paupertate laborent. Qua propter intelligo iam, cur sapientia non minùs, quàm nobilitate pręcellentes reges non thure modò, & myrrha, sed auro etiam se se spolient ad Christi pedes: videlicet vel vt diuites fiāt, vel vt diuites se esse demonstrent. Decet porrò, & virtute præditum, & nobili genere natum, nihil non pręstare; vt census sibi paret locupletiores. lepidè quippe canebat Q. Horatius sermonum lib. 2. satira 2.

Suet.

Pauper est qui plus quam habeat desiderat.

Greg.

Magi promise aurum, vel vt diuites videantur, vel vt fiāt.

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Igitur si affluens rerum copia virtutis, nobilitatisque, & pręsidium, & decus est, me sane non pudet indicare Christi fidelibus modum; quo à summa egestate in rerum opulentiam & abundantiam traducantur. Id ego facilè perficere potero, auctore magno Leone; cuius sermone 5. de collectis, & elemosinis ante med. ea sententia fuit, *si ipsis tantùm proprię opes serviant* (loquitur autem de illis, qui rerum copia vti nesciunt) *si eorum bonis, nulli iuuantur pauperes: huiusmodi diuites egętiores sunt omnibus egenis.* Nemo posthac sordes amet; cum diuitię tam facilè comparari queant, quàm possunt commodè in pauperes erogari. De Crasso in eius vita scribit Plutarchus, virtutes quas habebat plurimas, vnius auaritię sordibus obscuratas. Hoc enim vitium, cum pręcipuum esset, dotes animi reliquas præstantes licet, & commendabiles, longe tamen supe-

Leo.

Qui liberalis non est egentissimus est.

Crassi auaritia reliquas eius virtutes obscurat.

(Column markers B, C, D printed between columns.)

superabat. Quàm ſecundè, quàm fœliciter res nobis cedunt; quibus laudabilis proponitur cupiditas facultatum; qua non modo detrimenti quidquam, sed incrementi plurimum ſumant virtutes reliquę. Vigeat in noſtris cordibus, viuatque ſemper amor diuitiarum: ſed ſimus memores effati Sancti Bernardi ſerm.4. de Aduentu Domini paulò poſt initium dicentis.

Bernard.

Veræ diuitiæ non opes ſunt, ſed virtutes.

Diuitiæ virtutes.

Viuat inquam, in noſtris mentibus, ac vigeat, & ſuperni Spiritus halitu augẽdarum cupiditas facultatum; ſed nunquam excidat animo perbreue S. Auguſtini apophth. ſerm. 4. de verbis Domini poſt medium. *diuitiæ noſtræ Deus.*

Auguſt. Diuitiæ noſtræ Deus.

Huc reuocandam cenſeo rationem, quam eleganter æque, ac verè reddit S. Petrus Chryſologus; cur S. Matthæus tàm ſubitò diuitijs, ac bonis omnibus remiſerit nuncium, vt habetur Matth. cap.9. ſic autem fatur eloquentiſſimus Archiepiſ. ſerm. qui eſt de S. Matth. & Chriſto Domino paulò poſt medium.

Chryſol.

Matth. non ſubtrahitur operi, ſed mutatur & telonium ſuſcepit magis, quàm relinquit; vt manſura Deo, non homini peritura conquirat; vt non trigeſimum in quadrageſimum, quinquageſimumq; nummum triſtis redigat ſupputator: ſed trigeſimum in ſexageſimum, & centeſimum gaudij fructum lætus recondat diuinis commodis profuturum fælix tale commercium, vt verbis vtar B. Petri Damiani epiſt. 7. lib. 7. epiſtolarum ad Agnetem imperatricem; *vbi datur lutum, tollitur aurum.*

Matthæus de telonio vocatus ad negotiationem lucroſiorem.

Petrus Dam.

Qua porro ratione inire contingat huiuſmodi negotiationem declarabo ex S. Hieronymo in illa Moyſis verba Exod. 33. num. 13. *Si inueni gratiam apud te, oſtende te mihi*, in quem locum cap.65. Iſaiæ paulò poſt init. in hunc modum loquitur Hieronymus; *maiores diuitias theſauris Aegyptij, Chriſti opprobrium præſtolans.* Habes quas cordis recludas theſauro, quas ſcrinio pectoris claudas opes Attalicis opulentiores.

Hieron. Chriſti opprobria magnus theſaurus.

Quæ cum ita ſint, amplectamur lubenti animo auaritiam, nequaquam voraginem illam auidiſſimam iniuſtæ prædæ, ſed cœleſtium indagatricem lucrorum: non execrandam illam turpi cupiditate quærendi miſerrimam, ſed perbeatam hanc perenni bonorum fructu fœlicem. Comprimamus ſceleſtam auri famem; ſed inflammemur

A ardentiùs ſupernarum ſiti diuitiarum.

In quam gratiam ſubdere S. Auguſtini ſententiam erit oportunum pauperum Chriſti deriſores deridentis his verbis cap. 10. lib. 1. de Ciuitate Dei ipſo initio. *Amiſerunt omnia bona, quæ habebant: numquid fidem, numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui eſt ante Deum diues? Hæ ſunt opes Chriſtianorum, quibus opulentus dicebat Apoſtolus prima ad Timotheum 6. num. 5. eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia.*

S. Auguſt.

Nihil amittit qui virtutibus non ſpoliatur.

Qua in re ipſemet Auguſtinus quid ſentiendum ſit decernit clariùs cap. 12. lib. 7. de Ciuit.

B Dei circa med. allata tum pauperis, tum diuitis definitione; ait enim. *Dicimus diuites, ſapientes, iuſtos, bonos, quibus pecunia vel nulla eſt, vel parua: Magis enim ſunt virtutibus diuites; per quas eis ſatis eſt quod adeſt: pauperes verò auaros dicimus, ſemper inhiantes, & egentes. Quamlibet enim magnas pecunias habere poſſunt, ſed in earum quantacumque abundantia non egere non poſſunt.*

Qui plura cupit quam habeat ſemper eſt egens.

Diuitiarum, vt ſis ſanè mentis amator, quæ veræ ſint diuitiæ perpende. Haud immemor ſententiæ nunquam obliterandæ quam refert Io. Boterus lib.1. dictor. memor. viror.

Io. Bot.

C illuſt. aliquantò ante medium identidem vſurpatam à Laurentio Mediceo; qui dictitabat: Ingenuos liberos nullum à parentibus patrimonium ditius accipere poſſe, quàm virtutem.

Virtus ampliſſimum patrimonium.

Conſentit præcellentis ingenij planè memorabile dictum cum definitione magni Gregorij, virtutum patrimonium fidelium nuncupantis c. 1. lib. 3. in lib. reg. vbi ait. *Dominus fidei miniſtros, vſque in mundi finem per ſanctarum virtutum ſibi patrimonium ſuccedentes protegit.*

Greg.

Nihil in filijs commendabilius, quàm hæreditario iure accepta augere in

D dies, & auitum patrimonium reddere ditius. Hic ego non tàm auarorum redarguere debeo ſordidum animum, quàm eorumdem indicare deceptionem. Errant quippè toto cœlo, qui, vt ditiores fiant, nil omninò erogant: hi ſine dubio rapto viuunt fures nefarij, & prędones flagitioſi. Quos S. Baſilij auctoritate hom. 6. circa finem ſic moneo; *num qui veſtem diripuerit, ſpoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit, modò poſſit alterius nominis appellatione dignus erit? Eſurientis eſt panis,*

S. Baſilius.

Qui sua pauperibus non elargitur raptor euadit.

est panis, quem tu retines: nudi est vestis, A *quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit; egentis argentum, quod tu terra infossum possides. Quare tot iniurius es hominibus, quot poteras opem ferre.* Consilium prorsus insanum, iniusta affectare lucra, cum laudabili auaritiæ genere patrimonium augere possis, atque ditescere: furaris, quæ pauperibus denegas elargiri. Ergo bonorum elargitio diuitem facit, furem immodicus diuitiarum amor. Tu nisi è mentis potestate deiectus nullum non mouebis lapidem; vt magis, magisque ditescas in dies.

Legisse me recolo apud S. Augustinum B concione 2. de 2. parte psal. 32. sub init. vbi ad illud Dei encomium: *Omnia opera eius in fide* ait; *fidelis ille factus est debitor: esto tu auarus exactor.* Eat nunc Romanæ parens eloquentię Tullius, suæque neruis facundiæ improbare conetur auaritiam, oratione pro Quintio: *Nullum est officium tam sanctum, atque solemne; quod non auaritia comminuere, atque violare soleat.* Imò, vt sibi faciat satis, iterum oratione in Vatinium exclamet; *nemo tàm firmum habuit præsidium; quod auaritia non infregerit, atque debilitauerit.* Senserit arbitratu suo Romanus orator: ego C autem cum Augustino prædicabo probum quemque debere esse exactorem auarum; vt illis ditescat diuitijs, quas ditissimus rerum Dominus liberaliter elargitur. Placet etiam poëtarum fabulas ad nostram institutionem interpretari. Notum lippis, & tonsoribus est: oraculum Pythiæ Philippo petenti, quonam pacto pollentes viribus aduersarios debellare posset ex tripode respondisse.

August. Auari exactores esse debemus promissorum Dei

Auaritia omnia labefactat.

Argenteis hastis pugna, & omnia vinces.

Auro vincuntur hostes.

Et quod caput est, canebat Ennius, Acherontem etiam à diuite, vi auri, & di- D uitiarum penetrari facilè posse: inania sunt hæc fabularum deliramenta: verissimum tamen est, diuitijs, quarum lectorem nostrum maximè cupidum exoptamus, vinci inuincibilem, atque omnipotentem superari: his non inferos modò, sed superos expugnabis. Itaque nostrarum partium esse intelligamus, huiusmodi diuitias summo studio cógerere, & auaritiam, nunquam commendatam satis pro viribus affectare. Hoc porrò fiet, liberali in pauperes bonorum largitione, terrenorum cum cœlestibus permutatione, Christi opprobrijs auidissimè exoptatis, ac constantissimè perpessis; Vno verbo omnium exercitatione virtutum.

Videri potest P. Ludouicus Cressolius lib. 4. mystagogi cap. 21. lect. 3. vbi prosequitur eloquentissimè, qui censeri debeant inter opes inopes, & in rerum omnium abundantia mendici. Qua occasione toto eitat. cap. congerit quidquid ferè de auaritia dici potest.

Insuper legendum moneo P. Didacum de Baeza tom. 2. Comment. in euang. hist. lib. 6. cap. 8. §. 14. & tomo 3. lib. 13. cap. 3. §. 7.

IN CAPVT SECVNDVM Num XI. & XII.

Et intrantes domum inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham, & responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem; per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

PARADOXVM XV.

Sola demissio exaltatrix.



DICAMVS & nos bona verba, & aliquando blanda, ac iucunda proferamus. Non semper ardua proponantur, sed identidem humanæ indulgeamus imbecillitati. Honorum ac dignitatum cupidi proborum omnium exprobrātur lin-

tur linguis, omnium litteris vituperantur. Ades bono animo quisquis ad dus honores aff. ctas, & flagrantissimè permagni haberi cupis; tuas in præsentia suscipio partes, tuum laudo conatum, & probo consilium. Cur enim natus inter stabuli sordes Rex cœlorum cultores habet ab vltimis mundi finibus sapientissimos reges? qui honor illustrior, quæ dignitas sublimior excogitari potest? quorsum inquam in tanta deiectione, tantum dignitatis vẽdicat sibi auctor ipse sapientiæ, ac dignitatis Christus dominus e me iudice, vt hæreat nostris cordibus, quærendum quidem probo cuiq; honorem, sed contemptu honoris; sola quippè demissio est exaltatrix. Itaquè satius erit insistere vestigijs principum orientis, qui declinant ing. Herodis impetum quod nõ nemini vid ri possit indecorum; sed tenent iam Christo auctore exaltatricem esse demissionem.

Christus natus in stabulo maxime honoratur, dũ adoratur a Magis.

Probis viris quærendus est honor

Equidem erit semper apud me extra controuersiam certum, permagni fieri ab omnibus eum, qui se faciat minimi. Sane non alio pacto strauit sibi ad honores aditum, Lysiadem Megalopolis tyrannum pro comperto habemus; de quo Plutarchus C in vita Arati non multo post med. scribit in hunc modum: *Erat Lysiades homo minime ingenio, aut à studio laudis alieno. Itaque pulcherrimam mutationem aggressus est. Accito namque Arato, imperio se abdi auit, vrbemque Achæorum reipublicæ adiunxit. Propterea magni eã facientes Achæi prætorem delegerunt.* Huc vsque Plutarchus: cuius sententia nequaquam ego honorum ac dignitatum desiderium censeo improbandum, neque te volo à studio laudis alienum; sed profero in medium exemplar, ac veluti normã, qua verum honoris teneas culmen, & germanę commendationem laudis consequaris. Huc reuoca memorandã planè sententiam, quã non multis complexus est S. Bernar. ser. 6. de Aduentu Domini circa med. inquiẽs: *Honor tibi est; vt pro eo interim te exhibeas inhonorũ*. Quę christianæ demissionis studioso peragẽda cõtingunt; vt puta carceribus detẽtos non inuisere modo, sed ope, & consilio subleuare decumbentibus in Xenodochijs inseruire, & his similia; tu ne iacturam honoris dixeris, sed vsuram. Recitabo eam Eusebij Emis-

Plutarc.

Lysiades imperium aucupatur, imperium abdicãdo

Bern.

Honorem is[...], qui n[...] honorus [...]

Euseb. Emiss.

A seni orationem, qua Sanctum Maximum hom. de eodem Sancto post med. com[...]l lat his verbis. *Quid te humilis Christi serue tuorum complexibus præcipitem rapis? Quocumque loci latere arbitratur, quem vbique lumen suum sequitur. Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur? Quid honorem, quasi indignus repellis? meriti prærogatiua est honoris repulsa.* Itaque si gloria additur gloriæ fugiẽris si honor est, exhibere se Dei amore inhonorum: vides perspicuè, quàm benè, vltima primis respondeant: scilicet quærendum honorem, contemptu honoris, & demissionem vnicè exaltare.

Honorum fu[...] ga est honoru[...] aucupatio.

B Magnum fuit, ac prorsus memorãdum, quod de L. Sylla testes temporum loquũtur historiæ. Hic ex Asia victor. Vrbem & Italiam vniuersam rot[...] ac tantis compleuerat stragibus, vt potissimum ex ipso Romanę nobilitatis flore proscripserit, inaudita post hominum memoriam tyrannide, ad duo millia; & quod caput est, vsurpata dictatura, cum viginti quatuor fratribus procedens Romanę reipublicę libertatem fastu nefario, maximèque inuisus proterebat, ac conculcabat. Propterea [...] tauerat in se odium cuiusuis ordinis hominum, quorum infestos animos conciliauerat sibi tam cœca libidine dominandi. Tamen summum huiusmodi imperium deponendo, dum se abdicauit dictatura, tantum gloriæ fructum retulit, vt populus Romanus vniuersus, quasi iustissimi, quo in Syllam flagrauerat, odij oblitus, eius funus incredibili pompa, atq; frequẽtia celebrauerit: perindeac si principis optimè meriti memoriã funere tãm honorifico, tamq; superba ac nobili pompa prosequi voluisset. Sic cum reliquis animaduertit P. Horatius Tursellinus lib. D 3 Epit. Histor. post med. O perenne despecti honoris incrementum: quippè quod etiam, te obeunte, non abit. Lucem quær s gloriæ? Sapis. sed si magno Leoni credis non alia via inueniri potest, quã demissionis. Affert serm. 8. de Ieiun. septimi mensis paulò ante finem; *Maior est lux hominibus humilibus, quàm superbis.* Perpende tam quæ tuæ sint partes, quicumque affectas magni nominis æstimationem. Hæreo adhuc ancipiti cogitatione distractus, sapientior ne Chilonis Lace-

L. Sylla sua crudelitate omnium odia commeruit.

Idem abdicato ab omnibus amatus, & mortuus [...] defletus

Leo

Maior lux humilibus quã superb.æ

Chilonis, & Aesopi dialogus.

Lacedæmonij interrogatio, an Aesopi responsio censeri debeat. Etenim cum ille interrogasset, quidnam faceret Iupiter? Aesopum respondisse ferunt, si Diogeni Laërtio lib. 1. de vita philosophorum in Chilone paulò post initium credamus. *excelsa humiliat, & humilia extollit*. Digna profectò philosopho assertio: cuius sententiam si Deorum maximus totus est, in extollendis humilibus: habes compendiariam viam ad celsitudinem, vnam humilitatem. Obserua obiter, non semper cæcam exorbitasse antiquitatem, quando quidem Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam, notissimum est.

Diog. Laer.

Iupiter excelsa humiliat & humilia extollit.

Propositi porrò argumenti, haud obscuram confirmationem petere possumus à Iustino historico, qui ipso suæ narrationis initio sic habet. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat; quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat*. Ex quo manifestè apparet, toto cœlo aberrare, quisquis fastu, atque ambitione fieri ad tum ad summa putat: in ò hunc sicuti intercludit arbitrio, ita patefacit demissi animi moderatio. Quod vt experimento didicit, ita exemplo nos docuit Cato; cuius celeberrimum elogium, quo dicebatur vulgo de Catone. Quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur; leges apud S. Augustinum lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 12. circa medium. *Quandoquidem autem vmbra instar gloria est, quæ fugientes sequitur, sequentes fugit: inanis blandimenta gloriola fuge velox, vt te illa cursu expeditiore sequatur*. Quoniam verò dixi mus; quemque sibi fuga gloriæ consulere debere, vt gloriam assequatur; Dionis monitum subijcere non erit ab re. De Dione loquor Borilstenite, qui dicere solebat, vt lib. 4. de vita philosophorum in eius vita paulo ante med. scribit Laertius. *Elationem esse profectus impedimentum; quo qui detinetur susceptum iter conficere nequeat*. Igitur qui seli nus contendit susceptum gloriæ iter conficere abijciat impedimenta necesse est. Gloriam sequeris, vt proficias & ingenti bus viam cæteroqui arduam passibus peragas. depone elationem, quæ à cordato viro sapientissimè dicitur impedimentum. Euolue vitã

Iustinus.

Moderatio olim prærogatiua imperij.

Catonem fugientem gloria ambit gloria.

August.

Gloria velut vmbra, quæ fugientes sequitur.

Laer.

Elatio impedimentum ne iter teneris ad gloriam.

A præceptoris Caroli magni, hoc est B. Alcuini, siue Albini flacci, quæ operibus eiusdem præfixa circumfertur. Carolus magnus vt S. Martini ossa religiosè coleret, & simul etiam Albinum alloqueretur; sepulchrum S. Turonensis Antistitis petijt vna cum Carolo, Pipino, ac Ludouico liberis suis: ibique familiari colloquio Albini manum stringens eundem interrogauit his verbis. *Domine Magister, quem de his filijs meis videtur tibi in isto honore, quem indigno tamquam dedit mihi Deus habere me successorem?* At ille oculis Ludouicum designans ait: natu quidem minimum, sed humilitate præcipuum; responsum porrò his planè verbis ab auctore vitæ recitatur. *Habebis Ludouicum humilem, successorem eximium*. Quod altè condidit pectore memori Carolus: & post aliquod tempus, cum idem B. Alcuinus communionem corporis Christi, & sanguinis propria manu misceret: vnus inter omnes Ludouicus humili, demissoq; vultu S. Sacerdoris manum osculatus est. Tunc vir Dei, qui proximè aderat, Siguifo dixit. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Certè istum post patrem Francia gaudebit habere imperatorem*. Oraculum comprobauit euentus, Ex quo recognoscas velim, num verè prædicetur sola humilitas exaltatrix? Vnà animi demissione fratribus dissimilis Ludouicus, maioribus natu prefertur vt pateat exaltationem [illegible] priuilegium esse solius humilitatis.

Alcuinus magister Caroli magni.

Ludouicus minimus filiorũ Caroli magni, quia humilimus designatur ad imperium.

Ludouicus Caroli magni filius ex humilitate osculatur sacerdotis manum.

B

C

Verùm si [illegible] fidem excedere videretur, & [illegible] excipiat non vulgarem, ni [illegible] animaduersionem à rerum demiss[illegible] natura petitam. Quæ quandoquidem, quo abiectiores, ac viliores iudicantur, eo sunt re vera præstantiores: mirum è mirum videri debebit si dixero, solam humilitatẽ esse exaltatricem. Scribit eximiæ vir eruditionis Cælius Rhodyginus lib. 1. lect. antiq. cap. 4. non longè ab initio. terram è stellis vnam habitam fuisse ex doctrina Platonis, quam hauserat à Pythagora, sic autem habet loco citato; *Meminit in lib. de cœlo, & mundo Aristoteles terram è stellis vnam esse. Propterea si concipias, esse te in sublimi quopiam mũdi loco; vnde oculis subijciatur terræ moles aquis circumfusa, & solis, siderumq; radijs illustrata*

Res naturales quo abiectiores, eo præstantiores.

D

Cal. Rhod.

Arist.

Terra si spectaretur è cœlo similis videretur Lunæ.

illustrata non aliam profectò visum iri probabile est, quam qualis modo visitur luna, ris globi species. Ex quibus facta comparatione, palam fiet quid censeam sentiendum. Equidem sicuti nil abiectius, viliusue est, hac, quam calcamus terra, utpote inter elementa, & loco, & dignitate infima: ita nil pulchrius, aut præstantius est sideribus pulcherrimis scilicet mundi luminibus etiam circumfusas inter tenebras emicantibus. Utrum verò terra è stellis una haberi debeat, & tamquam veritati consonum affirmari, viderint studiosi philosophiæ. Illud sit extra controuersiam in vera christianæ disciplinæ sapientia, tem ita se habere, utque infima, humilia, abiecta sunt, ac terræ instar ignobilis in nullo sunt pretio: ea veluti præcellentiora, & siderum instar nobiliora censeri debere.

Huius rei si vestigium aliquod inuenire potero apud ignatam vetustatis antiquitatem, sine dubio non omnino oleum, & operam perdidisse videbor æquis rerum æstimatoribus. Leges apud Plutar hum, de fortuna Alexandri, oratione 2. Alynomum Paphi regem, ex hortulano factum. Consule Gellium lib. 16. noctium Atticarum cap 4. & inuenies sermonibus seniorum hominum, atque eruditorum multos ex veteremmemoria altissimum dignitatis gradum tenuisse, ex infima, & despicatissima sorte. Inter cæteros exemplum affert Ventidij Bassi; qui cum sibi victum sordidè parasset diutiùs, mulis fricandis: tandem Consul Romanus factus imperauit. Vel leam Telephanem curruum fabricatorem, Lydorum tenuisse sceptrum, vt prodit Demosthenes in orat. contra Midiam, & Tyridatem Parthorum regni potitum, ex seruili fortuna, vt Iustinus scribit l b. 42. in fine. Imo vt recentioris memoriæ monumenta prætercam, taceboD Victigem obscuris parentibus natum, regnum obtinuisse Gothorum, quod à Procopio scribitur lib. 1. tacebo Primislaum tertium Bohemorum regem, ex armentario, & bubulco. tacebo Tamerlanum, ex porcario regem Scytharum. Demum quis nesciat Mahometem vectigalem duxisse camelos, tum ad Arabi fastigium regni euectum ditissimum & amplissimum imperium vsurpauisse: Sed quorsum ista, aut quo consilio recitentur à nobis intelli-

A' nostras ex hortulano creatus rex P.

Gellius

Ventidius ex [...]one consul Romanus.

Telephanes ex fabro Lydorũ rex.

Tyridates ex seruo rex Parthorum.

Iustinus.

Victiges ex obscuris natalibus rex Gothorum.

Procop.

Primislaus ex bubulco rex Bohemorum.

Tamerlanus ex porcario rex Scytharum.

Mahometus prius vectigalis deinde rex Arabum.

A gentia percipere nemo potest; nisi recolat attentiùs, quæ Seneca sexta controuersia lib. primi paulo post initium scribit in hūc modum. *Quid tibi videntur illi ab Aratro citati; qui paupertate sua, beatam fecerunt rempublicam. Quemcumque volueris reuolue nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenseo singulos cum hanc vrbem possim tibi ostendere? nudi stetere colles, interque tamen effusa mœnia. Nihil est humili casa nobiliùs fastigiatis supra tectis, auro puro fulgens prælucet capitolium. Potes obiurgare Romanos, cum humilitatē suam, obscurare possint, ostendunt. Sed hæc* B *non putant magna, nisi apparuerit ex paruis surrexisse:* Hucusq; Seneca. Abnuat iam qui voluerit, & contradicat meę opinioni; dummodò stet pro me tanti philosophi auctoritas; qua monemur, non modò humilitatem cuiusuis præstantiæ origi. nem esse verum etiam eam tantummodò præcellentiam censeri debere germanam, quæ ab humilitate tamquam a fonte emanet, cum humilitatis sit non tantùm quomodocunq; eueh re: sed quauis, quæ ab humilitate non oriatur celsitudo, vel stare non potest, vel celsa non est. *Non putant* C *magna nisi apparuerit ex paruis surrexisse.* O' minimè demissa demissio, ò nequaquam humilis humilitas quandoquidem, & magnis magnitudinem tribuit, & præcellentiam præcellentibus.

Hucusq; quę diximus non parum egregia B. Petri Damiani animaduersione illustrabuntur. Audi purpurę Romanę decus inclytum; cuius ea sunt verba ad Gebizzonem Abbatem, quę vt superbiā arguat, sic inquit. *Ambis priuatum propria gloriæ nomen acquirere, dedignaris alieno nomini sobolem procreare. Sic, & ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth compete-*D *bat vxorem (quod legitur Ruth 4) cedo, inquit, ad Booz, iure propinquitatis. neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. Ille quippe vanus, & gloriæ cupidus proprio nomini posteritatem familiæ, conabatur extendere: Booz autem vir bonus, & iustus famam proprij nominis paruipendēs, Diuinę tantummodo legis contentus est mādata seruare. Sed ecce illius, qui suam post se memoriam anhelabat in posteritate relinquere, ne nomen quidem agnoscitur: hu autem non solum in patrum, sed in patriar-*

charum

Seneca.

Omnis nobilitas ab humilibus principijs.

Pet. Dam.

Booz laudabilis, quod alteri filios genuerit.

labi in corpus præcipitem: rursumque latiùs plumantem, ac denuo factam volucrē superna repetere. Si quæras quid sibi velit denuo plumas induere, respondebit cir. auctor significari speculandi compotem scientiam, & disciplinam philosophiæ: cuius institutionibus, à sensibus abducimur longiùs, & quodammodò ab humilibus nostræ mortalitatis auolamus. Id porrò fiet, si sepulchrum geramus in capite, hoc est mortem attentè, & continuò meditemur.

Ex hoc capite meritò laudauit Marcellam viduam in eiusdem epitaphio S. Hieronymus epist. 16. ad Principiam virginem paulò ante med. his verbis. *Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, vt ante se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset; laudans illud Platonicum qui philosophiam, meditationem mortis esse dixit: vnde, & noster Apostolus prima ad Cor. 15. quotidie inquit morior*. Vtinam & nos moriamur in dies attenta mortis contemplatione. Neque silentio inuoluam hunc eundem Platonis sensum, vtpotè sæpius memorandum, expressius fuisse prolatum ab eodem Hieronymo epist. 3. ad Heliodorum in epitaph. Nepotiani post med inquiens, *Platonis sententia est: omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Laudant hoc philosophi, & in cœlum vsque ferunt*. Quia parùm erat dixisse philosophiam meditationem mortis; nisi adderet ..... præcipuam vitæ partem ... sed omnem sapientium vitam, ... quanta est mortis esse contem... onem, & hoc quidem omnium suff... philosophorum: Phædonem Platonicum consulat, qui pluribus intelligere velit quid in hac re senserit Plato: Plato inquam hoc est vir sapientissimus, & eruditissimus temporum suo rum; qui, & ita locutus est, vt quæcunq; que diceret magna fierent, vt cum diuo Augustino lib. 3. cótra Academicos c. 17. paulo post init. loquar. Nos interea ad alia gradum faciamus.

Non modò cadauera ad Orientem solem conuersa Atheniensibus sepeliendi mos fuit: sed apud eosdem sepulchra ipsa ad orientem posita ... Laertius de vita philosophorum lib. primo in Solone Salaminio circa medium. mirum sane. quid enim sepulchra, mortuorum domicilia, aut cadauera sensu carentia commune habent cum sole, qui fons vitæ atque auctor est? Verùm ea ciuitas, quæ parens vtrique fuit fœcunda semper, effœta nunquam probatissimæ sapientiæ, debuit indicare, quantam habeat affinitatem, cognitio veritatis cum mortis consideratione. Equidem sol veritatis repræsentat cognitionem iuxta sententiam D. Augustini in illud psalm. 57. num. 9. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem, hoc est, inquit ille, veritatis notionem habere non potuerunt*. Hanc sequũtur sapientiæ studiosi, & nunquam assequuntur fœlicius, quàm cum consideratione mortis, penè mortui, & in sepulchris degeres; vt de illis dici queat quod scribitur Apoc. 14 num. 13. *Beati mortui; qui in Domino moriuntur*, & ad Colos. cap. 3. num. 3. *mortui enim estis; & vita vestra abscondita est ... m Christo in Deo*. Mortui vtique, attenta ... q oti... diana mortis cótemplatione. Tunc quippè respicimus orientem solem ... hoc est percipimus abdita germanæ veritatis, cum mortem contemplamur. Vsque adeò certum est, meditatione mortis sapientem virum facere sibi aditum ad abdita veritatis a... onditæ percipienda. Vis in humana, ac diuina sapientia multùm proficere, nempe percipere morum moderandorum rationem, & cœlestium arcanorum re... mysteria ... mortis memor viuas: mortuorum enim est spectare orientem solem.

Quando autem mentionem fecimus de Solone oportunum fortasse erit, obiter saltem memoria repetere, quod ipsum fecisse scribit ... em paulo superius cit. Diogenes Laertius circa finem eiusdem vitæ: Solon iam iam diem obiturus, (obijt autem apud Cyprios ætatis suæ anno. 80.) nominatim suis imperasse dicitur, vt in cineres redacto corpore, eosdem cineres per prouinciam disseminarent: fortasse quia vir sapientiæ amantissimus deprehendere minimè potuit; qua ratione, rem sapienter gerere posset vtiliùs, vel sapientibus ipsis prospicere oportuniùs, quàm cineres disseminando. Philosophis quippe nihil tàm dignum, nihil tàm congruum est, ac salutare, quàm viua semper, & præ oculis habita mortis recordatio.

Libeat

Libeat ab Ethnicorum etiam delira mentis, veritatem indagare. Lego apud Sanctum Hieronymum in Apolog. aduersum Ruffinum paulò ante finem, primum fuisse immortalitatis animæ assertorem Pythagoram; de quo sic habet. *Et quia pythagorica dogmata legisse me dixeram: audi quid apud Græcos Pythagoras primus inuenerit. Immortales esse animas, & de alijs corporibus transire in alia. Quod quidē, & Virgilius in 6. Aeneidos voluminc sequens loquitur.*

Hieron.

Pythagoras primus apud ethnicos auctor immortalitatis & transmarum transmigrationis.

Virgil.

Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno.
Scilicet immemores, supera vt conuexa reuisant
Rursus, & incipiant in corpora velle reuerti.

Se primum fuisse Euphorbum, secundò Calliaem, tertiò Hermotimum, quartò Pyrrhum, ad extremum Pythagoram: & post certos temporum circulos ea, quæ fuerant rursum fieri; nihilque in mundo videri nouum. philosophiam meditationem esse mortis quotidie de corporis carcere nitentem animæ educere libertatem. Huc vsq; Hieronymus, cui coniungo, quod S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 2. init. de Pythagora scribit: quem asserit maximi habitum fuisse, & ab eo etiam philosophiæ nomen exortum. Quod cum ita sit, dicere non vereor, Pythagoram & habitum, & consalutatum fuisse philosophorum principem; cuius ea philosophiæ summa fuit, vt non vna sed crebra, & repetita morte hominis animam faceret immortalē. Cæcutientis, orbatique animi vera luce error palmaris sine dubio habendus est, qui tamen quoquomodo adumbrauerit veritatem. Etenim Christiana, hoc est vera sapientia docet, animam non alia ratione inter beatas cœli delicias fieri immortalem: quàm crebra mortis recordatione. hanc versemus animo, hanc mente voluamus, hanc sedulò contemplemur, qui verè lauream sapientiæ exoptamus.

August.

Pythagoras quanta fuerit æstimatio.

Crebra mortis recordatio ... immortales.

Video hærere quam plurimos admiratione defixos, expectantes percipere quonam pacto mortis meditatione ad regiam digniratem erigamur. Quid enim habet commune mortis recordatio cum principatu? Aio tamen mortis considerationem, vsque adeo homines decere, vt eos quodammodo reges facere videatur. Visum est mihi non omninò ineptè huc reuocari posse, quod scribit Curopalates p. 110. de imperatoribus orientis: qui vt ipse asserit, solebant pro regio ornamento, sinistra in manu texile ferre aureum; in quo inclusus aggestusq; puluis continebatur: vt præclaro documento testarentur, habenas imperij ab eo teneri cum laude; qui mortis memoriam haberet pre oculis continenter: cumq; dignum esse qui imperaret; cul puluis, ac cinis esset pro sceptro. Morem barbarorum minimè barbarum refert. Io. Boterus lib. 1. dict. memor. vir. illus. t. post init. Qua die apud Tartaros princeps suscipit habenas imperij solemni ritu mortis memoria renouatur: quasi non aliunde, quā ex consideratione mortis gradus fieri debeat ad supremi fastigium dominatus. Etenim antequam coronetur imperator super tudi gausape nigri coloris, circumstantibus proceribus regni, pulla veste indutis in morem iacentis cadaueris stratus solem iubetur respicere: vel quia mores sceptro dignos, & purpura alio præceptore faciliùs percipi minimè posse crederet, quam hominum patre: aut certè ad pompam regiæ magnificentiæ quocinquā regio licet sanguine clarum eucbi nulla ratione posse, nisi præconcepta animo mortis recordatione; quæ quasi ad regale solium manu duceret. Inuentum me iudice pulcherrimum, & supra quàm dici queat salutare. Regnū nos beatitatis manet quotquot per abrupta mortalitatis palátes erramus, sœliciratis æternæ sedem affectamus, & meritò in Christo quippè geniti regali progenie gloriamur. Hæreat tamen altè nostris mentibus, tanti apicem imperij, ac tàm eximiæ glotiæ decus mortis recordatione parari.

Imperatores orientis sinistra gestare solitò puluerē.

Boterus.

Apud Tartaros principes inaugurantur ... solem respiciés.

Regnum cœlorum ... mortis recordatione.

Hanc fortasse sententiam volucbat animo sapientissimus Lycurgus, quem scribit Alexander ab Alexandro lib. 3. Gen. Dier. cap. 2. paulò post init. mortuos sepeliri mandasse amictu puniceo velatos, & corolla virentibus oliuarū frondibus exornatos. Id sibi volebat Antoninus imperator, qui vt Herodianus l. 4. testatur totus in eo erat, vt Achillis tumulū exornaret coronis. Vnde Sophocles in Antigono canebat.

Alex. ab Alex.

Lycurgus iubet mortuos sepeliri puniceo indumento, & coronatos oliua.

Antoninus Achillem coronat.

Libationibus ter libatis mortuū coronat. Nimirum intelligere debemus, quales animo cōcipiendi sint, qui diem obierunt: sanè non alia ratione, quā regio ornamento exornati. Nos verę sapientiæ lumine donati beneficium mortis esse fatemur coronam immortalitatis: ac tedimiri, vt gloriosum est, & exoptabile, ita certo certiùs contingit illis, qui mortis meditationi vacantes certo certiùs regnum præstolantur beatitatis.

Huc reuoco non solum quod de Pacuuio narrat, sed quod addit de suo Seneca epist. 12. circa finem. Pacuuius verbo tenus, Syriæ prætor, sed re ipsa princeps ac dominus: regionem enim amplissimā, vt philosophus loquitur, fecerat suam. In quo dominatu illud mihi, & mirum dictu, & admiratione videtur esse dignissimum. Solebat diebus singulis post cœnam in cubiculum defuncti functo, & quasi parentali famulorum cantu quo resonabant ad symphoniam: *Vixit, vixit*, Domesticum viri patritij, imo amplissimo dominatu, viri principis fugus monet, satis apertè emori nunquam debere mortis memoriam inter lautissimas dynastarum epulas, atqui inter domus regiæ ditissimas opes, memoriam funeris in dies [illegible] fieri oportere. Audiamus iam ad sapientium eruditionē quid de suo addat philosophus, qui loco citato, hæc subdit: *Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat; nos in bona faciamus & in somnum ituri, læti hilaresque dicamus: Vixi, & quem dederat cursum fortu a peregi. [illegible] securus sui possessor; qui crastinum sine sollicitudine expectat*. Huc [illegible] Seneca; cuius iudicio [illegible] omnibus absoluta numeris [illegible] est; quę vnamquamque [illegible] extremam; quæ nunquam sibi crastinam pollicetur; quę diebus singulis vixisse se putat: vno verbo, quę mortis memoriam versat animo continenter, ac sedulò contemplatur.

Pacuuius Syriæ præses cœna defuncti simulatione mortis.

Senec.

Date oro vos, atque obtestor vt memorandum Domitiani gestū, meo marte possim interpretari, quod ex Xiphilino refert Causinus lib. 3. symbolo 31. Domitianus primoribus senatorum, & equestris ordinis funebrem instruxisse dicitur cœnam prorsus inauditam, & miram. Apparauit ędes omni ex parte nigerrimas: erāt enim atra laquearia, parietes, ac pauimentum: in eoque sedes nudæ eo modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet, absque comitibus, ac primum omnium iuxta vnāquamque columnam collocatam, factam instar sepulchri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque de ea lychnulus paruus, vt assolet in monumentis. Quis non miretur insuetas imperatorię cœnę lautitias. Verùm adhuc supersunt admirabilia; namque pro ministrantium famulorum turba, nudi pueri nocturnę veluti laruæ atramento fœdati cœnantibus quantum cum horrore seruiebant? vt sileam omnia quibus in mortuorum exequijs vtebantur eo tempore circumquaque suisse dispositas. Hæc inter spectra tàm multa, tàm varia, tàm immania cœnabant conuiuæ Domitiano de mortis horrore verba faciente. Quid obsecro cum lautitijs principum habet commune mortis memoria? Quid ferale spectaculum exequiarum cum conuiuijs imperatorum? fallor, nisi ex hoc ipso possimus perdiscere, peculiari modo mortis horrorē animo voluere, ac sepulchrales pompas meditari sedulo, vel ipsas inter nobiliorum congressus, & familiares procerum compotationes, virorum principum esse, ac dynastarum. Quasi verò quemadmodum ab epulis vitam, sic à morte meditatione benè viuendi, & cum laude regnandi percipiant disciplinam. Igitur dū cœnant pares regibus senatores atrato mortis spectro, coque multiplici circumcinguntur dum Imperatorijs accumbunt epulis, quia principibus vitis æque ac cibus, fructuosa est mortis recordatio, quātumuis luctuosa. Nisi enim crebro voluant animo mortis memoriam, habenas imperij cum laude moderari non possunt.

Causin.

Domitiani funebris conuiuium.

Videatur R. P. Didacus Nissenus sermone 1. in Quadragesima Assumpto 4. vbi explicat quantam vim habeat mors ad docendum quę nostræ sint partes, vt cum laude viuamus.

Videatur etiam P. Didacus Celada cap. 16. num. 194. necnon Christophorus Auendagna serm. 2. festo S. Theresiæ.

IN

IN CAPVT SECVNDVM Num. II.

Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham.

PARADOXVM XIIII.

Auaritia maximè laudabilis.



Icuti erebrò ita eopiosè, & ab antiquioris ætatis, & à nostri sęculi scriptoribus, auaritia vituperatur: adeò vt nihil legenti tam obuium sit. Verùm quia hominum animi diu tiarum eupiditate tenentur vnde maximus poëtarum canebat lib. æneidos 3. non longè ab init.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Si laudabile genus auaritiæ proposuero, sine dubio nostri monumenta laboris eò libentiùs perlegentur, quo facultates auidiùs desiderantur. Adeste igitur quot quot diuitiarum cupiditate vehementiùs inflammamini, & sapientissimorum spectaculo Regum cum auro pretiosa orientis aromata Christo pauperi largientium, discite, copiarum sitim, & famem auri nequaquam execrandam esse, sed sanctam.

Christus suadet nos vt opes congeramus, & recludamus.

Diuinæ sapientiæ nostram suo dignantis alloquio mortalitatem oraculum fuit apud S. Lucam cap. 12. num. 33. *facite vobis saceulos, qui nō veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Arrige aures, & mentem erige: hortatur te ad eondendas, congregandasque diuitias, qui sapiētiam è sinu summi patris delapsam mortalibus communieauit. Interea subijcere debeo verba S. Petri Chrysologi ser. 23. qui est de terrenorum cura despicienda circa finem, sic fantis. *si vis seruare tuorum pretia prædiorum; & sacculorum fortè condita te delectant: fac tibi sacculos, quales ille præcepit; qui iam cupiditatis tuę*

A *custos est, & prouisor*. Mira dico, sed vera. En humanæ prouisor cupiditatis, qui christianę creditur esse predicator paupertatis. Imò progredi licebit vlteriùs quo pertingere non auderem, nisi eodem sanctissimo, & eloquentissimo Chrysologo duce, qui ser. 25. de eod. argumento: ait post med. *ecce docet auaritiam, qui caperat suadere contemptum: Christe quò te pertbrait amor tuorum? vt auarum lucri facias; facis eum, quod desiderat, non quod oportet audire*. Ibidem his similia videri possunt: auaro sanè nihil tantopete arridet, nihil in delicijs est, quàm venditarum frugum

Christus prouisor humanę cupiditatis.

B pretium clam sacculis recondere, & diuitias diuitijs aggregare. Age itaque fac tibi saeculos: caue profundas, aut dilapides; sic enim monet Deus ipse factus infinitæ pietatis suæ miraculo, tuæ prouisor, & custos cupiditatis. Vt autem latior aperiatur aditus ad dicendum lectoribus meis, cursim indicabo præcipua quædam huius, de qua loquimur, auaritiæ capita, ac veluti fontes, quibus augeri in immensum huiusmodi christianæ diuitiæ facilè queant. non enim loquor solùm de liberali erogatione bonorum in Christi pauperes; sed

Qualibet virtus numeratur in diuitijs mētis.

C de quauis exercitatione virtutis, qua mētis diuitias assero congregari.

Vt igitur constet, laudabile hoc auaritiæ genus, & apertissimè patefiat, sic accipite. Aberrant aberrant à veritate, qui arbitrantur Christi pauperes à congerendis diuitijs debere esse alienos; audiāt S. Bernardum, dicentem: *non putent diuites huius saculi, fratres Christi sola possidere cælestia, possident & terrena*. Quod vt probet paulo post subdit, *quare à quouis eorum, qui insatiabili corde, lucris temporalibus inhiat:* quid nam de his sentiat, qui sua vendentes, *& dantes pauperibus Re-*

Pauperes pro Christo possident etiam terrena.

D *gna cœlorum, pro terrena mercantur substantia sapienter agant nec ne, procul dubio respondebit sapienter. Quare item cur quod approbat, ipse non faciat? non possum inquiet: Quare? profectò, quia domina auaritia non permittit, quia liber non est: quia non sunt sua, quæ possidere videtur, sed nec ipse sui iuris. Si verè tua sunt expende ad lucra, & pro terrenis cælestia commutato. si non vales; fatere, te pecunia tua non Dominum esse, sed seruum, custodem, non possessorem*. Ita Sanctus

Diuites non sunt domini rerum suarum.

 ser. 21.

ser. 21. in cant. circa med. præcipuè examinanda sunt illa verba, *si verò tua sunt*. Profectò cupidus nihil tàm optat, quàm verè diuitias possidere: fœlix qui ea, de qua agimus, cupiditate, quæ commendanda, non condemnanda est, continenter æstuat. Disce obsecro, si verè cupidus es, quo pacto ditescere queas; nec cesses vnquam ab huiusmodi quæstu diuitiarum. At ne videar nouum quid, & supra hominum fidem afferre, cum profero diuitem, ac cupidum diuitiarum esse eum, qui sua liberaliter largiatur Dei amore:

Seneca.

Quæ aliis elargimur ea verè sunt nostra.

recito verba Senecæ lib. 1. de vita beata cap. 20. circa finem dicentis; *nihil magis* B *possidere me credam, quàm bene donata*. Si possidendi cupidus es: tuarum partium statuas esse bene donare.

Exempla imperatorum in summis diuitiis pauperum. Suet. Domitianus ex inopia factus rapax.

Imò, vt tam vtile monitum altiùs hæreat humanis mentibus: an tu Domitianum imperatorem diuitem appellabis, quem Suetonius scribit inopia factum fuisse rapacem? Rerum imperij Romani potiebatur, hoc est totius terrarum orbis diuitias possidebat: nihilominus insana planè cupido restingui omnino non potuit.

Caligula sumptuosissimus.

An tu Caligulam locupletem credes, quem tradit Suetonius pretiosas margaritas aceto liquefactas sorbere consueuisse; C conuiuis ex auro panes, & opsonia apponere; dictitando, aut frugi hominem esse oportere, aut Cæsarem? quid plura? Caligulam, inquam, quem vicies, ac septies millies H. S. non toto vertente anno absumpsisse accepimus diuitem iudicabis? cum certè citatus Suetonius in vita, p. an. med. egentem appellet.

Idem vocatus egens.

An tu Tiberium tertium Romanorum imperatorem abundantem opibus prædicabis? quem testatur Suetonius in vita circa med animũ ad rapinas cõuertisse;

Tiberij rapacitas multis exemplis confirmata.

& inter cętera Gn. Lentulum augurem, cui census erat diues, D metu, & angore ad fastidium vitæ ab eo actum: vt ne quo, nisi ipso hærede moreretur. Vt omittam ab auidissimo auri capite Galliarum, & Hispaniarum, Syriæque, & Græciæ principes confiscatos ob tam leue, ac tàm impudens calumniarum genus, vt quibusdam non aliud sit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent; An tibi videbitur diues Nero; rapinis vsque adeo inhians: vt,

Neronis sagacitas ad rapiendum.

cum interdixisset vsum amethystini, & tyA rij coloris, summisissetq; qui nũdinarũ die pauculas vncias venderet, pręclusit cũctos negotiatores? quemadmodũ tradidit Suetonius in vita ante med.

Suet.

Hos tu opulẽtos, & sapienter cupidos ne dixeris: nisi priùs magnum Gregorium audiueris homil. 18. in Ezechiel. aliquãto post med. sic sanctem.

Pauper est qui plus quam habeat desiderat.

Greg.

ille pauper est, qui eget, eo quod non habet: nam qui & non habens, habere non appetit; diues est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui cum paupertate conuenit non est pauper. Enimuerò si nuncium remittens opibus amore Dei nunquam pauB per est; si cupidus diuitiarum semper est pauper; profectò liquet, Christi paupertatem genus esse laudabilis sępe, nunquã laudatę satis auaritię. etenim non aliò collimant vota, non aliò collineant Industriæ auarorum; nisi vt nunquam paupertate laborent. Qua propter intelligo iam, cur sapientia non minùs, quàm nobilitate pręcellentes reges non thure modò, & myrrha, sed auro etiam se se spolient ad Christi pedes: videlicet vel vt diuites fiãt, vel vt diuites se esse demonstrent.

Magi promunt aurum, vel vt diuites videantur, vel vt fiãt.

Decet porrò, & virtute præditum, & nobili geC nere natum, nihil non pręstare; vt census sibi paret locupletiores. lepidè quippe canebat Q. Horatius sermonum lib. 2. satira 2.

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior alga est.

Igitur si affluens rerum copia virtutis, nobilitatisque, & pręsidium, & decus est, me sane non pudet indicare Christi fidelibus modum; quo à summa egestate in rerum opulentiam & abundantiam traducantur. Id ego facilè perficere potero, auctore magno Leone;

Leo.

cuius sermone 5. de collectis, & elemosinis ante med. ea sententia fuit, *si ipsis tantùm proprię opes ser*D*uiant* (loquitur autem de illis, qui rerum copia vti nesciunt) *si eorum bonis, nulli iuuantur pauperes: huiusmodi diuites egẽtiores sunt omnibus egenis.*

Qui liberalis non est egentissimus est.

Nemo posthac sordes amet; cum diuitię tam facilè comparari queant, quàm possunt commodè in pauperes erogari. De Crasso in eius vita scribit Plutarchus, virtutes quas habebat plurimas, vnius auaritię sordibus obscuratas.

Crassi auaritia reliquas eius virtutes obscurat.

Hoc enim vitium, cum pręcipuum esset, dotes animi reliquas præstantes licet, & commendabiles, longe tamen supe-

superabat. Quàm fecundè, quàm fœliciter res nobis cedunt; quibus laudabilis proponitur cupiditas facultatum; qua non modo detrimenti quidquam, sed incrementi plurimum sumant virtutes reliquę. Vigeat in nostris cordibus, viuatque semper amor diuitiarum: sed simus memores effati Sancti Bernardi serm. 4. de Aduentu Domini paulò post initium dicentis.

Bernard.

Veræ diuitiæ non opes sunt, sed virtutes.

Diuitiæ virtutes.

Viuat inquam, in nostris mentibus, ac vigeat, & superni Spiritus halitu augēdarum cupiditas facultatum; sed nunquam excidat animo perbreue S. Augustini apoph. serm. 4. de verbis Domini post medium. *diuitiæ nostra Deus.*

August.
Diuitiæ nostræ Deus.

Huc reuocandam censeo rationem, quam eleganter æque, ac verè reddit S. Petrus Chrysologus; cur S. Matthæus tàm subitò diuitijs, ac bonis omnibus remiserit nuncium, vt habetur Matth. cap. 9. sic autem fatur eloquentissimus Archiepis. serm. qui est de S. Matth. & Christo Domino paulò post medium. *Matth. non subtrahitur operi, sed mutatur & telonium suscipit magis, quàm relinquit; vt mansura Deo, non homini peritura conquirat; vt non trigesimum in quadragesimum, quinquagesimumq; nummum tristis redigat supputator: sed trigesimum in sexagesimum, & centesimum gaudij fructum lætus recondat diuinis commodis profuturum fœlix tale commercium*, vt verbis vtar B. Petri Damiani epist. 7. lib. 7. epistolarum ad Agnetem imperatricem; *vbi datur lutum, tollitur aurum.*

Chrysol.

Matthæus de telonio vocatus ad negotiationem lucrosiorem.

Petrus Dam.

Qua porro ratione inire contingat huiusmodi negotiationem declarabo ex S. Hieronymo in illa Moysis verba Exod. 33. num. 13. *Si inueni gratiam apud te, ostende te mihi*, in quem locum cap. 65. Isaiæ paulò post init. in hunc modum loquitur Hieronymus; *maiores diuitias thesauris Aegyptij, Christi opprobrium præstolans.* Habes quas cordis recludas thesauro, quas scrinio pectoris claudas opes Attalicis opulentiores.

Hieron.
Christi opprobria magnus thesaurus.

Quæ cum ita sint, amplectamur lubenti animo auaritiam, nequaquam voraginem illam auidissimam iniustæ prædæ, sed cœlestium indagatricem lucrorum: non execrandam illam turpi cupiditate quærendi miserrimam, sed perbeatam hanc perenni bonorum fructu fœlicem. Comprimamus scelestam auri famem; sed inflammemur A ardentiùs supernarum siti diuitiarum.

In quam gratiam subdere S. Augustini sententiam erit oportunum pauperum Christi derisores deridentis his verbis cap. 10. lib. 1. de Ciuitate Dei ipso initio. *Amiserunt omnia bona, quæ habebant: numquid fidem, numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui est ante Deum diues? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus prima ad Timotheum 6. num. 5. est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.*

S. August.

Nihil amittit qui virtutibus non spoliatur.

Qua in re ipsemet Augustinus quid sentiendum sit decernit clariùs cap. 12. lib. 7. de Ciuit. B Dei circa med. allata tum pauperis, tum diuitis definitione; ait enim. *Dicimus diuites, sapientes, iustos, bonos, quibus pecunia vel nulla est, vel parua: Magis enim sunt virtutibus diuites; per quas eis satis est quod adest: pauperes verò auaros dicimus, semper inhiantes, & egentes. Quamlibet enim magnas pecunias habere possunt, sed in earum quantacumque abundantia non egere non possunt.*

Qui plura cupit quam habeat semper est egens.

Diuitiarum, vt sis sanę mentis amator, quæ veræ sint diuitiæ perpende. Haud immemor sententiæ nunquam obliterandæ quam refert Io. Boterus lib. 1. dictor. memor. viror. C illust. aliquantò ante medium identidem vsurpatam à Laurentio Mediceo; qui dictitabat: Ingenuos liberos nullum à parentibus patrimonium ditius accipere posse, quàm virtutem.

Io. Bot.

Consentit præcellentis ingenij planè memorabile dictum cum definitione magni Gregorij, virtutum patrimonium fidelium nuncupantis c. 1. lib. 3. in lib. reg. vbi ait. *Dominus fidei ministros, vsque in mundi finem per sanctarum virtutum sibi patrimonium succedentes protegit.*

Virtus amplissimum patrimonium.

Greg.

Nihil in filijs commendabilius, quàm hæreditario iure accepta augere in D dies, & auitum patrimonium reddere ditius. Hic ego non tàm auarorum redarguere debeo sordidum animum, quàm eorumdem indicare deceptionem. Errant quippè toto cœlo, qui, vt ditiores fiant, nil omninò erogant: hi sine dubio rapto viuunt fures nefarij, & prędones flagitiosi. Quos S. Basilij auctoritate hom. 6. circa finem sic moneo; *num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur: qui autem nudum non texerit, modò possit alterius nominis appellatione dignus erit? Esurientis*

S. Basilius.

est panis,

Qui sua pauperibus non elargitur, raptor euadit.

est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit; egentis argentum, quod tu terra infossum possides. Quare tot iniurias es hominibus, quot poteras opem ferre. Consilium prorsus insanum, iniusta affectare lucra, cum laudabili auaritiæ genere patrimonium augere possis, atque ditescere: furaris, quæ pauperibus denegas elargiri. Ergo bonorum elargitio diuitem facit, furem immodicus diuitiarum amor. Tu nisi è mentis potestate deiectus nullum non mouebis lapidem; vt magis, magisque ditescas in dies.

B Legisse me recolo apud S. Augustinum concione 2. de 2. parte psal. 32. sub init. vbi ad illud Dei encomium: *Omnia opera eius in fide* ait; *fidelis ille factus est debitor; esto tu auarus exactor.*

August. Auari exactores esse debemus promissorum Dei

Eat nunc Romanæ parens eloquentię Tullius, suæque neruis facundiæ improbare conetur auaritiam, oratione pro Quintio: *Nullum est officium tam sanctum, atque solemne; quod non auaritia comminuere, atque violare soleat.*

Auaritia om nia labefactat.

Imò, vt sibi faciat satis, iterum oratione in Vatinium exclamet; *nemo tàm firmum habuit præsidium; quod auaritia non infregerit, atque debilitauerit.* Sentit arbitratu suo Romanus orator: ego C autem cum Augustino prædicabo probum quemque debere esse exactorem auarum; vt illis ditescat diuitijs, quas ditissimus rerum Dominus liberaliter elargitur. Placet etiam poëtarum fabulas ad nostram institutionem interpretari. Notum lippis, & tonsoribus est: oraculum Pyrhiæ Philippo petenti, quonam pacto pollentes viribus aduersarios debellare posset ex tripode respondisse.

Argenteis hastis pugna, & omnia vinces.

Auro vincuntur hostes.

Et quod caput est, canebat Ennius, D Acherontem etiam à diuite, vi auri, & diuitiarum penetrari facilè posse: inania sunt hæc fabularum deliramenta: verissimum tamen est, diuitijs, quarum lectorem nostrum maximè cupidum exoptamus, vinci inuincibilem, atque omnipotentem superari: his non inferos modò, sed superos expugnabis. Itaque nostrarum partium esse intelligamus, huiusmodi diuitias summo studio cōgerere, & auaritiam, nunquam commendatam satis pro viribus affectare. Hoc porrò fiet, liberali in pauperes bonorum largitione, terrenorum cum cœlestibus permutatione, Christi opprobrijs auidissimè exoptatis, ac constantissimè perpessis; Vno verbo omnium exercitatione virtutum.

Videri potest P. Ludouicus Cressolius lib. 4. mystagogi cap. 31. sect. 3. vbi prosequitur eloquentissimè, qui censeri debeant inter opes inopes, & in rerum omnium abundantia mendici. Qua occasione toto citat. cap. congerit quidquid ferè de auaritia dici potest.

Insuper legendum moneo P. Didacum de Baeza tom. 2. Comment. in euang. hist. lib. 6. cap. 8. §. 14. & tomo 3. lib. 13. cap. 3. §. 7.

IN CAPVT SECVNDVM Num XI. & XII.

Et intrantes domum inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham, & responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem; per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

PARADOXVM X V.

Sola demissio exaltatrix.



DICAMVS & nos bona verba, & aliquando blanda, ac iucunda proferamus. Non semper ardua proponantur, sed identidem bumanæ indulgeamus imbecillitati. Honorum ac dignitatum cupidi proborum omnium exprobrātur lin-

tur linguis, omnium litteris vituperantur. Ades bono animo quisquis autidus honores affectas, & flagranti stimulo permagni haberi cupis; tuas in præsentia suscipio partes, tuum laudo consilium, & probo consilium. Cur enim natus inter stabuli sordes Rex cœlorum cultores habet ab vltimis mundi finibus sapientissimos reges? qui honor illustrior, quæ dignitas sublimior excogitari potest? quorsum inquam in tanta deiectione, tantum dignitatis vendicat sibi auctor ipse sapientiæ, ac dignitatis Christus dominus? me iudice, vt hæreat nostris cordibus, quærendum quidem probo cuiq; honorem, sed contemptu honoris; sola quippè demissio est exaltatrix. Itaquè satius erit insistere vestigijs principum orientis, qui declinant fugi Herodis impetum quod nō nemini vi... posset indecorum; sed tenent iam Christo auctore exaltatricem esse demissionem

Christus natus in stabulo maxime honoratur, dū adoratur à Magis.

Probi viris quærendus est honor

Equidem erit semper apud me extra controuersiam certum, permagni fieri ab omnibus eum, qui se faciat minimi. Sa... al o pact... strauisse sibi ad honores aditum L... adem Megalopolis tyrannum pro ...erto habemus; de quo Plutarchus in ... a ... ati non multo post med. scribit in hunc modum: *Erat Lysiades homo minime ... genio, aut a studio laudis alien... Itaque pulcherrimam mutationem aggressus ... A... tio namque Arato, imperio se abdicauit, vrbemque Achæorum reipublica adiunxit. Propterea magni eū facientes Achæi prætorem delegerunt.* Huc vsque Plutarchus. cuius sententia nequaquam ego honorum, a... ...itatum desiderium censeo improbandum, neque te volo à studio laudis alienum; sed profero in medium exemplar, ac veluti normā, qua verum honoris teneas culmen, & germanę commendationem laudis consequaris. Huc reuoca memorandā planè sententiam, quā non ... complexus est S. Bern. nar. ser. 6. de Aduentu Domini circa med. inquiēs: *Honor tibi est; vt pro eo interim te exhibeas inhonorū.* Quæ christianæ demissionis studioso peragēda cōtingunt; vt pura carceribus detētos non inuisere modo, sed ope, & consilio subleuare decumbentibus in Xenodochijs inseruire, & his similia; tu ne iacturam honoris dixeris, sed vsuram. Recitabo eam Eusebij Emiss. seni orationem, qua Sanctum Maximum hom. de eodem Sancto post med. compellat his verbis. *Quid te humilis Christi serue tuorum complexibus præcipitem rapis? Quocumque loci latere arbitratur, quem vbique lumen suum sequitur. Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur? Quid honorem, quasi indignus repellis? merito prærogatiua est honoris repulsa.* Itaque si gloria additur gloriæ fugiētis si honor est, exhibere se Dei amore inhonorum: vides perspicuè, quàm benè, vltima primis respondeant: scilicet quærendum honorem, contemptu honoris, & demissionem vnicè exaltare.

Plutarc.

Lysiades imperium abdicans ... abdicā.

Bern.

Honorem is habet, qui inhonoratus vult esse.

Euseb. Emiss.

Honorum ... affectatio.

Magnum fuit, ac prorsus memorandum, quod de L. Sylla testes temporum loquūtur historiæ. His ex Asia victor, Vrbem & Italiam vniuersam ... or, ac tantis compleuerat stragibus, vt potissimum ex ipso Romanę nobilitatis flore proscripserit, inaudita post hominum memoriam tyrannide, ad duo millia, & quod caput est, vsurpata dictatura, cum viginti quatuor fascibus procedens Romanę reipublicæ libertatem fastu nefario, maximèque inuiso proterebat, ac conculcabat. Propterea ... in se odium cunctis ordinis hominum, quorum infestos animos conciliauerat sibi tam cœca libidine dominandi. Tamen summum huiusmodi imperium deponendo, dum se abdicauit dictatura, tantum gloriæ fructum retulit, vt populus Romanus vniuersus, quasi iustissimi, quē in Syllam flagrauerat, odij oblitus, eius funus incredibili pompa, atq; frequētia celebrauerit, perindeac si principis optimè meriti memoriā funcie tàm honorifico, tamq; superba ac nobili pompa prosequi voluisset. Sic cum reliquis animaduertit P. Horatius Tursellinus lib. 3. Epit. Histor. post med. O' perenne despecti honoris incrementum: quippè quod etiam, te obeunte, non abit. Lucem quæris gloriæ? Si pis. ... si magno Leoni credis non alia via inu... poteſt, quā demissionis. Affert ser. m. 8. de Ieiun. septimi mensis paulo ante finem; *Maior est lux hominibus humilibus, quàm superbis.* Perpende iam quæ tuæ sint partes, quicumque affectas magni nominis æstimationem. Hæreo adhuc ancipiti cogitatione distractus, sapientior ne Chilonis Lace-

L. Sylla sua crudelitate ... odia commeruit.

Idem abdicato ab omnibus amatus, & mortuus ... deflectus

Leo.

Maior lux humilibus quā superbis.

Chilonis, & Aesopi dialogus.

Diog. Laer.

Lacedæmonij interrogatio, an Aesopi responsio censeri debeat. Etenim eum ille interrogasset, quidnam faceret Iupiter? Aesopum respondisse ferunt, si Diogeni Laërtio lib. 1. de vita philosophorum in Chilone paulò post initium credamus. *excelsa humiliat, & humilia extollit*. Digna profectò philosopho assertio: cuius sententiam si Deorum maximus totus est, in extollendis humilibus: habes compendiariam viam ad celsitudinem, vnam humilitatem. Obserua obiter, non semper cęcam exorbitasse antiquitatem, quandoquidem Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam, notissimum est.

Iupiter excelsa humiliat & humilia extollit.

Propositi portò argumenti, haud obscuram confirmationem petere possumus à Iustino historice, qui ipso suæ narrationis initio sic habet. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat; quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat*. Ex quo manifestè apparet, toto cœlo aberrare, quisquis fastu, atque ambitione fieri aditum ad summa putat: immò hunc sicuti intercludit ambitio, ita patefacit demissi animi moderatio. Quod vt experimento didicit, ita exemplo nos docuit Cato; cuius celeberrimum elogium, quo dicebatur vulgo de Catone. Quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur; leges apud S. Augustinum lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 12. circa medium. *Quandoquidem autem umbræ instar gloria est, quæ fugientes sequitur, sequentes fugit: inanis blandimenta gloriolæ fuge velox, vt te illa cursu expeditiore sequatur*. Quoniam vero diximus, quemque sibi fuga gloriæ [illegible]sulere debere, vt gloriam assequatur Dionis monitum subijcere non e[illegible]e. De Dione loquor Boristenite, qui [illegible] re solebat, vt lib. 4. de vita philosophorum in eius vita paulo ant[illegible]d[illegible]bit Laertius. *Elationem esse pro[illegible]us impedimentum; quo qui detinetur susceptum iter conficere nequeat* — [illegible]ur qui festinus contendit susceptum gloriæ iter conficere: abijciat impe[illegible]enta necesse est. Gloriam sequeris, vt proficias & ingentibus viam cæteroqui arduam passibus peragas: depone elationem, quæ à cordato viro sapientissimè dicitur impedimentum. Euolue vitã

Iustinus.

Moderatio olim prærogatiua imperij.

Catonem fugientem gloriæ ambit gloria.

August.

Gloria velut vmbra, quæ fugientes sequitur.

Laer.

Elatio impedimentum tendentis ad gloriam.

A præceptoris Caroli magni, hoc est B. Alcuini, siue Albini flacci, quæ operibus eiusdem prefixa circumfertur. Carolus magnus vt S. Martini ossa religiosè coleret, & simul etiam Albinum alloqueretur; sepulchrum S. Turonensis Antistitis petijt vna cum Carolo, Pipino, ac Ludouico liberis suis: ibique familiari colloquio Albini manum stringens eundem interrogauit his verbis. *Domine Magister, quem de his filijs meis videtur tibi in isto honore, quem indigno tamquam dedit mihi Deus habere me successorem?* At ille oculis Ludouicum designans ait: natu quidem minimum, sed

Alcuinus magister Caroli magni.

B humilitate precipuum; responsum portò his planè verbis ab auctore vitę recitatur. *Habebis Ludouicum humilẽ, successorem eximium*. Quod altè condidit pectore memori Carolus: & post aliquod tempus, cum idem B. Alcuinus communionem corporis Christi, & sanguinis propria manu misceret: vnus inter omnes Ludouicus humili, demissoq; vultu S. Sacerdotis manum osculatus est. Tunc vir Dei, qui proximè aderat, Sig[illegible]lfo dixit. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Certè istum post*

Lodouicus minimus filiorũ Caroli magni, quia humillimus designatur ad imperium.

Ludouicus Caroli magni filius ex humilitate osculatur sacerdotis manum.

C *patrem Francia gaudebit habere imperatorem*. Oraculum comprobauit euentus, Ex quo recognoscas velim, num verè prędicetur sola humilitas exal[illegible]ix? Vna animi demissione fratr[illegible] d[illegible]lis Ludouicus, maioribus n[illegible]tu pręfert[illegible]: vt pateat ex[illegible] singulare priuilegium esse solius h[illegible]atis

Verùm si [illegible]ortè alicui fidem excedere vi[illegible]etur, & captum: excipiat non vulgare[illegible]or, animaduersionem à rerum emissatum natura petitam. Quæ quandoquidem, quo abiectiores, ac viliores iudicantur, eò sunt re vera pręstantiores:

Res naturales quo abiectiores, eo præstantiores.

D minimè mirum videri debebit si dixero, solam humilitatẽ esse exaltatricem. Scribit eximiæ vir eruditionis Cælius Rhodyginus lib. 1. lect. antiq. cap. 4. non longè ab initio. terram è stellis vnam habitam fuisse ex doctrina Platonis, quam hauserat à Pythagora, sic autem habet loco citato; *Meminit in lib. de cœlo, & mundo Aristoteles terram è stellis vnam esse. Propterea si concipias, esse te in sublimi quopiam mũdi loco; vnde oculis subijciatur terræ moles aquis circumfusa, & solis siderumq; radijs*

Cel. Rhod.

Arist.

Terra si spectaretur è cœlo similis videretur Lunæ.

illustrata

illustrata non aliam profectò visum iri pro- A *babile est, quam qualis modo visitur lunaris globi species*. Ex quibus facta comparatione, palam fiet quid censeam sentiendum. Equidem sicuti nil abiectius, viliusue est, hac, quam calcamus terra; vtpote inter elementa, & loco, & dignitate infima: ita nil pulchrius, aut præstantiùs est sideribus pulcherrimis scilicet mundi luminibus etiam circumfusas inter tenebras emicantibus. Vtrum verò terra è stellis vna haberi debeat, & tamquam veritati consonum affirmari, viderint studiosi philosophiæ. Illud sit extra controuersiam, B in vera christianę disciplinę sapientia, rem ita se habere, vtque infima, humilia, abiecta sunt, ac terræ instar ignobilis in nullo sunt pretio: ea veluti præcellentiora, & siderum instar nobiliora censeri debere.

Huius rei si vestigium aliquod inuenire potero apud ignaram veritatis antiquitatem, sine dubio non omnino olcum, & operam perdidisse videbor æquis rerum extimatoribus. Leges apud Plutarchum, de [illegible] uno Alexandri, oratione 2. Alynomum [illegible] aph regem, ex hortulano factum. Consule Gellium lib. 16. noctium Atticarum cap 4. & inuenies sermonibus senio- C rum [illegible] num, atque eruditorum multos ex veteri memoria altissimum dignitatis gradum tenuisse, ex infima, & despicatissima sorte. Inter cæteros exemplum affert Ventidij Bassi, qui cum sibi victum sordidè parasset diutius mulis fricandis: tandem Consul Romanus factus imperauit. vt sileam Telephanem curruum fabricatorem, Lydorum tenuisse sceptrum, vt prodit Demosthenes in orat. contra Midiam, & Tyridatem Parthorum regni potitum, ex seruili fortuna, vt Iustinus scrib. l. b. 42. in fine. Imo vt recentioris memoriæ monumenta prætercam, taceboD Victigem obscuris parentibus natum, regnum obtinuisse Gothorum, quod à Procopio scribitur lib. 1. tacebo Primislaum tertium Bohemorum regem, ex armentario, & bubulco: tacebo Tamerlanum, ex porcario regem Scytharum. Denique quis nesciat Mahometem vectigalem ductasse camelos, tum ad Arabici fastigium regni euectum ditissimum, & amplissimum imperium vsurpauisse: Sed quorsum ista, aut quo consilio recitentur à nobis intelli-

A[illegible] nomus ex h[illegible] n creatus rex. P[illegible] Gellius.

V[illegible]ntidius ex [illegible] ione con[illegible] Romanus.

Telephanes ex [illegible] o Lydorū rex.

Tyridates ex fe[illegible]o ex Parthorum. Iustinus.

Vitiges ex obscuris natalibus rex Gothorum. Procop.

Primislaus ex bubulco rex Bohemorum.

Tamerlanus ex porcario rex Scytharum.

Mahometus prius vectigalis deinde rex Arabum.

gentia percipere nemo potest; nisi recolat attentiùs, quæ Seneca sexta controuersia lib. primi paulò post initium scribit in hûc modum. *Quid tibi videntur illi ab Aratro citati; qui paupertate sua, beatam fecerunt rempublicam. Quemcumque volueris reuolue nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenseo singulos cum hanc vrbem possim tibi ostendere? nudi steterc colles, interque tamen effusa mœnia. Nihil est humili casa nobilius fastigiatis supra tectis, auro puro fulgens prælucet capitolium. Potes obiurgare Romanos, cum humilitatẽ suam, obscurare possint, ostendunt. Sed hęc non putant magna, nisi apparuerit ex paruis surrexisse*: Hucusq; Seneca. Abnuat iam qui voluerit, & contradicat meę opinioni; dummodò stet pro me tanti philosophi auctoritas, qua monemur, non modo humilitatem cuiusuis præstantiæ originem esse. verùm etiam eam tantummodò præcellentiam censeri debere germanam, quæ ab humilitate tamquam à fonte emanet, cum humilitatis sit non tantùm quomodocumq; eueh[illegible]re: sed quæuis, quæ ab humilitate non oriatur celsitudo, vel stare non possit, vel certa non est. *Non putant magna nisi apparuerit ex paruis surrexisse*. O' m[illegible] [illegible]missa demissio, o nequaquam humilis humilitas. quandoquidem, & magnis magnitudinem tribuit, & præcellentiam præcellentibus.

Hucusq; quę diximus non parum egregia B. Petri Damiani animaduersione illustrabuntur. Audi purpurę Romanę decus inclytum; cuius ea sunt verba ad Gebizonem Abbatem, quę vt superbiæ arguat, sic inquit. *Ambis priuatum propria gloriæ nomen acquirere; dedignaris alieno nomini sobolem procreare. Sic, & ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth competebat vxorem (quod legitur Ruth 4) cedo, inquit, ad Booz, iure propinquitatis. neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. Ille quippe vanus, & gloriæ cupidus proprio nominis posteritatem familiæ, conabatur extendere: Booz autem vir bonus, & iustus famam proprij nominis paruipendens, Diuinę tantummodò legis contentus est mãdata seruare. Sed ecce illius, qui suam post se memoriam anhelabat in posteritate relinquere, ne nomen quidem agnoscitur: his autem non solum in patrum, sed in patriar-* charum

Seneca.

Omnis nobilitas ab humilibus principijs.

Pet. Dam.

Booz laudabilis, quod alteri nil os genuerit.

charum catalogo, cum gloria numeratur. Ille posteritatis famam, cui prouidit amisit: iste paternum nomen, quod pro sacra legis obseruatione spreuit, accepit. Ille nescitur parens esse: iste præpotentium pater factus est regum. Ita epist. 9. lib. 6. epist. nō multo post init. Sic se res habet: vt magni etiam apud homines fias: pasui te pro Dei honore facias. iuxtà consilium disertissimi S. Ioannis Chrysostomi hom. 66. in cap. 20. Matth. aliquantò post med. dicentis: *noli ergo timere, quasi honorem tuum humilitate amittens.* Quod mox probat exemplo Christi inquiens: *antequàm homo factus esset ab angelis solùm cognoscebatur: posteaquàm autem hominem assumpsit, & Crucis patibulo pependit: non solum gloriam illam non amisit; verùm etiā hanc acquisiuit, quæ à cognitione orbis resultat. Quare nullo pacto metuas, quasi tollatur honor tuus; si te ipsum humiliaueris: hinc enim, vel ad Cælos vsque gloria tua pertransit; hinc amplior, atque præstantior redditur.* Quod quidem rex Dauid se se experimento didicisse fatebitur, inquiens psal. 72. num. 23. *vt iumentum factus sum apud te.* Quid abiectius excogitari potest, quid vilius mente comprehendi, *vt iumentum?* Quid tum? num. 24. profitetur: *tenuisti manum dexteram meam, & cum gloria suscepisti me.* Nihil honorificentius ea gloria, quæ à Deo est, quà nulla maior, spectabilior nulla. Regni decora, fulgens sceptrum, micans gemmis corona, vides vnde duxerint originem. *Cum gloria suscepisti me*, quia mihimet ipsi vilueram, vt iumentum, *Virtus humilitatis*, non mea, sed S. Augustini lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 1. paulo post initium sententia est, *qua fit, vt omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia, non humano vsurpata fastu, sed diuina gratia, donata celsitudo transcendat.* Proh quanta sublimitas est, ad quam extollit demissio. Itaque si præcellum dignitatis gradum affectas, caue mente excidat monitum illud, quod dictitabat Theocritus, quemadmodum noster Raderus in lib. 5. Mart. Epig. 80. in Dydimum refert. *(rit.*

Quærentes fugit, & fugientes gloria quæ-

Ideò fortasse, vt lupesiùs innuebamus, mundi gloria à sacris scriptoribus vmbræ comparatur, quia si sequeris fugit, si fugias sequitur, vmbræ instar.

Pet. Dam.

Chrys.

Christus verbum ex humilitate carnis assumptæ nobilitatum.

Dauid iumento se comparans suscepitus à Deo cum gloria.

August.

Humilitas omnia excellit.

Quod videtur indicare voluisse S. Bernardus epist. 126 ad episcopos Aquitaniæ non multo ante med. dum ait. *Quo gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur Quid tam inglorium, quam gloria cupidum deprehendi* Præclarum profectò hac in re præbuit nobis exemplum euāgelicus Centurio, iuxta eiusdem Bernardi sententiam dicentis. *Quam pulchrè locutus est beatus ille Centurio; & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites: dicturus, habens sub me milites, præmisit, homo sum sub potestate: priùs se agnouit hominem, quàm potentem. Re vera, quia non confusus est de subiectione; iure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, & ideò dignus, qui haberet & sub se milites.* Ita epist. 42. ad Henricum Senonensem archiepiscopum paulo ante finem. Dicamus iam, non tantum humilitem compendiariam ad honores viam; verùm etiam solam demissionē esse exaltatricem. Qua porrò ratione tollat in altum demissio pluribus, qui confirmare velit, videat S. Gregorium 2. parte Pastoralis cap. 6. ante med. Nos interea cum D. Chrysostomo homil. 66. in caput 20. Matth. circa finem concludamus his verbis; *Amplectamur igitur humilitatem si sublimes fieri desideramus, præsertim cum videamus ab insolentia deijci homines. Hæc enim ad humilitatis barathrum Pharaonem detrusit: nescire namque dominum dicebat, & soricibus & ranis, ac muscis deterior factus est. postremò cum ipsis armis, & equis submersus fuit. Abraham verò è contrario: ego sum terra, & cinis prædicabat: propterea & multa barbarorum millia vicit, & cum in medium Aegyptiorū incidisset, maiori cū triumpho euasit: cui virtuti semper inhærens, sublimior in dies reddebatur: imò verò sublimior quotidiè fit, cum eius laudes vbiq; decantentur. Pharao autem, & terra, & cinis & si quid humilius excogitari potest, factus cognoscitur.* O' factum bene inscrutabili diuinæ sapientiæ consilio: superbia deijcit, exaltat humilitas. I nunc, & exaltatricem demissionem refugias. Qua in re, mihi quidem, semper instar omnium futurum est, quod S. Bernardus monet, proposito exemplo, ipsius magistri maximi humili-

Bernard.

Gloriæ ambitio minimè gloriosa.

Centurionis humilitas.

Chrysost.

Phara superbus deprimitur.

Abraham humilis exaltatur.

Bernard.

humilitatis, Christi Domini; de quo verbum faciens ser. 2. in Epiph. paulò post initium sic habet magos alloquens. *O magi, si Rex est, diadema eius vbi est? sed vos verè videtis eum in diademate, quò coronauit eum mater sua, in sacco mortalitatis. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem, in diademate quo coronauit eum mater sua.* Ea plane ratione, qua humanæ carnis abiectio Christo Domino coronam imposuit regiæ maiestatis: ita sectatoribus Christi si quid vile, & humile contingit, existimationem nominis amplificat, & splendorem,

Plura, qui velit consulat P. Didacum de Baëza tom. 1. in Euang. hist. lib. 3. cap. 7. §. 19. & eodem tom. lib. 5. cap. 2. §. 4. similiter tom. 1. lib. 9. cap. 3. §. 6. & lib. 11. cap. 6. §. 10. & tom. 3. lib. 14. cap. 12. §. 5. & tom 4. lib. 16. cap. 23. §. 20; eodem tomo lib 18. cap. 8. §. 42 Iterum tom. 2. lib. 12. cap 7 §. 1. & lib. 1. sect. 33. cap. 2. de Christo figurato.

Videatur etiam P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses ad cap. 2. vers. 7. adnot. mor. 4. & ad idem cap. vers. 9. 10. & 11. adnot. mor. 6.

Præterea in hunc sensum scribit P. Auendagnus discursu 1. in festo S. Francisci vbi probat hoc loquens de exaltatione Mosis apud Pharaonem.

Præterea Iacobus Pinna de Christo crucifixo lib. 4. tit. 1. loc. 8. num. 13. & lib. 2. tit. 1. loc. 3. ferè per totum.

Consule etiam Gasparum Sanctium in Ezech. cap. 14. num. 36. insuper.

Legatur Benedictus Fernandius tom. 1. in Genes. cap. 31. sect. 8. num. 9. & c. 18. sect. 2. num. 10. & cap. 15. sect. 6. num. 1. denique cap. 23. num. 7.



A IN CAPVT SECVNDVM Num. XIII. & XV.

Num. 13. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum,

Num. 15. Et secessit in Aegyptum.

PARADOXVM XVI.

B

Miles omnium gloriosissimus, qui hostes fugit.



FVGA consulit vitæ suæ is, qui licet paruulus, fortis tamen ab Euangelico Vate prędicatur. (*Isaie cap. 9. num. 6. Isaia.*) Verùm percontari libeat, quid excogitari, aut animo comprehendi potest a fortitudine tam alienum,
C quam inimici metu fugari? Si natus ad labefactandos hostes Dei filius fortis est, pedem ab acie non referat, sed manus cōferat; arena est perfundenda sanguine, nō stadium cursibus perlustrandum. Vt hac ratione, & suæ existimationi, & Christianorum militū, quos ducit vtilitati, exēplo suo faciat satis. Verū eas, fuge velox, fuge victor, vt te ductore, ac doctore percipiamus Christiani militis fugam gloriosam.

Pro comperto habemus omnes Christi fideles nomen tesserā esse militiæ. (*Christiani nomen Tessera est militiæ.*) Hostes scilicet habemus perpetuos, & fœderis nescios, cum quibus continuo bella gerimus. Vnde S. Cyprianus ser. 4 de mortalitate (*S. Cypr.*) paulo post init. dicebat verissimè; *quid a-*
D *liud in mundo, quam pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quam aduersus iacula eius, & tela conflictationibus dimicatur? cum auaritia, nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cū illecebris sæcularibus assidua, & iugis, & molesta luctatio est.* Propterea Mexicani, vt scribit Io. Boterus libro 1. dict. mem. virorum illust. paulo ante med. (*Boterus.*) quoties eductus maternis visceribus infantulus extrahebatur in lucem, illum

non modò verbis monebant, natum ad ferendos labores bellicos, verum etiam ipsa arma tradebant, solebant enim infantulo vix nato sagittam, & arcum porrigere stringendū; Prima veluti agendorū tota vita militariū stipendiorū haud obscura rudimenta. Consule S. P. Chrysolog. quē in hanc eādem iuisse sentētiā comperies ser. enim 12. ferè ipso initio ait. *Ecclesiæ maneamus in castris, vigilemus in acie Christi*, & serm. 54. post med. ait: *Christiano mi·litare est, id quod viuit in sæculo*.

Mexicani infantulo vix nato sagittam & arcum porrigebant stringendum.

S. Petr. Chrysol.

Est igitur extra omnem controuersiam, quamdiu viuimus in acie nos esse. quod quidem intellexerunt etiam æquissimi illi **B** rerū extimatores, apud quos in more positum fuisse accepimus ab Artemidoro, mortuorum corpora terræ mandare cum coronis ex oliua contextis. *Cum mortuis simul* inquit cit. Auctor lib. 4. c. 49. *Coronas ex oleastro afferunt*. Vt præclarè testarentur; quemadmodum interpretor, eam esse humanæ vitæ conditionem; vt non nisi exacto labentis sæculi huius curriculo à certamine desistant homines, qui amicæ pacis otio, dum viuunt, frui nequeant. Quod Chion. Epist. ad Plato. cōscriptam planissimè testatum reliquit his verbis enarrans præsagia suæ mortis. *Mulier videbatur mihi, Diuina quadam venustate, & magnitudine me oleastro, & coronis ornare, & paulo post ostendere mihi sepulchrum quoddam pulcherrimum, & dicere mihi. Quoniā def*[unct]*us es Chion ingredere in hoc sepulchrum, & quiesce*. Nihil potuit aptius scribi ad præsens institutum, vt ex ipsis etiam Ethnicorum deliramentis, licet subobscuris, ea, de qua agimus, veritas non parum illucesceret. Quod si quis forte fortuna dixerit; nonne humani generis hostes ab inuicto Reparatore profligati sunt? nonne fusæ acies, ac debellatæ hostium truculētissimorum? nulla igitur formido certaminis, metus pugnæ nullus. Audiar is, quam habeo in promptu S. Leonis responsionem; *quamuis ergo*, loquitur S. Pontifex, *Dominus protegat bellatores, & milites suos ille, qui potius est in prælio cohortetur, & dicat nolite timere, quia ego vici mundum, sciendum tamen est dilectissimi, hoc incitamento formidinem sublatam esse, non pugnam, & retuso aculeo mortis, causam manere certaminis*. hęc S. ser. 7. de Ieiun. 10. mens. paulo

Quamdiu viuimus in acie sumus.

Artemidorus.

Mortuorū corpora olim cū coronis ex oleastro sepeliebantur.

Chion.

Sepulchrum, locus est quietis.

S. Leo.

Christi morte & victoria sublata formido est, non pugna.

A post init. Plura qui velit, eaque lectissima consulat P. Ludouicum Cressollium lib. 1. Myst. cap. 8. sect. 1. 2. & 3.

Lud. Cressol.

His breuiter constitutis reliquum est, vt videamus militis Christiani fugam victricem esse, & quod inde consequens est, maximè gloriosam.

Christiani fuga victrix est & gloriosa.

Haud aberrare videbor à veritate ei, qui in Romanorum historijs mediocriter sit versatus. Quis ignoret, dissidium illud Romanos, inter & Albanos, Horatiorum, & Curiatiorum virtuti commissum fuisse, decernendum; non tām armis, quàm fuga fuisse sublatum? *Cæsis duobus Romanis*, vt leges apud Titum Liuium decad. 1. lib. 1. *Vnus solummodo superstes eras, qui fugam capessens, non pugna, sed cursu restituit rem & fortunam Roma dignam, quam dimicando pene perdiderat, fecit fugiendo*. Ita plane contingere in eo, de quo loquimur certamine, certo certius statuamus. Trepider Christi miles, atque ferocientis insaniam hostis, cursus pernicitate declinet, memor breuissimi, sed aurei S. Cypriani moniti lib. de singul. Clericorū paulo post init. dicentis, *estote timidi, vt sitis intrepidi*. Trepidet inquam Christianorum cor, **C** & ab alea certaminis cursu velocissimo se subducat, & omni abiecta formidine triūphet securus; Non secus ac Parthos fugientes dimicare consueuisse accepimus, vt gloriosam de Hostibus victoriam reportarent. Vnde.

Titus Liuius.

Roma res nō pugna sed cursu restituta.

S. Cypr.

Timiditas facit intrepidos.

Fidentemq; fuga Parthū versisq; sagittis. Legimus apud Maximū Poetarū 3. Georgicorum, fugā igitur vnicum pugnantium præsidium, planeq; victricem, eorum etiam auctoritate, qui inter humanæ sapiētiæ inuolucra, imo inter barbararum cōsuetudinū tenebras caligabāt, possumus affirmare.

Parthi fugientes dimicabant vt victoriam reportarent.

Virgilius.

Quæ tamen libentissimè missa facio; **D** vnius Eusebij Emisseni cōtentus suffragio dicentis; *talis est natura, & infirmitas inimici, te recedente cedit. Ecce hostem, quem fugisse vicisse est*. Ita sanctus hom. 3. de Paschate non multo post init. Testem hoc loco appello omni exceptione maiorē Apost. Paulum, de se scribentem 2. ad Corint. 11. n. 33. *per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius*. Cur quæso fugit Christianorū militū inuictus Antesignanus? An nō satius fuisset rationibus firmissimis, auctoritate sacra-

Euseb. Emiss.

Hostem fugisse vicisse est.

S. Paul. Apost.

ctarum litterarum, cōtra Christiani nominis hostes pugnare, & eosdem miraculis, & patientia expugnare? cur igitur fugis Paule, & quasi parum id esset, scriptis etiā cōsignas memoriæ posterorum, datis Epistolis ære perennioribus. Verū fallor, quia sine dubio propugnatorem fidei acerrimū Paulum causa cadere dicet solummodo is qui non animaduertit diligentiùs, haud temerè mentionem fieri sportæ. Crediderim, vt intelligatur, quam gloriosa sit, ac triūphans fuga bellatorum Christi: Sportæ enim palmis conficiebantur, palmam vero victorum honestamentum semper fuisse, decantatur in triuijs. Propterea apud Plutarchū Simposiacon 8. quæst. 4. Herodes Rhetor illud proponit problema, qua nam de causa, alia certamina alias habent coronas, palmam communiter omnia. Id autem fuerit; siue vt sospis ibidem contendit, quia cum victoris gloria, quātum omnino fieri potest, ab interitu, & senio immunis esse oporteat, par ideo fuit vt palmis victores decorarentur iuxta illud orphicum.

I ită agebāt similē palmarū altè comātiū.

Præter quam quod, folia firma, & semper durantia nulli arborum sunt, sicuti palmæ, quod inditium etiam fuit gloriæ immortalis. Siue vt Praxireles grāmaticus cōtēdit, quod Theseus primus in Delo certamē instituēs, auulsit frondē de sacra Palma. siue demū, vt asserit Caphisus Theonis filius palma si superne onere imposito premantur nō deorsum affligitur, aut concedit, sed cōtra incuruatur quasi vi renitens prementi. Eodem modo, qui in certaminibus fortiter sustinent, eorū non corpora modò, sed animi quoq; eriguntur, & augētur, digni ideo palma. Verum quacumque tandē ex causa id fuerit vsu receptum; illud certum est, nullum victoriæ signum notius, aut communius fuisse, quam palmam. Dicatur igitur de Paulo, merito dum fugit per sportā, dimittitur is, cui, vt reliquis palma manu gestata, satis esse non poterat. Scilicet quia qui dimicando vincit, manu gestet: qui fugiendo triumphat, toto corpore palmam præseferat necesse est; adeo vt palma vndequaque circumdatus appareat. Itaque quisquis gloriæ cupidus, arma stringis in hostes humani generis fuge velocior euro, citior aura, sagitta expeditior. Hæc ego conscripserā quando legi ab Aratore Dia-

Paulus in sporta per murum demissus docet, quam gloriosa sit fuga Bellatorum.

Plutarchus.

Quarè cōmunia ... certamina palmam habeant.

P... ma, dum, ... imposi- ... premitur, ... p... nens vire ...

A eono, & Poeta cum de hac Pauli fuga meminit in acta Apost. fuisse disertè animaduersū sportā hancè palmis fuisse contextā.

Cōditionis nostræ fęlicitatē satis superque expressisse sibi visus est, & eloquio, & Pōtificatu maximus Leo ser. 1. de quadragesima circa med. inquiēs. *vita hac nostra in medio insidiatorum, in medio præliorum est. Si volumus superare, pugnandum est.* Præclarè nobiscum agi censebit non nemo quandoquidem, vt victoriam reportemus dimicare sat est. Verū hoc quoque est impar nostræ felicitatis præconium. Dicamus potius, si volumus superare fugiendum est. B De Israelitico populo legimus 1. Reg. c. 13 n. 6. intra antra se recepisse, metu alas addente. At hoc indecorum est, inquiet aliquis, & maximè alienum à dignitate eorū, qui Dei patrocinio tuti esse deberent, & pugnare intrepidi. Aduerte mysteriū docet Greg. lib. 9. in 1. Reg. c. 3. circa med. & quæ sint tuæ partes, animo comprehende. *Exempla prauorum,* inquit sanctus, *vitare citius possumus, si ea etiam respicienaa non esse iudicemus,* tum sic concludit: *Quæ cernitur nō est fuga, sed gloriosa victoria, fugiēdo igitur noxia hostes suos validius consequuntur, & valde nobilius triumphant, cū sic ad cælestia properant, vt eos aduersariorum polluta sauciia non contingat.* C hæc ex S. Greg. Itaq. disertè pronūcio Dei milites gloriosiùs fugiunt, quā vincant sęculi bellatores. Atque hinc licebit cuique conijcere, quantum pugnando valeant, qui tantum fugiendo possunt.

Verum altius repetēda res est. Christiani Bellatores gloriosa fuga, quādo cętera deessent omnia, quia Christi asseclæ, vt in reliquis omnibus, quasi ex diametro sectatoribus mundi contrarij sunt. Nempe isti diuitias quæsiunt, illi contemnunt. Isti magni nominis existimationem appetunt, D illi despiciunt, & eodem modo liceret ire per singula; ita etiam par fuit, vt in hac quoque parte discreparent. Militia huius sæculi fugæ se committere, indecorum ducit; oppositum planè contingit in castris militum summi Dei. De Septimio Seuero fœlicissimo illo inter Romanos Imperatores, qui nunquam aduerso marte, nisi cum morte dimicauit refert Beda lib. 1. Histor. Ecclesiast. memorabile dictum. Perducto in Britaniam bel-

S. Leo.

Si insidiatores superare volumus pugnandum.

Si insidiatores superare volumus, fugiendum est.

Populus Israeliticus in antra fugit, metu alas addente.

S. Greg.

Hostes vitare fuga non est, sed triūphus.

S. Greg.

Christi Asseclæ mundi sectatoribus cōtrarij, omninò sunt etiam in fuga.

Beda.

lo Seuerus pedibus laborans, inferendæ cladis victoriam morabatur. Itaque exercitus pugnandi desiderio incensus dum cunctantem expectat Seuerum eiusdem filium Bassianum, Cæsarem consalutat, cuius rei allato nuncio, Seuerus extemplo, omnique prorsus mora postposita deferri se iubet in Castra, statimque nouum Cæsarem cum Tribunis, & Centurionibus cogit. Quibus Augusti præsentia perterrefactis, vtpote sibi conscijs in genua prouolutis: *nesciebatis*, inquit Seuerus seuero prorsus supercilio, *imperatorem non pedibus in acie, sed capite dimicare?* Indicans consilio, & rerum gerendarum B prudentia, non autem ad fugiendum pernicitate opus esse in castris bellatorum. Discrepat quemadmodum dicebam, vt in reliquis omnibus, ita etiam in hac parte Christi militum disciplina ab ea sapientia, quam tantopere iactant humanæ militiæ bellatores. Instar omnium sit Euangelici Vatis auctoritas, vt laudes eorũ, qui strenuè in hac arena mortalitatis se contra hostes gerunt breui orationis ambitu cõplectatur dicentis c. 18. n. 2. *Ite Angeli veloces.* Putabam quoniam cum beatis mentibus Dei serui conferuntur, & Angelorũ C donantur nomine, à pulchritudine, ab immortalitate, vel ab alia simili dote cõmendandos. Verum à sola velocitate petitur encomiũ, cũ dicuntur, Angeli veloces fortasse, quia nihil nos tam cõmendabiles, aut præconio dignos efficit, si Deo militamus, quam in capessenda fuga velocitas.

Sola velocitas in fuga capessenda seruos Dei similes Angelis efficit.

Neque me iudice, aliam ob causã ad explicandam fortitudinem, quam à Deo acceperat, Dei seruus Habacuch mentionem facit pedum ceruorum, c. 3. n. 19. inquiens *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos, quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor.* Credide- D ram demonstrandam fuisse fortitudinem ab adamantino pectore, ab æreis lacertis, ab insuperabili robore, vel ab alijs huiusmodi sexcentis capitibus, sed nouo inuẽto & hieroglyphico prorsus inaudito, ceruorum pedes memorantur. Sine dubio, vt intelligamus eam, quã à Deo accepimus fortitudinem, non aliam esse, quã pedum velocitatem, vt Christianus Heros accommodatius à pedum velocitate laudetur, quam olim Homericum fortitudinis exemplar Achilles.

Habacbuc.

Christiani militis fortitudo quæ?

Quem apud Pieriũ Valerianũ lib. 7. Hieroglyph legimus sub Chirone ceruorum medullis ab adolescentia enutritum, vt mirum videri non debeat, si à Poetarum principe a pedum agilitate, & celeritate cursus extollatur. Q ia quidẽ vsque adeo pollebat, ' Pindarum audiamus, vt ceruos absque canibus, & retium insidijs assequeretur. Tanti videlicet facienda est in absolutissimo bellatore ea laus, quę a celeri petitur fuga. Ex quibus mirari desine, dum legis apud S. Ambrosium in Virginis institutione c. 15. *vicit Herodem Paruulus* de Christo Domino loquitur, *cuius victrici fuga fuit Herodes impius debellatus.* Eodem consilio Menapios bellatores in suis pelris, canem pedibus ad cursum porrectis depinxisse, inuenies apud mox citatum Pierium Valerianum lib. 42. quam ego crediderim esse rationem, propter quam monet nos *sapiens prouerb. 3. n. 25. & 26. ne paueas repentino terrore, & inuenies tibi potentias impiorũ. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum.* nimirum pedibus conficiendum est huiusmodi prælium, vsque adeo gloriosum, vt noluerit Deus alteri committere pedum procurationem. Hic ego castissimi Ioſ ph mentionem facere prętermitto de quo Basilius Seleuciç antistes or. 8. *fuga vsus pro armis.* fuga ergo non timidè recedentis sed strenuè pugnãtis est. Prætermitto Iosue celeberrimum bellatorem, qui vt habetur Iosue. c. 8. cum vrbem Hai debellare vellet diuino imperio fugit hostes, & fugiendo superauit.

Pier. Valer. Achilles Ceruorum medullis puer enutritus.

Pindarus.

Ambrosius. Paruus Iesu fuga debellatus Herodes.

Pier. Valer.

Ioseph fuga vsus suis pro armis.

Describitur Apocalypsi. 12. singulare certamen inter mulierem, & draconem, de quo n. 7. dicitur factum est prælium magnum in Cœlo. Aues scire, quod pugnæ genus, & cuius fuerit victor triumphus è lege ibidem num. 6. & *fugit mulier.* Sane muliebre certandi genus fugam arripere, dicit non nemo. Sed si consideret hac ratione fuisse dracone profligatũ, quemadmodum disertè eod. cap. nu. 9. scribitur, & *proiectus est Draco ille magnus, serpẽs antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersũ orbẽ, & audiui vocẽ magnã è cęlo dicentẽ. Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius.* Quis nõ animaduertat, vt gloriosã de hoste victoriã consequamur, præcedat

Apocalypsi.

Iosue fugiẽdo hostes supera uit.

Draco in cœlo à muliere fugiente profligatur.

cedat fuga necesse est. Intellige fore vt mi. A nimè ab angelis, cœleste pæan decanretur, nisi pugnaueris fugiendo. Huius quidem; quod fortasse videtur nouum rudimentum aliquod, siue monumentum inter arcana naturæ recognoscere facilè poterimus, proposito problemate, de quo Cælius Rhodyg. lib. 1. lect. antiq. cap. 11. post med.

Cæl. Rhodyg.

Quæ ratio est, cur omne perfectum Animal dexterum prius profert pedem inter ambulandum, nunquam sinistrũ, qui semper secundo loco mouetur, & trahitur potius ad corpus sustinendum, ne decidat; Respondet citatus auctor ex mente peripateticorum, id contingere propter caloris B copiam, & vim spirituum ingentem, qui à corde, tanquam à fonte procedunt. Itaq; si pedum velocitas, & expedita currendi facultas magistra natura, à corde, tanquã à principio ducit originẽ, timiditatis indicium dicatur ab eo, qui ignorat, cor sedem esse magnanimitatis, ac virium. Vnde apud eundem Rhodyg. lib. 6. lect. antiq. cap. 5. init. Disces vsu compertum esse in trepidationibus, exsudare pedes, non faciem, quæ alioquin obnoxia sudori maximè est. At si Hipocratem audiamus sententent. 4. vbi sudor, illic ægritudo: sudor ille pedum Aristotele magistro languescen- C tis naturæ indicium est, & certum trepidantis animi argumentum est, eius, qui se loco mouere nesciat, & trepidus hæreat *timore* perculsus. Igitur volubilis, & in omnem partem circumducta citissimè pedum velocitas, cum à calore cordis otiatur, satis apertè indicat vim cõstantis animi, ac firmi pectoris præcellentem militum christianorum, qui quoties fugam corripiunt, toties aguntur veloces, calore vegeto, ac spiritu præferuido, quo ipsorum æstuat cor, illius præsentia, qui ignis consumens est; sudore madent pedes homi- D num effœminatorum, ac mollium, qui debiles, ac flaccidi diffluunt, & dum genua ægra trahentes fugere non audent, cadunt in acie, hostium ludibrium, & risus inimicorum. Obuersatur animo ridendum caput Meruan Saracenorum rex a 1. qui verè non minùs, quàm palàm Mesopotamiæ asinus cognominabatur, vt accepimus ex annalibus saracenorum latinitate donatis à Thoma Erpenio lib. 1. cap. a t. eam ob causam quod quoties in aciem descende-

Nobile proponitur Problema.

Velocitas pedum origi nẽ trahit à corde.

Rhodyg. Solutio problematis

Hipocr. Arist.

Sudor pedum languescentis naturæ oftẽ iudi sumeit.

Fuga constantis animi est ac firmi pectoris.

Meruan ideò stolidus quia fugæ nescius.

bat consistere obfirmato animo pertinaciꝰ que consueuerat; indignum imperatore existimans, ne transuersum quidem digitum ab arena recedere. Ignorabas fortasse Meruan, quod vulgari apud tuos prouerbio circumferebatur. *Asinus bellicus nescit fugere*. Tantum abest' vt vitio tribui qneat strenuo duci, se fugæ committere, vt potiùs de inerti in bellando immobilitate merito reprehendatur, Asinus in bello est, qui fugam opportunè arippere nescit. Disce igitur fugere, & gloriosa pedum pernicitate vti, ne tanquam stolidus exibileris.

Antigonus secundus Demetrij filius, cum inuadentibus hostibus aliquando pedem ab acie referre cogeretur, dixisse fertur, *non equidem fugio; sed vtile quod retro situm est, sequor*. Quemadmodum scribit Plutarch. in apoph. & reg. imp. paulò ante med. atque hoc pacto per iocum fugæ dedecus honestare sibi visus est. Nos vero quorum fuga extra omnem controuersiam, gloriosa est, tàm decoram fugam magnificè profiteamur. Et vtinam pedibus Dei amor addat alas. De Annibale Poeno lego apud Valer. Max. lib. 9. cap. 2. inter externa nu. 2. in captiuos Romanos inaudito crudelitatis genere sæuijsse; iussisse nempe, vt intima pedum parte succisa relinquerentur; Cur non potiùs abscissis naribus ad perennis significationem dedecoris, imò si tanto flagrabat odio in Romanum nomen, cur non potiùs iusserit è medio tolli; satis duxit hostem pedum præsidio spoliare quo id consilio fecerit ignoro; illud pro certo habeo, hoc esse solemne, efferatæ mali dæmonis in nos crudelitati, qui si auferre nobis possit fugiendi facultatem perdidisse nos putat, & truculentissimo furori suo, quo in nos exardescit, fecisse satis. Probe scio; quis autẽ nesciat de sapientibus Græcis vnum Solonem virum, & animo, & philosophia præcellentem aureum illud dictum tamquam sapientię suę pignus ditissimum cõsequentium ętatum memorię reliquisse. *Voluptatem fuge*. Nos sanctioris disciplinæ institutionibus imbuti, dicamus: non voluptatem modò, sed quamuis cupiditatis prauę titillationẽ velocissimè fuge. Cum se animo ingerit inimicus, vel diuitiatum spe, vel ambitiosa elatione, vel

Antigoni fugientis iocosum dictum.

Plutarc.

Val. Max.

Cur Annibalis iussu Captiuis Romanis intima pedũ pars succisa.

Malus dæmon nostram impedire fugam semper conatur.

Aureum Solonis dictum.

praua quauis cogitatione; Quid cessas? A cur non festinus accurris ad Sanctorum patrocinium, ad beatarum tutelam mentium, cur nulla interposita mora non te recipis ad Deum, hoc est ad asilum securitatis, vt ea, quam dimicando non potes, fugiendo consequaris victoriç coronam? Apud Euagrium in hist. lib. 4. cap. 13. Plebs Constantinopolitana populari seditione commota Tesseram habuisse dicitur *VINCO*. cum in communem ciuiũ perniciem grassaretur nouã profero christianæ militiæ tesseram: Non vinco, sed fugio. Imò potiùs, quia fugio Vinco. Vtinam permulti mortales sint, qui mo- B nitum tàm facilè hauriant animo, eiusq; meminerint, imminente certaminis discrimine. Huiusmodi profectò nequaquam humanç inuentum sapientiç, sed delapsũ è cœlo monitum, quis inficietur? quippè cant. 8. n. 14. *Fuge dilecte mi* diligẽtis Dei vox est. O' quàm religiosè, ò quàm ingeniosè diuinarum, humanarumque litterum peritissime Athanasi, in ea, quam de tua fuga edidisti apologia, ante med. ad illud Matthçi 10. n 13. *Cum autem persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in* C *aliam*; immortali posterorum memoriæ scriptũ reliquisti. *Sancti Homines aduersus persecutores sunt, vt legitime certarent, fugiebant*. Quæ videtur fuga certamen est, & quidem legitimum, hoc est, omnium gloriosissimum, ac probatissimum.

Euagrius,

Tessera Christianæ militiæ fuga est.

S. Athanas.

Videatur P. Io. Antonius Velasquez tom. 2. in epist. ad Philippenses ad cap. 2. vers. 12. adnot. morali 10. à num. 6. & deinceps, & adnot. sequenti.

Simile argumentum tractat P. Didacus de Baeza. tom. 3. coment. in euang. hist. lib. 14. cap. 14. §. 1. & 2.

Consule etiam P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. reg. ad cap. 4. nu. 3. in D annot. 9. circa litteram sect. 2. præcipuè à num. 6. & sect. sequenti per totam.

Qui verò Christianæ militiæ numeros diuerso modo, & sine dubio longè meliùs explicatos desiderat, euoluat P. Ludouici Cressolij Mystagogum, prçsertim lib. 1, cap. 8. sect. 2. & 3.

IN CAPVT SECVNDVM
Num. XIV.

Qui consurgens accepit Puerum, & Matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum.

PARADOXVM XVII.

Sola vitæ asperitas principes facit.





RIMVS omniũ excitatur, à somno, primus surgit è lecto Beatus Ioseph. Crediderim ita factum; quia summi Dei mandato, tàm beatç familiæ dum gerebat curam, præerat imperio: videlicet par est, vt qui præcellunt dignitate, præeant subditis vitæ asperitate. Sola quippè vitæ asperitas principes facit. Duo porrò nobis examinanda erunt, ne lucidus ordo desideretur. Primò quidem considerabimus priuatas principis actiones, quibus remotis arbitris suç vitæ rationem moderatur. Secundò vero publicas, quibus spectante orbe terrarum prospicit reipublicè; vt scilicet, tàm istis, quàm illis examinatis, statuamus fieri principem vitæ asperitate.

Iosephi vigilantia,

Placet ab ijs exordiri, quæ princeps nequaquam publico bono, sed quasi ipse sibi priuatim, & (vt ita loquar) domesticos intra parietes gerit, in quibus necesse est, vt si muneris partes impleat, durissimam vitæ subeat asperitatem. Equidem ante omnes prçbet se mihi spectandum C. Iulius Cçsar, qui tanta felicitate imperauit, vt meritò omnium maximus prçdicari deberet, nisi in extremo actu miserrimè defecisset. Prçbes inquam, te mihi, qui tàm bonis auibus chorum duxisti Romanorum Imperatorum. Hic (vt ex Caio Oppio recitat Suetonius in vita paulò post med. num. 53.) hospitio quondam exceptus

Suet.

Cæsar conditum oleũ pro viridi comedit. prns conditum oleum pro viridi appositũ', nõ comedisse modò dicitur, sed solito largiùs appetijsse (simile quid ad vitæ asperrimę documentum de S. Bernardo posteritati tradiderunt scriptores eius vitæ) dicitur inquam Cęsar huiusmodi oleum largiùs appetijsse, equitibus reliquis, ad stomachum vsque nauseantibus, & importuno fastidio hospitis incuriam accusantibus; solus præ omnibus Cæsar satiùs duxit, & suæ voluptati deesse, & incolumitati obesse; quàm vel leuissimam præbere molestiæ significationem. Totus in eo est, vt quod se offert asperum, & intolerabile, non æquo modò, sed libenti animo ferat: quia par est, vt principis fungatur officio, qui ad imperandum natus, omni sæculorum memoria celebrabitur. Totidem verbis recito quod de B. Francisco Borgia scribit P. Andreas Schotus in eius vita lib. 4. cap. 5. *Septimenca Societatis tyro coqui officio functus Francisco condire cibos gustatui iucundos studebat. Collectis itaq; in viridiario herbis, absynthium amaram herbam ignarus decerptam collegit, & iusculum patri apponens; Ede (inquit) pater ius mea manu conditum. Edit, & vero libenter, tametsi amara potio videretur, Rogatus vero ecquid placuisset: nihil vnquam edisse in vita libentiùs, respondit. Gustarunt quod reliquum erat, focij, ruboremq; re comperta coquo incutiunt. Ille genibus mox accidens, veniam obtestatur imprudentiæ. At ille: dominus tibi benedicat, faciatque benignè. Vnus tu de tot fratribus sensum meum nosti; quaque potissimum re indigeam percallet.* Mirentur aliqui piam in Francisco crudelitatem; Ego sanè demirabor, quia noui Franciscum inter religiosos fuisse principem, inter principes religiosum. Discite in Francisco nihil tantopere decere principem, quàm vitæ asperitatem.

Simile quid egit S. Bernardus.

Cæsaris humanitas in hospitio.

B. Franc. Borgia mirum factum.

Moauias Arabũ princeps. Apud Arabes principes, inclytus, & celeberrimæ famæ fuisse dicitur Moauias; qui annulo, quo digitum continuò coronabat, emblematis loco gestabat incisa hæc verba: O' *Deus parce mihi*, quemadmodum refert Ioannes Boterus lib. primo dictorum memorabilium virorum illustriũ aliquanto ante medium. monumentum profectò, seù documentum breuissimum simul, & locupletissimum, semper com-

Io. Bot.

A mendandæ in principe austeritatis. Quod nam enim vitæ institutum excogitari potest austerum adeò, quod veniæ à Deo impetrandę desiderio viuar, vigeatqne semper pœnitentię studio nunquam intermisso? En insignia principatus, quibus gloriari debent dynastæ. Veniam continenter à Deo flagrantissimè petant, & nnnquam, nec ipse parcat sibi, neque pepercisse Deum putet, qui princeps est: ac proinde asperam, semper vitę rationem ducat; quippèqui veniam impetraturus ab eo, qui sola flectitur pœnitentia, sola vitæ asperitate placatur. Per pœnitentiam placandus Deus principibus.

B Allata hactenus, quęcunque tandem illa sint, obliuioni mandentur à lectoribus meis; dummodò mente non excidat, quod subijcio, omni planè consequentium seculorum memoria recolendum: lectum à me apud Petrum Matthæum in hist. Gall. narrat. 4. lib. 1. ante med. de Philippo II. Hispaniarum rege. Hic eum lethali decumberet morbo, paulò ante quam moreretur, vocari iussit principem filium suũ, cui dixit; viribus se destitui, planèque prosterni vehementi impetu, ac pertinacia morbi; ac proinde non posse exprimere, C quæ cæteroqui apprimè necessaria indicasset ad ipsius institutionem; vt pro dignitate tot regnorum moderaretur habenas; quorum hæredem illum ex asse constituebat: verùm adiret confessarium; cui folium tradiderat; in quo per compendiũ complexus fuerat sapientiora consilia: quę diuturni, & prudentissimi dominatus experimento didicerat. Addidit propterea decreuisse eisdem alloqui verbis filium suum; quibus olim iustissimus, & celeberrimus rex orbis terrarum, Igitur legi iussit illud, quod S. Ludouicum Galliarum regem celeberrimum morientem dixisse D testantur historiæ Philippo Augusto filio suo. Post hęc, vt tantus princeps aliquid de suo adderet; postea quàm ingenti cum laude sanctissimi regis institerat vestigijs; afferri iussit scriniolum eburneum; à quo extrahere posset monumentum, & pignus amoris sui longè carius, ac pretiosius; quàm olim consueuerint prisci in extremo vitę cofinio constituti propinquis, ac pernecessarijs cariores annulos dono dare. Idcirco Christi pẽdentis è cruce signũ, ac flagellũ è scriniolo eduxit; quod principi donans

Pet. Matth.

Philippi 2 verba extrema ad filium.

Eiusdem dona supremæ filio.

donans ait. Imperator meus parens diem obijt, manu tenens Seruatoris simulachrũ cruci affixi; eadem significatione pietatis, mori mihi perdulce est. Quinimò enixè postulo à Deo beneficientissimo largitore munerum; vt non absimili religiosi animi argumento filio meo mori contingat. Cape fili, piæ instrumentum lanienæ, flagrũ & patris, atque aui sanguini, quo vides, respersum, adde tuum. Cycnea verè vox, & eo principe dignissima; qui meritò pro idea principum proponi potest. En quo pacto filium institutionibus rege maximo dignis satis, superque imbuisse arbitratus est Nimirum omnibus absolutum numeris exemplar, & vnicum austeritatis instrumentum eidem præbendo. Et quia non dum sibi videbatur satis aperuisse Philippus suam in hac re sententiam; etiã mortuus viua factorum voce declarauit. Etenim, (vt ex viris fide dignissimis audio) vix expirauerat Philippus; cum de more, eius cadauer, regia pompa elaturi ad funus dum attrectant, inueniunt cilicio indutum illud corpus, quod inter purpuræ delicias crediderant enutritum. Nunc enim verò sententiam feras velim, num cum dicitur; sola vitæ asperitas principes facit, verè ne, an splendidè prædicetur?

Philippus 2. cilicio indutus.

Verùm pudore suffundor, vt verum fatear, quoties memoria repeto, quod de barbaro etiam principe posteritati traditũ legimus lib. 1. cap. 15. annalium Saracenorum interprete Thoma Erpenio: de Omar Saracenorum rege XV. Hic remotis arbitris in secretiorem se se recipere solebat ædiculam, ibique vt frequentes, ita lõgas trahebat moras, nec vlli patebat accessus amicissimo licet. Arbitrabatur insaniens suo more vulgus thesauros ibi abscondi ingentes, & opulentissimas regni diuitias fuisse congestas, quarum aspectu delectaretur. Ergo ea diuitiarum fame; qua æstuat humana cupiditas vix excesserat è viuis Omar, cum primores regni recludi fores imperãt; cum ecce tibi (ò prodigium humana admiratione maius) intra abdita maiestatis regia penetralia. *Nihil inuenisse dicuntur* (vt verbis citati auctoris vtar) *præter penulam qua solebat indui, & funem pendentem, ad quem suspẽsum se tenere solitus erat cum defatigatus esset orando*: ò cæcas hominum mentes, A nisi luce clarius deprehendant fieri principem vitæ asperitate. Id sane me doces cordate Omar, barbaros inter principes humanissime, regum esse, atque imperatorum deposita purpura, ac diademate, sceptroque contempto intra pauperes lares vsque ad defatigationem in summa rerum inopia laborare.

Barbari regis asperitas in orando.

Præit fax rationis haud obscura; quà demonstrari mihi videor verissimum esse, primam, & vnicam principis laudem esse, vitæ asperitatem. Nullus enim tam arcto imperij tenetur vinculo, quàm qui imperat alijs. Lex nempè, vt canebat B Pindarus, mortalium. Immortaliumque regina omnium, cui potissimùm princeps obediat necesse est. Cum enim deceat principem esse veluti regulam; quæ ad rectitudinem composita, & nullo flexu vitiata, cetera apposita, ac coaptata dirigat, ac similia reddat sibi: quis non videat, oportere illum se ipsum componere, ac imperium intus ordinare; vt concinnatis moribus ad rectæ normam rationis subiectos, sibi persimiles reddere queat? Verùm quia rebellant animi motus, ac C prauæ contradicunt cupiditates: asperum addecet eum esse; qui, vt principatu dignus habeatur, se ipsum debet in officio continere; præsertim cum valdè arduum sit, & quod sine magna vi obtineri nequeat, vt patet experimento, ponere sibi modum, & citra recti fines suas continere cupiditates; cum abundant opes, cum redundant deliciæ, cum affluunt incitamenta voluptatum; quemadmodum principibus viris contingere notius est, quàm à me explicari queat. Absit longissimè ab auribus, & ab animis principum adulatio Anaxarchi; qui, vt Arrianus prodit, consolaturus Alexandrum, vino, & iræ consultoribus pessimis D succumbentem, dictitabat. *An tu Alexander sapientes veteres ignoras? Qui ideo assidentem Ioui fecere Iustitiam; vt quid quid ab Ioue decretum, sancitumque foret, id iure factum videatur? Ita magni acta, & gesta regis primum quidem ab ipso rege, deindè ab alijs, iusta censenda sunt.* ò monitum proiectæ ad omnem flagitiosæ temeritatem adulationis! Non quid quid libet principi, licet. Sed legum cancellis arctanda est effrænis licentia

Pynd. Lex regina cui obediunt omnes.

Principi difficile [illegible] sine vitæ asperitate.

Arrianus. Anaxarchus adulatur ebrietati Alexandri.

Ioui assidet Iustitia.

Principi non licet quod libet.

im-

imperantium: quod quia præstare nequeunt in mollitiem diffracti, sibique muliebrem in morem indulgentes: par esse nemo non intelligit; vt qui imperij gloriantur fastigio, asperioris vitæ studio delectetur. Intelligebat id Aurelianus Cæsar, qui nullum reliquit diem, quo pilo, ac sagittis in militari non desudaret arena: intelligebat Maximinus senior; qui quãuis grãdis natu campestrium exercitationum labores ad defatigationem vsque subibat. Intelligebat Antoninus Bassianus Caracalla; qui, præterquàm quòd se cum militibus exercebat, iter semper onustus armis pedes fecit. Intelligebat Seuerus; de quo accepimus hyeme sæua, & gelida, aperto capite, per niues, & pruinas, per montes, siluasque cursitare consueuisse in patientia laboris, & victus abstinentia, supra fidem assuetum. Hæc leges apud Alexandrum ab Alexandro lib. 3. Gen. Dierum cap. 20. post med.

Exempla principum asperioris vitæ.

Aurelianus quotidie exercebatur iaciẽdis telis.

Maximinus senior campestres exercitationes nũquam intermisit.

Caracalla onustus armis incedebat.

Seuerus aperto capite incedebat.

Alex. ab Alexand.

A priuato rerum genere, quo sese affligit continuò, qui imperat necesse est, manu ducor ad recognoscendum quanta sit asperitas vitæ; quam subire debet pro publica, quam gerit persona; vt cum laude tractet habenas imperij, qui princeps est. Huc reuoco quæstionem ingeniosam, non minùs, quàm vtilem, quàm proponit, & soluit S. Bernardus in illud Canticorum 1. num. 3. *trahe me post te; in odorem vnguentorum tuorum curremus*. Sic autem inquit. *Edissere nobis huius distinctionis rationem. trahe me, ais: quare me, & non nos? An hoc bonum inuides nobis? absit, neque enim protinus dixisses, adolescentulas secum esse cursuras; si sola post sponsum ire voluisses. Charitas, inquit, ita postulabat. Trahimur cum tentationibus, & tribulationibus exercemur: currimus, cum internis consolationibus visitati, tanquàm in suaueolentibus vnguentis respiramus. Ergo, quod austerum, & durum videtur, retineo mihi, & idcircò singulariter trahe me: quod suaue, & dulce, communico, & dico, curremus. Volo habere socias consolationis, non laboris. Me, ò sponse, corripe, me exerce, me tenta, me trahe post te*. Ita ser. 21. in Cant. non multo ante finem, vtinam hic esset eorum sensus, qui alijs præsunt. Agesilaus magnus ille Lacedæmoniorum Rex interrogatus; quare hyeme summa sine tunica ea ætate (erat enim tunc senex) circumiret: respondit, quò iuuenes imitentur, habentes ij quidem, & senis, & Principis exemplum. Auctor est Plutarchus in apoph. laconicis, & idem scribit Aelianus lib. 7. de varia historia. ò præclarum, & faxit Deus, vt dici queat non rarum imperandi genus! Hæreat interea altiùs cordi virorum principum, nihil omninò à subiectis exigẽdum esse durum, aut asperum, quod lubenti, atque alacri non exhibeat animo is; qui asperitate vitæ comprobare debeat, deberi sibi præ omnibus principarum.

S. Bernard.

Sponsæ charitas aduersùs subditas.

Princeps sibi præoptet dura, populo molia.

Agesilaus male vestitus in hyeme.

Plutarc.

Aelian.

Princeps in asperis præeat exemplo.

Eleganter S. Leo, & imperij dignitate, & styli grauitate magnus, rationem redditurus serm. 15. de Passione Domini circa med. Cur seruator Christus in horto tantum dolori permiserit; vt penè succubere videretur: id quidem æquum fuisse, vt demonstret, his verbis respondet; *nam inusta videretur eius ad patientiam cohortatio; cui nulla esset in nostra infirmitate communio*. Audiant illi, qui dignitate quidem supra cæteros gloriantur: verùm cum se offert aliquid arduum, cum subditis nihil volunt habere commune. Certè nequaquam se talem gessit ingentium forma meritorũ inclitus *C. Iulius, qui cum innumerabili multitudine, & feroci impetu* (vt cum Valerio loquar) *Neruiorum inclinari aciem suam videret: timidiùs pugnanti militi scutum detraxit; eoque tectus acerrimè præliari capit. Quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam diuino animi ardore restituit*. Ita Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. circa med. ò factum benè, inclinata fortuna obiectar periculis dignum laurea caput inuictus heros: quia certum discrimen, & præsentissimi etiam interitus aleam ante omnes subire debet, qui imperat. Quod iterum confirmari facilè potest ex eo; quod idem Valerius loco citato habet de Scipione Aemiliano; qui indignum existimabat ab his inter pericula magnanimitate superari, quos antecelleret dignitate. Vsque adeo exploratum est, atque certissimum, nihil tam asperum, nihil tam horridum excogitari posse; quod refugere queat; imò quod tolerare non cogatur sine nota dede-

S. Leo.

Christus in horto patiendi exemplar.

Cæsar suo exemplo belli restaurat.

Valer. Max.

Valer. Max. Scipio impatiens superari ab ignobiliori bus.

dedecoris, qui populos premit imperio.

In Romana historia aduertimus, inquit Cœlius Rhodiginus lib.8 lectionum antiq.cap.1.circa med. Tribunitiæ domus fores non interdiu, non item noctu solitas occludi; ceu planè portus quidam, ac refugium celebre; quo indigentibus semper, & facilè pateret aditus. Nullo tempore somno vacet, aut quieti indulgeat dormitans, qui magistratum gerit: imò nullis parcat incommodis; nihil non subeat asperum, atque arduum; noctes etiã ducat insomnes, lege fortasse humanæ imbecillitati plus nimio dura; ne videatur ferendo susceptæ prouinciæ oneri omninò impar. Persarum regi, vt ex maiorum annalibus accepimus, summo mane præsto erat ex intimis vnus aliquis huic destinatus muneri, qui regem commonefaceret; vt dicto citiùs molli surgens è lecto, onus subiret negotiorum. *Consurge rex* dicebat, *& obi negotia, quæ te obire voluit Mesoromasdes*. Quam ob causam, vt Xenophon Agesilaum commendet, libello, quem de eius laudibus scripsit, testatut, somno illum, non vt domino, sed vt mancipio vsum fuisse. Videlicet etiam hominum barbarorum sententia, nequaquam stertens otium, sed durus labor: non longæ oscitantis nocturna lassitudine moræ, sed vigiliarum antelucanæ sollicitudines principem decent.

Cœl.Rhodig. Tribuni domus continentèr patentes.

Rex Persarum summo mane excitabatur à somno.

Xenophon. Somnus sit mancipium non dominus.

Verum id parum est, si monitore indigeat princeps; cuius animus si solers sit; si ea, quam gerit dignitate haud omninò indignus: ipse sibi monitor est, ipse suasor; vt duriores vitæ labores nunquam refugiat, imò obuijs excipiat amplexibus forti planè animo, magnoque. Propterea Cęsari elegantissimè, & verissimè dicebat Seneca lib. vnico de Consolatione ad Polybium cap.26. paulo post initium; *Cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit; omnium otium illius labor; omnium delicias illius industria; omnium vacationem illius occupatio: ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit. Et siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet, nec subsistere, nec quicquam suum facere.* Perpende obsecro, vim similitudinis à sideribus ductæ. Nihil profectò tàm durum, quàm irrequieto semper errore circumagi. Nos interea ad alia festinemus.

Seneca.

Principes similes sideribus quiescere nescijs.

In sacris litteris frequenter inuenies, reges, & principes dici pastores, ideo S.Hieronymus in cap.38. Ezech. scribit: *Superbum nomen imperij pastoris vocabulo mitigatur*. Nomen vtique muneri principum, ac regum conuenientissimum; quos non secus, ac pastores, & labor assiduus, & vitæ decet asperitas, omni incommodorum genere maximè ærumnosa: quod arrisisse video magnis ingenijs, Homero, & Dioni Chrysostomo; quos eadem conspicio vsos similitudine: ille quidem Iliados 2. vbi de Agamemnone sic.

Principes vocantur pastores.

S.Hieron.

Homerus.

Cæteri quidem apud naues principes omnium Achiuorum
Dormiebant per noctem molli domiti somno:
Verum non Atridem Agamemnonem pastorem populorum
Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.

Agamemnonis vigilantia.

Dio verò orat. p. de principe verba faciẽs loquitur in hunc modum. *Quantùm fieri potest animum attendat ad suam, atque subditorum felicitatem pastor, & opilio verè effectus populorum, non conuiuator; aut conuiua (vt ait quidam) ita vt ne somnum quidem per totam noctem capere se debere putes; vt cui nullum sit otium ad socordiam*. Pastoris personam induis; hoc est nulla non subis incommoda, qui sceptra capessis: alijs enim dormientibus vigilandum est, duroque vigiliarum labore tuorum somno prospiciendum: non secus ac Thebanus princeps Epaminondas, qui, vt auctor est Plutarchus, libello aduersùs ducem imperitum: Dormientibus ciuibus, lustrabat vrbem, & muros vigil obambulans agebat excubias: petenti autem, cur id faceret, respondisse fertur, vt cęteri in vtramque dormitent aurem.

Dio.

Principum vigilantia.

Epaminondas agebat excubias.

Porrò clariùs adhuc, & apertiùs cognoscet, solam vitæ asperitatem principem facere, qui sibi reuocauerit in memoriam, quod de Martio Septimio tradit Trebellius Pollio; qui, vt historiam narret, recitat orationem quam idem Septimius, statim atque adscitus est ad imperium habuit; est autem huiusmodi. *Scio*

com-

Martii Septi. mij oratio. *commilitones, posse mihi obijci artem pristinam, cuius mihi omnes testes estis* (fuerat enim faber ferrarius, vt idem Pollio scribit). *sed dicat quisque, quod vult: vtinam semper ferrum exerceam, non vino, non floribus, non mulieribus, non popinis, vt fecit Gal ienus, indignus patre suo, & sui generis nobilitate. Ars mihi obijciatur ferraria; dum me, & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denique vt omnis Alemania, omnisque Germania cum cæteris, quæ adiacent gentibus, Romanum populum, ferratam putent gentem; vt specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim, fecisse vos principem; qui nunquam quicquam sciens tractare, nisi ferrum.* Huc vsque de se in hanc sententiam disserit Septimius. An non videbitur mirum rem totam consideranti attentius, Septimium non puduisse modò ferrariæ artis, quam exercuerat in abiecta fortuna, facere mentionem; sed ea voluisse quodammodo gloriar. Cum enim nouæ ad quam extollebatur, dignitatis imperatoriæ partes omnes, quibusdam veluti limitibus circumscribere, constituisset: id se satis, superque præstitisse arbitratus est: si se ferreum, & fuisse, & futurum palam faceret. Nimirum ferreus rigor præsidium, & decus principum est: ferri instar asperum vitæ genus ducere si nouerit, qui imperat, & timorem incutiat suis hostibus, & subiectos in officio continebit, & sese reddet securum. Quid plura? principatu cades, ni ferreus fueris viuendi asperitate, atque in te ipsum piè sæuiendo.

Pollio. Septimius ex fabro ferrario, Princeps.

Principes potè ferrei.

Videatur P. Didacus de Baëza tom. 1. in Euang. historiam lib. 3. cap. 5. §. 8. & tom. 4. lib. 16. cap. 22. §. 4. similiter tom. 3. lib. 14. cap. 1. §. 12. & eodem lib. c. 4. §. 11. & eodem lib. cap. 14. §. 2.

P. Didacus de Baeza.

Videatur etiam P. Didacus Celada in cap. 9. Iudit. num. 27.

Videatur P. Io. de Pinna in Ecclesiasticum etbologia 4. cap. 1. sect. 4. num: 25.

Videatur insuper P. Iacobus Pinto de Christo crucifixo lib. 2. tit. 3. loco 2.

Et tandem videat qui vult, Sinesium oratione de Regno.

IN CAPVT SECVNDVM Num. XV.

Et secessit in Aegyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis: Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum. Pet. Marth.

PARADOXVM XVIII.

Sanctus vel vbique, vel nullibi.





PRAEBET se mihi occasio proponēdi lectorib⁹ meis, si minus ingeniosam, certè maximè aptam institutionem ad piarum leuamen mentium, quibus, vt sæpe contingit, cum ciuitatem non habeant permanentem, vt cum Apostolo loquar ad Hebr. 13. 14. modò hanc, modò illam nancisci sedem, ita non rarò de loci conditione conqueruntur. Equidem eã quam profitemur vitę, morumque integritas, non dependet à loco, vt verissimè dicatur à nobis. Sanctus vel vbique, vel nullibi; quod vt illustrem, paucis recolite, quod de Seruatore legimus, quem in eam gratiam recepisse se crediderim in Aegyptum, hoc est inter homines à vera religione maximè alienos, & inter nocturnas terræ Infidelitatis tenebras caligantes, vt insinuet vbique gentium sine vllo detrimento stare posse, ac tabernaculum figere veræ pietatis innoxium sectatorem. Testem appello è sacris litteris celeberrimum Loth, de quo vide, quæ scribuntur Genesis 19, quibus adde perutilem magni Gregorij lucubrationem his verbis. *Sæpè mutare locum, conamur, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adiuuat locus, idem enim Loth, de quo lo-* Gregor.

qui-

Loth in Sodomis Sanctus extitit.

Bernard.

Qui locum mutat, non mutat animum, eundem vbiq. se inuenit.

quimur in sodomis *sanctus extitit, in monte peccauit*. Ita S. hom. 9. in Ezech. non multò ante finem. Vbi alia etiam exempla congerit ad hoc idem firmandum. Videat, qui voluerit. Me ad alia vocat mellea S. Bernardi dicendi fęlicitas in hunc modum, quod in præsentia præ manibus est, illustrantis. *Qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est, sicut qui fugit vmbram corporis sui. seipsum fugit, seipsum circumfert. Locum mutat, non animum. Eumdem vbique se inuenit*. hæc S. epist. de vita solit. paulò antę med. An non exsibilandus esse meritò crederetur, vtpote sensus vacuitate laborans, qui sui corporis vmbra in fugam actus citato cursu iter arriperet. Tui impos quid aberras diutiùs, vt nouam ineas viuendi rationem? Quò pergere debeas, paucis docebit Eusebius Emissenus: *quid prodest, quò discedas, qui vndique ad victus es vinculis passionum, quem hinc atque inde circumuallant vitia tua, quid inquam prodest, quò discedas, qui quocumque locorum vadis, tecum portas?* & paulo post. *Nemo se fallat: non fugiat aduersarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem. Nam si cum taliter fugias sequitur te. Emenda te, & fugit a te*, hæc ille hom. 3. ad monachos non paulò ante med. Quandoquidem arridet tibi tantopere insanus viarum error, & tanta perfunderis voluptate peregrinatione terrarum, ab inuijs errorum anfractibus pedem referas, & virtutum passibus, imò cursibus (dicente Propheta *viam mandatorum tuorum cucurri* ps. 118. 32.) honestę vitę emenso stadio non locorum, sed morum mutatione assequaris aliquando quã sequeris animi tranquillitatem. Nunquã animo excidat aureũ S. Augustini apophtegma. *Locus non facit sanctus, sed operatio bona, & locum sanctificabit, & nos*; hæc Augustinus ser. 27. ad fratres in heremo paulo ante finem. Venit hoc loco in mentem, quod de Aristippo nunquam sine admiratione recolo, Dionisius Syracusanus in Aristippum indignatus, vt Laertius auctor est, fecerat illum accumbere omnium extremum, cum subito, omni animi perturbatione remota, *illustrem* inquit Aristippus, *hunc locum fieri, & ap-*

Eusebius.

Vitijs irretitis locum mutare prodest nihil

Mutatione loci non fugatur vitium sed emendatione vitæ.

David.

Morum mutatione non locorum animi tranquillitas inuenitur.

August.

Locus non facit sanctos, sed operatio bona

Laert.

Aristippi dictum ingeniosum.

A *parere voluisse*. Admirabilius in hoc genere fuit, quod de Agesilao narrat Plutarcus in apoph. Adhuc enim puer erat, ætate tamen, sed consilio senex, cum in ludorum celebratione a chori magistro in loco parum honorifico collocaretur (iam autem fuerat regijs insignibus honestatus) statim inquit *non loca viris, sed viros locis dignitatem, atque splendorem afferre demonstrabo*. Non absimili ratione, clariore diuinæ sapientiæ lumine illustrati fateamur, morum integritatem hoc est, iubar clarissimum animorum non à locis, hominibus; sed ab hominibus, lo-

Plutar.

Agesilaus puer consilio senex

Vir locis dignitatem affert non locus viris.

B cis communicari: Homines portò singulari virtutum ornamento præditos comparati in sacris litteris, aquilæ aulum Imperatricẽ, vt patet psal. 102. 2. Reg. 1. Iob cap. 39. & alibi passim notius est quam confirmari à me in præsentia queat. Monet ex Aristotele lib. 9. hist. cap. 32. Vlysses Aldrouandus, Aquilam quoad viuit, neque nidum, neque locum mutare, ex quo obseruatum est, eam diutissimè viuere. Verba Aristotelis; *diuturnitate eiusdem nidi viuacitatem declarari*, ita Vlysses lib. 1. Orinthologiæ sub titulo, sed in

Virtute prediti avium Reginæ comparantur, quæ neque locum mutat.

Aristot.

Aquila locum non mutando viuit diutissimè.

C fine. Quisquis sublimi volatu cælestium amore ab infimis attolleris, modò hac, modò illac incurrendo ægritudines animi non curabis, sedem tibi deligas certam, quia vbique Deus, vt ea vita, quæ Christus est, viuas diutissimè. *Quod est anima corpori*, dicebat Chrysologus, *hoc est anima Christus; sine anima corpus non viuit; non viuit anima sine Christo*. Ita S. ser. 19. qui est de scriba, cui Christus sequi se non permisit circa finem: *renouetur; vt Aquila iuuentus tua*, hoc est in morem Aquilæ diuturnitate eiusdem nidi viuacitatem declara. Verba ego in pręsentia Romani Philosophi vsurpabo, di-

Vlysses.

Diutissime viuit, qui Deum, vt sedem sibi certam, vbiq. deligit.

Chrysolog.

Vt anima corporis vita, animæ Christus est.

D centis: *Animum debes mutare non cælum*, licet vastum traiecetis mare, licet (vt ait Virgilius noster) terręque, vrbesque recedant, sequentur te quocumque perueneris, vitia. Hoc idem cuidam quęrenti Socrates ait, *quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas?* hæc Seneca init. ep. 28, quę videatur; fere enim per totam hoc idem argumentum prosequitur, quę ego lubens missa facio, vt recitem meliora, hęc videlicet

Seneca.

Virgil.

Socrat.

sunt

sunt Sancti Petri Chrysolog. ser. 46. init. A qui est in psal. 94. & sic habet. *Venite exultemus Domino. Venite quo? vel vnde, ex te homo, in te, vbi non locorum mutatio, sed conuersio sensuum, aduersa depellit, mœrores fugat, desperationes abijcit, excludit angustias.* Ita loco cit. Inscribatur nostris cordibus adamantinis caracteribus, quod B. Petrus Damianus scripsit ad M. Abbatem inquiens. *In quacunque regione terrarum, æqualiter patet aula cœlorum* ita epist. 13. lib. 6. cap. primo post initium. Et quando dictum à Seneca, scimus: *Ecce Socrates carcerem intrando purgauit, omnique honestiorem curia reddidit.* Ita lib. de vita beat. cap. 27. initio. cur non affirmabimus detrimenti nihil à loco capere virtute præditum, imò sordes quasque purgare posse, & honestare. Ipse etiam Seneca philosophus videndum arbitrabatur remedium ad animi morbos curandos, sibi locorum mutatione consulere: propterea 2. epist. lib. 1. exorditur his verbis. *Ex his, quæ mihi scribis, ex his quæ audio, bonam spem de te concipio: non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi iactatio ista est. Primum argumentum compositæ mentis existimo posse consistere, & secum morari.* paulò C post. *Nusquam est, qui vbique est.* Dicemus Nusquam Probus est, qui vbique non est. Tractat iterum hoc argumentum Seneca epist. 104. circa medium. *Medicina ægro, non regio quærenda est. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum, non vehiculum, nauemque conscendit, sed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, vt luxata in locũ reponatur. Quid ergo animum tot locis fractum, & extortum credis locorum mutatione posse sanari? maius est istud malum, quam, vt D gestatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. Nulla ars loco discitur; quid ergo sapientia res omnium maxima in itinere colligitur? Nullum mihi crede iter est, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat. Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt, quæ fugies. Te igitur emenda.* Dignum Christiano homine monitum. Ingeniosè Homerus odiss. 4. mentionem faciens Aegypti, animaduertit simul regionem illam, & venenorum, & medicamentorum esse feracem, vt moneat, locorum etiam esse conditionem, vt malis bona permixta præbeat: Incolarum est noxia ab vtilibus secernere. Loci, quem accusas, si consideraueris naturã, inuenies totidem bona esse, quibus si vti nosses, de loci mutatione non laborares. Ingeniosè animaduertit Chrysostomus, non in quolibet loco, sed in deserto tabernaculum testimonij diuino imperio fuisse extructum, vt intelligeremus, solemne Deo esse sine delectu locorum certam sibi deligere sedem *tabernaculum testimonij* B (verba Chrysostomi homil. 17. in cap. 7. act. Apostol. aliquantò post initium) *erat patribus nostris in deserto, sicut ordinauerat illis loquens ad Moysem, vt faceret illud, secundum formam quam viderat.* Cuius rei opportunam redditurus rationem paulò post sic habet, *vides quod illic locus sanctus est, vbi Deus fuerit.* Itaque cum Deus vbique sit, etiam in horrore sæculi, etiam in loco vastæ solitudinis fallacis mundi, facilè erit Deo tabernaculum excitare. Videtur id insinuare mortalium animis voluisse Christus Dominus summi sapientia Patris, præsertim cum discipulos suos docturus, recessit è templo, quasi verò significare vellet, nouum esse doctrinæ genus, quod prædicabat mortalibus, quibus legis gratiæ beneficio futurum erat, vt liceret vbique seruire Deo. Quippè Christiana pietas vllius loci limitibus nequit circumscribi. Quod cum profero, sentio eum Diuo Hieronymo epist. 13. ad Paulinum non multo post init. scribente his verbis. *Singuli quique credentium, non locorum diuersitatibus, sed fides merito ponderantur. Et veri adoratores, neque Hierosolymis, neque in monte Garizim adorant Patrem. Postquam siccato Iudea vellere; vniuersus orbis cœlesti rore perfusus est; & multi de Oriente, & occidente venientes, recubuerunt in sinu Abrahæ: Desijt notus esse in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius: Sed in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Saluator ad discipulos loquens, cum esset in templo, surgite, inquit, abeamus hinc.* Quod paulò post exemplis aliquot illu-

Chrysol.

Non locorum mutatio, sed conuersio sensuum omnia fugat aduersa.

Pet. Dam.

Cuicunque, cœlum æqualiter patet.

Senecæ dictũ.

Animi morbus locorum mutatione non curatur.

Nusquam est qui vbique est. Nullibi probus est, qui vbique probus non est.

Senec.

Dignum Christiano viro monitum.

Homerus.

Aegyptus venenis, ac medicamentis ferax est.

Ea locorum conditio est, vt malis bona permixta præbeat.

Chrysost.

Locus sanctus est vbi Deus est.

Vbique licet seruire Deo.

Hieron.

Christi fidelis nõ loci diuersitate sed merito fidei ponderatur.

Non solum nunc notus in Iudæa Deus, sed vbique gentium.

Exempla Sanctorum qui sanctè vbique vixerint.

ſtrat his verbis. *De Hieroſolymis, & de Britannia æqualiter patet aula. cœleſtis Antonius, & cuncta Aegypti, & Meſopotamia, Ponti, Cappadocia, & Armenia examina monachorum non videre Hieroſolymam: & patet illis abſque hac Vrbe Paradiſi Ianua; Beatus Hilarion, cum Paleſtinus eſſet, & in Paleſtina viueret, vno tantum die vidit Hieroſolymam; vt nec contemnere loca Sancta propter viciniam, nec rurſus Deum loco claudere videretur. Ab Adriani temporibus vſque ad Imperium Conſtantini, per annos circiter centum octoginta in loco*

B *reſurrectionis, ſimulacrum Iouis, in crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris à gentibus poſita colebatur, exiſtimantibus perſecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem reſurrectionis, & crucis, ſi loca ſancta per idola polluiſſent. Bethelem lucis inumbrabat Adonidis: & in ſpecu, vbi quondam Chriſtus paruulus vagijt, Veneris amaſius plangebatur;* Huc vſque Hieronymus; ex quibus hebes ſit, qui non percipiat, Sanctum eſſe vbique, aut nullibi. Videlicet nullus locus eſt, tàm ſanctus, vt pietatem inſerat; nullus tàm

Hieronym.

Operibus æqualis vbique merces habetur apud Deum.

C impius, vt auferat ſanctitatem. *Propterea*, vt verbis vtar Hieronymi *exiſtimes, ſiue hic, ſiue alibi æqualem te pro operibus tuis apud Dominum habere mercedem.* Sed quia peruagata multorum opinio eſt, non plurimum modò, ſed maximè, atque vnicè conferre conditionem loci ad vitam ſanctiſſimè inſtituendam, vt proptereà ſæpenumero, & ſolitudinem, & religioſorum domicilia ſuſpirantes, ſcelerum ſuorum opportunam ſatis excuſationem afferre ſe arbitrentur, quoties loci, in quo ſunt conditionem accuſent; demus hoc etiam, & fateamur vltro, rem

D ita ſe habere. Igitur vt dicta non ſint dicta, recanto palinodiam: ſolus locus eſt, qui facit hominem religioſum, & Deo carum. Porrò qui ſit huiuſmodi locus æqui bonique ducas, vt ab Auguſtino ſanctiſſimo, & Ingenioſſimo viro declaretur cuius enar: in pſalm. 131. aliquantò poſt initium ea ſententia fuit. *Quouſque inueniam locum Domino tabernaculum Deo Iacob. Quomodo eſt enim locus Domini? audi prophetam: ſuper quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem,*

Auguſt.

Locus ſanctus eſt, ſuper quem requieſcit ſpiritus Dei.

A *& quietum, & trementem verba mea? Vis ergo eſſe locus Domini? eſto humilis, & quietus, & tremens verba Dei, & tu ipſe efficieris, quod quaris. Si enim in te non fiat quod quæris, in altero quid tibi prodeſt?* Habes ergo ex Auguſtino quod contendebas.

Agatarch.

Neſcio an futurum ſit ad rem, quod ex Agatarchide mutuabor. Hic dicere ſolebat Sabæos terque, quaterque beatos ex eo potiſſimum capite habendos eſſe, quod regiones toto remotas orbe, & ab alijs populis longè diſſitas habitarent. Etenim, ſi ſecus fuiſſet, ditiſſimi ſoli fe-

B licitate, vberrima bonorum omnium copia, qua ad delicias, ac lautitias vſque perfruuntur, vti minimè potuiſſent. Iſti ſanè, dicebat citatus auctor, cum effæminati, ac debiles ſint, ſi nacti fuiſſent exteras nationes propinquas certiſſimè futurum fuiſſe, vt alieno premerentur imperio. Contrarium omninò contingere dicimus ſeruis Dei, quibus nequaquam regionis ſitus, ſed virtus religionis ſemper impauida, ſemper inuicta tribuit omnibus abſolutam numeris fœlicitatem.

Non regionis ſitus ſed religionis virtus perfectam tribuit fœlicitatem.

C



IN

IN CAPVT SECVNDVM Num. XIII. & XV.

Num 13. Qui cum venissent. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi:

Num. 15. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

PARADOXVM XIX.

Superbus vigilans dormit, Iustus dormiens vigilat.



COMPONO dormientem Ioseph cum vigili Herode, vt fidelibus subiectũ oculis discrimen, quod intercedit inter Hominem iustum, & superbum faciliùs innotescat. Herodes non modò vigilans, sed nil inausum, nil intentatum relinquens, vt natum inter homines Deũ è medio tollat, nequaquam fit voti compos. At Ioseph somno consepultus cripitur omni periculo. Videlicet Superbus vigilans dormit. Iustus dormiẽs vigilat.

Somni emblema ex Philostrato.

Ordior à primo, cuius ingeniosum emblema expressit antiquitas. Somnum enim, vt Philostratus in Amphiarao testatur, non modò sublimem alis depingebat, verum etiam gestantem manu virgam, & numerosa quasi famulantium multitudi-A ne circumseptum. Somnus iacet inglorius, non sublimis volat, sopit, non imperat. Cur ergo humeris additæ alę? sceptro ornata manus, & multa, quasi aulicorum turba conspicuus? planè elati animi insignia præscferre debuit somnus; quia superbia, somnus animi est; quem torpore corripit, & stupore prosternit. Par itaque, & somni, & superbiæ simulacrum esse debuit, vt meritò dicere queas, vel somnum superbum, vel superbiam somniantem. Id vt affirmem, facit In primis luculenta, atque diserta S. Gregorij auctoritas lib. 4. in Iob cap. 28. non

S. Greg.

B multo post initium dicentis: *Alius se tyrannidi superbia subijcit, & cor miserũ, dum contra homines erigit, vitio substernit. Honorum sublimium insulas appetit, exaltari successibus exquirit, totumque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit; iam quasi Tribunali præsidet, iam sibi parere obsequia subiectorum videt, iam cæteris eminet, iam apud semetipsum stipatus cuneis ad publicum procedit, iam quibus obsequijs fulciatur conspicit. Qui igitur tot Phan-*C *tasmata cordi imprimit, quid aliud iste, quam somnium, vigilans videt!* Animaduerti, Persarum sapientiam non rudibus lineamẽtis adumbrauisse, sed quasi expressisse ad vnguem, quod dico. Narrat Hormutius de reb. Persarum fuisse apud ipsos in more positũ, dormire in vtribus. Vtres speciem præbent, & repręsentant superbiam, quæ inani inflatur vento, & tumescit vtris in morem. quid ergo mirum, si elatus animus vigilans dormiat, super vtrem superbię recubat, hoc est supra ceruical ad molles somnos conciliandos aptissimum? Volitat enim se ipsa maior elata mens supra nubes, ac nebulans, fingens sibi somnia magnitudinis concupitæ. Considerat Philo Iudæus

Persæ dormiebant in vtribus.

Superbus dormit in vtribus.

Philo.

D somnium Iacob, de quo Genes. 28. n. 12. 13. illius inquam Patriarchæ, laborum auari, qui delicatam placidè quiescentis corporis habitudinem supposito saxo durabat, & sic inquit lib. de somn. circa medium. *Legimus deinceps, quod sumptis lapidibus eius loci, supposuit eos, capiti, & dormiuit; miracula sunt hæc non solum propter allegoriam, sed etiam propter simplicem narrationem; non decet*

Somnus Iacob

enim virtutis sectatorem vita delicata, A *nec imitatio Beatorum illorum, vt vocantur, re vera miserorum, quantumlibet sint in honore, ac precio: quorum tota vita somnus est*. Sis memor, deliciarum affluentiam, & bonorum copiam, superbiam vitę ab Apostolo nuncupari, qua vitæ superbia qui fruuntur, ita viuunt, vt tota eorum vita somnus sit. Derisit Antiquitas Epimenidem illum, quem asserit Laertius lib. primo, quinquagesimam solis orbitam dormiuisse. quanto æquius illudendi, qui vitam suam totam edormiunt. Et quando de superbotum conditione nullus ferre potest iudicium magis consentaneum veritati, B quam superbus; videamus, quid in hac re senserit rex ille, cui superbia, vt fecit cognomen, ita nomen regis reddidit Romanis inuisum. Sextus Tarquinius, vt est apud Titum Liuium lib. 1. dec. prima non multo ante finem ad Tarquinium patrem nuncium mittit sciscitatum quid nam agendum, vt Gabios in officio contineret. *Huic nuncio* (verba Liuij) *nihil voce responsum est. Rex veluti deliberabundus in hortum ædium transit, sequente nuncio filij, ibi ambulans, tacitus summa papauerū capita dicitur baculo decussisse*. Sextus filius audito à nuncio respon. C si loco quid pater gesserit, notis sibi ambagibus, facilè percepit, detruncandos eos, qui se supra cæteros fastigio extollebant. Papauer, vt lippis, & tonsoribus notum est, soporem inducit, quemadmodum etiam disertè Plinius lib. 20. Nat. hist. cap. 18. ante medium, expressa proinde superbientium imago. Imaginationibus etiam vanissimis somnijs similimis se extollunt elatæ mentes, & supereminent quidem, sed papaueris in modum; quia & tollit super alios, & soporat superbia. Elegantet S. Ambrosius, quibusdam, veluti notis designaturus ebrios cap. 56. lib. de Helia, & ieiunio post medium ait. *Vigilantes somniant. Vita his somnium est*. Reprehendat me quasi ad presens argumentum haud appositè traducam hunc Ambrosij locum, qui non intelligit, superbiam ebrietatem esse; etenim, si vanis ludantur imaginibus ebrij, quis frequentiùs inanibus fallitur spectris, quam superbus?

Epimenidis somnus quam diuturnus.

Tarquinius superbus papauera decutit.

Papauer somnum inducit.

Papauer superbiæ symbolum.

S. Ambros.

Superbia ebrietati simillima.

dum igitur vigilans somniat, vita huic somnium est. Verum, ne quid temerè, vel proprio Marte confictum dicere videar, consule lib. primum Reg. cap. primo nu. 16. vbi ebriosi vocantur filij Belial, Apostolus, autem 2. ad Corinth 6. nu. 15. interpretatur, filij diaboli, & cum eo alij passim. Igitur, si ebriosi filij Diaboli sunt, negabit nemo per ebriosos nominatim designari superbos. Etenim quam propria Diaboli superbia est, tàm verè, & quasi per antonomasiam inter omnes peccatores, filij Diaboli sunt apellandi superbi. Iam attende, quam eleganter magnus Basilius, & quam breuiter ebrietatem describat hom. prima de laudibus ieiunij paulo ante finē inquiens *Ebrietas vigiliam habet, somnijs adsimilem*. Qui superbia sunt ebrij, an non habent vigiliam somnijs adsimilem? imò verò vigilantes dormiunt. Neque me pænitet superbos ebrij nomine nuncupare. inre ne, an iniuria dictum, decernat, qui legit. Vaticinium Isaię cap. 28. n. 1. *Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim*. Addunt septuagmta, qui ebrij estis absque vino. loquitur hic sermo diuinus, vt Sanctus Hieronymus docet in hunc locum, aduersus eos, qui regnabant in Samaria. Isti inflati superbia, quę dignitatum ac purpuratarum, vt plurimum solet esse, socia, dicuntur ebrij sine vino. Ebrij igitur vigilantes somniant. Huc reuocare liceat, quod ad aliud longè diuersum significandum regius vates protulit ps. 72. num. 20. *Somnium surgentium*. Si surgunt quomodo somniant? imò quia surgunt supra alios iactantia, & elatione animi, somniant. pingunt namque, ac fingunt simulacra non existentium dignitatum, dum se magnificè circumspiciunt D superbè; vt mirum censeri non debeat, si videntes, non videant, & quod flagrantissimè cupiunt, non assequātur, vt in Herode manifestius patet, quam dici à nobis queat.

Ebriosi filij Diaboli.

S. Paulus.

Ebrietatis descriptio ex. S. Basil.

Esai.

Ebrij sine vino superbi.

Superbi somniant.

Vocor iam ad considerandum in Ioseph somno, iustorum priuilegium, qui vigilant etiam dormientes, quod ne alicui nouum videatur, aut mirum recolat, quod Eustachium in Homerum dixisse refert Cæl. Rhodyg. lib. 27. lect. antiq. cap. 7. in fine, videlicet somnia, quę ex Deo sunt, & Diui-

Cal. Rhodyg.

& Diuinas esse voces, & Iouis nuncias, suo dignantis alloquio mortalitatem; vigilant dormientes, quia Dei fruuntur colloquio. Vt autem ad morum institutionem accomodatè loquamur, statuendum semel est, quid per somnium intelligamus cum dicimus, Dei seruum dormientem vigilare. Præfert facem in re obscura mentis infractæ vigore memorandus Iob cap. 33. num. 14. 15. inquiens. *Semel loquitur Deus per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo.* Quid hoc portenti est? sermo Dei non clanculum, & in tenebris, sed super tecta, & in luce gentium prædicandus, vt diuina sapientia monet, non modo nocturno tempore, sed hominibus dormientibus dicitur audiri. Sanè Spiritus Sanctus monebat. *Vbi non est auditus, non effundas sermonem.* Eccles. 32. 6. Somno itaque consepulti, Dei vocem quopacto audient? Nodum soluit Gregorius magnus lib. 23 moral. cap. 20. ipso initio inquiens. *Quid est, quod per somnium nobis locutio Diuinitatis innotescit, nisi quod Dei secreta non cognoscimus, si in terrenis desiderijs vigilemus.* Tu qui erga plurima turbaris, sæculi labentis, & fallentis sollicitudinibus distractus, honores anxius affectas, cupiditate flagrantissima inhias facultatibus, modò in hanc, modò in illam partem semperauidus, semper pauidus, nunquam quiescis, cape somnum optatæ quietis; sepone tibi certum tempus, quo seriò pendas, qualem te gerere debeas in ijs, quæ ad salutem pertinēt, vt dum huiusmodi placido somno frueris, audias quid loquatur in te Dominus. *Malè autem*, inquit Gregorius loco citat. *Homo vigilat, quando cū secularium negociorum æstus insolenter inquietat.* Ibidem plura, quę apud ipsum videri possunt. Vel certè dicamus, Dei seruum vigilare, quia licet, dum viram in hoc mortis exilio degit, cogatur curarum pręsentis vitæ somno indulgere; debet enim seruire corpori; rebus domesticis prospicere, quæ ad humanam societatem spectant habere præ manibus. Vno verbo vigili mente omninò in Dei amore, & obsequio esse, munus est mentium beatarum. Nostræ verò mortalitatis ratio non modicam, & facultatum, & vitæ

Somnia Iouis nuncij de mēte Eusthatij.

Iob

Dei vox vel dormientibus nota.

Greg.

In quiete Dei vox innotescit.

A nostræ partem à rebus diuinis auocat, & vendicat sibi. Igitur quotquot viuimus dormitare debemus identidem, sed, Dei seruus ita dormitat, vt dormiens vigilet, Audi S. Cyprianū de orat. Domini ser. 6. non multo ante finem dicentem. *Cum debeat Christianus, & cum dormit oculis, corde vigilare.* Petis quid sibi velit dormiendo vigilare; nempè somno negociorum, atque curarum pro ea, quam exigit vitæ nostræ ratio ita corripi, vt nunquam à Dei voluntate recedamus, & vt aiebat Apostolus primo Corinth. 10. num. 31. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud*
B *quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* huiusmodi amore manu veluti ducamur, ne vnquam, vel transuersum quidem vnguem à legis supernæ decretis recedamus, quo non modo detrimenti quicquā in rebus spiritualibus patiemur, verum etiam sument incrementa virtutes, quibus operam damus, & de nobis dici poterit, quod de sancta anima dixit Bernardus serm. 52. in cant. paulò ante medium his verbis. *Illiusmodi vitalis, vigilque sopor sensum interiorem illuminat, & mortę propulsata vitam tribuit sempiternam.*
C Modo his, modò illis, siue familię, siue rei domesticæ, siue studiorum curis auocaris, & ea, quam desideras, diligentia vigilare non potes, rebus ad diuinum cultum pertinentibus cogeris addormire; à tuum est etiam, si corripiaris somno, vigilare. hoc ipsum, quod agis, eo collimet, vt Deum glorifices, neque vltra, vel citra recti modum opereris, vt vigil dormias. Abhorret sine dubio à veritate, quod de Aegea Insula scribit Nicocrates, in qua nullus vnquam potest consopiri. Verissimè affirmare ausim, hanc esse sanctorum hominum dotem, qui semper vi-
D gilant, quia semper in Deo viuunt. Princeps quippè Atticæ sapientiæ mystagogus Plato monebat, idem esse viuere, ac vigilare, à quo edoctus Aristoteles lib. 9. Ethicor cap. 7. monuit: Viuere est agere. itaque si somno indulgens, agere desistas, definis viuere: in quam sententiam iuisse etiam comperio C. Plinium secundum in præfatione ad Vespasianum circa medium, vbi ex Varrone concludit his verbis. *profectò vita vigilia est.* Expressit quod in præsentia illustramus Iudæus

Cyprian.

Quid sit dormiendo vigilare.

S. Paulus.

Bernard.

Nicocrates Aegea Insula fert in somnes.

Viuere ac vigilare idem ex mente Platonis.

Viuere est agere ex Aristotele.

Vita est vigilia ex sententia C. Plinij secundi.

Philo.

Philo, qui de promisso Iacob facto phi- A losophatur lib. de somnijs, aliquantò post medium his verbis. *Etiam terram, virtutem inquam fertilissimam, eo quod sen-*

Iob dormit sensibus, vigilat anima.

sibus dormiat, anima vero vigilet datu-rum ei se pollicetur pacata ipsius quiete delectatus, ad quam peruenerat aduersariae virtutis affectus debellans, & prosternens phalanges vitiorum. Ex quo patet fieri posse, vt quis dormiat sensibus, vigilet anima; hoc est sine vllo detrimento per bona temporalia, vt canit Ecclesia ita contingat transire, vt non amittantur æterna; quod vt assequaris, armata manu obtineas necesse est exemplo tàm cari B Deo capitis, cuius ea præcipua commendatio est; ad huiusmodi somnum peruenisse, prostratis inimicorum Phalangibus, & hostilibus debellatis conatibus. hoc tam singulare commendationis genus: quod non videtur prętermittendum,

B. Virgo dormiens vigilabat. *Ambr.*

agnouit S. Ambros. in Sanctissima Dei Genetrice, de qua inquit lib. 2. de Virg. non longè ab initio. *Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus.* Par fuit vt hac etiam exornaretur prærogatiua typus absolutissimus sanctitatis. C

Aelian.

Laudauit Aelianus lib. 2. cap. 31. Barbaros populos Indos, Celtas, Aegyptios,

Celtarum opinio de dijs per somnia admonentibus.

quasi minimè Barbaros, quod arbitrati fuerint, Deos tantam mortalium curam gerere, tantamque numinum in homines esse beneuolentiam, vt per insomnia sæpe sępiùs monerent homines, eosq; muneris sui facerent certiores. Enimuerò digna

Dei amor quam vigil.

Deo commendatio, cum tantus erga nos dicitur eius amor, vt nobis etiam dormientibus, nostræ vigilet vtilitati. Verum conticescat iam commentatio fabulosa, & mendax euanescat inuentum, veritatis flagello propulsatum. Quàm prę- D clarè cum Dei amicis agitur, quibus contingit etiam dormientibus vigilare. Somnus verè, vigil sopor expergefactus, supernæ erga Dei amicos beneuolentiæ indicium singulare. Statuerat Octauius

Suet.

Octauius imperator somnio Artorij morte liberatur.

Augustus, vt Suetonius scribit in eius vita nõ multo ante finem, dum Philippensi acie moraretur in castris, nequaquam è tabernaculo egredi valetudinis causa. Amici tamen nescio cuius, is fuit Artorius Medicus, si credimus Villeio Pa-

Velleius Pater.

terculo, qui libro posteriore Rom. Histor. scribit Augustum fuisse oratum ab Artorio Medico, ne in castris, quæ apud Vrbem, Philippus aduersus Cassium, & Brutum collocata erant, moraretur. Huius inquam somnio monitus, egressus dicitur, cessitque res prosperè. Quandoquidem non multo post, captis castris, lectica eius, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa, atque lacerata est. Inania sunt hæc, imò verò planissima Ethnicorum deliramenta: ò quã beata iustorum sors, quibus dormientibus, quia cor, nempe Christus Dominus vigilat, iuxta illud Bernardi serm. 75. in

Bernard.

Cant. paulò post initium. *Quid tàm cordium vita, quam Dominus meus Iesus*

Vita cordium Iesus.

Christus, de quo aiebat, qui eo viuebat, cum Christus apparuerit vita vestra. Beata inquam iustorum sors, qui dum dormiūt mirum non est si tuti sint, à quo-

Iusti vel in somno tuti.

uis discrimine, quia amicus omnium integerrimus Christus agit excubias. *Vos amici mei estis. Iam non dicam vos seruos* Ioan. 15. num. 13. & 14. Augusto plus profuit dormientis amici somnus, quam excubiæ militum, & iustis potior est somnus, & quies noctis securior, quam noxiæ possint esse insidię inimicorum, cū Deus sit vigil. Dormiat in vtramq; aurẽ; cuius somnus hoc pacto vigil est, dici sanè nõ immeritò potest, etiam dum dormit vigilans, etiam dum somniat agit excubias. O' somnus vigil, Imò ò sõnus sospitator. fabulosum sine dubio est, ac deridendum, quod In lib. de Mysterijs Iamblichus scri-

Iamblichus.

bit, videlicet in templo Hesculapij, quod in Hepidauro est confluere consueuisse

Templum Aesculapij ægrotis dormientibus salutare.

ægrotos, vt ibi obdormirent, & valetudinis recuperandæ modum à Dijs immortalibus dormientes impetrarent. Tuũ erit, si sapis captare somnum in templo Dei, hoc est rerum diuinarum contemplationi operam dare, & omni seposita curarum turba, vacare tibi, fiet, fiet sine dubio, vt Incolumitatem animi conse-

Incolumitas animi in contemplatione.

quaris, & qui multiplici negociorum varietate distractus languescebas, somnum hunc si dormire contigerit, vel statim conualesces, vel certè perdisces facilè curandi morbi rationem medico Deo, Aristoteles maximus ille philosophantium apex lib. 5. de animalium generatione.

Somnia

Somnia quid ex Aristotele.

Somnia, inquit. Non sunt quæcumque dormiendo aguntur, vt ijs contingit, qui dormientes resurgunt, ambulant, & loquuntur, videntque eodem modò, quo vigilant, arbores conscendunt, exeunt domo, inquit Albertus, inimicos persequutur, occidunt, quandoque lectos repetunt. Aequius dicere potero, quæ de hoc vigili, & ad miraculum vsq; prædicando somno dicũtur insõnia non esse, sed certissimas veritates.

Dictum Iamblichi iustis æque ac superbis quadrat.
Cal. Rhod.

Quibus in hunc modum discussis, facilè percipies, quid sibi voluerit Iamblichus relatus à Cælio Rhodyg. lib. 27. lect. antiq. cap. 9. initio; dicebat enim, quosdam, cum dormire videantur non dormire; & cum vigilare, non propriè vigilare; hoc de superbis dici potest, illud conuenit amicia Dei. Ne vigilans somnies; fuge superbiam, atque vt vel dormiens vigiles, nullum non moueas lapidem, vt sis Deo Carus. Ad extremum si qui fortè pernegant, aut se minimè percipere profitentur, quid sibi velit huiusmodi vigil somnus, de quo sumus loquuti; is recolat lepidum illud, quod de se ipso testatum reliquit Galenus lib. 2. de motu musculorum. Magnus hic philosophus diu negauerat, posse quemquam, dum dormit, quicquam agere. Vnde fabulosa arbitrabatur, quæ vulgo circumferuntur sæpe contingere, vt somno sepulti, lecto surgant, atque progrediantur, & licet profundi dormiant, arma tamen capiãt, inuadant hostes, & id generis sexcenta perficiant. Verùm coactus est mutare sententiam.

Galeno quid accident in somno.

Cum enim Galeno semel per totã noctem longum iter esset emetiendum, somno correptus, statim integrum dormiens confecit, quod vbi deprehendit, experimento edoctus, credere factum coactus est, quod minimè fieri posse arbitrabatur. Vtinam id accidat ijs, qui negant, vel non percipiunt vitalem somnum, de quo fecimus mentionem: Vtinam experimento edocti in nostram veniant sententiam. Vtinam in vtramque autem quietis interuæ dormientes præclara aggrediantur, ad decus diuinæ gloriæ sempiternum.

Videat, qui velit P. Didacum de Baeza tom. 1. commem. moral. in euang. hist. lib. 4. cap. 6. §. 11. & 10. & tom. 2. lib. 8. cap. 3. §. 13. eodem tom. lib. 11. §. 8.

IN CAPVT SECVNDVM Num. XVI.

Tunc Herodes videns quod illusus esset à Magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethelem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

PARADOXVM XX.

Politica Politicorum, Regnorumq; pernicies.



CONSTANS fama est hominum haud illiteratorum sermone vulgata, Herode in infantium cęde eo vsque dementiæ processisse, vt filium suũ iusserit è medio tolli? Quemadmodum inter reliquos scribit Macrobius lib. 2. cap. 4. adeò cœco furore summa quęque efferuescit crudelitas, qua intimas cordis fibras peruadente, tam diras hauriebat furias, & cruenta voluptate inebriabatur, vt verbis vtar Augustini lib. 6. confess. cap. 8. in fine; Huius adeò scelesti facinoris immanitatem satis equidem demirari non possem, nisi pro comperto haberem, principes tunc certissimè suum pessum dare dominatum, cum pro dominatu tuendo, ius, fasque per summam impietatem proterunt, atque conculeant. Ecce tibi rex impius, ne ipse regno cadat, regni hæredem interimit. Quod igitur bonum, felix, faustumque sit in Herode tanquam in Pythagoræo speculo Politicam Politicorum, regnorumque perniciem intueamur.

Macrobius.

Scitè S. Bernardus Ludouicum Francorum

Bernard.

Regna diuturna quæ in religione fundantur.

corum regem monebat illis verbis epist. 255. initio: *Regna terræ; & iura regnorum tunc sanè sana suis dominis, atque illæsa persistunt, si diuinis ordinationibus, ac dispositionibus non resistunt.* Constantinus, & rebus feliciter gestis & Christiana pietate verè magnus, vt refert Eusebius tract. ad S. Cætum cap. 22. Maxentio immanissimo hoste profligato disertè non minùs, quàm religiosè pronunciauit: *Ego certè, & prosperam meam fortunam, & meas res omnes pietati acceptas refero.* Adest nostrorum temporum Iulius Cæsar semper inuictus, nisi verius Constantinus ætatis nostræ fortitudine non minùs, quam religione magnus Carolus V. de quo cum alijs refert Io. Bot. lib. 1. dict. memorab. circa med. profligato Veteranorum exercitu, & expugnato Federico Saxoniæ duce dixisse: *Illud Cæsaris vsurpare non possum Veni, Vidi, Vici; sed dicam Veni, Vidi, & Dominus Deus vicit.* cõsentiunt voces, quorum, & par imperium fuit, & pietas non absimilis. O'digna diademate capita, quorum oraculo quantum, quantum est orbis imperium pietati donatur, & quod inde consequens videtur esse eiusdem pietatis studio, tutissimè scilicet propugnaculo conseruatur: Quis quis magistratus, & politiæ moderandæ curam gerit, suadeat sibi principem etiam inuitum se ipsum destruere, quando humanæ prudentiæ ductu Deum contemnit, vel paruifacit religionem. Cuius ex hoc ipso, quod præ manibus est, argumentum ducit Eusebius Emissenus in hunc modum. *Nascente Domino conterretur Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. Quid mirum, si pietate nascente perturbetur impietas? velit, nolit Christum regem fatetur, quando se ab eo, regno putat esse depellendum.* Hæc hom. de epist. non multo post init. Vt fœliciter imperes; vt res cedant ex animi sententia, eius te subdas imperio, cui, qui reluctatur Giganteum renouat bellũ, montibus aggerans montes, vt elata altius suorum consiliorum mole, lapsu grauiore ruat.

Euseb. Emiss.

Costantini regnum in pietate stabilitũ.

Io. Bot.

Caroli V. in victoria præclarum dictũ.

Euseb. Emiss. Herodes nascente domino perturbatur.

Gregor. Ioseph adoratus quia vẽditus.

S. Gregorius memorato eo, quod de Ioseph Gen. 27. legimus, in rem meam sic monet. *Ita ab eis venditus fuerat Ioseph ne adoraretur; sed ideò est adoratus quia venditus.* Ita lib. 6. mor. cap. 12. non multo post init. & quia S. Pontifex eo capite totus est in confirmanda hac veritate, legatur. Iudæos perduelles, omni seculorum memoria execrãdos humani generis reparatoris necem eo consilio molitos fuisse, vt suum tenerent imperium, notius est, quam à me oratione explicari queat, *Quid facimus? venient Romani,* dicebant Ioannis 11. num. 47. & 48. *& tollent nostrum regnum.* Et ad tantã perniciem auertendam Caiphas consilium dedit Iudæis, *quia expedit vnum hominem mori pro populo,* vt habetur Ioannis 18. num. 14. Dictum, factum: captiuus ducitur Christus, qui dum coram Caipha interrogatus respondet. *Dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei venientem in nubibus cæli; Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.* vt est apud Matthæum cap. 26. num. 64. 65. de quo sic eleganter S. Leo serm. de pass. Dom. paulò post initium. *Caiphas ad exagerandam auditi sermonis inuidiam, scidit vestimenta sua, & nesciens quid hac significaret insania, sacerdotali se honore priuauit; vbi est Caipha rationale quietis tuæ? Mystico illo, sacratoq; amictu te spolias, oblitus præcepti illius, vestimenta sua non disrumpet. Tu verò a quo iam alienabatur has dignitas, ipse tibi es executor opprobrij, & ad manifestãdum finem veteris instituti pertinet eadem disruptio sacerdotij.* Vesana profectò versutia hominum impiorum, telas texit arenearum, se ipsam euiscerans, se se destruens, se præcipitem agens, dum stare nititur inuito Deo. neque aliter contingere potest, quia qui vt principis tenebrarum fortunam sequuntur, ita idem subeant infortunium necesse est. certè Lucifer tartareæ regionis tyrãnus, dum vitæ auctorem turpissima morte necauit, vt suum stabiliret imperium, miserrima clade deuastauit. De quo S. Põtifex Leo serm. 9. de pass. Domini paulò post med. *Malitia nocendi audens dum irruit, ruit.* Quidquid habes honoris, ac dignitatis; quotquot frueris fortunæ bonis, vt non conseruentur modò; sed augeantur in dies, pro aris, ac focis pugna, vt tuta sint, ac sancta diuina iura: deleatur iam è mentibus hominum prophanum, imò perfi-

Ioan. 18. 14.

Matth. 26.

Leo.

Caiphas nescius sacerdotio se priuat.

S. Leo. Scelestos sibi non alijs nocere.

Sueton.

perfidum illud Euripidis, quod crebrius A dictitatum fuiſſe à Cæſare narrat Suetonius io vita ante medium.

Nam ſi violandum eſt Ius, regni cauſa
Violandum eſt; alijs rebus pietatem colas.

Euripidis perniciosum effatum.

Studioſum te religioſę pietatis efficiat in primis amor ſeruandi principatum qui mole laboret ſua neceſſe eſt, niſi religionis fulcimento ſuſtentetur.

Mibi ſemper viſum eſt animaduerſione dignum à prima in Chriſti fideles perſecutione vſque ad aureum magni Conſtaotini pro Chriſtiana religione ſæculũ inter Romaoos Cęſares nullum diutiùs tenniſſe imperium M. Antooino Pio, quẽ B

M. Antoninus Pius fauet Christianis, & diu regnat.

legimus tribus ſupra viginti annis imperaſſe; crediderim id contigiſſe tàm pio priocipi, quia legem tulit, vt ſi quis hoc ſolo nomine, quod Chriſtianus eſſet, poſtularetur, in accuſatorem ſupplicium verteretur: merito igitur mea quidem ſententia longo tempore imperauit, quia præ cæteris ſanctam, ac tutã voluit Chriſti fidem. Confer cum hoc Tacitum Imperatorem, qui vix ſex menſibus imperauit: confer Floriaoum, Taciti fratrem, qui imperium habuit fraterno breuiùs; confer Aemilianum qui intra tres men- C ſes, & vitæ, & imperij fecit iacturam, confer Decium Chriſtiani ſanguinis cupidiſſimum, qui altero principatus anno interijt; confer eius ſucceſſores, Gallum, & Voluſianum, qui intra biennij ſpatium, tempus imperandi concluſerunt; confer Iulianum Didium, & Aelium pertinacem, illum per quinque menſes imperantem, iſtum inter ipſa principatus exordia interemptum; Qua comparatione diſce, vt fruatis diutius ſecundis rebus, colere impenſius Chriſtianum nomen.

Cæsares Christianis inuisi, ac breuissimè regnantes.

Io. Bot.

Barbarum planè eſt, quod refert Io. Bot. lib. 1. dict. memor. vir. illuſt. circa D med. Baiazetus Turcharum tyrannus exceptis oratoribus Sigiſmundi imperatoris, cuius nomine nunciabatur, ne Bulgariam inuaderet, cum id contra Ius faſque eiuſdem Ottomanni exercitus Duces molirentur; cuiuſmodi dediſſe reſponſum putatis, & ſuopte ingenio, & noui principatus ingenti concepta ſpe ferocem Baizetũ? nihil arbitramini rabidè, aut inhumaniter effutiuiſſe. ſed placidè, quaſi coambulans cum Cæſaris nuncijs in mu- A nitiſſimum ſe contulit armamentarium, ibique omnia, quæ è parietibus pendebãt armorum genera digito commonſtrans, ait, circumſpicite, & attentiùs contemplamini, quo pacto moti quoque parietes meum prædicent ius, dicere volens. Ius omne in armis eſſe. ius planè iniuſtum, quod vtinam ſolis arrideret barbaris; vtinam non multi iuris violatores inhumani noſtra etiam ætate viuerent veræ religionis Sinones vaſerrimi, qui licere ſibi volunt, quod libet. Tu, ſi ſenſum habes pietatis, caueas à tanta pernicie diligentiſſimè; Quandoquidem imperia cooſiſtere nequeunt ſpreto Deo. B Euolue ep. 3. lib. 7. B. Petri Damiani, quæ eſt ad Henricum Henrici 2. imp. filium Rom. reg. ad memorata Saulis hiſtoria, quę habetur 1. reg. cap. 15. quando nefarius Saul pallium Samuelis ſcidit, ſic ſcribit. *Sicut pallium illud veſtis erat Samuelis; ſic & Sancta Eccleſia veſtis eſt vtique redemptoris. Pallium igitur Samuelis, Saul abrupit, & regnum perdidit; Chriſti ſcinditur veſtimentum, & licet non ſcindentis tamen ſcindere permittentis ſtabit imperium?* ita loro citat. paulò ante mediũ.

Baiazeti omne ius in armis.

Imperia, spreto Deo dilabuntur.

B. Pet. Dam.

1. Reg. 15.

Ecclesia vestis redemptoris.

C Meritò iocuriæ arguerer, ſi ſilentio inuolucrem, quod ex Sancto Hieronymo in rem præſentem didici, qui in cap. 14. Matthæi in fio. per Chriſti veſtem ſignificari aſſerit eiuſdẽ præcepta, igitur Hieronymo auctore, qui præpotẽtis Dei violat præcepta, veſtem Chriſti nefarius ſcidit. Hæreat animo, fore, vt res tuas peſſum des, auita maiorum gloria concidat; ruant domeſticę facultates; omnia io tuã perniciem conſpirent malorum genera, ſi Chriſti veſtem ſciodere minimè formidaueris. Planè mente capti, qui ſe quolibet obſtriogunt ſcelere, vt exiſtima- D tioni, vt familiæ, vt facultatibus conſulant. Audi attentiùs, quę perpendenda ſubijcio, dicta à Samuele Sauli; vbi primum ſciſſum vidit pallium ſuum. Vt habetur. citat. cap. num. 28. *Scidit quoque Dominus regnum Iſrael à te hodie.* Maoeat, politicæ adminiſtrationis rationem eam eſſe debere, vt nunquam Dei honorem ſcindat, alioquin enim, nulla interpoſita mora ſcindetur.

Christi vestis eiusdem præcepta.

1. Reg. 15.

E contra autem ſacrorum cultum firmum veluti propugnaculum eſſe exprimit

mit

A init numerorum liber, qui totus in eo videtur esse, vt bellantis præseferat specimen religionis tutæ, etiam inter pugnarum discrimina: memoratur quippe circumferri arca clarissimo cincta præsidio, Leuitis, ac Sacerdotibus munita vndique, & vbique. Quod ego quidem interpretor sacris ad omnem posteritatis memoriam monumentis consignatum, vt intelligamus, hostium turmas internecione delere, inimica diruere castra, motus quatere hostiles, omnem aduersariorum conatum frangere, ac debilitare, illius esse solummodo, pro quo Pontifices pugnant, B ac dimicant Sacerdotes; hoc est, si dicere licet, venit in aciem militari sago metuenda Religio. Expressè id enucleatū inuenies apud M. Tullium Ciceronem ijs, quos de rep. edidit libros, quos quantum attinet ad præsens institutum, quasi in compendium redactos leges apud S. Augustinum lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 21. per totum; quo capite post med. recitat huiusmodi sententiam lib. 5. de Republica dignam planè Cicerone. *Nostris enim vitijs non casu aliquo Rempublicam verbo retinemus, re ipsa verò iam pridem amisimus*. Quod ex ijs, quæ Scipio Africanus, C quem disputantem introducit, luculenter examinat, ingeniosè infert M. Tullius; sed ex ea præsertim definitione, quam idem Scipio affert, asserens, Rempublicam nihil aliud esse, quam rem populi: at si interroges quid sit populus? eum eodem respondebo, populum non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum, iuris consensu, & vtilitatis communione beatum. Quæ cum ita se habeant, si auferas à ciuili administratione Ius, fasque, si æquitatem conculces, atque iustitiam, respublica non modò pessima ac flagitiosissima, sed omnino nulla erit, vt Augustinus monet loco citato. Vt diu respublica vigeat, vt stet imperium, vt floreat dominatus, nil nobis tantopere cordi sit, quàm religio, quàm pietas, quàm iustitia, quàm recti reuerentia, & amor incorruptus æquitatis: absit labes morum, ne Vrbium, domorum, imperij dignitatem deflere cogamur amissam; quacumque enim arte, quæ religioni repugnet, rerum ciuilium administrationem fulcire molimur, demolimur inuiti.

M. Tullius.

S. August.

Respublica res populi.

Nulla respublica ablata iustitia.

Ruggerius de Bellagarda inter Galliæ heroas nulli secundus dicere solebat, vt refert Ioannes Boterus lib. 1. dict. mem. paulo ante med. in bellis administrandis, conficiendisque nimiam sæpe numero obesse sapientiam; fortasse, quia qui accuratius, quàm par est, rerum momenta singularum examinat, faciliùs retardatur ab aggressione præclarè gestorum; audeat enim miles necesse est. Verum quomodocumque se se res habeat, Rugerij dictum satis vt arbitror aptè in rem meam potero deriuare. Huius vitæ, quæ tota militia est, vt in paradoxo, Christiani militis fuga gloriosa, innuitur, rebus fæliciter gerendis nihil tantum affert detrimentum, quàm nimia sapientia, hoc est illa politicorum disciplina, quæ inimica est Deo.

Io. Boterus.

Nimis sapientia bellis interdum noxia.

Pulcherrima mihi semper visa est ad præsens argumentum illustrandum ea historia, quàm de Theodorico Aro rege leges apud Theodorum lectorem in collectanea Græca ad finem historiæ Theodorici adiectam. Diaconus nescio quis orthodoxus, gratiosus imprimis erat regi Theodorico, tamen vt arctius sibi Principis sui animum, & beneuolentiam deuinciret, defecit à fide, Catholicæ religionis desertor scelestissimus: igitur Antianam hæresim, quam Theodoricus pro viribus fouebat, ac propugnabat, professus palam, nullo numinis metu, nulla reuerentia pietatis potuit in officio contineri Diaconus. Id vbi primum ad Regis peruenit aures, quem tanto prosequebatur amore, Diaconum capite condemnauit, præclara illa voce: si Deo fidem non seruasti quo nam pacto conscientiam sanam homini seruaturus es. Simillimum est, quod narrat Io. Boterus lib. 2. dict. memor. vir. illus. initio de Ariadeno cognomento Barbarussa. Diù, & acriter pugnauerat, vt arcem D à Ferdinando Hispanorum Monarcha regia munificentia extructam expugnaret, sed irrito conatu, tanta quippe prudentia, ac magnanimitate à Martino de Vargas propugnabatur, vt penè re infecta Turcarum exercitus recedere compelleretur. Verum nescio quis desertor scelestissimus Christianæ fidei arcem prodidit, & peperit Ariadeno victoriam, quam vbi primum adeptus fuit, damnauit capite proditorem, asserens indignum esse, cui fiderent ho-

Theodericus Diaconum à fide transfugam capite mulctat.

hominés eum, qui Dei iuratam fidem A tam turpiter confregisset. enimvero, & consilium, & apophtegma longè sapientius, quàm ab ingenio barbaro, & homine Turca expectari potuisset.mutato nomine de te narrabitur historia, quicumque humana, ac Diuina violas iura, quæ si conculcas, ac proteris, vt tibi prospicias, perijsti.

Euolue si per otium licet Christiani annales imperij, & quod in manibus est, constabit liquido: Flauium Constantinum cum Licinio, Orientis imperatore componas; Ille vno supra trigesimum anno Romanum tenuit imperium gloriosissime B profligato Maxentio, perdomitis Gothis, Orientalibus debellatis: Hic vero, & vita, & imperio spoliatus, nec diuturnum, nec fœlicem habuit principatum. Causam discriminis queris? est In promptu. videlicet Constantinus tàm pius, ac religiosus fuit, vt reliquerit dubium, plura ne templa, arasque Inanium Deorum euerterit, an Christo, sanctisque martyribus excitarit. Consule Niceph. lib. 7. At contra Licinius, Christianos hostilem in modum C vexauit, mille insidiarum cuniculis, mille nocendi artibus se dedit præcipitem, dum stabilire imperium arbitrabatur, vt est apud Zonaram lib. 3. Constantius, Constantinus, & Constans magni patris degeneres filij, luculenter euincunt stare non posse imperium, si politicorum versutijs fulciatur. Primus dominandi libidine, bello impio, ac nefario illato fratri, ad Aquileiam obtruncatur, nondum expleto triennio. ò fructus breues politicæ calliditatis! Constans transalpina elatus victoria dolo extinguitur. Constantius, vt solus imperaret, Gallo Cęsari patrueli mortem intulit, quo perpetrato facinore, fu- D rijs eo vsque actus fuit, vt fieret Arrianus. At dum putat firmarum imperium nece illata, tàm facinorosa; magnis cladibus à Persis afflictus, versis ad bellum ciuile armis in via extinctus fuit miserando mortis genere. Auctorem habes Eutropium lib. 10. De Iuliano, desertore notissimo verę religionis nihil attinet dicere; altero enim anno, testis est Ammianus lib. 16. Ducis sui fraude in insidias cecidit violenta morte obtruncatus. I nunc Iuliane, & nouo Politicæ inuento extrue imperij molem longissimè duraturam: tolle bonarum artium studia; illecebris Christianorum animos deprauandos cura, & dum religionis causa obtruncas, alias supplicij causas præferas. Versutus satis, & callidus, hoc vno hebes, atque ignarus, quod propagandi imperij, & fines & tempus quemadmodum auidissimè cupiebas, penitus ignorasti. Compone Valentinianum, cum Valente. Ille vndecim annis gloriosissimè imperauit tàm in sago, quàm in toga clarus: Huic nil ęque cordi fuit, quàm Deo probrum à nefario Iuliano illatum in decus vertere, recti amantissimus adeo, vt dictitaret, primam principis curam esse iustitię, vt mirum propterea cęseri non debeat, si Procopium Tyrannum debellauerit: si Saxones, Romanos fines inuadentes propulsauerit: si Firmum Africę tyrannum profligauerit. Princeps semper cum laude memorandus, quippe qui imperauerit ęquitate magistra, posthabitis hominum consilijs vaferrimorum. At Valens frater eodem tempore, in Oriente post diuturnas turbas, quibus fuit continuò vexatus, ab ijs ipsis miserrimè è medio tollitur, quos sibi contra ius, fasque delegerat patrocinio fouendos. Nam Arrianorum impetu fusis imperatorijs copijs ferro, flammisque direpta Thracia, sagitta transuerberatus Valens cum se recepisset in desertam ædiculam, à Barbaris deprehensus, admoto igne cum tugurio viuus absumitur, vt viuens adhuc flammas experiretur vltrices, quibus mortuus, morituro nunquam incendio erat comburendus. Is ille est Valens, magno infensus Basilio, qui Monacos, à pijs religiosæ solitudinis exercitamentis auocatos, militaribus addixit ministerijs Arriana ipse peste commaculatus, Arrianorum partes fouit studiosissimè; sed eosdem expertus est vltores scelerum suorum, quos ad muniendam imperij stabilitatem tanto fuerat amore complexus. Arrianorum quippe impetu, atque versutijs imperio cecidit, & vita orbatus ingemuit. Consule Zonaram lib. 3. Te testem appello Theodosi imperator, sub cuius sceptrum annis septem supra decem imperium floruit. huius Augustissimi principis ferunt fuisse artes, debellare tyrannos, quod in occidente non modò suo periculo didicit Maximus,

Constantini regnum felix & diuturnum.

Licinius Christianis infensus vita spoliatur.

Nicephorus.

Zonaras.

Constantij & Constantis interitus miserabilis.

Eutropius.

Ammianus.

Valentinianus fœlix in imperio quia æquitatis amans.

Prima cura Principis iustitia ex sententia Valentiniani.

Valens interficitur ab ijs quibus fauet.

Valens monachos militię addicit.

Zonaras.

mus, sed experti insuper fuerunt Eugenius, & Arbogastes. Istorum fraude strãgulato Valentiniano, dum imperium occupare nituntur, opprimuntur à Theodosio. Quęsitum quibus consilijs, & quą prudentię regula tam fœlix steterit imperium, tot fuerint partę victorię, tàm præclari acti triumphi, breuissimè dicam pietate duce, comite religione. Hic ille est Theodosius probitate clarissimus, qui ab Antistite Sãctissimo Mediolanensi Ambrosio templi aditu prohibitus, paruit, & publicam pœnam ab illo impositam ritè persoluit, & quia optime intelligebat, nulla re fulciri firmius posse imperium, quàm probis institutionibus Principum, nihil antiquius habuit, quam Arcadium, & Honorium filios Cæsares, sanctis imbuere præceptionibus, ac disciplinis. quos propterea Arsenio Præceptori, viro integerrimo tradens, non vt Cæsares, sed vt discipulos tractari voluit. Id vt memorando testaretur documento, cum forte scholam aliquando ingressus, Præceptorem stantem, filios in sellis considentes conspexisset, non parum rei haud expectatæ nouitate commotus, Arsenium sedentem in posterum docere voluit, Cæsares stantes iussit audire. Tantopere cordi habuit, vt pietate informarentur, & bonarum artium studijs imbuerentur ij, quos ad orbis imperium educabat. O numquam satis commendatum politicæ genus; sed quam perpauci admodum amplectuntur. Stiliconem socerum, ac tutorem Honorij non tacebo. Hic tutelæ specie principatum affectans grauissimas in Occidente turbas excitauit. Vandalos conciues suos, nec non Sueuos, Alanos, Burgundiones exciuit in Gallias; insuper Gothorum regem Alaricum in Honorium inflammauit, vt filium suum Eucherium eueheret ad solij imperiale. Tot inter deceptoris animi technas, detectis dolis, Stilico, & eius filius Eucherius, Honorij iussu tolluntur è medio.

Theodosius pietate tyrannos vincebat.

Theodosius erudiri iubet filios ab Arsenio.

Stiliconis impij politici malus exitus.

Videre tamquam in tabula Politici, quid vestræ vobis prosint industriæ, vel certè discite à Martiano, qui ob eximiam probitatem ex gregario milite oriẽtis Augustus creatus fuit, vt testatur Euagrius lib. 2. discite inquam non dolis, & versutia, sed integritate morum, atque innocentia aditum ad honores maximos patefieri. Tandem ne longior, & copiosior sim, quam par est in hac re, Eudoxiæ si protulero miserandam calamitatem, me satis, superque dixisse existimabo. Maximus tyrannus, Roma armis occupata, Eudoxiam Valentiniani imperatoris vi perempti coniugem connubio sibi iunxit inuitam; Hęc ira percita, muliebrem in modum, vsque adeo exarsit furore, vt vlciscendæ iniuriæ insana admodum cupiditate, Gensericum Vandalorum regem ex Africa accersiuerit, sed vnde mali remedium debebatur, malum grauiora sumpsit incrementa, & patriæ ruina, & imperatricis miserrima seruitute. Rex barbarus, Maximo interfecto, Romanisque copijs superatis, arcem imperij Romam redegit in seruitutem, & Romanis onustus spolijs ipsam Eudoxiam Augustam vna cum liberis captiuam in Carthaginem abduxit. Vtinam perdiscaris aliquando tandem politici qui vestrorum sit fructus consiliorum. vna recti regula, & norma ęquitatis firmant imperia, quæ ruent nullo impellente, nisi religionis, ac integritatis fulcimento sustentenrur.

Martiani pij fortuna.

Euagrius.

Eudoxia imperatrix male vlciscitur mariti cædem.

Haberem etiam in promptu, si pluribus vti vellem, recentioris memoriæ rarum exemplum, peritum à Paulo Iouio lib. 1. in vita Leonis X. aliquanto post init. vbi narrat Iulianum Mediceum, virum non ætatis suæ solummodò, sed omnium sæculorum memoria clarissimum, Florentiæ interemptum fuisse in celeberrimo templo D. Reparatæ Xisti IV. fraude, fœdissimo, & scelestissimo genere mortis, dum medijs in sacris Eucharistia populo ostenderetur. Tantum verò facinus in eam gratiam perpetrabatur, vt Hieronymus Pontificis nepos fortunis honestaretur amplissimis. Obseruo, cessisse omnia ex animi sententia ijs, qui alieno funere sternebant sibi ad diuitias aditum, ac dignitates: Iacuit enim è medio sublatus Iulianus, tam miserandum, tam execrandum in modum. Quid igitur? credemus ne extinctam familiam Mediceorum, & rebus suis opportune politicos consuluisse? Sed ecce tibi (mirum dictu) nascitur Iuliano, altero circiter, atque trigesimo die filius posthumus, nomine Iulius, non modò lineamentis oris, sed toto corporis habitu parenti simillimus, qui postea accepto Clementis Septimi

Iouius.

Iulianus Mediceus interemptus in téplo D. Reparatæ fraude Xisti IV.

Iulius Mediceus Pontifex Maximus creatus.

ptimi nomine, mortuo Adriano, Ponti- A ficatum maximum est adeptus. Hæreat altius cordibus Politicorum, diuinę consilio sapientiæ fieri, vt qui contempto Deo, innocētem opprimere nititur, opprimatur. Et simul extollatur altius, qui iniustè deijcitur à culmine fęlicitatis. à quo eò longiùs semper cogeris abesse, quo fueris iniustior.

Qui innocentes opprimere nititur opprimitur.

Exemplum do geminum antiquioris alterum, alterum recentioris ætatis; & fine dicendi facio vt liquidò constet à sola religione, firmum, ac stabile munimen esse regnorum. Quod euincere mihi videtur eximius rerum antiquarum scriptor Iose- B phus lib. 12. antiq. cap. 3. vbi dicitur Antiochus Asiæ rex, cum Phryges, & alij populi quidam ab imperio defecissent, & in vicinis prouincijs armorum impetu omnia vastarentur, Zeuxidi claro duci imperasse, vt aliquot Iudæorum millia, cum familijs suis Babyloniam deduceret, atque Mesopotamiam; Cui imperio memorandum illud addidisse perhibetur oraculum. *Credo enim fideles nobis eos futuros, propter pietatem, quam circa Deum habent.* Tantam habuit de pietate erga Deum opinionem impius, barbarusque princeps, vt existimauerit nulla re stabiliri C feliciùs posse nutans imperium, quàm religione. Non opes, non vires, non consilia, non politicorum effata, atque industriæ, sed numinis cultus, sed pietatis studium, sed religio, ac sanctimonia reges tutantur, ac regna. Id quidem, & probè tenebat, & declarauit apertè Henricus secundus Galliarum rex, qui, vt refert Io. Boterus lib. 2. dictor. memorab. viror. illust. non multo ante finem, cum de more sui regni principes regijs exciperet epulis, qua die annuam triumphi sui memoriam recolebat, natam ipsas inter regalis conuiuij lautitias Ecclesiasticos D inter, & sæculares de primatu controuersiam diremit, voce illa memoranda. *Iam diù dexteram meam obsequio Ecclesiæ dedicaui.* Dextera verè victrix non tàm strage hostium, quàm data Ecclesiæ fide, imò exhibito religioni famulatu memoranda. Præclara enimuero triumphantis animi tripudia ea sunt, quibus princeps animus se se religioni subdit, ac mancipat

Ioseph. hebr.

Antiochus sola pietate putat fulciri imperium.

Io. Boter.

Henrici ij. præclarum dictum.

Videri potest P. Didacus de Baeza tom. 4. in euang. histor. cap. 22. §. 3. & tom. 2. lib. 7. cap. 2. §. 15. eodem tom. lib. 6. cap. 1. §. 1.

Si quis autem velit perdiscere, quenam sit Christiana prudentia, & quę eius partes, consulat P. Franciscum de Mendoza tom. 1. in lib. reg. annot. 2. proemiali sect. 4. à nu. 45. & deinceps, & P. Ioannem Antonium Valesquez. tom. 1. in epist ad Philippenses ad cap. 1. vers. 9. in expositione circa litteram à num. 7. & deinceps, & ad idem cap. vers. 13. adnot. moral. 7.

Videatur R. P. Didacus Nissenus magni nominis concionator in Dom. 22. post Pentec. Assump. 4.

IN CAPVT SECVNDVM
Num. XVI.

Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valde; & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.

PARADOXVM XXI.

Peccator inhonoratus, & stultus.



ERODES à Magis, hoc est impius à sapientibus illuditur, & iure quidem optimo, nisi fallor, quia quisquis scelerũ cõtagione fœdatur, is stultus est, atque

queinhonoratus. Libet ab hoc ſecundo, quod fortaſſe maioris eſt ponderis, exordiri. Impium flagitijs ſeruientem præpotentis Dei honorem proterere omnium ſermonibus vſurpatur, cum tamen turpiorem notam inurat ſuæ æſtimationi, quam Dei.

Cur Iudæi cauſam mortis Christi cruci inſcribi curauerunt.

Liberāt me ſuſpicione mendacij Iudæi carnifices impij Seruatoris. Iſti, quo flagrabant odio in Redemptorem, poſtquam eum turpiſſima morte damnarant, curauerunt, vt cauſa necis cruci inſcriberetur: & ad declarandum, voluiſſe ſibi Chriſtum Dominum contra ius faſque, regis dignitatem vſurpare, hoc eſt ad palmare damnati tàm iniuſtè dedecus, dicebant Pilato. Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Vide quo Scribarum, & Phariſeorum colliment vota. Sed titulus inſcriptus, dedecoris notam, non Redemptori, ſed Iudæis inuſſit, ſi diligenter inſpiciatur, etenim ſcriptus fuit Hebraicè, Græcè, & Latinè, hoc ordine, vt primò Hebræis caracteribus exarata ſententia legeretur: tùm Græcis: extremo loco, Latinis, vt colligi poteſt ex ipſis verbis Euangeliſtæ cit. & patet ex ea tituli parte, quæ Romæ monſtratur. Si quæras cur huiuſmodi ordo fuerit ſeruatus, reſponderem, ad indicandam ignominiam, & ad patefaciendum dedecus Hebræorum, quorum lingua cum Græca, & Latina in contentionem veniēs poſtponitur meritò. Ita Pipinus ſtatione 7. Chriſti patientis, quemadmodum Mallonius cap. 6. de S. Sindone teſtis eſt, ideò primo loco poſuit linguam hebræam tāquam contemptibiliorem; mox græcam tanquam honoratiorem; tandem latinam, tanquam omnium nobiliſſimam. Planè Iudæi, dum Regem Gloriæ conantur eludere, ſe potius exhibent eludendos, & dedecoris notam, quàm inurere moliuntur, contrahunt. Vnum audiant, pro omnibus Philonem, diſertiſſimè pronunciantē

Titulus inſcriptus dedecori fuit Iudæis nō Redemptori.

Pip. Mal.

Philo.

Qui Deum nō colit, honore prorſus indignus eſt.

Homo hunc præcipuum honorem ſortitus eſt præter animalia cætera, quod Deum colit. Ita homo Iudæus lib. de ſomnijs; igitur à contrario: qui Deum non colit, honore prorſus indignus habendus eſt: maioris ſine dubio ponderis erit breuiſſima S. Auguſtini ſententia dicentis. *Ho-*

Auguſt.

A *nor noſter Deus noſter.* Ita Sanctus ſer. 4. de Verbo Domini paulò poſt medium igitur pari paſſu procedunt, & à me Deo recedere, & honoris ſubire iacturam.

Honor noſter Deus noſter, qui igitur à Deo recedit, inhonoratur.

Quod quidem homini dummodò ſit ſui compos, facilè ſuadetur. Quin etiam tàm alienum ab eo, quem honeſti viri profitentur, honore, quam datam fidem reſcindere, mentiri audacter, paciſci cum hoſtibus nefarijs de nece optimi principis. At quis impiorum adeò perfractæ frontis, vt inficiari queat, ſe ſepiùs obligatam Deo dediſſe fidem, & ſplendido mendacio B Chriſti fidelis nomen tertio quoque verbo vſurpare, & toties cum infeſtiſſimis diuinæ maieſtatis hoſtibus, irrito licet conatu conſpirare aduerſum ſummam bonitatem, quoties ſe ſe turpiſſimis ſcelerum maculis inquinat? Non vacat ire per ſingula, quædam breuiter ſunt libanda; enimuerò inimici Dei dedecus, atq; ignominiæ nota meridiana luce patebit clarius, ſi probroſam, ac turpem eiuſdem ſeruitutem leuiter attingamus. Nulla ſanè turpior nota ea, quam exiſtimationi ſeruitus inurit. Hinc Philoſtratus in vitis ſo- C phiſtarum auctor eſt, lege fuiſſe cautum, vt ab hominum honeſtorum albo eraderentur, qui aliquo modo ſeruili artificio dediſſent operam. Ex quo Theodorum Iſocratis Rhetoris patrem oſtendit inſtrumenta muſica non confeciſſe, vt obiectum fuerat, quia ipſius ſtatua in Olympijs conſpiciebatur, quod ſolùm licebat honeſto loco natis, atque ingenuis.

Peccator inhonoratus quia mentitur honoribus ſed Deo.

Peccatoris probroſa ſeruitus.

Philoſtratus.

Ab honeſtorū virorum albo eradebantur ſeruili artificio operā dantes.

Statua in Olympijs locare ſeruis nō licebat.

Viguit etiam apud Lacedæmonios huiuſmodi mos, vt quicumque opificium quoduis exercuiſſent, inter Helotas, quod ſeruorum genus erat, recenſerentur. Cuius rationem reddit M. Tullius lib. primo of- D ficiorum illis verbis. *Eſt enim in illis ipſa merces, auctoramentum ſeruitutis.* Quid plura? id ipſum apud Hebræos diuina lege cautum fuiſſe ſatis conſtat ex cap. 38. Eccleſ. vbi ſeruilia exercentes opificia arcentur à dignitatibus, quibus frui licitum eſſe decernitur ijs tantummodò, qui nullo ſeruitutis dedecore dehoneſtantur. Itaq; ſi turpem eſſe improborum hominum ſeruitutem conſenſu ſanctorum patrū euicero denegari certè non poterit,

Lacedæmoni mors.

Tullius.

Seruilium operū merces auctoramentum eſt ſeruitutis.

Ex lege diuina Iudæi exercētes ſeruilia opera, à dignitatibus arcebantur.

ſcele-

scelestum quemque esse inhonoratum. A Lege apud S. Petrum Chrysologum ser. 6. qui est in psalm. 99. circa med. hominis impij conditionem his verbis descriptam. *Erat homo peccati seruus, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus: sic malis dominis, talibus, tantisq; exhibebat homo malam, & miseram seruitutem.* Expergiscere ò homo ad maiora natus, quam vt inter captiuitatis sordes misere lacereris. Audi Emissenum vt copiosè, ita eleganter. *A quò quis vincitur, sicut, & Apostolus testatur, eius, & seruus est: iste obtemperat iniustitiæ: ille iræ, iste superbiæ: ille seuitiæ: iste malitiæ, ille iracundiæ, iste auaritiæ: ille luxuriæ. Nescio quomodo se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot Domini in partes suas distrahunt. Quid prodest quod liber est in natura, qui seruus est in conscientia.* Hæc Emissenus. Perpende quam abiectum sit tam vilem seruire seruitutem. Ego sanè quid in hac re sentiat S. Bernardus fideliter recito. *An non seruus, cui dominatur iniquitas? & maxime, nisi tu forte indignius iudices, homine sibi, quam vitium dominari. Quid interest, volens seruias, an inuitus? non & si coacta seruitus miserabilior, sed affectata miserior est;* hæc habet lib. 1. de consideratione ad Eugenium Papam circa medium.

Chrysol. — Homo peccati seruus, mancipium dæmonum.

Emissen. — Peccator omnium vitiorum mancipium.

Bernard. — Seruus est, cui dominatur iniquitas.

Consentiunt Diuus Io. Chrysostomus S. Ambrosius, S. Gregorius Nazianzenus, & S. Cyprianus clarissima christianæ sapientiæ lumina; Primus quidem luculenter hom. 29. in cap. 9. Geneseos non multo post medium ad illud: *maledictus Chanaan filius, seruus erit fratribus suis; Ecce enim,* inquit, *fratrem eadem natum* D *puerpera, eodem egressum vtero, vt sibi vendicauit peccatum, seruum fecit, & oblata libertate subiectionem illi iniunxit: vnde postea seruitus sumpsit originem.* Erat par omnium honor; peccatum autem vbi intrauit, libertatem perdidit, seruitutemque introduxit, vt continua sit doctrix, & admonitrix humanæ naturæ, *vt fugiamus seruitutis peccatum, & ad virtutis libertatem redeamus. Cogit & itaque seruus, ideò seruitutem incepisse, quia Cham in*

Chrysost.

Fugienda peccati seruitus, ad virtutis libertatem redeundum est.

tantam peruenerat temeritatem; & Dominus quoque cogitet, quod non aliunde subiectio, & seruitus cœperint, quam quod ille peruersam habuerit voluntatem. Breuius S. Ambrosius lib. de Ioseph Patriarcha cap. 4 circa medium inquiens: *seruile est omne peccatum,* & paulò post: *seruit igitur, ac miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi Dominos facit, ipse vult habere, quos timeat.* Accinit etiam in suis carminibus Sanctus Gregorius Nazianzenus.

Seruus mihi omnis improbus, liber quisquis optimus. Similiter S. Cypria- B nus sermone de ieiunio, & tentatione paulò ante finem, dum ait: *Communis pestilentia, vt per vitia ad seruitia deputentur, & obligati peccato, chirographum subiectionis conscribant diabolo.* Satis expressa seruitus est, quâ improbi omni penitus honoris honestamento, atque æstimationis decore spoliantur. Quis igitur non exclamet cum Eusebio Emisseno homil. 2. de symbolo circa medium. *Quid ergo te ò Homo, erubescendis cupiditatibus exhonoras?* Est tamen in promptu tanto C malo remedium ab imperatoria lege petitum: L. iubemus. C. De præposit. sacr. cubiculi qua lege vult Imperator, vt si fortè captiuus, & seruis parentibus natus cubiculum ingrediatur imperatoris, statim libertate donatus, eadem fruatur perinde ac si regia stirpe fuisset satus. *Iubemus omnes,* verba legis, *qui vel iam sacrum in cubiculum cuiuspiam libertate donati aliove titulo dati, vel dandi principalibus obsequijs subarere, vel ante meruerunt, vel postea meruerint, licet nulla interueniente scriptura, nulla confectione gestorum, postquam deuotissimis cubicularijs fuerint sociati: ad conditionem libertatis, ingenuitatisque rapiantur, raptique videantur. Hoc non solum circa superstites, sed etiam circa mortuos volumus custodiri.* Cuius rei rationem innuit Plato in Gorgia, vbi asserit familiaritatem principis meritò matrem esse honoris, ac libertatis, quia principes amicos suos facit participes eius potentiæ, ac dignitatis, quâ ipse cæteris antecellit. Vides lector, quo mea collimet oratio, ac proindè non est, cur pluribus repre-

Ambros. — Seruile est omne peccatum.

Nazianz. — Seruus improbus, liber optimus.

Cyprianus. — Peccatori chirographum subiectionis diabolo conscribit.

Emissenus.

Seruus vel captiuus imperatoris cubiculum ingressus, libertate donabatur.

Plato. — Familiaritas principis mater est honoris & libertatis.

hendam eos, qui tam abiecti sunt animi, vt eum facilè possint, negligant necessitudinem summi Dei. Equidem imperator maximus suos alloquens discipulos, hos admonebat eum diceret: *iam non dicam vos seruos, sed amicos*. In nostra manu est non cubiculum tanti regis, sed recessus intimos, & abdita penetralia diuinitatis intrare, vt omne seruitutis dedecus aboleamus.

Dei tanta benignitas est vt cuilibet volenti ad suam familiaritatem aditú aperiat.

Eleganter non minus, quam verè eloquentissimus Pontifex Petrus Chrysologus, vt paucissimis conditionem impij complecteretur, eundem sermone 6. appellauit, *vitiorum verberonem*, miserrimum seruitutis abiectæ genus; qui non recognoscat sui compotem dicas. Sanè grauissimis apud Romanos legibus cauebarur, ne ingenui verberarentur, existimabant enim æquissimi rerum iudices infimos solum, & plebeios esse verberibus excipiendos. Vnde vt Alexander ab Alexandro lib. 3. Genial. dier. cap. 20. Porcius legem tulisse fertur, qua si quis verberasset Romanum ciuem, graui iudicio mortis eruciatus, bonorumque, & exilij pœnis mulctari sanxit, quam legem Sempronius consul alijs latis, nouisque additis pœnis confirmauit, quæ Porcia, & Sempronia dictæ. Ergo quam abiecta & ignobilis sit eorum conditio, qui verberones sunt vitiorum patet apertissimè.

Chrysol.

Ingenui apud Romanos non verberabatur.

Alex. ab Alex.

Grauibus pœnis olim mulctabatur qui Romanum ciuem verberasset.

Porrò stultum est, quod in promptu præbetur remedium, negligere per iniuriam, vt propterea mirum non sit, si huiusmodi homines derideantur à sapientibus, vtpote insania maximè laborantes, quemadmodum Herodi contigisse animaduertimus; quæ altera pars est propositi paradoxi. Vesanum verò, dementemque iudicandum impium quemque probaret dilucidè & ratio, & auctoritas S. Pauli iuxta mentem S. Bernardi, cuius ea sunt verba: *quorum ratio* (verba facit de scelestis) *non præuenit gressus, currunt, sed extra viam, at proinde Apostoli 1. Corint. 7. spreto consilio, non sic currunt, vt apprehendant, quando etenim apprehendent, quem apprehendere; nisi post omnia nolunt? distortum iter, & circuitus infinitus cuncta primitus attentare*. hæc sanctus tractatu de diligendo Deo circa med.

Vesanus, ac demens est impius.

Bernard.

A O deploranda improborum stultitia ineassum laborant, & infinitis viarum ambagibus hàc, & illàc sine modo, & sine lege fatuorum in morem vaganrur. Hanc dementiam explicabat, & deplorabat S. Augustinus lib. 1. confess. cap. 12. cum diceret. *Quid miserius misero, non miserante se ipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Aeneam, non flente autem mortem suam quæ fiebat non amãdo te, Deus lumen cordis mei*. hactenus Augustinus. En cur improbus habendus & prædicandus sit mente captus, quia negligit æstimanda, æstimat negligenda.

August.

Nil miserius peccatore nõ miserante seipsum.

B Tanta verò mentis caligo vnde ducat originem, explicat Eusebius Emissenus homil. 2. de Natiuit. Domini non multo post init. inquiens. *Superbia, malitia, obtrectatio, inuidia, opera tenebrosa sunt, & lumen mentis obcæcant*. Neq; est, cur longius diuagemur. Certè S. Leo ser. 1. de Epiph. circa med. hoc ipsum de quo agimus examinans exclamat, *ò cæca stultæ emulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore consilium*.

Eusebius.

Vitia mentis lumen obcæcant.

S. Leo.

Peccati cæca est stultæ emulationis impietas.

C Quod non sine ingenij acumine recognoscit S. Petrus Chrysologus serm. 2. quasi ipso init. in filio illo patris pijssimi impio desertore, de quo Lucæ 16. legimus. *In se reuersus dixit, quanti mercenarij*, & subdit Chrysolog. *In se ante redit, vt rediret ad patrem, qui à se ante recesserat, cum recessit à patre:* à te ipso recedis, quisquis Deum parentem amantissimum deseris, neque sui compos esse potest, quem execranda excæcat impietas. Quod quidem à Romanæ patre eloquentiæ dicisse non me pudet, apud quem or. in D Pisonem legis. *Sua quemque fraus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat*. Ita Tullius.

Chrysol.

Peccator à Deo recedens à seipso recedit.

Cicero.

Scelus de sanitate ac mente scelestum deturbat.

Atque hic memorare lubet, quod Io. Boterus lib. 1. dictor. memorab. Narrat Neapoli contigisse. accusabatur Sicarius nescio quis de illato lethali vulnere, cum autem aditus omnis intercluderetur ad amouendum à reo crimen; tandem vt Iudicis animum flecterer, qui personam gerebat procuratoris & crimen minueret, Sicarium dementiæ accusauit; Iudex verò extemplo respondit, & nescis me mune-

Io. Bot.

Iudicis cuiusdam memorabile dictum.

muneris esse, non eos, qui sapiunt, sed A qui desipiunt, inflicto supplicio ad meliorem frugem reuocare à deturbant, quidem de sanitate mentis flagitia, sed quia culpam non minuunt, pœna non eximuut, & in huiusmodi affectatam vesaniam exardescit vindex Deus. Infelix ista vesania, quæ deijcit de potestate mentis, non tamen à culpa excusat; quod docuit Pater scripturarum Hieronymus in illud Hieremiæ cap. 4. num. 22. *quia stultus populus meus*, vbi Hieronymus; *stultus factus est populus, non natura, sed studio voluntatis*; ita loco citato. Affectata dementia plectenda vtique, quemadmodum sapientissimo suo consilio decreuit senior Dionysius, qui cum audisset, duos iuuenes multa de se, atque tyrannide turpia, ac detestanda inter potandum loquutos, vtrosque ad cænam inuitauit, & cum alterum quidem ebriosum, multaque nugantem animaduertisset, alterum autem rarò, & cautè bibentem, illum quidem, vt natura, & vino furentem dimisit, hunc verò vt consulto maleuolum, & hostem interfecit. Ita apud Plutarch. in apoph. reg. & imp. non longè ab Initio. Præcurris lector meum animi sensum; non natura, sed studio voluntatis dementis potestate deijcitur, quisquis insano furore correptus est iniuisus regi regum Deo, plectendus propterea, tanquam reus stultitiæ affectatæ.

In affectatam vesaniā, idest peccatum voluntariū exardescit Vindex Deus.

Hieronym.

Peccator stultus fit non natura, sed voluntatis studio.

Dionysius. Ex duobus de se, ac eius tyrannide malè sentientibus, Vnum interficit.

Plutarc.

Ideo crediderim, per vinum in sacris paginis designari peccata, sic leuitici 10. num. 9. Aaron & filijs interdicitur vinum; sic Ezech. 44. num. 21. sacerdoti atrium interius ingressuro vini potus prohibetur. Peccata quippe hebetant mentis aciem, & intelligentiæ obnubilant obtutum. Vt hinc pateat, quo pacto nulla necessitate sed studio voluntatis de mentis potestate deijceris. Probatur id argumentū à contrario desumptum ab eloquētissimo Chrysostomo hom. 40. in cap. 5. Ioannis paulò ante finem, vbi hæc habet. *Initium inquit Eccleſiaſt. ſapientia, timor Domini. Quod ſi ita eſt, malus, qui Dei timorem non habet, ſine dubio non eſt ſapiens: Qui hac vera caret ſapientia ſtultiſſimus eſt.* Declarauerat hanc sententiam, allata Phrænetici similitudine hom. 4. in cap. 1. epist. ad Romanos paulò ante med. ad illa verba, *& mercedem quam oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipientes.* Inquiens: *oſtendit, in ipſa demum voluptate ſupplicium reſidere. Quod ſi minimè perſentiunt, ſed delectantur, nil mirum tibi ſit. Etenim qui inſaniunt, ac phreneſim patiuntur, ij certè multas, & eas miſerandas in ſemet iniurias, dum inferunt, obque facta alijs lacrimas cient, ob ea rident quidem ipſi, & inſoleſcunt.* Miseros profectò dicas, quos tanta vexat insania. Neque verò satis me dixisse arbitror ad comprobandam apertissimam veritatem, nisi attulero, quid in hac re senserit Socrates, cuius sententia B plurimi facienda est, vtpote hominis in obscura errorum nocte cæcutientis. Prædicabat is magnificè non minus, quàm verè, quemadmodum Cælius Rhodig. lib. 29. lect. antiq. cap. 13. ipso fine, neminem scienter peccare. Rebatur quippe, sanitatem mentis cum peccato non posse consistere, deijcit enim de potestate meutis scelus, quod à facinoroso perpetratur.

Per vinum in sacris paginis peccatum designatur.

Chrisost.

Qui Dei timorem nō habet stultissimus est.

Peccato phrenesis ... est.

Socr.

Cal. Rhod.

Mentis sanitas cum peccato consistere nequit.

Hinc purpuratus vates psal. 37. num. 6. lamentabatur dicens; *putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* C In quem locum magnus Basilius. *inſipientiam*, inquit, *ſtultum ſuum factum nominat; ab inſipientia procedens. Omne enim peccatum per ſtultitiam fit.* Prodeat iterum in medium, qui semper cum laude gestum facit D. Chrysostomus, apud quem tom. 4. hom. 43. in epist. 1. ad Corinthios circa med. leges id explicatum exemplo Dauid his verbis. *Quid erat Dauide ſapientius, qui dicebat, incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi? Sed quando iniuſtis oculis vidit vxorem militis, tunc dicebat, id ſibi accidere, quod ijs, qui nauigant in mari furenti: Omnis ſapientia mea abſorpta eſt. Quamobrem deflens dicebat: Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Non ſapit ergo, nec mentem habet, qui peccat, eſt enim ebrius, & eius caligant oculi.* Perpendenda hoc loco est vis similitudinis sanctissimi, & eloquentissimi viri, non enim quæuis abalienatio mentis, animum perturbat peccantis, sed ea, quam secum ferunt, D

Pſalmiſta.

Peccatū peccatorem insipientē reddit.

Baſilius.

Omne peccatum per stultitiam fit.

Chryſoſt.

Sapientissimo Dauidi post peccatum omnis sapientia absorpta fuit.

Peccator est ebrius.

quassum mare, iactatæ vndæ, ventorum conflictus, rabies turbinum, sæuitia procellarum.

Inhonorata hæc stultitia, atque, vt ita dicam, stultum dedecus peccatorum patebit clarius, allata simul B. Petri Damiani auctoritate, cum historia ab Aeliano narrata. B. Petrus lib. 2. epist. epist. 5. ad S. R. E. Cardinales Hildebrandum Archidiaconum, & Stephanum Presbyterum post medium considerans Sedechiæ regis captiuitatem, quæ habetur lib. 4. Reg. cap. 25. ait: *Babylonis rex extinctis prius filijs, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit.* En malorum vltimum: Illi qui ab animarum prædone abducuntur in seruitutem, lumine rationis orbantur; planè stulti quia intellectus acie destituti. Quæ calamitas perniciosa licet, fit tamen grauior iactura honoris, quam subit quicunque sceleri succumbit. Consule Aelianum lib. 12. cap. 17. vbi narrat Demetrium tot gentium Dominum, Lamiæ meretricis ædes cum armis, & diademate frequentare consueuisse; tum subdit Theodorum quendam tibicinem vocatum à Lamia venire renuisse. His expositis, suam fert sententiam his verbis: *Ego quidem pluris fecerim Theodorum tibicinem, quam Demetrium regem: siquidem ille euocatus à Lamia venire recusauit.* ò plenam sale sententiam cui solummodo mente captus dissentiatur. Honoratiori habeatur loco, & pluris fiat obscurus tibicen, quàm regio diademate coronatum caput. Vnum scelus est, quod inclita maximè, ac præcellentia decora, vsque adeo dehonestat, vt ipsis etiam terræ filijs posthabendi esse videantur, regia cetetoquì stirpe percelebres.

Dæmon subductis prius bonis operibus, intelligentiæ lumen postea tollit.

Aeliani sapientissima sententia.

Videri potest P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. ad cap. 1. vers. 11. adnot. moral. 2.

Legendum item moneo P. Didacum de Baeza tom. 2. in Euang. hist. lib. 8. cap. 3. §. 36.

Consule etiam P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. cap. 8. num. 18. annot. 35. circa litteram lect. 1.

Videatur etiam P. Cornelius à lapide in epist. 2. B. Pauli ad Timoth. c. 2. vers. 26.

Similiter in hunc ferè sensum scripsere P. Ioannes de Pinna in comment. Ecclesiast. cap. 7. ethologia 84. num. 2. & 3. nec non P. Benedictus Fernandius in commentar. in Genes. tom. 3. cap. 49. sect. 3. num. 8.

IN CAPVT SECVNDVM Num. XVI.

Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valde; & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.

PARADOXVM XXII.

Scelera in scelestum arma.



FERRO armari militem rex dirus iubet tam ferox, vt paruulo filio suo minime parcat. Disce in se ipsum arma eum cōuertere, qui contra Deum pugnat: nouit quippe rector sapientissimus eodem armorum genere, quo impij, vel tueri se putant, vel cladem inimicis arbitrantur inferre, armatos ipsos conficere, ac debellare.

Herodes suæ prolis interfector.

Chorum ducat Deo carissimus Dauid cuius oraculo exploratum est, nefarios, ac scelestos à præpotente rerum Domino derideri psal. 36. num. 12. *obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum.* interrogas, quo id pacto contingat, vt Deus per iocum, & irridendo hostes suos pares infligat pœnas? audi num. 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* eo plane

Psal. 36.

Scelestos Deus irridet.

nè modò, quo dux inclytus audaculum aggressorem proprijs vulnerare consueuit armis, quasi per iocum retundens impetum malè sani furoris. Quo genere pœnę affectos olim Israelitas restatur Isaias cap. 30. num. 15. & 16. *Hac dicit Dominus Deus sanctus Israel; si reuertamini,* (Isaias. 30.) *& quiescatis, salui eritis & noluistis, & dixistis: nequaquam: sed ad equos fugiemus: ideò fugietis, ideò velociores erunt, qui persequentur vos, &c.* Vt sibi consulant decernunt fugere contra mandatum Dei, & quod putas fore instrumentum supernæ vltionis? non aliud quam ipsam fugam, vt eo puniantur, quo Deo repugnare nituntur. Excipe S. Hieronymum; (Hieron.) *Quia ista dixistis fugietis quidem, & pernici cursu iusrabitis Aegyptum, sed velociores erunt Babylonij, qui vos vsque ad Aegyptum persequeutur, tantusque terror, atque formido obtinebit Aegyptum, vt vni Chaldeo mille Aegyptij resistere nequeant.* ita in cap. 30. Isai. circa medium. I nunc, & fuge vocantem Deum dummodo nequaquam sis ignarus, fore vt ipsa fuga deprehendaris, & quam tibi delegeras ad securitatem perniciem vltimam allaturā. Simillima est S. Gregorij ratiocinatio cōsiderantis Iudęorum fugam, quæ habetur primo Reg. cap 4. num. 2. air enim. (1. Reg.) *Ideò ne moriantur fugiunt, & ideò quia fugiūt moriuntur.* ita lib. 3. in 1. Reg. cap. 2. paulo post initium.

Sceleſtis vel in ipsa securitate pernicies

Geminum do acumen clarissimorum sapientia, & dicendi copia Patrum, Leonis magni, & Eusebij Emisseni. (S. Leo.) Ille quidem rationem redditurus ob quam Iudas nefarius, proditor sanctissimi reparatoris (Euseb. Emiss.) tàm probrosum sibi intulerit supplicium sic infit. *Iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorsisti, vt quia facinus tuum omnem mensuram vltionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.* ita serm. 3. de Pass. Domini circa medium. Mirari iam desine quisquis hactenus tàm atrox suspexisti supplicium; debuit hoc esse, omniū extremum, omnium acerbissimum omniū turpissimum; quia iuxta ordinem vltionis supernæ auctor iniquitatis eandem retorferat in caput suum. Alterum verò non minùs acutum ex Eusebio Emisseno est

Iudæ delictum carnifex.

A huiusmodi. *Caro nostra dum improbis cupiditatibus fatigat animum in æternu hominis pœnam Dei armat offensam.* ita hom. de pœnit. Niniuitarum paulò ante finem. Aduerte quo loquendi modo vtatur, non enim dixit Deum armat, sed Dei offensam. Nempe hostes excitat in se ipsum, & inimicas copias armis instruit, quas putat suis sceleribus bellum inferre Deo: gigantæo planè conatu, quò fabulati sunt poëtæ montibus ijsdem, quos in cœlum aggesserāt fuisse obrutos, ac consepultos. Breuissimè quidem, sed apertissimè, vt quid in hac re senserit S. Hie-

Peccator sibi priusquā Deo infensus.

B ronymus indicaret, aptissimam attulit similitudinem inquiens de ijs, qui sibi de suis viribus blandiuntur contempro Deo; (Hieron.) *cui qui innixus fuerit, quasi si incumbat arundini, qua fracta manum vulnere' innitentis.* ita cap. 30. in Isai. aliq. post initium; perbellè profectò. Quæ in auctorem naturę sumuntur arma, non modò cō. probantur debilia, sed noxia sumentur.

Brasidæ memorabile factum lego apud Plutarchum, cum enim ab hoste iaculo transuerberatus fuisset, extracta è vulnere hasta, illa ipsa hostem vulneratum in-

Brasidas hostem proprijs armis necat

C teremit. Ita Plutarch. in apoph. reg. & imp. circa medium (Plutar.) Impius sceleribus, dū se commaculat audacter insurgit in Deū, sed Deus non alio transfadigit spiculo impium, quam eo, quo armabatur in auctorem suum, vnde S. Gregorius. (Greg.) *Plerumque peruersæ menti ipsa sua culpa fit pœna.* ita lib. 15. in Iob cap. 12. in fine. hinc etiam collige, quam aptè ex Emisseno in se impius non Deum armat, sed Dei offensam. Ne fingas futuros tortores, atque carnifices, quos vltrix ira præpotentis Domini armabit in te ipsum; quod patras crimen repetet pœnas furo-

Peccatori ipsa culpa fit pœna.

D. ris tui. Vnde mutilum meritò videbitur Senecæ monitum ad deterrendos à sceleribus facinorosos pronunciantis: (Seneca.) *Nam cum in cœlum insurgitis, non dico sacrilegium facitis, sed operā perditis.* ita lib. de vita bear. c. 27. circa medium. Parum est irritum esse, & sine fructu conatum, erit insuper quidquid molitus fueris tibi ipsi perniciosum: rationem reddit Augustinus ingeniosam, (August.) qua de causa Christus Dominus negotiatores è templo exturbaturus, flagellum fecerit de funiculis vt

habetur

habetur Ioannis 2. num. 15. sic autem in psal. 57. aliquantò post initium habet. *Quia vnusquisque peccatis suis caditur, Dominus malè versantes in templo flagello de resticulis facto exclusit.* Percipe tandem, qua ratione peccatum funis sit qui te ligat, & flagellum, quod te punit, & verberat: & quoniam Augustini auctoritas ea est, vt vel confirmatione non egeat, vel à nemine confirmari aptiùs queat, quam à se ipso eiusdem subijcio lib. 12. de ciuit. Dei cap. 3. Initium, quod antequam proferam sine fuco profitebor non rarò me audientem scelestos homines, passim non modò sermonibus hominum, sed frequenter Dei summi auctoritate nuncupari inimicos Dei, hæsisse attonito similem. Quid enim vilis homuncio inimicum in præpotentem bonorum auctorem animum gerere, aut vires exercere queat? homine quid imbecilliùs? quid fortiùs omnipotente? quo igitur pacto dicitur inimicus an tui inimicũ dices potẽtissimi imperatoris, terræ filiũ vilissimũ caput? audi iam August. loco cit. *Dicũtur inscripturis inimici Dei, qui non natura, sed vitijs aduersãtur eius imperio, nihil ei valẽtes nocere, sed sibi; Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi, vitium quo resistunt Deo, non est Deo, sed ipsis malum.*

Io. 2.

Quisque suis cæditur peccatis.

Declarat id nõ modò opportuna similitudine, sed verissima etiam interpretatione D. Ioannes Chrysostomus. Similitudinem habes hom. 6. ad populum Antiochenum aliquantò ante finem, vbi sic habet. *Peccatum sanies est; pœna ferrum medicinale, sicut igitur saniem habens, & si non secatur malè habet: & cum non secatur tunc est in maioribus malis, ita peccans, etiam si non puniatur omnium est miserrimus; & tunc maximè miser, cum non punitur, & graue nihil patitur.* Vt vides faber est suarum miseriarum scelestus, & tunc maximè vltricem sentit manum, cum nullus præter flagitia vltor est. Similiter homil. in psalm. 139. aliquãto post medium explicat in hanc sententiam illud eiusdem psalm. *Caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum operiet eos,* quod autem (verba Chrysostomi) *dicit, est eiusmodi. Ipsa scelerata consilia, & caput ac summa improbi, & depra-*

Chrysost.

Peccator suarum faber pœnarum.

A *uati animi ipsa eos obruerit, & perdiderit labor labiorum ipsorum, laborem hic vocat, improbitatem. Res est enim eiusmodi improbitas, afferri ei, qui illam possidet, exitium, & vt obruatur efficit. Hoc in Dauid accidit. Expectabant enim fore, vt in mala grauissima incideret, ille verò euasit clarior. Certè inquit, sed ostende, quomodo proprio consilio confossi perierunt Et Absalon cum inuasisset tyrannidem, & vellet patrem perdere, ipse per eam captus est.* Itaque nemini dubium esse potest instrumenta, minimè quærenda esse, quibus impius plectatur, & pœnas luat;
B cum flagitia ipsa sint illi supplicia. subscribit Ambrosius in expositione 6. cap. epist. ad Romanos ad illud num. 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis*, vbi ait S. Ambrosius *ostendit diabolũ nostris nos iaculis impugnare. Occasio enim datur illi per nostra peccata, vt deserente nos Deo, accepta potestate illudat, & mortificet nos. Ideò membra nostra ab omni opere iniquitatis continere debemus; vt inimicus noster inermis inuentus subijciatur.*

Flagitium peccatori supplicium.

Rom. 6.

Quousque tandem arma porrigere desines hosti infensissimo? Deludit nos ille,
C & vexat acerrimè, sed nostris munitus armis, vtique sceleribus, quæ perpetramus. Quis non commiseratione obortis ingemisceret lachrimis perspiciens vastitatem, & lanienam à feris immanissimis inferri? Siste parumper, & hanc mentis oculis obijciet luculenter satis Hieronymus. Explicans enim diuinam illam comminationem, quæ legitur Ezechielis 5. num. 17. *Et immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsque ad internecionem: Et pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te.* Ego
D Dominus locutus sum. *In nostram Hierusalem* ait Hieronymus *mittuntur bestiæ pessimæ quando tradimur. in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum, & conscientiam peccatorum, qua excruciant, atque dilacerant animum nostrum. Dissensiones, hæreses, schismata, æmulationes, inuidia tristitiæ, detractiones, desideria mala, auaritia quæ est radix omnium malorum, bestiæ pessimæ sunt. Quæ cum fuerint nobis, meremur audire, corripiet te præuaricatio tua, quemadmodum scri-*
bitur

Dæmon nostris nos telis transfigit.

Hieron.

Ezech. 5.

Peccator suimet parricida

Ierem. 2. *bitus Ieremiæ 2. precamurque, & dicimus, ne tradas bestijs animas confitentes tibi.* A

Cum itaque praui homines iniquitatibus suis acuant same dentes, excitent bestiarum furorem, gladium in se ipsos conuertant, & diriora nocendi instrumẽta admoueant sibi; profectò perspicuum est plusquã parricidales esse manus illas, quæ modis tam nouis, & artibus, tàm noxijs seipsas dilacerant, atque cruentant. Mihi sanè summoperè sum gratulatus, cum repererim in hanc etiam venisse sententiam principem poëtarum Homerum, apud quem iliad. 21. cũ legam ab Achille ligatos fuisse duodecim Troianos, sed B non alijs funibus, quam ijs, quos ipsi Troiani secum tulerint, mihi videntur ad vnguem explicata supplicia peccatorum; qui vt pœnas facinorum luant non adamantinis, aut ferreis stringuntur nexibus, sed funibus nectuntur captiui. Funibus vtique, quos ipsi sibi inijciunt: & fortasse propterea dicitur à Vate sanctissimo *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Non tartareæ catenæ, aut admota à dæmonibus vincula impium stringunt: ipse sui satelles est ad supplicium, atque in- C ternecionem.

Troiani fuisse funibus nectuntur.

Melius explicabo, quid sentiam, si dixero non dissimiles videri mihi homines huiusmodi scelestos Philippo Macedoni, de quo ludricum nescio quid testantur annales veterum, seria tandem, & quidem grauissima iactura conclusum. Philippus adhuc puer puerili planè impetu, & conatu ridendo nitebatur vespere sagittis petere illas quasi stellas, quas de suo curru desilire perspiciebat; nugæ sunt hæ; sed quæ sequuntur verissima detrimenta. Philippo postmodum viro, & bellicæ laudis percupido pugnante semel D Miles quidam cui nomen Aster idest stella oculum sagitta eruit; Philippe, stellæ quas sagittis persequeris, si nescis, cœli oculi sunt; ne mirere igitur si sagitta oculum tibi eruerit, hoc est minoris mundi stellam cruentauerit, nempè inscrutabili supernæ consilio sapientiæ ita comparatum est, vt ea, quibus contra ius, fasque tanquam instrumentis vtimur, vt prauis appetitionibus faciamus satis, ea inquam ipsa telum fiant, vibransque sagitta; quę nostros oculos, videlicet, quæ cariota-

Mirum Philippi infortunium.

sunt, dilacerent, discerpantque. Propterea non sine magna commendatione sapientiæ, & Integritatis nouum, planèq; mirum supplicij genus sanxerunt Aegyptij in eos, qui execranda rabie suos filios sustulissent è medio. Etenim si patet filium occidisse (quemadmodum scribit Alexander ab Alexandro lib. 3. Genial. quæst. cap. 5. ex Diodoro Siculo lib. 2. cap. 31. mandauerunt, vt continuò triduo circa defuncti corpus genitor assiduus filij spectator esset; nullam iustiore pœnam, quàm nefarij spectaculo facinoris ipsum puniri arbitrati. Nullum profectò supplicium tàm atrox excogitari potest, nullum inueniri sæuitiei instrumentum tàm accomodatum ad trucidandum eum, qui portentosa, & plusquam ferina crudelitate debacchatus fuisset in filium, quàm ipsum perpetratum crimen ferox, truculentum, immane, aptissimum meo quidem iudicio ad virulentum cor lancinandum, dissecandumque.

Alex. ab Alex. Qua pœna plecterentur interfectores filiorum.

Mihi semper in hac re, instar omnium est futurum, quod de Herodiadis filia tradit ex Nicephoro Card. Baronius tom. annal. 1. anno Christi 33. Tiberij Imper. 17. cap. 4. his verbis *filia autem eius* (dignus est enim, qui memoriæ commendetur) *talis fuit obitus. Eundum ei quodam brumali tempore erat; & fluuius traijciendus, qui cum glacie constrictus, augmentatusq; esset, pedes cum transibat: glacie autem rupta, idque non sinè Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciuiens, molliusque se mouens saltat, non in terra, sed in vndis: caput verò si clustum, frigore, & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, sed glacie crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalẽ exhibet, spectaculoque eius omnibus præbito, in memoriam ea quæ fuerant, spectantibus reuocat.* Ita Nicephorus. Vt vides non acinace, non ferro resciditur, aut transuerberatur nefarium caput, sed pedum glomeratione, ac saltibus resecatur. Nimirum aliud armorum genus quærẽdum non est ad plectendum scelestum, quam scelus ipsum. Perpetrauerat lasciua puella, impudico saltu scelus post hominum memoriam inauditum, par propterea

Herodiadis saltatio lethalis saltanti.

tea

rea fuit, vt non alio vltricis Dei dexteræ instrumento rescaretur. Imò id fortè præ oculis habuit Historicus, cum dixit saltationem lethalem. Meritò dicitur sola fuisse lethalis saltatio ei, quæ saltu nefario mortem attulit innocenti.

Me porrò vehementius mouet, vt verum fatear, atrox illud supplicium regis Theodorici; ex annalibus veterum ab Horatio Tursellino lib. 6. epitomæ histor. paulò post initium telatum: Inter lautissimę cœnæ epulas lasciuienti impio regi, fortè cum reliquis dapibus caput piscis ingentis apponitur. Cum ecce tibi pallescit rex pauore correptus, oculis hęret B attonitus ac totis artibus contremiscit. Non multo ante rabidus princeps Symmachum consularem virum, ac sapientiæ fama illustrem & exilio, & morte mulctauerat, per summam nequitiam stolidè ferox in innocentem, veræ odio religionis. Mirum dictu: ferculum appositi piscis horrendam Theodorico speciem obtulit videndam. Ei etenim id Symmachi ab se nuper occisi caput visum est, toruis oculis exertisque dentibus exitium minitantis, & id quidem tanta vi, atque impetu, vt insolito iactatus horrore moreretur, suam in supplicijs inferendis præproperam, præcipitemque crudelitatem incusans. Quis hic non admiretur diuinæ potrentum vindictæ pœnas C à Theodorico repetentis. Moreris Theodorice, & quidem miserrimè moreris, non alio carnifice, quam spectro tuæ crudelitatis prospecto; nulla quippe nocentior furia, vis nulla atrocior, aut efferatior in plectendis scelestis, quam scelus ab ipsis nefariè perpetratum.

Theodorici atrox supplicium.

Vel certè dicemus, & nisi fallor accomodatiùs, scelera ipsa arma esse in scelestum, quippè cui contingat id, quod fortè accideret lapidem sursum, per summam dementiam iactanti in numen, ita D tamen vt impetu recideret in iactantem. Quod mirum in modum illustrari mihi videtur eo, quod de Cretensi nescio quo, ex Anibol. lib. 1. cap. 22. refert eruditissimus Io. Lorinus in psalm. 7. ad vers. 16, vbi memorat, Cretensem illum, supet quem confixa aquila suo ipsius iaculo incidens, cum illo perijt: Qui audacia gigantæa cœlum iaculis petit, non Iouis A prosternitur fulminibus, sed suo met iaculo petitur atque confoditur.

Cretensis suomet iaculo confossus.

Videri potest P. Didacus de Baeza tom. 3. comment. in Euang. hist. lib. 13. cap. 3. §. 2. & eadem tom. sequenti lib. cap 9. §. 5.

Videatur etiam R. P. Didacus Nissenus serm. in fer. 6. post secundam Dominicam Quadragesimæ Assumpto 3.

Fortè etiam ad præsens argumentum traduces quæ ingeniosè afferuntur à Patre Benedicto Fernandio in Genesim cap. 43. sect. 1. num. 4.

Huc similiter reuocari poterunt quæ habet P. Cosmas Magaglianus in librum Iudicum cap 3. sect. 1. num. 26.

Item illustrabis argumentum præsens lectis ijs, quæ habentur à P. Io. de Pina in comment. ecclesiastici cap. 7. ethologia 84.

IN CAPVT SECVNDVM Num. XVII. & XVIII.

Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem. Vox in Rama audita est ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.

PARADOXVM XXIII.

Mors timenda magis sanctioribus viris.



ODVM pone lacrimis, ac genas absterge flebilis Bethlehem: reuiuiscunt Deo, quos sæua manus videtur rescindere. Itaque pone metum, & horrorem abige mæsta Rachel. Sed fallor, imò

imò tremore concussa vehementiùs per terrestias cara superis, atque amica Deo, Christi nascentis patria inclyta. Ea etenim mortis est vis, vt illius non aspectu modò, sed memoria, quo homines sanctiores sunt, eò acriùs debeant commoueri. Arrigite aures, & adeste animis quot quot, cum communi hominum sensu, iustorum obitum, somnum leuem, quietem placidam beatioris vitæ initium nuncupantes, ex istimatis nil in eo horridum, aut truculentum posse excogitari. Ego verò mortem supra cæteros sanctioribus viris pertimescendam esse contendo.

B Laudare soleo, quod refert S. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 4. circa medium desumptum ex Aulo Gellio in hunc ferè modum: Nobilis quidam stoicus, cum mari iter haberet, oborta repente tempestate, nauis horrendum in modum concussa fluctibus iactabatur, stoicæ sectator sapientiæ hæsit attonitus, & expalluit. Animaduerterunt id quotquot aderant etiam in ipso præsentissimæ mortis periculo curiosissimè attenti, perspicientes verum philosophus metu concuteretur. Vehebatur illa naui diues luxuriosus Asiaticus, qui sereno iam cœlo, & maris iactatione tranlacta, philosophum deridere cœpit, quod extimuisset mortis, quod sese obijciebat, periculum; pallorem exhibens, qui perturbationem animi patefecisset. Cum è contra nullum ipse animi motum; merum nullum, vt aiebat, nullum, impendente exitio, angorem fuisset expertus. Derisus hoc pacto stoicus (profitebantur enim stoici; vt neminem lateret, nullam omninò perturbationem animi cadere posse in sapientem virum quemadmodum inductus à M. Tullio, M. Cato minor lib. 3. de finibus disferit) derisus inquam stoicus exprobranti recitasse dicitur Aristippi Socratici respõsum, qui cum in te simili eadem verba ab homine eiusdem planè temeritatis audisset: respondit. *Illum pro anima nequissimi nebulonis meritò non fuisse sollicitum, se autem pro Aristippi anima timere debuisse*. Quod Aristippi responsum habes descriptum enucleatiùs ab Aeliano lib. 9. cap. 20. in hunc modum. *Aristippus cum naui vectus oborta tempestate supra modum perturbaretur, quidam ex ijs, qui simul nauigabant: Numne, inquit etiam tu metu percelleris, quemadmodum vulgus? At ille: prorsus (ait) neque iniuria. Vobis enim de vita scelerosa, infœlicique labor est & præsens periculum: mihi verò de fœlicitate, atque beatitudine*. Prætermittere non possum, tanquam notatu dignissimũ, Aristippum non mediocri perturbatione commotum, sed supra modum fuisse perturbatum. Preterquam quod ratio, quam tantæ perturbationis attulit, videtur mihi sapientissima. Cum enim probi viri diem obeuntes anhelent ad beatitudinem, quis non horrore concutiatur, cum de summa rerum agendum sit. Sanè naues onustę Indica gaza portum occupaturæ æquius longè Piratarum vim, atque insidias pertimescunt, quàm quæ exoneratę, & nullius pretij onustæ merce, hàc illàc vagantur incertæ. Itaque eum, qui fert impauidus crebros mortis nuncios, quem non deterret frequens, eaque luctuosissima funestæ mortis imago, meritò nebulonẽ nequissimum iudicabis. Certè vitę integrum, & sceleris purum decet in primis, supra quam dici queat, mortis horror, & obitus metus.

Philosophus stoicus in oborta maris tempestate timuit magis, quam cæteri.

Cur magis timuerit mortis periculũ stoicus prudens, quã diues quidam luxuriosus.

Aelian. Dignum Aristippi responsum.

Virtute prediti in vitæ periculo, amissionis fœlicis vitæ periculũ subit, sceleratus vero infœlicis.

Naues diuitijs onustæ, portui propinquiores magis timent.

Quem funesta mors non deterret, nebulo nequissimus iudicandus.

C Sit mihi instar omnium vir sanctissimus Abraham, de quo S. Ioannes Chrysostomus epist. 8. ad Olympiam non multò post initium scribit in hunc modum. *Non ne propter mortis timorem, Patriarcha ille Abraham, & qui magnam vicisset naturam, vxorem propriam maluit voluptatibus donare barbaricis, & Aegyptia tyrannidi? nam fabulam ipse componebat iniuria, & rogabat, vt cum eo tàm horrendam tragœdiam simularet. Non ne erubescit, huiusmodi scæna proferens causam? erit enim, inquit, vt cum viderint te faciẽ claram, & speciosã vultu, occidant* D *me: te vero reseruabunt. Dic ergo, quod soror mea sis, vt benè mibi sit, & viuat anima propter te. Vides timorem, vides tremorem, exagitantem excelsam, & philosophicam illam animam? vides adamantem formidine solutum?* Tunc maximè, vt vides, haberi debet philosophica anima, hoc est verè studiosa sapientiæ, cum mortis metu soluitur, qui fortitudine virtutum hoc est plusquam adamantina firmitate roboratur. Accipe ex Euangelico Vate, qui nam sint, qui mortis metu minimè

Chrysost. Abraham magis vitę timuit quam honoris amissionẽ.

minimè afficiuntur. Sic enim Isaias c.65. num.4. loquitur deploraturus proiectam ad omne scelus iudaici populi temeritatem. *Qui habitant in sepulchris.* Nihil potuit breuius dici, sed nihil afferri etiam expressius ad rem præsentem iuxta sententiam S. Hieronymi, qui in hunc locum sic fatur: *Nihil fuit sacrilegij, quod Israel populus prætermitteret; non solum in hortis immolans, sed sedens quoque, vel habitans in sepulchris. Vbi stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, quod in fano Aesculapij vsque hodie error celebrat Ethnicorum, multorumque aliorum, quæ non sunt aliud, nisi tumuli mortuorum.* Vbi aduerte ordinem diuinæ querelæ. Primò namque populum arguit idololatriæ, vt patet legenti cit. cap. Isaiæ; tum vt crescat oratio, eousque processisse ait facinorosæ gentis impietatem, vt capraret quietem in sepulchris mortuorum. En vltima humanorum scelerum linea. Vsque adeò alienum esse à metu mortis, vt in ipsis sepulchris placidè conquiescant. Itaque in sepulchris obdormiscere facinorosorum hominum est, vt eorum, qui deficiunt à fide. E contra par est, vt qui Deo viuunt, non modò mortem præ oculis habeant continenter, verùm etiam eius metu validissimè concutiantur. Vt quemadmodum nullo mortis metu affici perditæ mentis indicium est, ita metu mortis confici, singularis sit indicium probitatis.

Hieron.

In sepulchris conquiescere, idest timore mortis no corripi, hominum est facinorosorum, & infidelium.

Qui Deo viuunt, mortem recogitant, & metuunt.

Metus mortis indicium bonitatis.

Inuenio apud Senecam lib.3. epistolarum, epist.22. in fine rationem quamdam, propter quam mors probis etiam timenda sit, minime contemnendam. Sic autem habet. *Iam imprimebam epistolæ signum. resoluenda est, vt cum solemni ad te munusculo veniat, & aliquam magnificam vocem secum ferat: & ecce occurrit mihi nescio vtrum verior, an eloquentior, cuius inquis? Epicuri. Nemo non ita exit è vita tanquam modò intrauerit. Quemcumque vis occupa, adolescentem, senem, medium, inuenies æquè timidum mortis, æquè inscium vitæ. nemo quicquam habet facti. In futurum enim nostra distulimus. nihil me magis in ista voce delectat, quamquod exprobratur senibus infantia; Nemo inquit aliter, quàm quomodo natus est, exit è vita. Falsum est; peiores morimur, quàm nascimur. Nostrum istud, non natura vitium est. Illa de nobis conqueri debet, & dicere, quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia, cæterisque pestibus: quales intrastis, tales exite.* More suo peracutè philosophatur, & ingeniosè. Cuius vestigijs insistenti mihi liceat in hunc modum disserere. Ratio, propter quam non infirmi modò, sed etiam sapientes, mortem debeant extimescere, ea est; quia nequaquam tales è vita exeunt, quales intrarunt. At quisnam talis exit è vita, qualis lustrali baptismi aqua purgatus intrauit? mentem lancinet, & animū torqueat necesse est probi viri metus mortis, quoties perpendit attentiùs, donorum gratiæ, quibus in lucem prodiens cumulatus fuit, non mediocrem se, vitam in hoc ærumnarum exilio degentem, fecisse iacturam.

Seneca.

Metuēdamors est, quia morimur peiores, quam nascimur.

A

B

Verum per ambages coniecturarum diutiùs non vagabor, cum notissimum sit, quanto fuerit timore perculsus fons sanctitatis vberrimus Christus Dominus, sola mortis imagine animo obiectâ, quod considerans S. Ambrosius enarr. in ps.39. post med. cum diceret: *Communis effectus est mortem timere. Si caro Christi fortis, nec peccato obnoxia, tamen peccata suscepit infirmitates suscepit, & si nihil habuit; quod doleres.* Porrò si tantus horror perstringere potuit, atque percellere eum, qui peccare non potuit, sed solam peccantis imaginem præseferebat, quid tandem decernemus de eo, qui licet iustus, cadit tamen in die septies?

Ambrosius.

C

Christus Dominus qui nec peccauit, neque peccare potuit, mortem timuit.

Reuocemus nobis in mentem, morem illum Iudæorum, de quo facit mentionem S. Hieronymus in cap.16. Ieremiæ circa medium. *Iudæica mulieres mortuos nudatis lugebant pectoribus, lacertos manibus verberabant, modulata simul in planctum voce concinebant; mox allatis cibis parentalia celebrabant.* Miror sanè tàm diuersis rebus conflatum exequiatum genus. quid enim habent commune suauiter modulatæ voces, epularum deliciæ cum scissa coma, laceris genis, crebris pugnis, percussis pectoribus? quid horror cum gaudio? quid cum terrore, & eiulatu lætitia habet commune? Verum Dei eruditionibus instituti populi maximè laudabilis consuetudo est, vt intelligamus talem esse

Ieron.

D

Mysteriosi Iudæorū mos in mortuorū funeribus.

esse obitum amicorum Dei, vt licet epulari A non immeritò credantur, dum excedunt è viuis, qui Deo cari sunt, licet modulato excipiantur concentu mentium beatarum: tantundem tamen, tenoris, & terroris in eorũ morte latere pro cõperto habeamus.

In obitu amicorum Dei lætari licet, sed non sine timore.

Neque verò dixerit aliquis indignũ sibi videri germana fortitudine, qua serui Dei præditi esse debent, tanto concuti metu. Comperio quippè stare posse magnanimũ pectus cũ metu mortis, nisi me fallit historia nuncia veritatis incorrupta. Sanè legere memini me apud Io. Bat. lib. 1. dict. memorab. viror. illust Garziam Nauarræ proregem, ducem maximè strenuum, & magnanimitatis singularis, quoties hostem B inuadere instructa acie contigisset, tanto correptum fuisse terrore, vt totis artubus cõtremisceret, quod, vt historicus monet, nequaquam imbecillitati animi, quæ longissimè aberat à magnanimo Garzia, sed eiusdem prudentiæ est tribuendum. Siquidem comprehendebat animo quantum esset aleæ quod subibat discrimen, & quam magni faciẽdum sit vitæ periculum à summo Duce. Cum moritur iustus, quis neget christianæ aciei impetatorem vltimũ obire diem in militari arena hostilia? Iusta C profectò maximi timoris ratio, neq; enim causa agitur militis triobolaris, sed ductoris inuicti. Non absimili ratione in rem præsentem traducere posse mihi videor, quod de magno Alexandro narratur. Etenim quoties arma sumebat dimicaturus, toties tãto corripiebatur terrore, vt toto corpore contremisceret. Tantum affert timoris magnanimo viro mortis metus, nunquam satis pro dignitate probatus. Et quis scit, num in hanc gratiã ita à natura comparatum sit, vt quando rabie acta leæna cum armato homine congreditur, vt vires resumat validissimas, & furorem vehementiùs acuat, defigit in terram oculos, armo- D rumq; refugit aspectum. Nimirum vt rerum naturalium indagatores tradunt pertimescit maximũ fulgorem armorum. Iam verò facilè est animo complecti, quo mea hęc collimet oratio, quà non aliud innuere conor, quam validissimum quemque, & viribus, ac magnanimitate pollentẽ in primis par esse, vt horrescat metu, eoq; omnium grauissimo conficiatur, si contigerit mortis periculum. Maneat igitur ab Heroica sanctorum hominum virtute mortis timorem non modò alienum non esse, sed maxime consentaneum, quo fiet vt hoc pacto mors ipsa vincatur iuxta monitum magni Gregorij hom. 13. in euangelia in fine dicentis. *Sic mors ipsa vincitur, si priusquã venerit semper timeatur*. Discamus ab homine germanæ pietatis in schola in primis erudito, mortem vltimum terribilium non alio pacto superari posse, quam si continuo timeatur. Porrò mortem vincere amicorũ Dei facinus est, quorum propterea interest eam quam maxime formidare.

Io. Bat.

Dux strenuissimus in inuadendis hostibus contremiscebat, non ex animi imbecillitate, sed prudentia.

Cũ iustus moritur, Christianæ dux aciei moritur acies imperator.

Alexander pugnaturus maximo terrore corripiebatur.

Leæna cum armato viro dimicans, pertimescit maximè.

Mortis timor viris etiã maximè pijs consentaneus.

Gregorius.

Mors vltimũ terribiliũ vincitur, si timeatur prius.

IN CAPVT SECVNDVM Num XIX.

Num. 13. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat Puerum ad perdendum eũ

Nu. 19. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, &c,

PARADOXVM XXV.

Inermis Virginitas Angelorum fædere nusquam non tuta.



QVOTIES Ioseph, & Maria par nobile coniugatæ virginitatis, de fortunis, de vita, de dignitate periclitantur; adest de cœlo angelus, qui ope, tutela consilio eos à discrimine vindicet; quod, nisi fallor, mirum esse non debet, quia Sanctissimi coniuges vitam duxerunt, virginea mentis, & corporis integritate conspicui, quemadmodum adnotauit Sanctus Hieronymus contra Eluidium cap. 9. illis verbis. *Tu dicis Mariam non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum*

Ioseph virginem fuisse per Mariam: vt ex Virginali coniugio Virgo filius nasceretur. Quo semel ex communi fidelium omnium consensu extra cōtrouersiam statuto: Aio æquum fuisse, vt singulari beatarum mentium patrocinio, siue famulatu viuerent extra omnem periculi aleam in ipsis etiam discriminibus constituti. Nimirum huiusmodi gaudet priuilegio virginitas, vt inermis licet, nusquam tamen non viuat tuta fœdere Angelorum.

Bernard.

Casti, & virgines angelis Dei efficiuntur æquales.

Quod vt pro comperto habeatur confugio ad auctoritatem Sancti Bernardi c.45. de interiori domo in fine dicentis. *Non est dubium, quod qui casti perseuerant, & virgines angelis Dei efficiuntur æquales.* Consentit disertissimus S. Cyprianus ab omni fœditatis labe remotos huiusmodi oratione compellans.

Cyprian.

Virginitate florentes, gloriā iam tenent resurrectionis.

Quod futuri sumus, iam vos esse cæpistis: vos resurrectionis gloriam in isto sæculo iam tenetis: per sæculum sine sæculi contagione transitis. Cum castè perseueratis, & virgines angelis Dei estis æquales. Ita Sanctus tract. 2. de habitu Virginum circa finem. cum igitur æqualis angelis virgines perhibeantur: mirum non erit, si virginibus opem illi ferre quodammodo teneantur. Ea etenim inter æquales vi facillime congregentur, & amicitiæ nexu iungantur tam[illegible]ora conditio est, vt à me pluribus explicari non debeat. Tenentur amicitiæ lege beatæ mētes ad quæuis arcenda pericula, quibus virgines circumueniuntur.

Virgines cum angelis sint æquales, sunt amici ab ipsis defendendi.

Quo loco, vt in medium proferam quod sentio, debeo in lectorum meorum memoriam reuocare quod scribit Titus Liuius & lib. decade prima aliquantò post med. in hunc ferè modum. A Samnitibus Capua, & Campania hostilem in modum vexabātur; quapropter Campani omni alia spe destituti coacti sunt à Romanis petere auxilium; abnuentibus Romanis, quod Samnites fœdere iuncti essent. *Ad hæc princeps legationis (sic enim domo mandatum attulerat), quandoquidem,* inquit, *nostra tueri aduersus vim, atque iniuriam iusta vi non vultis, vestra certè defendetis.*)*Itaque Populū Campanum, Vrbemq; Capuam, agros, Delubra Deum, diuina, humanaque omnia in vestram patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus.* His permotus senatus statim dixit Samnitibus, vt Capua Vrbe, Campanoque agro penitus

Populi Campani, inita cū Romanis amicitia.

A Samnitum vexatione penitus liberantur.

A abstinerent. Ager quippè, & Vrbs populi Romani facta summa ope defendēda erat. Hac ratione susceptæ partes eorum, quos donauerant Ciuitate, acerrimè propugnatæ fuerunt. Itaque satis obuiam rationem attulisse me iudicabo, cur Angeli tàm singulari patrocinio Virgines tueantur; Sunt enim Virgines, cœli ciues. Propterea quis non videat equum esse, & iuri gentium maximè consonum, vt beatæ mentes peculiari modo, hoc est summo conatu, summo studio, & si dicere fas est, velis remisque seruare contendant incolumes ciues suos?

Virgines angelorum conciues sub eorū tutela incolumes seruantur.

Bernard.

Confugio iterum ad auctoritatem S. Bernardi ser. 2. ad fratres de altitudine, & bas-

B sitate cordis circa med. dicentis: *Estis, quod ad castitatem spectat, angeli quidem terreni, aut potius cœli ciues.* In eamdem sententiam scripserat ad Henricum Senonensem Archiepiscopum epist. 42. ante med. his verbis. *Quid castitate decorius, qua angelum de homine facit?* igitur si virgines cœli ciuitate donati sunt, tenentur mutuo fœdere auxiliantibus copijs opem ferre beatæ mentes. igitur si tam arcto iunguntur amicitiæ nexu, vt angeli, & haberi queant, & dici; coguntur profectò nihil non moliri angeli cum inter eos, & vir-

Casti viri angeli sunt terreni, & cœli ciues.

Castitas angelum de homine efficit.

C gines ea summa amicitiæ sit, vt dici mutuò queat tritum illud amicorum adagium. *Alter ego.*

Chrysolog.

Propterea Sanctus Petrus Chrysologus ser. 143. qui est de annunciatione meritò pronunciauit: *Missus est Angelus ad Virginem: quia semper est angelis cognata virginitas. In carne præter carnem viuere nō terrena vita est, sed cœlestis. Angelicam gloriam acquirere maius est quam habere, Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet angelus ex natura.* ita ser. cit. paulò post init. ex quo patefit facilè, angelos virginibus præsto esse, non modo amicitiæ le-

Semper angelis cognata Virginitas.

In carne præter carnem viuere non terrena vita est, sed cœlestis.

D ge, non modo iure fœderis sed quadam, si dicere fas est veneratione cōpulsos. Neq; verò tanquam ementiens superiectio mea hæc reprehendi debet oratio: Quandoquidem ad huiusmodi sententiam, quasi manu ducor à magno Basilio lib. de vera Virginitate ad Letoium Melitensem Episcopum aliquanto post medium vbi sic habet. *Si enim in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed sunt, sicut Angeli, efficiuntur filij Dei. Et hi profectò, qui Virginitatem seruant, Angeli*

Basilius.

sunt

sunt. Qui viuentes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur: Angelique sunt, non obscuri aliqui, sed sane illustres, atque nobilissimi. Si Virgines nuncupaueris Angelos cum Ambrosio, io exhortatione ad Virginitatem dicente: *Integritas vitam Angelorum exhibet*, & *lib. 1. de Virginibus* disertè pronunciante: *Castitas etiam Angelos facit: Qui eam seruauit Angelus est*. Certo scias, virginitatem similibus hisce impari præconio cómendari. non Angelos modò, sed inter Angelos maximè illustres, atque nobilissimos nuncupandos esse perdiscas auctore S. Basilio, quo aperiti mihi video aditum ad sententiam in re præsenti non omnino fortasse pænitendà. Comperio namque eloquentissimi, atque ingeniosissimi oratoris iudicio, nobilitatem maximam habere vim ad animos sibi conciliandos. Vnde M. Tullius Cicero orat. pro P. Sextio non modo nobilitatem blandam appellat conciliatriculam, quod videlicet blandè sibi homines cóciliet prouocet que ad sui fauorem, verum etiam paulo infra testatur huiusmodi nobilitatis vim hisce verbis: *Omnes boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reipublicæ nobiles esse homines dignos maioribus suis, & quia valet apud nos clarorum hominum senex de republica meritorum memoria*. Similiter in oratione pro Cn. Plancio. *Nunquã enim nobilitas inquit, integra præsertim, atque innocens à Populo Romano supplex repudiata fuit*. Mouet, & acrioribus quibusdam stimulis, forte sua excitat nobilitas ad ferendam opem animos ingenuos; cum autem non modo cæli ciues, sed insuper illustres, & nobilissimi perhibeantur Virgines, perspicuum profectò est, vniuersam cæli rempublicam ciuibus tam nobilibus ad præbendũ auxilium quoties opus fuerit vehementissimè concitari. Hine, vt ego quidẽ arbitror nõ sine magno acumine Virginitatẽ commendaturus Bernard. eam preferre minime dubitauit præstantiæ Angelorũ, siquidẽ Epist. 113. quæ est ad Sophiã Virginem paulo ante finem, scribebat in hunc modum. *Virginitas cui gloria merito non prefertur? Angelicæ? Angelus habet Virginitatem, non carnem: sane felicior quam fortior, in hac parte optimus, & optabilis valde ornatus iste, qui & Angelis possit esse inuidiosus*. Tanta nimirum, ac tam præstans Virginitatis nobilitas est.

Virgines non modo Angeli sunt, sed inter Angelos Angeli maximè illustres. *Ambros.*

Qui castitatem seruat Angelus est.

Nobilitatis vis maxima ad sui nos sibi cóciliandos.

M. Tullius.

Nobilitas Innocens à Populo Rom. supplex nunquam repudiata.

Bernard.

Hominũ Virginicas Angelorũ Puritati in aliquo preferẽda.

Perculsi metu, consternatique Christi discipuli prodere se se non audebant mortuo seruatore. Verùm religiosæ mulieres, quæ vel Virgines erant, vel pares integritate Virginibus summo manè sepulchrum petunt anxiæ sine dubio, trepidaeque; cum ecce tibi intra sepulcrum, hoc est in periculi sede occurrit Angelorũ siue chorus, siue choors: quia nimirum (quemadmodum ego quidem interpretor) par erat eos presto esse, vt de more secura virginitas amico beatarum mentium fœdere gratularetur. Quid ergo? In tanta trepidatione resonat lætum illud: *Nolite expauescere*: vt legitur Marci 16. num. 6. Audisne metus omnis procndus est Virgini. Virgines quippe neque armato milite, neque hostili hebræorum furore, neque ciuitatis commotæ impetu, neque bacchãte concitæ plebis insania, neq. vllo grauiore discrimine deterrentur. Sane nil timere debet Virgo Angelicæ fortitudinis munimento vallata. Proptetea dicatur ab Angelis, *Nolite expauescere*. Imo paulò post mandant ijdem beati spiritus, vt nuncient hoc ipsũ omnibus Christi discipulis, & nominatim Petro, vnde sequenti ● 7. legitur. *Ite, dicite discipulis eius, & Petro*, Quasi verò dicere vellet cælestis exercitus bellatores inuicti, Ite alacres, & Petrum metu consternatum erigite: Ite; & nostro totæ præsidio etiã in maximis discriminibus omnẽ omnino iactaræ mentis sollicitudinem amouere. Quo loco venit in mentem ad adimendam omnẽ lectoris admirationẽ, quod scribit Ambrosius lib. 1. de Virg. his verbis *Neque mirũ si pro vobis Angeli militant, qua Angelorũ morib. militatis*. Rarũ est, & omnino singulare quod ab Amegasthene proditũ fuisse leges apud Arrianũ de rebus indicis vbi Margaritas piscium instar capi & expiscari rebus afferit; aitq. obseruatũ fuisse, Conchas incedere turmatim velut Apes. Imò etiã, vt ibidẽ scribit, sicut examen apũ quasi agmine facto regis propugnãt salutem: nó secus margaritę multarum conchorum vndequaq. stipatæ agmine defendunt regẽ, aut reginam suam, qui totum examen quasi circumfusis pręsidiarijs copijs, militat hac illac discurrens ad hostem arcendum, quoties opus fuerit. Laudabor

Marc. 16.

S. Ambr. Angeli & Virgines commilitones.

Arrianus. Margaritarum piscatus.

Virgo Margaritis adfimilis. si dixero, margaritis repræsentare virginitatem; quandoquidem, vt docet Plinius lib. 9. cap. 35. de margarita, *Dos omnis in candore* ergo disce sicuti concharum adsimilium acie margaritæ defenduatur: sic virgines, quarum omnis in candore animi pręcipua dos est, cognato Angelorum fędere propugnari. Quę virgo est nunquam sola dimicat; sed multo, coniurataq; cœlestis militię exercitu pręliatur. Neque pœnitet me apum fecisse mentionem, quia à S. Ambrosio accepi apes symbolum esse virginitatis. *Digna*, loquitur Ambrosius lib. 1. de virg. post medium. *virginitas, quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoq; virgini est sermo diuinus, quia sicut ros Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura. Partus virginis, fœtus laborum, expers amaritudinis, fertilis suauitatis: In commune labor, communis est fructus. Quam te velim filia imitatricem esse huius apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu filia.* Huc vsque Ambrosius. Ergo hostium impetus nō metuat quæ sola non dimicat. Apes aspice, earumque contemplare examina, ex quibus discas auxiliarium copiarum beneficio inimicos vel conatus, vel dolos ab ijs despici posse; quibus militant vt virgineo candore, pene dixerim, pares beatæ mentes, ita pugnandi studio non absimiles.

Plinius.

Ambros. Virgines apibus comparantur.

Quod cum ita se habeat, Virgines ea ego oratione moneho, qua vsum fuisse reperio S. Hieronymum in laudem Virginitatis, quæ est epist. 14. ad Mauritij filiam aliquanto post medium quam his verbis compellat. *In originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis aduerte, ac non hominis tantum esse, sed Dei filiam, & diuinæ natiuitatis nobilitate decoratam Ita te exhibe, vt in te cęlestis natiuitas appareat: & tua diuina ingenuitas clarescat: sit vitæ noua grauitas, honestas admirabilis, & stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & vera pudicitiæ habitus, sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus; vt qui te viderit, admiretur, & dicat; Quæ est hæc noua inter homines grauitas? quæ pudoris verecundia? quæ honestatis modestia? quæ maturitas sapientiæ? non est ita humana institutio, nec disciplina mortalis. Cæleste hic aliquid in corpore humano refulget.* Huc vsque Hieronymus. Quibus examinatis, si talem te agnoueris, certò scias, fore te semper tutum inter coniuratas calamitates, atque infortunia conspirantia, certò Angelorum præsidio, quod quidem presto semper futurum est, & amicitiæ lege, & iure fœderis, & prærogatiua nobilitatis. atque vt vltima primis respondeant; mirum nemini videri debet, si dixerimus (quemadmodum Genetrici Dei contigisse testatur hoc loco euangelica historia) Virgines eodem priuilegio, nusquam non esse tutos patrocinantibus Angelis. Aequum profectò fuit, vt pari priuilegio fruerentur, & Maria, & Virgines, quemadmodum enim aduertit Augustinus serm. 22. in Natali Domini paulò ante med. *Beata Virginitas, quæ illum intra se gestat in mente, quem Maria portauit in ventre.*

Hieron.

Modus seruādi castitatem.

Aug. Virginitas mēte gestat. quē ventre Maria portauit.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 4. comment. in euang. hist. lib. 16. cap. 2. §. 1. necnon eodem tomo lib. 18. cap. vltimo §. 14.



IN

IN CAPVT SECVNDVM Num XIX.

Defuncto autem Herode ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto.

PARADOXVM XXV.

Mors vita potior etiam impijs.



EMORATA ab Euangelista Herodis morte, excitor ad dicendum, mortem vsque adeò vita ipsa esse optabiliorem; vt eam non modò iusti, sed etiam impij, plusquam vitam debeant exoptare. Refugit humana mens horrore perculsa, dum mortem meditatur attentiùs. Age C dum mortem aio vita cariorem, & amabiliorem.

Id nisi probaret expressè Augustinus spe caderem afferendi quidquam dignum, quod ab ingenio prædītis hominibus per legatur. Ratio autem S. Augustini lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 11. circa medium est huiusmodi. *Cum autem vnicuique mortali sub quotidianis vitæ huius casibus innumerabiles mortes, quodammodo comminentur, quam diu incertum est, quæ nam earum ventura sit quæro, vtrum satius sit vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo? Nec ignoro quàm inertiùs eliga-* D *tur diu viuere sub timore tot mortiũ, quàm semel moriendo nullam deinceps formidare.* Singularis acuminis Augustino dignissima ratiocinatio. Aestuantis amore mortis voces sunt illæ S. Cypriani serm. 4. de mortalitate in fine. *Amplectamur diem, qui nos isthinc ereptos, & laqueis sæcularibus exutos paradiso restituit, & regno cælesti. Quis peregrè constitutus non properet in patriam regredi? quis non ad suos nauigare festinans ventum prosperum cupidus op-* A *taret; vt velociter caros liceret amplecti? patriam nostram, paradisum computamus. Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum.* Itaque si mors vita est, qua non ad patriam modò, sed caros ad pernecessarios, ad parentes, ad astra itur, iam non auersi fugiamus, sed amplectamur proni. Prodeat iterum in medium, qui paulò ante, vt assolet tanta cum laude gestum fecit Augustinus, cuius ea ingeniosa, ac religiosa cõsideratio est lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 22. statim post med. vbi postea quàm exposuit Cleobrotum lecto Platonis de immortalitate animæ libro, se præcipitem dedisse de B muro, atque ita ex hac vita migrasse, ad eam, quam credidit esse meliorem. Postquam inquam, id enarrauit, subdit hæc verba: *Nihil vrgebat, aut calamitatis, aut criminis, seu verum, seu falsum, quod non valendo ferre, se auferret.* Quasi diceret, mortem exemplo suo alacri animo subeundam esse demonstrauit Cleombrotus, quam ipse solo melioris vitæ amore volens, ac lubens appetijt: Et quis iam inter Christi fideles calore fidei destitutus adeò reperietur, vt sola mortis memoria C metu plane præpostero refrigescat? surge age, & vitæ mel[illegible]amore mortem, vt amabilem amplectaris.

Ingeniosam proponit quæstionẽ S. Abbas Bernardus, quæ ab eodem pari acumine enodata non parum affert luminis ei, de quo in præsentia agimus. Videatur sermo S. Bernardi in transitu S. Malachiæ Episcopi paulò ante med. vbi hęc habet, *Vt fortasse quis dicat, quomodo mors a capite, nempe à Christo Domino superata videtur, quæ tanta adhuc libertate sæuit in membra? si victa, quomodo adhuc præualet vniuersis, & non est homo, qui vi-* D *uat, & non videat mortem?* paulo post respondet in hunc modum. *mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse.* D[illegible]retur vtinã hoc loco facultas explicandi aureum hoc apophtegma Bernardi; ad aperiendum siquidem quid sibi velit, cum dicit nequaquã abesse cogitur mors, cogitur autẽ non obesse, confugerẽ ad disceptantium exedras philosophorum: quarũ Aristotele magistro lib. 1. de generatione verissima assertio est. *Actio qua corrũpitur aliquod substãtiale nũ dicitur cor-*

S. August.

Mors quotidie imminet hominibus.

Mors vtilis vita ex mente S. Cypriani.

S. August.

Cleombrotus præcipitem se dedit.

Bernard.

Actio qua corrumpitur aliquid substantiale est generatio.

A *corruptio, sed generatio, ratione agentis naturalis; quod loquendo de generatione substantiali, semper intendit magis principaliter productionem nouæ formæ, & quia hæc non potest haberi sine corruptione, ideo secundariò intendit corruptionem.* Ex quibus manifestum satis esse puto, cur mors dicatur minime abesse; sed nequaquam obesse. Nequaquam obesse, quia per mortem, quam flemus, beatiore, ac perenniore vita perfruimur.

E morte vita perennior.

Memoria repete, quæ de Apollodoro, & Socrate scribit Aelianus, lib. 1. var. hist. cap. 16. Cum redijsset nauis è Delo, cumque Socrati moriendum esset, accedens in carcerem Apollodorus, Socratis amicus, tulit ei tunicam ex pretiosa lana, pulchreque textam; simile item pallium, & rogauit, vt indutus tunica, amictusque pallio, sic demum venenum biberet, quasi vero alacri animo mortem subire posset, & trucem eius aspectum minime formidare pretiosa indutus veste. Age a superstitiosa deceptione gradum faciamus ad veritatē, quis quis virtutum talari tunica multiplici sanctorum operum varietate elegantius quàm phrygia acu depicta induitur, mortem subeat lubenti animo, & formidādum nihil autumet extremum periculorum.

Aelianus.

Socratis in moriendo alacritas.

C Hic ego inuoluere silentio nullo pacto possum ingeniosissimum æque, ac pijssimum Theodosij Imp. inuentum descriptū à Card. Cæsare Baronio ad annum 716. num. 2. Abdicauerat se Imperio Theodosius, cum regale sceptrum Isauricus Leo suscepit. Princeps magnanime vnum tibi superesse videbas, vt qui reliquis præfueras summo dominatu, te ipso maior, sacris initiatus in optimo vitæ statu omnibus industriæ neruis pietatem coleres, post habito imperio, sceptroque contempto; Perfecisti tum quidem, atque, vt quod D mente iam diu fueras sequutus, re ipsa fælicius assequereris; aurea Principatus corona deposita, in officina virtutis gemmeis moribus nobiliori diademate fabrefacto, non tempora, sed animum circumcinxisti ad immortalitatem. Quid plura? Theodosius post Religiosissimum vitæ curriculum Ephesi tandem obijt, & in sepulchro, quo situs fuit, Epitaphij loco inscribi voluit: Sanitas. Ingeniosissimo, siue monumento, siue documento perutili significare volens, hominis eam esse conditionem, vt non nisi mortis beneficio, vndequaque perfectam ab insidiatricibus mentis concupiscentijs, & huius vitæ doloribus, à perturbationibus animi, à prauarū cupiditatum febribus possit consequi sanitatem. Perturbationum vacuitatē quietam, agitato prauis affectionibus cordi sedem, post operosam dolorum molestiam bene compositam æquabilitatem, vno verbo, sanitatem male sanæ mentis, quis non expetit auidissime? sanitas porrò Principis integerrimi, ac prudentissimi iudicio viuit in sepulchro, iuuenescit inter cine- B res, nascitur cum morte, reflorescit in tumulo. Indignus plane, qui viuas, nisi apertissime fatearis mortem semper tibi futuram esse vita potiorem.

Theodosius Imp. abdicat se regno. Card. Baronius.

Theodosius inscribi voluit in suo sepulchro Sanitas.

Quis nesciat Romanorum consuetudinē, quibus solemne fuisse accepimus mortuorum oculos claudere, quamdiu domi detinebantur; vbi verò delati fuissent in rogum, eosdem aperiebant, quod quidem apud ipsos maximè religiosum existimabatur, audi Plinium lib. 11. cap. 37. *Morientibus illos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum est, ita more condito, vt neque ab homine C supremum eos spectare fas sit, & cælo non ostendi nefas.* Ingeniosum plane inuentum quo indicare voluerunt cordati viri frui neminē posse melioris vsura lucis, quā diù vitam degit in hoc domicilio mortalitatis. Igitur tenebras amat, qui mortem horret, & cæcutire diutiùs gestit, qui in hoc ærumnarū exilio desiderat perennare. Lego libenter caput. 20. Senecæ de consolatione ad Martiam si tamen Senecę illud opus. *O ignaros malorum suorum, quibus non mors vt optimū inuentum naturæ laudatur, quæ siue fælicitatem includit, siue D calamitatē repellit, siue satietatem & lassitudinem senis terminat, siue iuuenile suum, dū meliora sperantur in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum de nullis meliùs merita, quàm de his, ad quos venit antequam inuocaretur.* Per legendum attentiùs moneo totum caput, cursim interea reuocans in memoriā meritò mortem à Plinio lib. 25. cap. 3. c. finem, & ab eodē Seneca cap. 70. appellatam fuisse, Portum tutissimum:

Mortuis claudebāt oculos Romani ijsdem aperiebant in rogo.

Plinius.

Mortis commendatio ex Seneca.

Plinius.

Phar-

Paoreis exaggerara præconia. *Euripid.* *Soph.* *Salust.* *Tullius.* *Horatius.*

Pharmacum, dictam ab Euripide, medi- A cum à Sophocle nuncupatam, à Salustio in Catilin: consalutatam fuisse requiem; à m. Tullio in Catilinam 4. Quietem, & ab Horatio Flacco sat. *q.* lib. 1. fœlicitatem. Vt maneat mortem, non horrificam, & tremendam esse, sed amicam, & exoptabilem.

Mortē sibi cōsciscentes gloriosi apud veteres.

Didici ex Plinio lib. 10. cap. 18. & Valer. Max. lib. 5. cap. 6. antiquitatem admiratione fuisse prosequutam eos, qui inaudita constantia sibi manus conseiuerunt. Talis fuit Lucretia, quæ mori maluit quā vim passa viuere: talis Cato, qui mortē prætulit seruituti. Talis Tubero, qui satiùs duxit capitis subire discrimen, quàm B Patriam periclitari. Enimuerò magnū, & præclarum ijs visum est mortem non contemnere modo sed appetere. verū his ego præcellentiora promitto, & præstantiora, quod, vt facilius, assequar æqui bonique ducas amice lector, vt differam in hunc modum.

Hæc omnia, licèt non mediocrem iure suo ni fallor, sibi vendicent admirationem cum demonstrent, mortem, hoc est vltimum terribilium, vt decantatur in triuijs conceptis votis expetendam esse, si sapi C mus, supersunt tamen longè admirabiliora, quibus non erit admodum difficile palam facere, non probis modò, sed etiam improbis, & facinorosis vltimum obire diem accidere debere perquam iucundè. Caue contradixeris: adest namque summę auctoritatis aduersarius S. Bernardus. Qui serm. de nimia fallacia præsentis vitæ initio in hunc modum loquitur de flagitioso. *Bonum est ei, si sic agere perseuerat vt flagitijs eius, quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem ponat. Expedit ei qui semper anima moritur, vt corpore moriatur* Quo loco venit in mentem effatum D Philosophorum notissimum illud quidem sed extra omnem controuersiam probatum omnibus. Asserit enim minus malum, si cum maiori conferatur, boni rationem habere, quemadmodum docuit Aristoteles lib. 5. moralium Nicomachiorum cap. *1.* circa med. inquiens. *Quamquam iniustus non semper plus, sed in ijs, quæ simpliciter mala sunt, minùs etiam eligit, sed quia minus de malis esse quodamodo bonum videtur*. Imo sic comparatum esse, vt minora maioribus collata euanescant, & quæ

Aristot.

Minus malum in comparatione maioris, bonum.

seorsim, nullaque comparatione facta non leuis dicebantur esse momenti; post comparationem nihili fieri debeant, negabit omnino nemo. Probat id animaduersio eruditissimi Cælij Rhodigini lib. 1. antiquarum lectionum cap. 2. paulo ante finē, dicentis. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas inquit Ecclesiast. Sed ait Hieronymus; si creatura omnis bona est, quonam pacto vniuersa vanitas? Si terra vanitas, nunquid & Cæli, & Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, ceteraque virtutes, sed quæ perse bona sunt, melioribus collata vanitatis adsciscunt nomen. Stellam, Lunæ confer, cæca est; lunam soli iunge, non rutilat: Solem Christo si componas, tenebræ sunt.* Præcurtis lector meum animi sensum. Mors quidem corporis malum est, & calamitas maxima; verùm si cum alio longè deteriore nempe cum morte animæ comparetur, malum minime iudicabitur à sapiente. Hinc meridiana luce clariorem conficere ratiocinationem non erit ab re. Etenim, si mors animæ cum morte corporis componatur omnium sententia minoris mali rationem habebit mors corporis: dicebat siquidē verissimè S. Basilius hom. de legendis libris Gentiliū aliquanto post init. *Quanto anima pretiosior est corpore, tanto vtramque inter se vitam differre, palam est*. Consequitur igitur necessario: & cum hæc boni habeat rationem, expetenda esse prædicetur.

Cælius Rhod.

Hieron.

Mors corporis bona cōparata cum morte animæ.

S. Basil.

Quandoquidem autem in homiliam paulo ante citatam incidimus, recedere ab ea non possumus, nisi repetamus, quod eadem hom. aliquanto ante finem magnus Basilius de Pythagora memorat, cum in rem præsentem deriuari commode posse videatur, ait enim. *Pythagoræ meminisse dicti opportet, qui videns quendam exercitationibus, ac cibis lautè appositèque, sese curantem, ac saginantem. Heus inquit miser non desinis continuò duriorē tibi carcerem præparare*. Ergo hominis etiam iudicio ęternis addicendi flammis præsentis sæculi tabernaculū carcer est. Tetro educi e carcere, paedore, ac squallore lurido, nemini non esse apprime gratum, ac iucūdum reor. Quamobrem quis imposterum demiretur, si carissima Deo capita, Dauid, & Paulus ærumnosam huius vitæ calamitatē, ducta à vinculis similitudine declarauerint

Corpus animę carcer.

ueriht

S. Grego.

uerint, vt adnotauit mag. Gregorius lib. 4. moral. cap. 30. circa finem, vbi sic habet; *cupio dissolui, & esse cum Christo: dissolui enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Hæc autem vincula, quia certissimè rumpenda in resurrectione conspexerat, iam quasi rupta gaudebat Propheta, cum diceret, dirupisti vincula mea.*

Corpus animæ vinculum.

Porrò expediri vinculis, & è carceribus educi animum, dum morimur, adeo planum est, vt ipsi etiã Diuinæ veritatis ignari filij nequitiæ fateantur, & quidem vnus Seneca toties id repetit, vt nunquam satis sibi facere videatur. Vnde Epist. 58. appellat corpus ædificium putridum, ac ruẽs Epist. 65. animi pondus ac pœnam, triste, obscurum, obnoxiũ domicilium. Epist. 88. caueam Epist. 14. sarcinam, & luculentius Marciam his verbis alloquitur. *Hæc quæ vides ossa circumuoluta neruis, & obductã cutem, vultumque, & ministras manus, & cætera, quibus inuoluti sumus vincula animarum, tenebræque sunt.* Videatur insuper cap. 20. lib. 3. de beneficijs, & notæ ipsij in Epist. 65. Sane M. Tullius ex sẽtentia Platonis lib. 6. de Rep. disertè pronunciat, vitam improborum potiùs mortem nuncupandam esse, in quà multiplici malorum genere circumsepti, momentis pœne singulis tollantur è medio: Et quis obsecro cęcus adeo, & inops consilij inter Christi fideles, flagitiosus licet, & scelestus cum Paulo ad Romanos 7. num. 24. non exclamet. *Quis me liberabit de corpore mortis huius.* Sit mihi in hac re instar omnium, quod scribit Io. Bor. lib. 1. dict. memo. viror. Illust. non longe à fine de Bagliardo incliti nominis duce. Hic, cum sclopi ictu semianimis iaceret, iam iam excessurus è viuis, cum audisset, Carolum à Borbonij ducibus oriundum, dicentẽ, Aegerrimè se, ac magno cum animi sensu ferre, quòd videret tantum ducẽ tam subita nece corripi: Quid respõdisse putatis Bagliardum? excipite dictum omni posterorum memoria recolendum. *Me vero supra quam mente comprehendi queat, miseret tui, cum te videam armatum in tuum Principem, Patriæ inferentem excidium, & quod caput est iuratam fregisse fidem; satius tibi esset in præsenti mori, quam diutiùs viuere sceleratum;* Sane apud Cælium Rhodig. lib. 1. lect. antiq. cap. 20.

Ioan. Bot.

Bagliardi. In moriendo constantia.

A paulo ante finem, tanquam arcanum venerantur oraculum sapientes Platonicum illud, quo traditur animam hic in custodia quadam, & carcere detineri. Imo manifestius eiusdem Platonis hac in re placitũ recitat S. Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 26. circa med. *vbi ait voluisse Platonem nullam causam esse viuendi in hoc corpore, nisi propter pendenda supplicia.* Aberrauit ille quidẽ toto cęlo à veritate: sed si dicere licet commendabilis error est, qui nostros animos tam sancta imbuit institutione. Misera adeo, atque ærumnosa huius sæculi vita haberi debet, vt quanta B quanta est tota supplicium, & laniena debeat existimari.

Plato.

S. August.

Vita mortal. supplicium.

Sapienter equidem, quemadmodum ex Epitimide scribit Aelianus lib. 4. c. 7. Lacedœmonij, vt indicarent grauiora, atque maiora improbis mala superesse post mortem, dicũtur, Pausaniam, cum ad Medorum partes animum deflexisset non solum fame adegisse ad mortem, sed insuper etiá cadauer eius extra terminos eiecisse. Nos verò mitiùs. ad hanc quippe calamitatem, quæ impijs post mortem euenit minuendam, satius esse dicimus vitam cum C morte commutare; quam inter flagitia cõsenescere. Præterquam quod, esto demus mortem esse impio terribilem, supra quam dici, aut excogitari queat; certè longè terribilior est, & sæuius mentem lancinat mortis futuræ metus, quam mors ipsa si Hieronymo credimus in vita Malachiæ circa finem scribenti, *o multo grauior expectata quam illata mors.* Igitur, si illata mors mortis leuat horrorem; obuijs petatur vlnis, nequaquam refugiatur ab ijs potissimum, qui eam tempore impij meritò perhorrescunt. *Mors omnium dolorum, & solutio est, et finis*, scribebat Seneca cap. 19. D de consolatione ad Martiam circa finem. Verum si cętera omnia deessent id, quod idem Seneca eodem lib. cap. 22. paulo post init. perpendit, me sane in hanc adduceret sententiam, vt crederem mortem vita potiorem esse etiam facinorosis. Verba Senecæ ea sunt. *Nihil est tam fallax quã vita humana: nihil tam insidiosum: non me hercule quisquam accepisset nisi daretur inscijs.* Equidem nullum genus vitæ fallacius, aut molestius, quàm eorum, quibus diuino oraculo non est Pax, præclarè

Aelian.

S. Hieron.

Mors expectata grauior quã illata.

Mors dolorum finis ex mente Senecæ.

igitur

igitur eum istis agitur, cum certissimè defunguntur.

Recurrunt animo populorum consuetudines quàmplurium, quibus consideratis, mortem non execrandam diris, aut vituperandam, abhorrendamque, sed læto clamore, & gestienti animo, excipiendam, censebimus, & consalutandam. siquidem vt Alexander ab Alexandro libro 2. Genial. Dierum caput 25. initio scribit Thraces Trausosque, ac Ceseas, & Causianos in funeribus exultantes iubilare consueuisse notum est, quod scilicet defuncto omnibus incommodis, & infortunijs, quę vita fert, ex hac luce, & imminentibus malis, atque omni sęuitia aduersantium malorum, tandem excedere datũ sit. Neque absimili consilio, vt modo cit. Alexand. auctor est, lib. 3. Gen. Dierum cap. 7. init. Nasamones non pulla, sed candida veste defunctorum corpora induebãt. Imo Greci nõ modò alba veste, sed corollis ornatum, & delibutum vnguentis cadauer efferebant, ad hilaris significationẽ animi, pœana concinentes, & ipsi redimiti coronis, & candida veste lęrabundi. Quod vt Syracusanis, & Argiuis, & Sycionijs solemne fuisse memoriæ proditum est, lepidum morem Syciorum non tacebo. Legi siquidem in Lycia, vsu fuisse receptum vt ad pompam funeris lachrymabili comitatu prosequendam affines, & propinqui muliebres induerẽt vestes, neq. alia ratione demortui funus sine nota, luctu prosequi se posse arbitrabantur. Id autẽ in eam fiebat gratiam, vt eam vestium deformitatem pertæsi, vtpote ab homine maximè alienam, sicuti citatus monet auctor, citiùs lacrymis abstinerent: vel certe si aliquid de meo promere fas sit, mulierem repræsentabant, qui eiulatu, ac lacrymis mortuis parentabant, quia muliebris est ingenij, planeque effæminati illorum deflere casum, de quorũ excessu deberemus potius gratulari.

Alex. ab Alex. In funeribus exultabant. Thraces.

Mortuos alba veste quæ Gentes induerent.

Lyciorum muliebres vestes in funeribus.

Fauet aureus, & oratione, & gestis Io: Chrysostomus hom. 26. in cap. 8. Gen. initio inquiens, *& si puniat, & si in nos animaduertat, ex bonitate sua facit. Non enim vel affectione, vel ira pœnam infert: sed malitiam morari vult, ne vltra progrediatur. Quia, & nunc, sicut audistis diluuium ob nihil aliud induxit, quàm vt* A *curam agat eorum, qui iniquitati vacabãt toti. Et qualis inquis cura hæc, omnes aqua suffocari? Ne temere loquaris homo, sed grato animo accipe ea, quæ à Domino sunt facta, & scias quod etiã hoc est maxima curæ argumentum. Nam eos, qui sic incurabiliter peccant, & quotidie vulnera sibi inferunt & vlcera, omni cura grauiora faciunt: ex tanto malo liberasse nonne summa fuerit prudentia? Et hic puniendi modus non ne omni misericordia plenus est?* Nihil eloquẽtiùs, aut accomodatiùs dici poruit: ex quo quis non videat, mortem beneficij loco ducendam esse, etiam impio, B ac facinoroso. Demum luculenter satis probat id S. Ambrosij petitum argumentum à fortiori lib. de Fide resurrect. omnis aliquanto post init. vbi hæc habet: *Et ille qui remedium nouerat prolongatum tamen suum ingemit incolatum, & cum peccatoribus, & iniquis se habitare deplorat. Quid ergo faciã, qui & peccatum habeo, & ignoro remedium; Ieremias quoque, quod generatus sit, & ipse deplorabat his verbis dicens: Heu me mater, vt quid me peperisti virum, causam dicentem iudicij in omni terra? non profui, neque profuit mihi quisquam: virtus mea defecit. Si igitur sancti* C *viri vitam fugiunt, quorum vita, & si nobis vtilis, sibi tamen inutilis existimatur: Quid nos facere oportet, qui nec alijs prodesse possumus, et nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam vsurario quodam cumulo grauescentem onerari in dies peccatorum ære sentimus?* Huc vsque Ambrosius. Videatur P. Io: Antonius Velasquez in Epist. ad Philip. tom. 1. in cap. 1. ver. 21. Adnot. 6. & 5. per totam. vbi plura ad præsens argumentum accomodatissimè sicuti etiam apud eundem in eod. cap. vers. 23. & 24. adnot. 1. & alibi sæpius.

Ioan. Chrysost.

Mors beneficij loco ducenda vel impio.

S. Ambrosius

Sanctorũ exẽplo vita mortalis fugienda.

Vita fruimur cum fœnore

D Videri etiã potest P. Didacus de Baeza tom. 4. comment in Euang. hist. lib. 16. cap. 19. S. 10. & eodem lib. cap. 23. S. 18. Immo apud eumdem superius videlicet 1. tom. lib. 3. cap. 9. S. 7. & lib. 4. eiusdem tomi cap. 5. S. 35. & tom. 3. lib. 14. c. 15. S. 3. expressius eodem lib. cap. 15. S. 10. & cap. 18. S. 14.

IN CAPVT SECVNDVM Num. XXI. XXII. & XXIII.

Qui consurgens accepit Puerum, et Matrem eius, & venit in terrã Israel. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo timuit illò ire, & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur.

PARADOXVM XXVI.

Christianus Heros in minimis maximus.



VELLEM equidẽ pollere ingenio, cuius mihi in præsenti conatum adhibendũ esse animaduerto contra communem hominũ opinionem, quam eleganter, ac lepidè explicauit Poeta Venusinus ea, quàm ad Pisones de arte Poetica dedit Epistola, non longè ab init. cum scripsit. *Horatius.*

Æmiliũ circa ludum faber imus; & vngues
Exprimet, & molles imitabitur aere capillos:
Infælix operis summa: quia ponere totum
Nesciet.

Communis sensus hominum est huiusmodi, vt minima minimè perficiant: Imò sæpe fieri arbitranrur sapientes, vt qui minima optimè callent; eius quam profitentur facultatis apicem nunquam assequantur. oppositum omnino contendo, & in eo me laborare pronuncio, vt demonstrem in mi- A nimis maximum esse amicum Dei. si vngues exprimas, & molles capillos, hoc est si in leuissimis te exerceas, summa operis infælix esse non poterit, sed apicem perfectionis altissimum fæliciter tenes Heros Christi. Nequa verò alio nomine compellem æquiùs Dei seruum, quàm nuncupando Heroẽm. Heroas etenim commendatura antiquitas, eos summi opificis consiliarios, & amicos, & vt Themistius orat. 1. Iouis comites nuncupabat. Vides quam aptè congruat cum nomenclatura, quam summa protulit sapientia, Lucæ cap. 12. B num. 4. *dico autem vobis amicis meis*, & Ioannis 15. num. 15. *vos autem dixi amicos*, quod idem alibi passim. *Heroes sunt comites ex dicto. Themist.*

Verum ne vagari videar, reprehendo cursum errantis orationis, denuo asserens, Heroas tàm inclytos in minimis maximos esse. Stat pro me humanæ reparator naturæ, quo stante quis cadat? hic sane vix in lucem editus, quasi alieni iuris, parentum arbitrio discedit, reuertitur, moratur, migrat, ad exemplum obedientiæ memorandum. Equidem qui arduum, ac perdifficile mandatũ Patris subiturus erat factus obediens vsque ad mortem, mortem C autẽ Crucis, vt dicitur ad Philippenses 2. num. 8. par fuit, vt ad nostram institutionem quædam facilia, & vt ita loquar minima perficeret ad rudimentum nostræ Imbecillitatis, quæ suopte iogenio horrifica morte sanguinem profundere præcepto obedientię adacta perhorresceret. Ne timeas, eris & in minimis maximus ea ratione, qua non minor est se ipso morienteChristus paruulus, parentibus obediens. Sane id me didicisse ex Iudęo Philone fatebor, perquam libentissimè. Cuius iudicio Moses, dum in Arabia moraretur, dignum se totius administratione, sum- D moq; populi Imperio comprobauit. Principem enim maximum summa cum laude, sed immortali posterorum commendatio. ne se præbuit, eo facinore, quod & habetur Exod. 2. num. 17. & ipse Philo hisce verbis commemorat. *Septem puellæ vnius Sacerdotis filiæ gregem ad quemdam fontem adduxerant, demissisque per funem vrnis per vices certatim hauriebant, fundebantque aquam in proximas aluos donec implerentur. Superuenerunt alij pastores, qui contempta debilitate Virginum conati sunt* *Christus in minimis maximus.* *Iudæus Philo.* *Moises facinore designatur,*

sunt eas submouere vna cum suis gregibus ad paratum potum agentes sua pecora, frui-turi alienis laboribus. Id Moises, qui non longè aberat conspicatus, confestim accurrit, clamitans: non abitis? non ceditis his quæ priores venerant? non aufertis impunè. His verbis territi admissis Virginum gregibus ad alueos passi sunt earum pecora priùs bibere. Hoc facinore sentit Philo dignum se exhibuisse Moisem totius imperio populi, & cui Deus Opt. Max. infringendi audaciã Aegiptij Regis imponeret prouinciam, quàm humeris iam sustinebat, haud imparibus tam egregijs pro iniuria propulsanda conatibus. Impossibile enim est, vt paulo post eodem lib. 1. de Vita Moisis aliquanto post init. idem Iudæus Historicus cõcludit, vt magna, priusquam parua perficiantur, iubeat exclamare. O Moises iam in minimo magnus. Sane minimum est, nec singulari laude extollendum, gnatones propellere inglorios, & vilia capita ab iniuria cohercere. Maximum verò, imperio florentissimi populi dignum haberi.

A facto ad dictum Moisis gradum facio, quod legitur Exodi 19. num. 4. vbi populum Dei eiusdem præpotentis rerum omnium Artificis nomine compellans, cõparat filijs aquilarum, qui non vnguibus parẽtum suarum, quemadmodum reliquis contingere auibus notum est; sed humeris tolluntur in altum. *Vos ipsi vidistis* verba sacri textus, *quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Cogitanti attentiùs, cur amici Dei filijs potiùs aquilarum, quàm aquilis ipsis conferantur, occurrit mihi, quod oculatissimus indagator naturæ Vlysses Aldrouandus docet, videlicet aquilis solemne esse ad exercendum à teneris annis pullos, hac ratione quodamodo instituere, vt ad huc imbellibus agnos, arietesque, & huiusmodi animalia, non omnino extincta, sed spirantia adhuc, ac semiuiua tradant, atque in pastum exhibeant, quo minori negotio ea proprijs viribus debellare possint, & si dicere licet, triumphantes, & inimico calentes sanguine ferocitatis suæ quoddã faciant tyrocinium. Quemadmodum citatus auctor monet lib. 1. ornithologiæ sub tit. Incubatus exclusio circa med. Super vacaneum nisi fallor, videretur admone-

Amici Dei filijs Aquilarum similes.

Aquilarum in exercẽdis pullis cõsuetudo.

A re hoc loco lectorem, vt aquilarum in morem feras discerpere possit, ac dilacerare, hoc est in arenã cum validissimis hostibus triumphator descendere; intelligat, debere se cum agnis imbellibus, & quidem semiuiuis congredi. Vide qua acuatur cote Heroica virtus, vide quo pacto esse queas in minimis maximus. Quod festiuè nonminus, quàm ingeniosè fuit à Poetis in Hercule adumbratum. Herculem memoro fabulosum illud prodigium fortitudinis, quem mirentur alij multarum capitum Hydram rescindentem, prosternentem leonem, aliaque huiusmodi innumera glorio- B sissimè conficientem: ego verò satis demirari non possum, recolens illum vincere priùs nouisse, quàm viuere, & didicisse in cunis minorum serpentum confringere caput. Quæ se præbent exercendarum virtutum occasiones licet minimi faciendae videantur, caue contempseris, si sapis; imo summo studio minima perficias, hoc quippe es maximus. Iam si paruulos angues alidis, Herculei roboris existimaris.

Hercules fortitudo à minimis maxima.

Verùm ne dicar narratione fabularum detrahere veritati, commentis poëticis C prætermissis, huc reuoco, quod lib. 1. Regum cap. 17. de Dauid dicitur, hic eum spopondisset, relaturum se de Philistheo insanæ magnitudinis monstro, illustrem victoriam, ad fidem sibi eorum, qui aderãt, & Regis potissimum conciliandam, vtque virtutem suam plenissimè testaretur, inquit, vt habetur citato cap. num. 34. *pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel Vrsus, & tollebat Arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, inter-* D *ficiebamque eos. Eris igitur, & Philisthæus hic incircumcisus quasi vnus ex eis* Hęc Dauid ratiocinatio mihi quidem plena semper acuminis visa est. Meritò siquidẽ non imparatum pectus ad ineundum cum gigante singulare certamen gerere se profitetur, qui minoris momenti certaminum sæpiùs aleam subeundo, pares giganteis vires sumpserat. Hoc quippe solemne est athletis Dei, vt dum in minoribus se exercent, fiant maximis pares. Quapropter sapienter monebat sanctus Gregorius c. 3. in primum Reg. inquiens: *sæpe inter magna*

Dauid in minoribus se exercens fit maximis par.

S. Gregorius. Qui minora negligit non perficit maxima.

opera corruunt, qui per minora vincere hostem possunt. Minora ne negligas, tunc enim potens sis, ac pollens ad præstantissimas victorias in maximis certaminibus reportandas. Non est, cur mireris, quòd indicto tibi ab hostibus humanæ salutis certamine, turpissime victus recedas ab acie cum de cælesti regno dimicatur. Videlicet in minimis, auertendo oculos, cohibendo linguam, & similibus poteras inimici conterendo audaciam, inuictus fieri, & contempsisti. Audio Aristarchum, cuius iudicio minimũ non est, vrsum discerpere, ac leonem prosternere. Verùm nunquam à me facinus Heroicum iudicabitur B feras à grege arcere; at profligare, gigantem, cuius robore, quantus, quantus est exercitus perterrefactus refugiebat; enimuerò gloriosum, plausibile, heroicum, supra conatum facinus est. Sed quid quid sit de hoc, ex ipso Dauid argumentum profero meridiana clarius luce ad rẽ præsentem; Sine dubio Dauid prælia miscẽs terror inimicorum, & inuictæ exemplar fortitudinis suffragio sapientium reponendus censebitur inter Heroas. Audi obsecro, quod de illo ferat iudicium iudicio præditus eximio mag. Greg. considerans, C quod sacrarum litterarum monumenta de ipso testantur lib. 2 Reg. cap. 6 num. 20. & lib. 1. Paral cap. 25. num. 29. *Quid de eius factis* verba S. Pontificis *ab alijs sentiatur ignoro. Ego Dauid plus saltantem stupeo, quam pugnantem*. Sunt, qui derideant Dei seruum, si forte conatum adhibeat ad infringendas sensuum vires; atque ad animi motus rebellantes, reluctantesq. in rebus minimis retundendos. Quasi verù per magni solum fieri debeat cõgressus cum gigante, solùm æstimari debeant plurimi Philisthæorum, debellatę phalanges: falleris ex sententia Gregorij, dicentis. D *Dauid plus saltantem stupeo quam pugnantem*.

Dauid Heros insignis.

S. Gregorius.

Dauid saltans magis quã pugnans suspiciẽdus.

Quando autem id ego, neque clariùs, neque vberius, quàm sanctissimi seruatoris oraculo comprobare possum, id nulla ratione reticebo Lucæ cap. 21. à num. 1. ad quartum dicitur; *respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylaciũ diuites. Vidit autem, & quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit, verè dico vobis, quia vidua hæc* A *pauper plusquam omnes misit*. Compara pauperculam cum diuitibus, & inuenies illam coram Deo magnam in minimis, illos in magnis minimos.

Pauperis eleemosina diuitum opulentiam exæquat.

Nunquam clariùs, aut oportunius, ni fallor, contigit mihi palam facere quid velim dicere, quàm petito exemplo gemino, quorum mentionem facit Plinius lib. 35. cap. 10. paulo ante med. linearum subtilitate pingendi magistri celeberrimi Protogenes, & Apelles decertarunt, cum hic non tam Protogenem ipsum æmulum, quam artem superauit *Placuit* inquit Plinius *eam tabulam posteris tradi omnium quidem, sed* B *artificum præcipuo miraculo. Consumptã eam constat priore incendio domus Cæsaris in Palatio, auidè ante à nobis spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem, quam lineas visum effugientes*. Sanctos homines toto vitę curriculo pingendi magistros se se præbere alibi demonstro; nunc moneo insuper, huiusmodi esse opus seruorum Dei, vt in minimis sint maximi. Quid tam minimum, aut contemnendum apud pictores, quàm nosse lineas ducere? Hoc ipsum miraculo excellentiæ præstantissimum est. Oculos subducere, linguam C cohibere, iræ modum imponere, aliaque huiusmodi tyronum exercitamẽta prima, eaque rudia operis absolutissimi lineamẽta quidem sunt, sed talia, vt hæc ipsa te maximum constituere queant. Subdit ibidem citatus auctor. *Ptolomeo regnante, Alexandriam vi tempestatis expulsus tenuit Apelles, subornato fraude æmulorum puero Regio, inuitatus ad Regis cœnam venit, indignanteque Ptolomeo, & vocatores suos ostendenti, vt diceret à quo eorum inuitatus esset arrepto carbone extincto, è foculo imaginem in pariete delineauit, agnoscẽte, vultum pueri Rege, ex incboato protinus:* D Hæc apud Historicum naturalem citato cap. Quid tam minimum in facultate pingendi, quod & Imperiti picturæ frequenter aggredi minimè dubitant, & quidem non sine laude, quam carbone humani lineamenta oris effingere, ac representare. Sanè nihil Apelli fuisse tam gloriosum affirmari potest sine nota temeritatis, vt ex hoc Ipso intelligas, quempiam, & in minimis, facultatis suæ maximum esse posse. Quod quidẽ, nõ modò à veritate abhorret, sed maximè ingeniosum, ac verum est, quę pri-

Protogenes, & Apelles, velocis insignes.

Apellis excellencia in minimis expingendis.

prima sanctitatis lineamenta duxisti in te ipsum seueritate, aspero vitæ genere, ne despicias tanquam minima, aut tyronum propria; hæc inquam huiusmodi minima maximum te faciunt, si in ijs noris excellere.

Vtinam nostris etiam hisce temporibus non inuenirentur quamplurimi imitatores eorum, de quibus Matth. 22. num. 34. in fine mentio fit, vbi dicuntur Pharisæi de magno mandato quęstionem instituisse sic num. 36. dicebant: *magister quod est mandatum magnum*. Quos vt erroris, & inscitiæ redargueret reparator Christus, de primis Christianæ doctrinæ elementis interrogat, quemadmodum legitur num. 42. *quid vobis videtur de Christo?* quasi dicat, si Christum nescitis, non est, cur de supremo charitatis præcepto laboretis. Attende sapientissimi consilium Præceptoris plane diuinum. Rudes demonstrat Pharisęos, & Christianæ sapientię penitus imperitos: ex quo euidenter apparet, quàm sit palmaris, quàm ridenda; quàm inepta eorum inscitia: ignorant nempe Christianæ Philosophiæ peculiare esse, vt in ea præcipuas habere præ manibus difficultates non sit opus; sed sufficiat ad exaggeratam sapientiæ commendationem, consistere in minimis, eaque diligenter, ac sedulo pertractare. Prima fidei elementa, hoc est sapientiæ amplissimę planeque Diuinæ rudimenta cura, vt teneas; & licet caritatis apicem nequeas attingere, lauream reportasti. Nimirum in Dei disciplina sic se res habet, vt minima maximum faciant. Quot sunt (vtinam mentiar), qui vitijs inuoluti, & cæno flagitiorum turpissimo, supra quam dici queat fœdi de morte sanctissime obeunda, non modò sermonem instituere, sed sibi frequenter blandiri nequaquam vereantur? Quot cupidissimi diuitiarum de facultatum contemptu colloquuntur? quot criminosi, atque scelesti identidem interrogant, qua ratione abalienatus à sensibus animus liquidissima rerum cœlestium voluptate delinitus perfundatur? Demens, cur longiùs aberras, redde te tandem tibi: in facilioribus insistendum est, & certo certius apud te ipsum statuas, fore vt in virum euadas maximum si minima maximi facere noueris. Faciet fortasse ad rem similitudo magni Basilij, licet ab eo in re dissimili hom. de leger. libris Gentilium paulo post init. afferatur; cum docet, luminum Principem aspicere contendentibus solemne esse solem in aqua frequentius intueri, eaque ratione acui adeo aciem, vt eam intendere queant in mundi oculum fulgentissimum. Ex quo, qui non omnino sit hebes, ac stolidus, facilè assentietur, eum qui se exercet in facilioribus, atque obuijs, aptum reddi, imo ipsis hisce exercitamentis esse ad ardua, ac æteroqui inaccessa facillimè subeunda. Ego sanè hinc discere profitebor, nihil ludicrum, aut leue existimandum esse ijs, qui conceptis expetunt votis solem iustitiæ contueri.

Prodeat in medium semper cum laude memorandus nostri sæculi gloriosissimus Heros Cosmus Medices, de quo appositum ad argumentum præsens illustrandum leges exemplar apud Ioan. Boterum lib. 1. dicto memo. viro. Illustr. Adiere Cosmum Religiosi duo, è celeberrima S. Francisci familia, eleemosynam petituri. Cum autem Princeps multiplici negotiorum turba detineretur, ac distraheretur, tandiu expectare coacti sunt, donec tenebresceret: vbi primum licuit, Cosmus occurrit Patribus; quos pro sua pietate singulari prosequebatur amore, hilari vultu, & ad humanitatem composito: ægrè enim ferebat pro ea, qua excellebat humanitate illos longiores trahere moras; verum regio è cubiculo egrediens, dum animaduertit frustum candelæ consumi frustra, indignabundus famulorum accusauit incuriam omnibus, quot quot aderant admirantibus aspera admodum reprehensione. Id cum religiosi è proxima exciperent aula paulatim pedem experunt referre, egressuri statim Principis domo, re infecta; desponderant enim quidquam tunc impetrari posse ab eo, qui tanti faceret rem nullius omninò pretij. Deprehendit irritum huiusmodi consilium ab inclytis pauperibus, qua erat solertia preditus Cosmus sane in omnibus magnus, nullaque interposita mora blandè Dei seruos alloquens, cur receditis, inquit, Patres mihi semper pietate, ac religione spectabiles? forsitan ab excitata à me nuper domestica turba de me ipsi coniecturam facitis?

Pharisęi à Christo corripiuntur.

In Dei seruitio minima maximum faciunt.

S. Basilius.

Sol in aqua facilius perspicitur.

A facilioribus fit gradus ad ardua.

nullā à me opē imperabitis? Consistite. Vestra enim, vos fallit opinio pedem hinc vacui nō referetis. Verùm, me auctore, discatis, certo certius, & omni penitus dubitatione remota, non nisi exigua huiusmodi me msgnum facere, quæ si forte contemnerentur à me maxima lsrgiri nullo pacto possem. Hæc cum diceret semper sibi similis ingentem pecuniæ vim eis liberaliter est elargitus. Id fortssse didicerat à magistra natura, de qua Plinius ipso init. Procemij lib. 37. ait *in arctum coacta rerum natura maiestas, nulla sui parte mirabilior*. Mirentur alij patentem camporum planitiem, immensam vallium profunditatem, montium pręcelsa cacumina Extollant alij naturę opera in proceritate elephantorum, in cętorum immensitate: mihi sane cum Plinio nusquam maiestss videbitur excelsior, quàm cum in arctum coacta gemmis, & vnionibus fabrefactis conatur se maxima in minimis exhibere.

Cosmus Medices quam magni faceret minima.

Plinius. Natura nunquā mirabilior quam in minimus.

Ignorarunt arcanum huiusmodi pręstantes illi sapientia viri, quos admiratione doctrinę suspexit antiquitas. Instar omnium sit Plsto, quem cum satis superque humanis pręconijs laudsre non possent prisci litteratorum amatorca, à diuinitate cognomen mutuati sunt. De hoc Aelianus lib. 2. cap. 27. memorat latum de Anniceri Cyrenensi iudicium sedulo examinsndum. Hic quippe ob artem equirandi, & curruum regendorum peritiam sibi plurimum blsndiebatur iure ne, an iniuria decernere non ausim. Voluit aliquando suę specimem artis coram Platone exhibere, itaque iuncto curru in academia multos cursus circum equitauit, adeo exactè, vt non discederet ab orbitis, sed semper in ijsdem incederet, eademque prorsus premeret vestigia. Quot quot aderant admirantibus, vnus Plato nimiam eius industriam non carpere modò, sed palam reprehendere non dubitauit, asserens non sine magno Anniceris Cyrenensis contemptu fieri nequaquam posse, vt qui in rebus tam futilibus, & vt dicebat ille, nullius plane momenti, ac precij operam nanaret adeo diligentem, posset magnla, ac pręclaria negocija vllis vacare. Cum enim omnia cogitatio in ista conferatur, necessum omnino esse, vt ea negligat, quę re vera sunt pręclara, atque admiratione digna. Mihi sane nostram gratulor conditionem, ò amici Dei, animo voluens, quàm pręclare nobiscum Diuinę beneficio sapientiæ agatur, quibus vacare minimis, est maxima conficere. Conticescat humana sapientia, immeritò contemnēs minima; nos etiam minima quę Deo perficimus, auctore, Deo tribuimus largitori, msxima prædicemus, maximi faciamus. Neque verò aliud sibi voluisse crediderim summi sapientlam Patris, nostram suo dignantem alloquio mortalitatem Matth. cap. 10. numer. 42. vbi pro calice aquæ frigidæ daturum se cœlorum regnum liberalissimè pollicetur. Quid hoc est, Deus immmortalis; pro re tantula tanta merces? sane simile portento dicerem huiusmodl promissum, nisi procomperto haberem, Christianos Heroas etiam in minimis maximoa, ac proinde pro mercede maximo donandos Imperio Empirel.

Plato.

Anniceris in curribus agendis peritia.

Minima sectātes insectatur. *Plato.*

Minimis maxima præmia largitur deus.

Mentiar, nisi numeris omnibns absolutum, eius, quam adumbrare conor Herois imaginem representsnt, ac simulacrum efformant sacrarum monumenta litterarnm in inuicto Sampsone. Huius celeberrimi fortitudinis eximię Herois virtus tenuissimis constabst capillis, vt neminem latet, & scribitur Iud. cap. 16. num. 17. vt hinc certo certius habeatur, quemadmodum ego interpettor, Dei Heroem non nisi in minimis msximum esse.

Sampsonis fortitudo in capillis.

Neque longius nobis est recedendum, vt Heroas comprobemus Christi fideles etiam in minimis, quemadmodnm in pręsenti contendimua; siquidem hoc eodem loco id indicat, ducena à floribus nomen Serustor Christus. Etenim in hanc gratiam Nazaret se contulit, vt Nazarenus, hoc est floridus vocaretur. Flores porro, honestamentum esse Heroicorum animorum satis apertè probat Antoninus apud Herodianum lib. 4. qui vt maximo decoraret honore sepulchrum Achillis idem floribus exornat. Similiter Pindarua ode 4. vt Amphitruonem maximis affectum honoribus testetur, canit illum floribus fuisse conspersum: necnon Thessali apud Philostratum in Heroicis Achilli coronas porrigunt amarāthi. Fortasse quia floris instar semper viuida, semper florens

Flores Herd honestamentum. *Herod.*

Pindarus.

Amaranthus immortalitatis symbolum.


est

eſt Heroum gloria immortalis, hanc conſequitur Dei amicus, cui datur, vt etiam in minimis maximus ſit.


Aluarus. Eſt mihi in promptu Aeliani ſuffragium in hac re fortaſſe non omnino contemnendum. Sane lib. 11. cap. 12. exponit Socratis geſtum, & de eodem fert iudicium in hunc modum. Placentam magnam, pulcherrimèque confectam Socrati miſit Alcibiades. Xanthippe verò placentam hanc munere datam ab amaſio amatori, indigne, & grauiter ſuo more ferens eam de caniſtro eiectam conculcauit pedibus. B His Socrates cum arriſiſſet, inquit; nam quid, non tu ſimul carebis ea? audi eam Socratis mirā modeſtio ſignis. A attentè, quid ſentiat de Philoſophi moderatione Hiſtoricus, qui hæc ſubdit: *quod ſiquis putat hæc, quæ dico puerilia, & nullius pretij eſſe is ſane non nouit, ex his etiam, de fortibus, & bonis viris probationem fieri.*

Fortium facinora, quæ ſint diſcamus tandem aliquando ab homine Ethnico.





EVANGELIVM
Secundum Matthæum.



CAPVT TERTIVM.

1 *IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicās*
2 *in deserto Iudææ. & dicens: Poenitentiam agite: ap-*
3 *propinquauit enim regnum cælorum. Hic est enim,*
qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox
clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas
4 *facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vesti-*
mentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos:
5 *esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre. Tunc exibat ad eum Iero-*
6 *solyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabā-*
7 *tur ab eo in Iordane, cōfitentes peccata sua. Videns autem multos Phari-*
sæorum, et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Proge-
8 *nies viperarū quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo*
9 *fructum dignum poenitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: Patrē ha-*
bemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus
10 *istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita*
est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignē
11 *mittetur Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiā: qui autē post*
me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta porta-
12 *re: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Cuius ventilabrum in*
manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suū in
13 *horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Tunc venit Iesus à*
14 *Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioānes autem*
15 *prohibebat eum, dicēs: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respō-*
dens autem Iesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem
16 *iustitiam Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit*
de aqua. Et ecce aperti sunt ei Coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem
17 *sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de Coelis dicens. Hic*
est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

IN

IN CAPVT TERTIVM Num. I. II. & X

In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicās in deserto Iudeæ, & dicens: pœnitentiam agite: appropinquauit enim Regnū Cœlorum n. 10. iam securis ad radicem arborum posita est.

PARADOXVM I.

Qui pœnitentiam differt sui homicida.



AVditores suos confluentes turmatim ad pœnitētiam excitaturus Christi præcō Ioannes, post allata rationum momenta: *appropinquauit enim regnum Cælorum* Post multiplices minas, quibus duritiem increpauerat Pharisæorum: *progenies viperarum, ne velitis dicere, patrem habemus Abraham* tandem ad permouendos animos, acriori vtitur, & vehementiori dicendi genere, exclamans: *iam securis ad radicem arborum posita est*, quasi verò timor ne resciindatur arbor, potissima ratio esse debeat, quæ suadeat pœnitentiam. quod cum ita se habeat, communi eorū conatui, qui huius occasione loci compellere nituntur Christi fidelium animos ad pęnitentia delēdas anteactæ vitæ noxas, liceat aliquid de nostro addero.

Hoc autem pręstitisse me iudicabo non sine fructu, si exclamare potuero ad omnes generatim excitādos, sed præcipuè dignitate præcellentes: *pænitentiam agite*, si minùs amore regni Dei, si minus scelerum indignitate permoti, saltem metu mortis adactitiā enim *securis ad radicē arboris posita est*. Cauendū est igitur, ne pęniteriēę occasione cōtempta, cum veniam differimus, inferamus nobis præproperā necem. Certè erit semper apud me extra controuersiam, qui pęnitentiā differt, sui esse homicidam. Philo Iudæus examinans quæ de vxore Loth sacra pagina memorat, in hunc modum philosophatur. *Lothi vxorem, post* Philo Iudæus.

A *quam respexit, scriptura narrat versam in salis statuam. Et meritò Quia si quis in anteriora visu, auditúque digna non prospiciet boc est in virtutes, & earum opera, malens à tergo relicta respicere, vanā gloriam cæcas diuitias, insensatam corpulentiam, dementem formositatem, & id genus alia consectando: stabit inanima statua, tabescetque paulatim. Sal enim est res parum solida.* Ita Philo lib. de som. circa finem. In quem locum considerare non erit ab re, quo pęnæ genere plectantur ij, qui nō absimili culpæ contagione dehonestantur. Nimirū fluxis huius sæculi bonis addictus, quæ penitus

A tergo relicta respiciēs paulatim tabescet tanquam salis statua.

B essent prætereunda, oculis sequacibus infectaris? immoderatam sensuum licentiam adhuc non cohibes? nullus anteactę vitæ abluendis fæditatibus modus? Quod ergo te manet supplicium, stabis inanima statua, & lucis vsura spoliaberis. Sed hoc parum esset. Insuper vitę tuę, tam breui curriculo circūscriptum spatium labefur tàm citò, quàm subito sal diffluit.

Me sane antiquorum memorias repetētem deterret, quod Anastasio Dicoro accidisse, cōsequentium erudimēto sęculorum proditū est. Hic Orientis Imperium tenuit C sceleribus, quam dominatu notior. Tandem fulmine, hoc est vindicis Dei telo ictus interijt: memorandum exemplar irati numinis. Quod breuiter innuisse satis sit, cū ex genere pęnę quot, ac quanta fuerint flagiria, coniectare quisque nullo negotio queat. His autem missis, ad rem nostram breuiter cōmemoro, quod Zonaras tradit, & ex eo Card. Baron. anno Christi 518. Hormisdę Papę V. Anastasij Imperatoris 28. Theodorici Regis 26. Anastasio videlicet sub mortē spectandum se prębuisse simulacrum visu horribile viri, qui librū manu tenens, truci sono vocis in hunc modum Imperatorem increpādo, est alloqu- D tus: *En ob tuam improbitatē quatuordecim tibi vita annos deleo* tam ferale vaticinium comprobauit euentus. Etenim paulò post inter tonitrua, ac fulgetra cœlesti igne absumptus interijt Anastasius Eia quid expectas? cur scelera sceleribus addis? cur pęnitentiam diutiùs distrahis? Prępotentis Dei natu tuę vitę momenta decurrunt, & adhuc non sentit facinorosus, heu nimium ęrumnosa clade facere sibi vitę suę annos, quam lępissimè breuiores. Scio

Zonaras Baronius.

Anastasij Imperatoris Vita ob eius improbitatem breuiata.

laudi sibi duxisse veteres, in graui fortuna ferrum sua manu pectori admouere, vt hac ratione, quemadmodum ipsi arbitrabantur, fortunam vincerent, & casus declinarēt grauiores; Inter hos fuisse nouimus Tenonem, qui sibi gulam fregit vt est apud Laertium; inter hos recensentur Catones, Scipiones, Fabij, Bruti, Annibal, Cleopatra, Otho, alijque sexcenti, quos tamen animaduerto reprehensos fuisse, & grauissime accusatos non modò ab Augustino lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 23. non modo à Iosepho de bello Iudaico, sed etiam à Seneca Epist. 24. delusos fuisse atque exibilatos. *imbecillus* ait Seneca, *& ignarus est, qui propter dolorem moritur*. Et ibidem, *Ridiculum est currere ad mortem*; nos verò quibus prosequemur lacrymis, quo luctu deflebimus eos, qui dum pœnitentiam differunt mortem videntur appetere, & concessam cæteroqui vitam, breuioribus terminis coarctare; dicamus itaque, *pœnitentiam agite, iam enim securis ad radicem arboris posita est; stultissimum est*, diceret Eusebius Emissenus hom. de beato latrone circa finem, *vt causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis cõmittatur extremis*. Quanto maior eorum stultitia, quibus nihil tam carum est, quam viuere, si vitam sibi rescindant, quod vtique prestāt, cum ab impijs facinoribus non abhorrent, atque, vt par esset pœnitentię subire negligunt asperitatem.

Sui ipsorū interfectores nō laude, sed vituperatione digni.

August. Iosephus. Seneca.

Euseb.

A peccatis nō abhorrētes sibi vitā rescindūt.

Est præ manibus magni Gregorij auctoritas, quam prætermittere nullo pacto debeo. Considerat S. Pontifex mortem filiorum Heli vna die cōtigisse, quibus properata mors supplicium fuit iniquitatum. *Vna ergo die*, verba Gregorij, *ambo moriuntur, quia in appetitu mundanæ fœlicitatis intereunt. Gloria sæcularis, honoris reuerentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæculariter amata dies est: sed quæ interficit. Ad mortem itaque properāt quoties vanè de temporali fœlicitate gratulantur*. Huc vsque Gregorius lib. 2. in prim. Reg. cap. 3. paulo ante finem. Disertè satis, & appositè, fulges purpura, nites fascibus, famulātium obsequio gratularis: ne obsecro tantis bonis liberaliter à munificentissimo largitore donatis abutaris, si

Gregor. Papa.

Ad mortē properant, qui de mundana gratulātur fœlicitate.

A tibi cordi vita est. Pœnitentiam age, ne ante tempus mortis contingat mæror, & in ipso ætatis flore, quemadmodum Ammoni Israëlitarum Regi scelestissimo contigit inimica morte discerptis. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, canebat Regius Psaltes Psal. 4. num. 6. Hos vt à via iniquitatis ad pœnitētiam reuocemus facinorosos, si non digniori, certe apud ipsos efficaciori dicamus; *Qui diligit iniquitatem odit vitam suam*. Expressè inter diuina oracula Eccles. 5. num. 8. *Ne tardes conuerti ad Dominum; nec differas de die in diem: subitò enim veniet ira* illius; vide,
B quid sequatur, si moram interposueris, videlicet, quæ alioquin seriùs in te arma sumpsisset, ocyùs irrumpet ira Dei. Nitor auctoritate S. Augustini dicentis: *Scio ego, & mecum omnis homo, qui paulò attentius considerauerit, neminem Deum timentem sub verbis eius non se corrigere, nisi qui putat, quia plus habet viuere. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt cras cras; & subitò qui de die in diem pœnitentiam defert Ostium clauditur*. Ita ser. 16. in Matth. non longè à fine. En scena
C eorum, qui differunt de die in diem recipere se ad bonam frugem. Hæc res, si Augustinum audias, multos occidit. Nemo ergo blandiatur sibi quasi Deus promiserit, daturum se veniam postulanti; quia, qui veniam promisit, diem crastinum non promisit. ingeniosa Tertulliani illatio illustrabit, quod in præsenti confirmo. Habetur autem lib. de Patientia cap. 4. init. vbi oraculum Ezechielis affert in hunc modum *pœnitentiam malo, quam mortem. Ergo pœnitentia vita est, cū præponitur morti*, Videtur ni fallor ex sententia Tertul-
D liani Deus Opt. Max. indicare, malle se potius vitam tribuere, quàm eripere. Datur igitur optio eligendi, quod arridet magis, ne morte mulcteris, age pœnitentiam, quæ vita est: idem enim censetur hanc prætermittere, ac se vita spoliare, atq. cruentas sibi manus inferre. Alterutrum deligēdum est. Deus quidem mauult pœnitentiam, hęc si desideretur, mortem cogetur inferre. Neque verò alio argumento conatur S. Ambrosius pœnitētiam suadere, libro quippe de Elia, & ieiunio cap. 22. & vltimo in fine ait: *Quousque ad delectationes? quousque ad commessationes? dum*

Psalmista Regius. Amator iniquitatis odit se ipsum.

Eccles. Ira Dei venit super eum, qui tardat conuerti ad Dominum.

August.

Ostium vitæ clauditur illi.

Tertull.

Pœnitentia vita est.

Pœnitentiam prætermittere idem est ac vita spoliare se.

Ambrosius. Peccatori gratiam differenti Mors appropinquat.

dum differs gratiam mors appropinquat. Itaque vt morti aduentanti aditũ obstruas sanctæ subeas labores pœnitentię, quandoquidem Pęnitentia vita est. Diutiùs tacere non possum, quid in hac se senserit aureus in christianæ sapientiæ exedra orator Ioannes Chrysostomus: Quod ipse & apertissimè, & disertissimè declarat hom. 10. in epist. ad Romanos paulo post med. ad illud cap. 6. *vt quemadmodum Christus excitatus est è mortuis per Patris gloriam, sic & uos in vita nouitate ambulemus* Excipe verba Chrysostomi. *Cum audis nouam vitam, magnam varietatem, magnã mutationem quære. Enimuerò mihi in mentem venit, vt illacrymer, ac magnopere ingemiscam cogitanti, quam magnam à nobis moderationem, atque constantiam Paulus exigat, quam magna autem nos ignauia dederimus à Baptismo ad priorem senectutem reuersi, atque in Aegyptum reflectentes, & allia post ipsum manna memoria recolentes: decem enim, aut viginti diebus, ab ipso statim Baptismo immutati, pristina de integro studia aggredimur. At verò Paulus, non ad præscriptum dierum numerum, sed ad omnem nostram vitam huiusmodi politiam requirit. Nos autem ad priorem vomitum redimus, post iuuentutem à gratia acceptam, senectutem à peccatis exorientem excitantes. siquidem pecuniarum amor, absurdarum appetitionum seruitus, denique quoduis peccatum, Senem efficere eum solet, qui illud cõmiserit: Quod autem inueterascit iam, ac consenescit, interitui proximum est.* ò insana scelestorum cõsilia, quibus ante pręscriptum tempus consenescunt improbi; ò dementes eorum mentes, qui præripiunt sibi vitam, agunt se pręcipites in vlnas mortis, & huius, quam ad insaniam vsque adamare creduntur, vitæ stamina, ipsi sibi rescindunt.

Chrysost.

Interitus imminet ei qui in peccato inueterascit.

Id ego non adumbratum rudibus lineamentis, sed pęne representatum ad amussim comperio, ab ethnicis scriptoribus, apud quos duplex genus mortis obseruare licebit. Hinc Euripidis Phoenissi de morte Polinicis, ac Eteoclis canebat.

Euripid.

Non ex fato, Non ex fato hae cades.
Sed ex furijs.

Et in eandem sententiam Homerus Iliados primo;

Homer.

Multas autem fortes animas orco ante tempus præmisit
Heroum.

Vides quosdam statuto tempore, & quemadmodum ipsi loquebantur, ex fato mori. Alios verò ante tempus, & ex furijs tolli è medio. Miseret me illorum, qui sibi furiales inferunt manus, & suorum scelerum dementati vesania, præripiunt sibi longiorem, huius, quem ducimus spiritus fructum, & vitę, qua fruimur vsuram, quam à Deo nobis dari, atque impartiri tantopere gratulamur. Audiant tandem hi homines plane miseri D. Cyrilli Alexãdrini sentẽtiam, qui oratione de exitu animæ sic loquitur. *Qui dicunt, peccemus in iuuentute, & in senectute ad meliorem sensum redibimus, ij à dæmonibus illuduntur, ac deridentur: quoniam qui vltrò peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in iuuentute, mortis falce demetuntur.* Perpendo illud (*quoniam*) videtur enim habere vim illatiuam, vt sensus sit; ideo mortis falce in iuuentute demetuntur, quia vltro peccant. Igitur abstineant à peccato, ne moriantur. Arridet mihi summopere ea ratio, quam innuit S. Io: Chrysostomus hom. 7. ex varijs in Matth. locis paulo ante med. dum ait: *amat enim mortem, qui vitæ præcepta non seruat: Et horret vitam, qui peccata morti debita desperata mente frequentat. Vt enim per obseruantiam legis vita acquiritur: ita per contemptum mors à cõtumacibus inuenitur.* Christus Dominus, & est, & dicitur vita, vt mirum non sit si mortem offendat, qui eb eo peccatorum recedit nõ tam passibus, quam affectibus.

Antiqui aiebãt Alios ex fato, Alios ex furijs mori.

Furiales infert sibi manus in peccatis senescens.

Cyrillus Alexan.

Pœnitẽtiã differentes à dæmonibus illuduntur, ac mortis falce breui demetuntur.

Chrys.

Mortem amat, qui vitæ præcepta nõ seruat.

Confer Ochoziam cum Ezechia, vt maturo decernas consilio, sacrarum litterarum historijs examinatis, quid in re proposita censeas sentiendum. De Samariæ Rege Ochozia leges lib. 4. reg. cap. 1. num. 2. *ceciditque Ochozias per cancellos coenaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotauit: misitque nuncios dicens ad eos; ite consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrũ viuere queam de infirmitate mea hac.* Quid expectatis? decumbit Rex, & nihil non molitur, vt conualescat. Sed interea Deus Eliæ imperat, vt hęc referat Regi sicuti leges citato cap. num. 16. & 17. *Hæc dicit Dominus: quia misisti nuncios ad consulen-*

Libri Regum.

sulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quē ascendisti non descendes, sed morte morieris. Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias. E contra consule caput 20. eiusdem libri, vbi inuenies Ezechiam graui morbo correptum, & Isaiæ oraculo iam moriturum, huiusmodi ad Deum fudisse preces, quemadmodum num. 2. & 3. citati capitis leges. *Qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum dicens: obsecro Domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Fleuit itaque Ezechias fletu magno.* Mirum dictu est, vix absoluerat huiusmodi orationem, cum Dei dono nō modò certior fit, fore, vt breui conualescat, verum etiam quindecim annorum spatio viuat. Subijcio verba textus sequenti num. 4. *& antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum; dicens: reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: audiui orationē tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes templū Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Deus immortalis ecquis non obstupescat tantum miraculum tot miraculis, vt ita dicam confectum? Recedit sol, producitur vita, mors fugatur, Isaiæ vaticinium minis mox consequuturæ mortis minimè respondet, vt vnus conualescat Ezechias. Fateamur igitur, quemadmodum vitalis est religiosa pœnitentia, ita impœnitentiam esse homicidam.

Peccator non se conuertens ad Deū eiulis amittitur.

Qui contrito corde ad Deū confugit, diutius viuit.

Vitalis est pœnitentia, impœnitentia verò homicida.

Quæ licet, vt pote vera magnam vim habeant ad persuadendum propositum, nullius tamen censerem esse momenti, nisi diluere facilè possem perfugium quoddam commune satis, quo tutos se esse arbitrantur, qui pœnitentiam differunt, quæsito excusationis colore, ab exemplo Euāgelici latronis. Hi verò, si qui sunt, non meis, quæ nullius sunt auctoritatis, sed Eusebij Emisseni verbis aures præbeāt attentissimas. Sic autem habet hom. de B. Latrone; *Video sub momento, video sub exiguo spatio, latroni crimina sua fuisse donata: immittit diabolus securitatem, vt immittat perditionem, nec dinumerari pos-*

Eusch. Emiss.

A *sunt, quātos hac inanis spei vmbra decepit.* Et post aliqua, ad latronis exemplum allatum, passim respondet in hunc modum: *Ille, nec salutis tempora sciens distulit, nec religionem ante, nec Christum sciuit. Ergo etiam ex hoc, in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema hora illa, sed prima.* Hæc S. hom. cit. circa finem. Vtique contra vos est, quod vsurpatis frequenter exemplum latronis, ò quicumque pœnitētiam differre ad extremum vsque spiritum non veremini. Vobis sane etiam atque etiam cauendum est, ex admonitione Emisseni, ne vos ipsos
B præpropera morte agatis præcipites; quandoquidem, hoc pacto perditionem diabolus immittit. Nemo porrò viuens perditur, cum spe salutis nullus, dum vitam ducit, cadere queat.

Quando verò occasio ferre videtur, vt mentio fiat rei mortalibus optatissimæ, illam ego minimè prætermittam, cū periucundum rear esse futurū, audite qua ratione viuere quisque diutissimè queat. Disertè pronuncio: longum tibi superest vitę curriculum, si pœnitentiam egeris: diutissimè viues, si nulli non peperceris labori, si
C nullū pretermiseris ad edomandam carnē, genus afflictationis: vno verbo annos duxeris plenos, pro Deo toleratis afflictationibus. Audi Senecam epist. 94. paulo post initium sic scribentem: *longa est vita si plena est. Impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni iuuant, per inertiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus, sed diū.* Non potuit expressiùs pro me verba facere homo sapiens. longa est ea vita, quæ plena, plena autem fit, cum animus reddidit sibi bonum suum.
D bonum vtique gratiæ ablatum sceleribus, pœnitentiæ conatibus redditur. si desidiosus vaces ab huiusmodi exercitamētis piæ asperitatis, non viuis, sed diu moreris. Igitur age pœnitentiam, ne moriare.

Seneca.

Consulere potes P. Didacum de Baëza tom. primo Commen. moral. in Euang. hist lib. 3. cap. 9. § 6.

Videatur etiam P. Io. de Pinna in Commen. Ecclesiastici cap. 10. Ethologia 120.

IN

IN CAPVT TERTIVM Num. III.

Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto.

PARADOXVM II.

Copiosissimum Ioannis Elogium, cum dicitur Vox.



Neminem sanè in politiori litteratura impolitũ adeo, ac rudem existimo, qui non animaduerterit, quo pacto Romanæ Princeps eloquentiæ Tullius partes orationis enumeraturus lib. 1. Rethor. seu de Inuentione ipso initio, primo loco ponit inuentionem, sine dubio quia (vt eius interpretes passim monent) inuentio, quæ Princeps est omnium partium dignitate, Principem etiam locum debuit obtinere. Equidem inuenire difficillimum est, & quemadmodum Quintilianus ex eodem Tullio lib. 7. 10 eit. orat. post med. docet: *Inuentio prudentis hominis est. Maxime autem ingenio polleat necesse est, qui excogitet, ac mente concipiat, quæ excipi cum laude ab auditoribus queant.* Id inquam in omni dicendi genere maximè arduum esse experimento discimus quotidiano. In eo verò potissimum, in quo tam multa, tam eximia, tam singularia dicenda se offerunt, vt difficilius dicenti sit, quæ prætermittere, quam quę proferre debeat, certò statuere. Talis profectò Ioannes est omni Virtutum genere præstantissimus, cuius præconia sermone complecti, aut oratione prosequi, quis vnquam posset, nisi inuentum Deo auctore argumentum

Tullius.

Quintilianus.

Inuentio prudentis hominis est.

A proponeretur illustrandum! Etenim dicatur Vox, & laudabitur satis. Si cui ero hoc elogium, quo nullum breuius excogitari potest, si tamen vnius syllabæ dictio elogium dici potest, Vberrimum esse, ac copiosissimum manifestum fiet, verissimè de Ioanne dici posse. Argumentum tuarum laudum tua vox est.

Arridet mihi in præsentia, vt verum fatear, cõsilium Si'ij Italici Poetę non ignobilis, qui ingenioso commẽdationis genere Marci Tullij laudes explicaturus eumdem commendauit à voce.

Silius Italicus.

Tullius æratas raptabat in agmina turmas.
B *Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto.*
Indole pro quanta Iuuenis, quantumque daturus
Ausoniæ populis ventura in sæcula ciuem.
Ille super Gangem, super exauditus, & Indos
Implebit terras voce. Ita lib. 8.

Tullius laudatur à voce. Solum, quia ab alijs capitibus laudari poterat.

Quo loco illud censeo dignum animaduersione, quod cum Marcus Tullius laudari potuisset à consulatu fœliciter gesto, ab administrata Prouincia, à vindicata ab interitu patria, alijsque permultis, C bis omnibus, silentio inuolutis fortassè, quia hæc cum alijs habebat communia, eo solum nomine comendatur, quod terras impleturus sit voce. Non absimili modo efferẽdum laudibus duco Ioannem, cuius ego in pręsentia reliquas virtutum centurias, vtporè communes cum alijs volens omitto. Præsertim, cum satis superque propterea ea ornatione laudari queat si dicatur, iuxta vaticinium Isaiæ Vox.

Ideo autem, sic enim ordo dicendi fiet, singularum partium discretione perspicuus, ideo inquã, nouo fortasse inuento, vt D extollatur laudibus Ioannes dicendus est Vox, quia quidquid, ad summi Dei gloriam amplificandam; Quidquid ad hominum integritatem, sanctitatẽmque procurandam: quidquid, ad suarum exercitationem virturum Ioannem accepimus religiosissimè præstitisse, satis, superque hac vocula, imò hoc monosyllabo exornabimus, Vox.

Laudatio Ioãnis ex voce omnes alias laudationes complectitur.

Atque vt ab ea, quã pręprotenti Deo peperit gloriam planè eximiam, pręstantemque ducamus initium; in hunc modum disseramus. Inter pręclarè gesta à Ioanne princi-

principẽ obtinet sine dubio locum, maximam, illum Dæmoni cladem, laudem eximiam præpotenti Deo euangelica prędicatione peperisse. Hæc vt exornentur vberrimè, dicatur Ioannes Vox. Quod quidem nulla ratione clarius explicabo, quam allata à Beato Petro Damiano: similitudine perdicis Epist. 15. ad Mainardum Abb. paulò ante med. his verbis.

Petrus Dam.

Hoc est naturale perdicis, vt aliena furtim oua subripiat, eaque tanquam propria eo vsque confoueat, donec fœtus erumpat: sed cum pulli vocem matris audiunt, eam naturæ docentis indicio recognoscunt, ac falsa matre contempta, protinus ad veram perniciter reuertuntur. Vnde, & Hieremias ait *perdix fouit, quæ non peperit: in dimidio dierum suorum relinquet eis.* Diabolus enim errorem nos docendo, quasi fouit, quos creando non peperit. Igitur, quod eruti fuerimus de seruitute Diaboli, beneficium vocis fuit: eius vtiquè vocis, à qua duxit exordium & adulterinæ matris, hoc est Diaboli, contemptus, & germanæ reuerentia genitricis, quæ est gratia Dei.

Vocis beneficio, de seruitute Diaboli eruti sumus.

Mercurius dictus Cyllenius

Mercurius ab antiquis sapientibus Cyllenius, ideo vocabatur, quod κυλλοὺς Græci vocant eos, qui sine manibus sunt. Hoc autem significare volebant, tantam esse sermonis vim, vt sine manibus omnia polleat. Ita Pier. Val. lib. 35. hierog. post medium, satis superque Mercurij facundia cõmendatur, si sola memoretur. Vberrimum igitur Ioannes pręconium esse, quis non videat, si tantummodo dicatur vox. Illum solo sermone omnia potuisse fabulantur: hic autem, vt certissimum est, sola voce, & regem impium perterrefecit, & lapide Iudæorum corda perculit, & orbi terrarum latentem in carne Deum patefecit, & hæc fortasse ratio est cur Ioannes sanctissimus, dum viueret, nullo dicitur miracúlo claruisse: sine manibus, hoc est sine operibus naturę vires superantibus sola vocis facta mentione, vberrimè commendatur.

Pier. Valerian.

Ioannes vberrime ex sola voce laudatur, quia sola voce miracula patrauit.

Vocem magnã verbis addere energiam, & experientia docet, & adnotauit Sanctus Hieronymus Paulino scribens in hũc modum. *Habet nescio quid latentis energiæ viua vox. Vnde, & Eschines, cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demo-*

Hieron.

Viua vox energiam habet.

A *sthenis oratio, quam aduersus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, suspirans ait: Quid si ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem.* Ita Epist. cit. non longè ab initio. Verbum Patris est Christus: vox Ioannes dicitur, vt innotescat non modicam contulisse vim sua prędicatione Baptistam, vt hoc Verbum mentibus hominum altius inhęreret, quod quidem perfecit fœliciter cum ait: Ecce agnus Dei, &c. Quæ habentur Ioannis primo num. 29. Quid aptius ad aperiendum mortalibus latentem inter homines Deum? Quid Dei nomini gloriosius, aut magnificentius de Dei filio potuit prædicari?

Ioan. vox Verbum Patris mentibus hominũ impressit.

B Propterea Beatus Petrus Damianus, enumeratis præconijs, quibus Ioannes omnibus antiquę legis Prophetis antecellere credendus est: *veni ergò ad Ioannem* inquit ser. 23. qui est primus in natiuitate Sancti Ioannis circa med.: *& audi vocem exultationis, vocem nouitatis, vocem lætitiæ.* Quasi summa laudum Ioannis à voce petenda sit, quippequi exultationem, nouitatem, lætitiam præ cęteris apertius, & clarius mundo nunciauerit, non modò mysteriorum, & legis gratię, sed Dei etiam inter homines viuentis index, & nuncius.

Petrus Dam.

Summa laudũ Ioannis à voce petitur.

C Nihil me dixisse crederem nisi proferrem ingeniosissimam Philonis animaduersionem ad præsens institutum, vt arbitror maximè accommodatam. Dum enim considerat mutatum nomẽ Abrã in Abraham: sic habet: *ea res magnum quid significat prius nomẽ Abram interpratatur Pater sublimis, Abraham verò pater electus Vocis. ergo mutatio nominis ex Abram in Abraham significat eum mutatum fuisse ex homine philosopho in hominẽ sapientem & planè diuinum.* Ita lib. de Gigãt. Quanta igitur sit cõmendatio eius, qui Deo au-

Philo.

Ioannes, homo fuit planè diuinus, quia vox fuit.

D ctore dicitur vox facilè vides. Quo loco considero tali præconio exornatum fuisse eum, qui pater credentium, & futurus erat, & prædicandus. Cur Ioannes pater credentium dici non potest; qui primus omniũ filios Christo peperit. Electus vocis. Imo electus, vt vox, & propterea iam sapiens, & planè diuinus.

Ioannes Pater credentium.

Hoc porrò licèt maximum, non tamen mensuram laudum implet Præcursoris, cuius commendatio non exigua, quæ ab hominum procurata salute petenda est, explica-

plicabitur satis; si dicatur vox. Est præmanibus religiosa Sancti Dauid exornatio in laudem summi Opificis decantata, quam de Io: fortasse non omninò dicemus ineptè: lege Psalmum 28. vbi ferè per totum præconia complectitur vocis, nempè à num. 3. ad 10. quæ omnia rem propositam non parum illustrabunt. Dicitur enim *vox super aquas.* Certè si aquæ Populi sunt, vaticinatur de Ioanne, cuius vox confluentes populi turmas, non tàm compellat, quàm compellit ad Christum. Vox vtiquè in virtute, & confringens cedros, hoc est elatas Pharisæorum mentes fulmine linguæ prosternens, quæ cum speciosa sint, vt crescat oratio, additur insuper, fore vt hæc Domini vox ceruos præparet, & syluarum condensa reuelet. Reparauit sine dubio Ioannes ceruos; quia Andreas, & reliqui Apostoli, à Ioannis voce Domino præparati, iure quidem ceruis comparantur, tum quia celeri cursu in omnem terram exiuit sonus eorum: tum quia potestatem acceperunt calcandi supra serpentes, & scorpiones quæ sunt geminæ veluti dotes, quas auctor naturæ ceruis donauit qui, & currendi velocitate, & interimendi serpentes facultate, cæteris animantibus præstãt nisi cum Mag. Basilio in Psal. 28. num. 9. dicere velimus, *ceruis natura hoc inest, vt reptilia animantia contemnant.* Hanc verò potestatem Sanctis quoque Apostolis Dominus dedit. Cur igitur dici non poterit vox, de qua loquimur præparantis ceruos? cuius præterea beneficio destiterunt in syluis Iudææ latitare latrones, & Bestiæ, venenataque animalia, & loca quondam insidiarum, ac sanguinis in Ecclesiam Domini transierunt. In hac sylua coactus primum fideliũ cætus, ibique pasti greges ab eo, qui posuit animã pro ouibus suis. Audi S. Hieronymum in cap. 65. Isaiæ paulò ante med. *Ista vox Domini perficiens ceruos, & reuelans condensa syluarum, per Ioannem clamat in heremo: iam securis ad radicem arborum posita est; omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, & iterum omnis Vallis implebitur. Excutias tanta sonitus vocis tuam in pariendo bona opera, seù in parendo Deo, tarditatem, atque incultam malorum desideriorum syluam reuelet Domino,*

Propheta Dauid.

Quæ de diuina voce narrãtur præconia, Ioãni, i. Voci Verbi accommodari possunt.

Basilius.

Hieronymus.

Ioannes Vox Domini perficiens ceruos.

A *vt Ioannis gloriam, cum tua vtilitate renouetur.*

Mirus est, & multus medicorum antesignanus Galenus in exornando laudibus Hipocratem artis Medicæ miraculum. Cuius insistendo vestigijs fortasse non omnino absonam Præcursori nostro concinnabimus commendationem. Ille quippe circa initia lib. 1. de arte curatiua eum omnium disciplinarum ducem, & auctorem consalutat. Nos Christianarum Virtutum omnium veneremur Ioannem antesignanum. Ille lib. 1. Therapeutiæ, vt singulares in eum congerat laudes ostendit
B Aristotelem, Theophrastum, & alios celeberrimos Philosophiæ professores ab eo multa hausisse, & ex ijs Platonem cognomento Diuinum, Hipocratem omniũ, qui ante se fuerunt maximè admiratum fuisse. Et nos enunciare, quis vetet, non modo Andream, aliosque Christianæ philosophiæ principes fuisse à Ioanne institutos; verum etiam Deum ipsum admirabundum, vt ita dicam eius præstantiam omnibus, quot quot fuerant antea, vel erant futuri, prætulisse. Ille demum quoniam quidquid in commendationem Hipocratis pronunciauerat impar videbatur,
C & mãcum ad eumdem vlterius pro dignitate extollendum, eius dictionem nuncupauit; Vocem Dei. Primo enim libro de vsu partium cap. 9. ait ab Hipocratis dictione tanqnam à Dei voce auspicemur. Nos verò missis omnibus quę recenseri de Ioanne possent, eum, non tanquam Dei vocem sed veram Dei vocem gratulabandi prædicemus, Quò nil sublimius aut dignius, vel magnificentius, aut gloriosius afferri potest in medium. Verè ex Aristotele 2. polit. cap. 2. *animi sensuum Vox significatio est, cuius beneficio hominum Instituta societas, constitutæ amicitiæ, collata*
D *mutuò auxilia*, quę fortè, & Galenus respiciens dicebat, *quod cum Vox cogitationum mentis nuncia sit, Ideò principalissima omnium animæ actionum censetur*, vt cit. Fabritius habet p. a. cap. 8. Ioannes igitur omnium voce, dicatur vox, vt intelligamus nullius vtique labore, vel industria rem humani generis, Immò Summi Dei, eum humano genere fędus vtilius fuisse gestum, quam à Sanctissimo Pręcursore pręstitutum fuit.

Galenus.

Hipocrates à Galeno tanquã Dei Vox dictus est.

Ioannes non tanquam Dei Vox: sed vera Vox Dei prædicandus.

Aristoteles.

Galenus.

Vox cogitationũ mentis nuncia, atque adeò omnium actionum principalissima.

Verum

Verum ne longiùs, quam par est producamus orationem, satius erit accedere ad demonstrandum, quo pacto Io: virtutes exornentur, si dicatur vox.

Descriptio Vocis.

Placet, quod præ manibus est petito à Philosophis lumine in primis illustrare, sonum vocis, & explosionem, siuè per elisionem aëris, quem pulmones attrahere, & emittere consueuerunt, efformari, docet Hieronymus Fabritius de voce t. 2. cap. 2. *Fabritius.* Mirum iam nemini videatur, si hoc solo exornetur à me elogio Ioannes, & dicatur Vox; Aerem quippe oblatorum à Iudęis honorum Messiæ, Prophetæ, & similium magno conatu explosit, illico non sum, & dixit nō, vt habetur Ioannis cap. 1. num. 21. *Cōdonens Vocis Ioanni cōueniunt.* qui verò oblati honores in morem aeris, veniunt, abeunt; merito sane aëri comparantur. quemadmodum magnus Gregorius in cap. 30. Iob. num. 22. *Gregorius.* *ad illud eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me*, interpretatur de transitoria prosperitate inquiens cap. 24. lib. 20. moral. initio, *velut eleuatus super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lętatur. Hunc fugitiua fœlicitatis aura subleuat*. Igitur cum impetu, & violentia ex truso aere vox efformetur, quo melius encomio exornabitur Iannes, cuius ea porissimum laus ob reiectos honores in omni posteritate vigebit, quam si dicatur: Vox. præsertim cum non sola huiusmodi aëris percussio causa vocis fit, sed potissimum, vt citat: auctor docet cap. 4. rimula quædam in asperæ arteriç capite, à qua exiliat necesse est, & extrudatur vox, immo Galenus 7. de vsu part: cap. 13. *Galenus.* Vocem fieri non posse affirmat nisi transitus angustetur, & paulò post. Vnum apprimè necessarium in voce efficienda dixit esse angustiorem ipsius aëris transitum. Mentiar nisi ex hac ipsa, quæ proxima vocis efficiens causa est, explicari commodè possit præstantia virtutis sanctissimi Præcursoris, qui nō modò aërem violenter extrusit, sed per angustam rimulam, hoc est sui notionem maximè demissam, atque exiguam elisit aërem simul, & elusit inuadentem superbiæ patrem. Nimirum Vox, & elisione aëris, & angusto transitu fit. Nihil sanè angustius mente Ioannis de suis meritis cogitante, nihil eius firmitate validius ad aërem propellendum, reijciendumque, hoc est ad despiciendum oblatum honorem. Qua propter ad decus mistici corporis militantis Ecclesiæ Christus Dominus capiti comparetur, conferantur cum brachijs Apostoli, Doctores & Prophetæ cum oculis, cum Genibus Virgines, cum pectore Martyres; laudabuntur enim à fortitudine Martyres, ab integritate Virgines, ab acumine Doctores, à rebus gestis Apostoli: Ioannes, autem satis superque commendabitur, si dicatur huius corporis vox. *Ioannes Christi Corporis, Ecclesię militantis Vox.*

Neque tamen silentio inuoluere debeo quod de voce monet Plinius maximi, me Iudice, faciendum. *Plinius.* Vult enim quemquè à voce nō secus, ac à facie cognosci; Adeo vt ne minus sua quemque designet vox, quam oris lineamenta. *A voce quibus cognoscitur.* Quod si ita est, & consonat veritati, quid oro potuit melius aut dignius de Ioanne dici, quam si prædicetur vox? Vt sicuti vocis peculiare est notionem parere propriā, ac singularem, ita cum Ioannes dicitur totus vox, percipere debemus, quidquid in eo apparet, ad modum vocis patefacere nobis singularē eius sanctitatem, & pręcipuam vitę perfectissimæ normam, qua cęteris omnibus antecellit. Verba Plinij cap. 51. lib. 11. circa finē: *Vox in homine magnam vultus habet partem, agnoscimus ea priusquàm cernamus, non aliter quam oculis. Totidemque sunt ea, quot in rerū natura mortales, & sua cuique sicuti facies*. Voci peculiare est, vt ea agnoscamus etiam, quę oculis non intuemur. Vox erit Ioannea, quia agnoscitur in omni posterorum memoria eius vitę asperitas, germanus, atque incorruptus summi Dei Amor, cœteraque virtutum decora pleniùs, atque perfectius percipiuntur, quam in quouis alio, quia Dei ipsius ore sunt enumerata, & hoc par fuit, cum singulari munere vox fie. Vel certè nullus inter alios! ei amicos dicitur vox, nisi Ioannes, quia sua cuique vox est, qua peculiari modò laudat Deum. At quia in Ioanne voce sunt omnium, nimirum collectæ in vnum pręrogatiuç virtutum, ipse solus prç cęteris, quasi per excellentiam dicatur vox. *Ioannes à nomatice Vox Dei, seu laudas Deum.*

Vel certè notionem vocis sumamus à mag. Basilio hom. 3. In Hexameron aliquantum post initium dicente. *Basili.* *Vox in gratiam indulta est auditus*. Quo fit, vt vsus

vsus sermonis minimè necessarius sit ijs, qui inita consilia solo possunt intellectu inter se partiri communiter. Itaquè, vt sit manifestum, quidquid in Ioanne est virtutis, ac sanctitatis, quidquid vitium & industriæ, totum in morem vocis eo collimate, vt alijs seruiat, alijs præsto sit, non alia commendetur exornatione, quam appellatione vocis.

Dionysius. Diuinorum diuinissimum est operari Deo in salutem animarum.

Hoc autem quantum sit, qui nesciat, consulat Theologorū apicem Dionysium Areopagitam, à quo audiet *Diuinorum, Diuinissimum esse operari Deo in salutem animarum.* Etenim cap. 3. de celest. Hierar. supremum veluti sanctitatis gradum ponens ob oculos ait esse in Dei imitationem ascendere, & quod est omnium diuinius coaperatorem fieri.

Hanc vaticinijs Prophetæ, euangelica prędicatione Apostoli, sanguine martyres, diuturnis lucubrationibus Doctores, orationibus Anacoretæ, laboribus confessores continuò quærunt; Solus Ioannes totus quantus, quantus est vox est videlicèt, & vaticinijs, & prædicatione, & sāguine, & laboribus, & orationibus saluti seruiens animarum. Vox in gratiam indulta est auditus alios respicit, alijs prolpicit vox. Et Ioannis hæc vnica laus est, vt omnium in vnū coniungat industrias ad aperienda auditoribus salutis consilia, & arcana Dei.

Ioannes quantus quantus est, in se ipso, & suis operibus, Vox Dei est.

Probè teneo Plutarchum ingenij hominem non contemnendi ad explicandam miserrimam Arati conditionem, qui è sūmo Imperij apice ad infimam priuati hominis sortem deuenerat, probè inquam teneo Plutarchum de Arato in eius vita non multò ante finem dixisse, *nihil eum præter vocem in sua habere potestate.* Quasi verò nulla hominis sors acerba adèo fingi queat, cui non supersit vsura vocis, dicat itaque de se præcursor. Ego Vox: quasi indicare velit vocem tantum in sua superesse potestate, cum diuitijs, fortunę bonis, oblatis honoribus remisetir nuncium in summo rerum contemptu, atque inopia, vitam traducens. Vel certè si quæras, quid tandem sit vox? respondebit cum Aristotile Peripateticus 2. de anima tex. 90. nil aliud esse, quam aëris percussionem. *Percussio aëris, inquit, ab anima respiranti ad arteriam vox est.* Iraque quemadmodum quid quid vox est, percussio est; Ita prorsus tam aspera vitæ ratio Ioannis fuit, vt non immerito censeri debeat nunquam interrupta percussio.

Plutarchus. Arato imperatori nihil super fit quod esset in sua potestate, nisi Vox.

Idem de Ioanne dici potest.

Aristoteles.

Vita Ioannis fuit interrupta percussio, atq: a leo interrupta Vox.

Arbitratus est, & fortasse haud temerè Poetarum Princeps Homerus, absolutissima à se cōmendatione exornatum iri Menelaum, vt refert Cœl. Rhodiginus lib. 19. lect. antiq. cap. 12. ipso fine, si diceret nunquam illi præ formidine interceptam vocem, neque enim vnquam vllo terrore, ducū fortissimus vocem minuit. Impat proculdubio erit, sed pro modulo nostræ tenuitatis non omnino improbanda cōmendatio, si dicamus, tàm magno fuisse præditum animo Ioannem tàm inuicto, tam acri, vt non modò in arenam descendentibus Christi inimicis vocem nullo pacto minuerit, sed semper totus vox fuerit. Illud ex Græcis obseruatum norunt eruditi quibusdam in bello prę formidine intercipi vocem. In eo quod contra se ipsum, contra malos Dæmones, contra impios Pharisæos, bello continenter gerit Ioannes, totus est vox. Videlicet inuictus, inexpugnabilis, Christianæ Heros militiæ gloriosissimus.

Homerus.

Rhodiginus. Menelao nunquam præ formidine intercepta vox fuit.

Verum ne sine lege errasse videatur oratio in hunc modum ratiocinabor.

Copiosissimum Io: elogium illud est, quo & vitæ genus omni virtutum genere florentissimum, & Deo gloria, & hominibus par Io: parta salus enucleatè declaratur.

Hoc autem fit, si Io. dicatur Vox, ergo si Io. dicatur vox copiosissimè laudatur.



IN CAPVT TERTIVM Num. IV.

Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre.

PARADOXVM III.

Pia impietas, & mitis crudelitas.



Ioannes latinè vertitur pius.

TAM aspetum viuendi Institutum, videbitur fortasse non nemini, cum præcursoris nomine consentire. Io: enim latinè dicitur pius; at quid tam impium; quam sæuire in se ipsum? Ita sane, sed si vmquam, quod canebat ille *Respondent rebus nomina sæpe suis* verum fuit, deprehenditur verissimum in Ioanne, cuius ego vim nominis cum vitæ ratione coniungens aio: Dei amore in se ipsum sæuire pia impietas est, & mite genus crudelitatis.

In quo quid sentiam Sanct. Bernardi auctoritate declarabo. *Dicunt nobis carnales homines: crudelis est vita vestra; non parcitis carni vestra: esto, non parcimus semini: in quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renouari, & multiplicari in agro, quam in borreo putrefieri? Heu computruerunt iumenta, & in stercore suo; sic vos parcitis carni vestra? Simus nos crudeles interim non par-*

Caro nostra veluti semen.

A *cendo, at vos plane parcendo crudeliores.* Ita ser. 8. in Psal. 90. circa med. si crudelitas eorum; qui nuda cubant humo; qui carnem continenter cilicijs, ac ieiunijs vexant; qui mille verberum, vigiliarum, & asperitatum modis displicent sibi, vt placeant Deo: si istorum inquam crudelitas mitior est eorum crudelitate, qui parcunt sibi: an non meritò dicemus mite genus crudelitatis? Quod sapienter non minùs, quàm piè pronunciauit Gregorius, & sui, & aliorum Imperio maximus. *Discamus vincere nos metipsos: Quod si perfectè agimus, vna cum Martyribus* B *gloria remunerabimur. Nam quamuis occasio persecutionis desit: habet tamen, & pax nostra martyrium suum; quia, & si carnis colla ferro non subdimus: spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Ita hom. 3. in Euangel. in fine. Martyres olim faciebat execranda crudelitas tyrannorum: hoc nouum martyrij genus, quia sine crimine carnificum, & persecutorum mitem meritò nuncupabimus crudelitatem. fœlix, qui nouit hac ratione proprias fœdare, sine fœdi- C tate manus sanguine suo, eoque non manus polluere, sed mores purgare.

Greg.

Homines vitæ asperioris comparantur Martyribus.

Hoc quoque affirmabat Sanctus Bernardus; Consilium pietatis, vt qui sibi displicet, placeat Deo. Ita sermon. de conuers. ad Cleric. caput 10. initio. Quam equidem piam impietatem, quia meo marte declarare non possum, profero Eusebium Emissenum in illud, quod de Thoma Apostolo habetur Io: 20. num. 28. sic fantem: *Visis cicatricibus, respondit Thomas dicens, Dominus meus, & Deus meus. Nouo genere vestigia vulnerum* D *diuinitati præbent testimonium: quia templum Dei indumentum corporis vulnerati.* Ita homil. 9. de Pascha paulo ante finem. Profectò templum Deo exædificare, summum genus pietatis est: vulnera, qui sua corpori infligit nominabitur impius? Age quando nullum diuinitati in nostris corporibus templum extruitur, nisi seueritatis manu: piè impius in te ipsum desæuire quid cessas? castiga cum Apostolo corpus tuum, redige in seruitutem: intunde, retunde, fode, cæde; vt molem extruas di-

Bernar.

Euseb. Em.

Corpus cicatricosum templum Dei.

dignam molitore. Atque, vt manum operi admoueas faciant te aliena pericula cautum.

Perlectis quæ dicuntur 1. Reg. 15. excipe, quod de Saulis calamitate ferat iudicium B. Petrus Damiani. *Saul regnum perdidit; quoniam impiè pius in Agag Regem Amalech, ſicut dignum fuerat, non vindicauit*. Ita Epiſt. 10. lib. 7. quæ eſt ad Gothifredum Ducem paulo poſt med. Tu ne ſis impiæ pius parcendo corpori, & ſenſibus tuis, qui non ſecus ac rex Amalech Deo repugnant, eſto piè impius, in te ipſum Dei amore ſæuiendo. Vtinam noſtra etiã aetate viuerent ex eo hominum genere, vſque adeo in ſe ipſos ſæui, vt non ſine magna difficultate potuerĩt cohiberi; tales fuerũt per beati illi cultores eremi, ad quos ſic ſcribit idem Petrus Damiani: *Conſtituimus, vt per quadraginta Pſalmos in vno quoque die diſciplinam ſibi facere liceat: ita dumtaxat, vt quadragenarium hunc Pſalmorum numerum non excedat. In diebus autem quadrageſimis, quæ videlicet natalem Domini, vel ſacroſanctum Paſcha præcedunt, vſque ad ſexaginta Pſalmos cum diſciplina procedere liceat: neque hanc menſura quam præfigimus, regulam temeraria, quod abſit, quiſque præſumptione tranſcendat.* Ita Epiſt. 34. lib. 6 ep. quæ eſt ad Eremitas Cong ſuę paulo poſt med. Attende quid nominatim præcipiatur, ne tranſcendant, pudeat nos languoris noſtri.

Petrus Dam.

Saul regnũ amiſit, quia pepercit regi Agag.

Corpus noſtrũ ſignificatum in rege Agag.

Diſciplinæ vſus apud antiquiores.

Perbreue illud elogiũ, quo ab Euſebio Emiſſeno commẽdatur Abraham, deriuari fortaſſe non ſine laude poterit in rem præſentem, hom. enim 2. de Paſcha paulo poſt init. dicitur. *In vnicæ ſui iugulum pius parricida conſurgit*. Piè crudelis eſt in ſe ipſum, qui ſe hoſtiam Deo litat. Quandoquidem verò hoſtiæ mentio incidit: declarabit, quod ſentio examinata à S. Gregorio ſent. S. Pauli ad Rom. 12. vbi videtur pugnantia loqui, ait enim num. 1. *exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*. Sanct. Pontifex hom. 22. in Ezech. paulo ante finem ait *Hoſtia occiditur, vt offeratur. Sed hoſtia viuens eſt corpus Domino afflictum. Quod & hoſtia dicitur, & viuens: quia viuit in virtutibus, & eſt à vitijs occiſum.* Quæris quo pacto pia impietas dici poſ-

Abraham pius parricida Euſeb. Emiſ.

Greg.

A ſit? pauciſſimis docebo, eo modo, quo dicitur, hoſtia viuens verè mitis crudelitas, & pia impietas, moriatur cilitijs, ieiunijs, afflictato corpore vitium, vt viuat religioſis exercitationibus animus recreatus.

Corpus afflictum hoſtia viuens.

Geminos habeo, quos proferam pro me teſtes ſanctiſſimos eoſdem, & locupletiſſimos, Auguſtinum, & Hieronymum; quorum vterque miro acumine noſtræ fauet ſententiæ. Hieronymus quidem in expoſitione in cap. 13. Iſaiæ ad numer. 9. vbi dicitur *Ecce dies Domini veniet crudelis*, dubitationem proponit huiuſmodi.
B Quonam pacto fieri poteſt, vt ſit dies crudelis eius; qui pater miſericordiarum eſt: eius, inquam, cuius viſcera, quanta, quanta ſunt, miſericordiæ ſunt. Atque vt faciat dubitationi ſatis ſic infit. *Crudelem diem vocat non merito ſui, ſed populi. Non eſt enim crudelis, qui crudeles iugulat; ſed quod crudelis patientibus eſſe videatur*. Habes, quæ ſit ſine crudelitate crudelitas. Sæui igitur in carnem, & ſenſus, hoſtes crudeliſſimos animæ, & probitatis, neque timeas ſæuitiæ notam: quandoquidem in crudelem ſæuire crudelitas ſine crudelitate eſt.
C Subſcribit Auguſtinus, quem leges Epiſt. 54. Macedonio ſcribentem aliquanto poſt initium. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet; niſi vt id, quod mali fecerit, impunitum eſſe non ſinat. Eo quippe modo ſibi non parcenti, ille parcit*. Peracutè ſanè veræ pœnitentiæ, partes omnes fœliciter explet; qui nil inultum relinquit; quod dum pro virili parte contendit: illud demum præſtat, vt ſibi non parcenti, maximè parcat, hoc porrò quid aliud eſt, quam piæ officium impietatis, & mitis quædam
D ratio crudelitatis?

Hieron.

Deus c[illegible] qu[illegible] [illegible] tur.

Aug.

Deus parcit, ſibi non parcentibus.

Maneat igitur extra omnem controuerſiam, in ſe ipſum ſæuire: amicorum deſpicere blanditias, voluptati remittere nuncium, quæuis dura, quæuis aſpera, quæuis perpeſſu difficilia Dei amore ſubire: piæ impietatis munus eſſe. Veriſſimè quippe ſcribebat Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliodorum paulo poſt init. *ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem*. Qui dicẽdi modus quid nam ſibi velit, percipiet facile is; qui ſibi reuocauerit in memoriam,

Hieron.

quod scribitur de Patriarcha Ioseph.c.44. Genes. præsertim à num. 3.& deinceps, vbi & captiuos fecit fratres, & se cum illis asperę gessisse historiam consideranti videri potest. Verum quid de hoc facto Iosephi cum fratribus senserit magnus Gregorius explicuit breuissimè quidem, sed ingeniosissimè inquiens; *ò tormenta misericordiæ: cruciat, & amat*. Idem planè est illud crudelitatis genus; quod hoc Paradoxo prosequor, & commendo. Nimirum carnem suam aflictare ieiunijs, vigilijs frangere, cilicijs conterere, & omni pœnarum genere affligere: oculis visum rerum delectabilium denegare; aures sepire spinis, ne audiant; linguam fræno silentij cohibere, tormenta quidem sunt: sed tormenta misericordiæ; adeo vt, qui se se in hunc modum vexat cruciet, & amet, longè veriùs, quam olim Ioseph sanctissimus Patriarcha fratres suos.

Greg.

Afflictationes voluntariæ tormenta misericordiæ.

Quæ hactenus sunt dicta, eo magis censeo respondentia veritati, quò magis ea consona esse comperio rationi: quam in hunc modum propono depromptam è sacrarum Voluminibus litterarum. Profectò morum integritas, & innocentia vitæ, quam post scelerum fęditatem Dei munere consequimur, sanitati comparatur; adeò vt quam affines sunt voces sanitas, & sanctitas, tam similis etiam animi, corporisque valetudo perhibeatur. Vnde ad illud Ieremiæ cap. 31. num. 2. sic habet S. Hieronymus lib. 18. in Isaiam cap. 65 aliquanto post initium. *In quem sensum, & Hieremiæ verba ex persona Domini dicentis consentiunt: quasi calidum in deserto inueni Israel cum occisis gladio. Cum enim inquit, omnis Mundus Idolatria gladijs vulneratus rueret exanimis: inueni Israel in Abraham habere calorē fidei; quasi Medicus post prælium inter cadauera mortuorū vbi, quem senserit pulsantibus venis aliquid habere vitale, adhibet curam vulneribus, vt restituat sanitatem.* Pulcherrima similitudo. Laborat morbi grauissimi afflictatus pertinacia; & vix ęger spiritū ducit, qui lethalibus peccati vulneribus confossus, anhelat potiùs inter mortis angores quā vitali aura recreatus: adhibeat igitur necesse est medicam manū, quod se facturū Deus pollicetur ex mox citata Ieremię

Sanctitas, & sanitas voces, ac re affines.

Hiero.

Peccator ęgrotat lethaliter.

A sētētia. Quasi medicus, adhibeat curā vulneribus, vt restituat sanitatem. Porro quod aliud manus medicę munus est, quam piè, sęuiendo rescindere, admouere ignem, discerpere, dissecare, vno verbo amica laniena reddere incolumitatem. Id nunquā declarabo, nisi commemorem Antiquorū inuentum; qui Aesculapium, cuius mentionē fecit Augustinus lib 3. de Ciu. Dei cap. 17. tamquam Principem, ac Deum Medicorū repręsentabant. Videatur Macrobius lib. 1. cap. 20. apud quē legitur simulachro Aesculapij apponere consueuisse draconem; quem quia acutissima, ac peruigili oculo- B rum acie præditum tradūt Auctores: significare volebant, Medicos esse oportere vigilantissimos, & oculatissimos; vt mentis acie possint prænoscere morborum principia, momenta, finesque quod quia nō satis explicabat Medici munus: adiunxerunt insuper eiusdem Aesculapij signo nodosum baculum; quem Ouidius lib. 15. Met. agrestem vocat, quo quidem nil aliud quā artis, ac pellēdorum morborum indicat difficultatem, vt tradit Festus Pompeius. Quod peritissimus Medicorū Hipocrates apertè innuit in principio Aphoris. inquiens. *Vita* C *breuis, Ars longa, experimentum fallax, iudicium difficile est*. Et sanè quanto cum dolore, nostro in dies discamus periculo, quā fallax sit Medicorum experimentū, quem fugiat? Vexant illi, & afflictāt ægrorū corpora sępè numero sine fructu. Quot modis carnē lacerant; venas secant; scindunt, adurunt, vulnerant, tunc maximè pij cum sęua crudelitate non parcunt. Nodoso fulcitur baculo medica ars, baculo planè agresti; cū omnē exuat humanitatem, vt opē homini ferat. Aptè in rem pręsentē diceret S. Aug. quemadmodum scriptū reliquit ser. 15. in Mat. in fine inquiens: *Quid tā pium, quàm* D *Medicus ferens ferramentum, plorat secandus, et secatur: plorat vrendus, et vritur. Nō est illa crudelitas: absit, vt sæuitia Medici dicatur: sæuit in vulnus; vt homo sanetur.* Iā superuacaneum erit: monere lectorem, vt memoria teneat, nil aliud esse Virtutibus comparandis insudare, & Vitijs remittere nuncium: quā ęgritudines animi depellere conseruandæ, vel recuperandæ valetudini operam dare; vno verbo adhibere medicamenta, & medicam exercere artem. Igitur

nil

Medicus piè sæuiat.

Aesculapio cur additus draco.

Aesculapius depictus cum nodoso scipione.

Hipocrates

Aug.

Medicus sæuit in vulnus, vt sit pius.

nil amarum respuas, nil asperum, arduum, atque laboriosũ non subeas: etenim nõ est ista crudelitas nisi mitis, non pia impietas.

Quando autem, in sacris litteris, ne ipsa quidem significatio vocum caret institutionibus ad mores vnicè accommodatis quod modò prosequor, ex ipsa nominum interpretatione, fortasse non omninò illepidè cõfirmabo. Magna, nisi fallor, ex causa S. Marci. cap. 7. num. 31. tàm expressa fit mentio locorum, e quibus egressus dicitur, & per quæ iter habuisse perhibetur Christus Dominus: cũ mare tenuit Galileæ. Dicitur enim exiens *de finibus Tyri venit per Sydonem ad mare Galilæa*. Tam exa- B cta, atque expressa mentio locorum, si perpendatur attentè, reperietur omnino plena sapientiæ, planè cœlestis. Egreditur namque de finibus Tyri, quæ vox significat arctum; siue angustum: quia cum ibi Dominus audiendi, & loquendi facultatem, homini surdo, ac muto concesserit; quo adumbrare voluit animarum sanctificationem: par fuit, vt ab arcto, siue angusto exordium duceret opus tantopere prædicandum. Siquidem vitæ melioris nõ aliunde origo petenda est; quàm ab angustia contriti cordis, & ab arcto asperrimæ vitæ. Tu n è Tyri finibus egressus transire dicitur, per fines Decapoleos, latina lingua redditur regio decem ciuitatum: quia qui proficit, & ad integerrimæ culmen sanctitatis cõtendit, studio nunquàm intermisso inuestigare, atque indagare debet; qua ratione Deo placeat; quo pacto virtutes inserat, ac vitia extirpet radicitus, quod sine sollicitudine, ac labore fieri nequit. Id autem qui fequitur, vt consequatur facilè plurium ciuitatum fines perlustret, idest nullum non adeat locum, sed vt percipiat quod optimum est, mores hominum multorum videat, & vrbes, vt de suo heroe canebat Homerus. Mox verò pergit ad mare Galilçæ; Galilça autem, interpretatur trãsmutatio: vt pro certo habeatur; quomodo fidelis Christi, in virũ alterum mutari queat: nempè angoribus, sollicitudinibus, asperitatibus. Sicuti porro, nemo, vt dicebam, ierit inficias, hic tanquam in imagine repræsentari sanctificationem: ita nullus iure in controuersiam reuocabit huiusmodi transmutationẽ, quæ vera sanctitas est, solum sæuiendo in

Tyrus latinè dicitur arctus.

Via ad sanctitatem ab angusto ducitur.

Decapolis visitur cum indagatione.

Galilæa latinè transmutatio.

A se ipsum, solum se se affligendo, vno verbo, sibi vim inferendo, idest pietate impia, impietate pia facilè obtineri.

Memoratu dignum cẽsui semper, quod scribit de Lacedęmoniorũ fœminis Aelianus lib. 12. cap. 21. in hunc ferè modum: Lacedęmoniorum matronę quot quot audiuissent suos filios in pugna cecidisse, abire solebant, & inspicere vulnera tàm aduersis, quàm auersis corporibus inflicta, & si plura ex aduerso essent facta: cum fastu incedentes vultumque grauem, & splendidum præseferentes, in maiorum auita monumenta filios deferebant: sin alio luco filij vulnera accepissent; pudore matres ductæ, lacrymis consectæ, quàm maximè poterant clandestina fuga discedebant, relictis mortuis; vt in communi sepulchro humarentur, aut furtim surreptos in domestica sepulchra deportabant. Quot quot Christi militiæ nomen dedidimus, in acie sumus, vt paucis demonstrabamus in cap. 2. ad num. 13. & 15. Paradoxo 16. in cap. 2. *Miles omnium gloriosissimus, qui hostes fugit*, initio. Itaque ipsa etiam materna pietas, qua nulla maior, non modò non refugit honesta vulnera, sed quæritat flagrantissimè, forti C animo subeunda, & hilari fronte excipienda ea mors est: qua obstetrice nascitur gloria. Si sapis, disce materno amore magistro, pium esse; in bello non parcere tibi; vt si te rectè amare noueris, perdas. Laurum tibi detrahis, si ferrum times: & tibi triumphum eripis; si manus cruentas hostium conferentium perhorrescis. Mite non immeritò dixeris genus crudelitatis, quod sæuit, vt seruet.

* *
*

Aelianus.

Spartanæ mulieres non doleat gloriosam filiorum mortem.

Morte obstetri cante nascitur gloria.

D



IN CAPVT TERTIVM Num. IV.

Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locustæ, & mel siluestre.

PARADOXVM IV.

Improbus virtutem laudans & sibi,& virtuti nocentissimus.



IOannes excitaturus audientium animos ad pœnitentiam ,non solum clamat pœnitentiam agite, vt hoc eodem cap. dicitur num. 2. sed pręit exemplo. scitè sanè Gregorius *radix*, diceret hom. 11. in Exechiele *verbi, virtus est operis*, Quod vt suadeam in præsentia omitto; quia diutiùs immorari non est otium in ijs , quæ passim ab alijs afferuntur de operibus sermoni iungendis. Illud certè prætermittere non possum , quod venit in mentem perpendenti tam asperam vitæ rationem Sanctissimi Præcursoris: cuius occasione opere prætium futurum reor ; si demonstrauero illum, qui factis discrepat ab ea recti regula , quam alijs proponit , & virtuti quam commendat , & sibi ipsi maximè noxium. Vnde necessariò consequatur , vt ex ipsa virtutis laude scelestus fiat virtuti nocentior , & sibi.

Quicumque virtutem laudibus extollis, quam non sequeris arrige aures; vt quantam facias virtuti iniuriam animo comprehendas. Aureo Apoph. S. Cyprianus ser. 4. de mortalitate aliquanto post med. monebat dicens. *Nihil prodest verbis pro-*

A *ferre virtutem , & factis destruere.* Noueram priuilegium esse virtutis , ipsos inimicos , qui armorum vi nequeunt superari , redigere in seruitutem. Sic à Liuio didiceram, apud quem lib. 5. legeram, cum Falisci à M. Furio Camillo Dictatore obsidione premerentur : ludi magister nescio quis , vt sibi Rom. imperatoris conciliaret gratiam, è Faliscis principum liberos clam in castra deductos , Camillo tradit captiuos; insinuatque suum illud esse cōcilium, vt redactis in seruitutem primariæ nobilitatis iuuenibus , Romana Respublica faciliùs rerum faliscarum potiretur. Proditoris facinus vsque adeo est auersarus Dictator ; vt nudatum, ac vinctum pędagogum,
B cum pueris eum verberantibus ad Faliscos remiserit. Tanta æquitate , ac fide permoti Falisci ciues; qui armatas Romani Imperij cōtempserāt copias, vltro manus dederunt. Et fieri poterit , vt minùs apud te valeat, quā apud Ethnicos virtutis vis ? Quæ tanta simultas , quod odium tàm dirum, tuum obarmat pectus aduersus virtutem , vt eam destruere non desinas? Destruis autem , si Cypriano , hoc est Christiano Nestori credendum est, quicumque illam oratione commendas , improbas a-
C ctione. Egregia similitudine Gregorius magnus 2. parte Past. cap. 7. dixit. *Verbi semen facile germinat , quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.* Qua etiam metaphora vtitur Seneca Epist. 124. c. med. inquiens. *Sermo semina in animo relinquit.* Quid obsecro possumus intelligentia comminisci semini tam iniuriosum , quàm proiectum non rigari , hoc est vitæ alimenta denegare , vt marcescat inglorium è lacis semen , qui grandiore cothurno virtutem exornās tollis ad sidera : caue , ne tua desideretur pietas ,
D ne multis respondeat tam disertæ exornationi morum integritas , vt semen irrigua perennitate subcrescens multiplicato fœnore fruges reddat.

Mala exempla virtutē destruunt.

Pœdagogus faliscorū proditor ,

Camilli Rom. dictatoris integritas.

Verbum est semen , bonum, exemplum irrigatio.

Addo iam damnum longè maius , ac detrimentum perniciosum ; quod in virtutem ab huiusmodi pestibus importatur. Enimuerò nullum tantum incommodum est, quod possit subire virtus, quàm si ab ea hominum animi auocentur. At Improbus si virtutis laudator fiat , non solum ei infestus est , sed auditoribus hostis acerrimus;

quos, mirum profectò dictu est, quantopere auocet à virtute, atque deterreat. Placuit mihi semper summopere laus illa, qua S.Bernardus Humbertum Monachum honestauit ser. in eius obitu paulo post

Sermo debet esse factitius.

init. inquiens: *factitium vobis sermonem in omni forma sanctitatis iste Dei seruus exhibuit*. Nota, appellari sermonem factitium; Voluit dicere, eam esse Humberti laudem, quod explens opere, quod ore docebat, euicerit doctrinam, & sanctitatis formam, quam prædicabat, non vendibile aliquid, & splendido orationis fuco iactandum, sed quod fieri facile posset, suo doceret exemplo. Tu verò, qui vides meliora, & probas, sequeris tamen deteriora, videris sermonem habere minime factitium, ac quædam oratione complecti,

Dat panem & pugnū virtutis laudator, non sectator.

quæ re ipsa fieri nequeant. *Dat panem, & pugnum*; antiquum adagium fuit, vt Eustachius monet Iliados 23. quo ingeniosè significari potest, vt aduertit Manutius in expositione huius adagij, is, qui in speciem bona videtur tribuere: cum re ipsa, non tam panem, quam pugnum, hoc est non tam vtilia præbeat, quam noxia. Et quid vnquam contingere potest virtuti perniciosius? quinimò dum virtutem bene depexa elocutione exornas, & idem moribus auersaris: multo plus detrimenti, quam vtilitatis auditoribus affers. monebat etenim S. Leo ser. primo de S. Laurentio circa med. *validiora sunt exempla, quam verba: & plenius est opere do-*

Exempla sunt potentiora verbis.

cere, quam voce. Itaque si virtutem, voce, vitium verò doceas exemplis: perspicuum est, detrimentum longè lacrymabilius, à validiore exemplorum institutione futurum. An non legisti quæ latinus Pindarus eleganter in ea, quam ad Pisones de

Achillis hasta vulnerum sanatrix.

Arte Poëtica scripsit Epistola, canebat his verbis.

Segnius irritant animos demissa per aures.
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Vnam eamdemque Achillis hastam commenta est antiquitas, & inflixisse vulnera, & vulnerum attulisse medelam. Vnde Ouidius Poëta non ignobilis lib. 1. de remed. Amoris circa initium.

Vulnus Achillæo, quæ quondam fecerat hosti:
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

A Quanto peius fabulosa antiquitate exorbitas quisquis dum videris commendatione virtutum, animis afferre medelam; infligis tamen insanabile vulnus, ab eo, quod laudas tam dissimili exemplo morum.

Hanc planè fuisse Eusebij Emisseni mētem, mihi facilè persuadeo, cum apud ipsū hom. de init. Quadrag. paulo ante finem legam *Nimis penetrabile telum est imitatio deteriorum*. Quo loco si addidero magni Basilij similitudinem ingeniosam, fiet

Mala exempla veluti telum.

fortasse lectori satis. Quem ideo moneo, vt consulat hom. de legen. lib. Gent. circa med. vbi sic. *Qui opere confirmat, eam*

B *Philosophiam quæ apud alios verbis tātum commendatur is sane sapiēs est. Qui autem verbo tenus sunt philosophati, nec vita sermonem sunt comitati, vmbris comparandi.*

Laudator virtutis, non sectator vmbræ similis.

Non potuit ingeniosiùs meam sententiam aperire. vmbra & lucem impedit, & non tarò deludit, vanoque terrore complet. Quos vituperamus homines, quis non intelligat vmbris meritò comparandos, quia lucem adimunt virtutis, & veritatis; auditoresque deludunt, quos inanibus terriculamentis auocant à virtute; dum ne-

C quaquam explent opere, quod verbis cōmendant. Quæ, vt magnam debeant habere vim ad persuadendū quod prosequor nihilominus patebit manifestius, scelestiorem fieri commendando virtutem, qui factis discrepat ab eo, quod dicit; si diligentius perscrutemur, sibi ipsi maximè infestos, & noxios esse mendaces istos virtutis commendatores, reuocate vobis in memoriam, quod ad illud Lucæ 16. num. 24. aduertit Gregorius de Epulone differens his verbis. *Quem diues iste qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quoti-*

Epulo Iudaici populi figura.

D *die splendidè, nisi Iudaicum Populum significat*. & paulo post redditurus rationem, propter quā nominatim peteret linguam refrigerari, subdit: *Infidelis populus verba legis in ore tenuit, quæ opere seruare contempsit: ibi ergo ampliùs ardebat, vbi se ostendit scire, quod facere noluit*. Ita Greg. hom. 40. In Euang. initio. Vides,

Lingua punitur laudantis non sectantis virtutem.

impio nihil tantopere obesse, quàm discrepare moribus ab ea recti regula, quam oratione prosequitur, sui sibi artifex supplicij, & quidem omnium grauissimi, qui diuinarum legum præscripta ore tenet, quę opere seruare contemnit. Quæro te, si mi-

nùs

nus virtuti vis parcere; parce tibi, ne vltra modum nefarius fias.

Præterquamquod, qui talis es, Deo inuisus es supra quàm dici à me queat: in cuius gratiam veritatis, si retulero, quod Diogenes Laërtius scribit lib. 1. de vita Philosoph. in vita Biantis Prienaei paulo post med. fortasse minime improbabor. Nauigabat cum nefarijs hominibus aliquando Bias, & cum forte subita tempestate Nauis fluctibus quateretur, illique Deorum opem imploraturi, partim mutuò de petendo à superis auxilio colloquerentur, partim vero preces funderent: *filete* inquit philosophus, *ne vos hic Dij nauigare sentiant*. Existimauit, qua erat præditus sapientia, Bias, actum esse de iactatæ nauis salute, si facinorosi vel de rogandis Dijs verba facerent, vel ab ijsdem præsidiũ exposcerent. Nimirum etiam Ethnici iudicio sapientis, nil tam iniquè fert diuina bonitas; nihil summo, optimoque parenti rerum procreatarum adeo iniuriosum est: quàm cum deprehendit mõstruosam huiusmodi cõiunctionem sceleſtæ vitæ cum religioso sermone. Quod quidem affirmare nõ auderem, nisi legerẽ Psal. 49. à num. 16. & deinceps à regio Vate fuisse ad unguem expressum. Etenim, vt repræsentet Deum maxime contra peccatorem iratum, illum in hunc modum loquentem cum impio introducit. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum. Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas* Etc. Audi quid potissimùm Deus reprehendat: *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas*, cum male, atque peruersè opereris? Nequaquam: quare impius es? quare obdurato, & plusquam lapideo corde abnuis meæ voluntati? quare tam fœdus, ac lucidus es maculis criminum. Nihil tale: sed quare verba profers ad pietatem composita, & amica virtutis; cum sis nequam, ac flagitiosus? En quid supra omnia, Dei excitet indignationem.

Biantis de improbis sententia.

Improborum probus sermo Deo odiosus.

Nostrum igitur erit, ni fallor, omnem in eo operam collocare, vt de nobis breue illud, sed præclarum elogium dici queat, quo Mithridates Põticus apud Vellẽium

Mithridatis Põtici laus.

A Paterculum commendatur; dum dicitur, fuisse simul consilij dux, miles manu. Ita refert Paulus Manutius in Adagio: *Manu ignauus, mente præsens*. Equidem non erit admodum arduum inuenire quam plurimos, qui nouerint præcedere consilio, & satis disertè virtutis bona proponere: sed simul etiã militis partes agere hoc est laborem commendatæ virtutis subire paucorum est. Lepidum est responsum, quod à Biante paulo superiùs laudato, editum fuisse scribit Diogenes Laërtius in eius vita post med. percunctatus fuerat impius nescioquis, quid esset pietas: cui nihil B respondit Philosophus, cumque ille silentij causam sciscitaretur: quia inquit, de rebus nihil ad te pertinẽtibus quæris. Vtinam non multi inuenirentur, quibus de virtute verba facere, & eiusdem indagare naturam gratissimum est: eandem amplecti moribus, & affectionibus stringere refugiunt, tanquam laboriosum. Nos huiusmodi hominibus præcellentiori, quàm olim Bias sapientia præditi, ne verbum quidem respondeamus; non quia de rebus ad se minimè pertinentibus, sed maximè noxijs sermonem instituant.

Consultor idẽ & miles.

Ad improbum non spectat de pietate sermo.

Placet obuia similitudine rem hanc v- C berius confirmare. Iubeat ideo interrogare, an non sui ipsius hostis acerrimus merito haberetur is; qui porrigeret inimico gladium, quo è medio tolleretur? Equidem S. Gregorij lib. 6. in 1. Reg. cap. 3. nulla temporum iniuria obliteranda vox fuit. *Qui dicit, & non facit; oris proprij gladio condemnatur*. Quis igitur tantus furor animi; quæ tam cæca dementia, sibi ipsi manus inferre, & se oris sui gladio iugulare? redditus aliquando tandem tibi conde gladium, & impias proprio sanguine fœdare manus desine. Cura potius, vt illustre imiteris exemplum Mosis; de quo D Philo disserit in hunc modum. *Philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat; mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, vt cum sermone vita congrueret. In summa qualis erat vita, talis, & ratio; cum nihil discreparet, haud aliter, quàm in instrumento musico*. Hæc habes apud Philonẽ lib. 1. de vita Mosis aliquanto post init.

Bonus sermo mali homini gladius.

Moses philosophiã factis repræsentabat.

Sitammes Persa, vt testatur Plutarchus Epist. nuncupatoria, qua Traiano Imperatori

ratori apophitegmata dicat, circa finem. Slramnes, inquam, quibuſdam admirantibus, quòd verbis ipſius ſapientia plenis facta minimè reſponderent, vt ſe ſe aliquo modo excuſaret, dixit: *Verborum ipſe quidem ſum Dominus: factorum autem, ſimul cum Rege fortuna*. Nos verò, qui certo certiùs diuina edocti fide, ſcimus, facta non minus, quam dicta in noſtra eſſe poteſtate, ſi illa ab iſtis diſcrepauerint, quam excuſationem afferre poterimus? etenim deſipientium ea vox eſt, quos loquentes introducit non minus pietate quam purpura reuerēdus Rex Iſrael Pſal. 11. verſ. 5. vbi ſplendidè mentiuntur. dum iactant: *labia noſtra à nobis ſunt*. Quaſi vero ſolummodo labia in noſtra ſint poteſtate, cum cordi, animoque imperare penitus nequeamus. Enimverò non adeo anguſtis limitibus circumſcribitur imperium noſtrū, qui & verba pro arbitratu effundimus & cordis affectiones ad libitum circumducimus, & moderamur ad nutum. Cum ergo non labia modo, & quæ à labijs profluunt verba, ſed cor etiam, & quæ à corde procedunt geſta noſtri ſint iuris, quis non videat quam meritò nobis vitio tribuendum ſit, ſi facta à dictis diſcrepare videantur. Certè quòd moribus minimè conſenſerint ſermoni Socrates, & Plato apud omnes poſteros vituperabuntur. Audis Socratem, illud Platonis in Phileb. pronunciantem: eas ſe voluptates amplecti, quarū virtutes tāquam Deæ ſint comites. Quàm probè, quam ſanctè, quàm ſapienter dictum. At vtrumque iſtorum in obſcœnam non pronum modò libidinem; ſed profuſum adeo fuiſſe, nemo neſcit, vt probauerint in politia promiſcuam ſine lege libidinem; eademque, quod perhorreſcunt aures, incorruptum beatarum mentium domicilium fœdare turpiſſimè non dubitauerint. Deludendi ſine dubio, & exibilandi, qui virtutis & integritatis nomen ferunt, rem autem nequaquam tenent. Inter hos reputandi, quos memorat Seneca lib. de vita beata cap. 20. initio inquiens. *Non præſtant Philoſophi, quæ loquuntur. Nam ſi & paria dictis agerent; quid eſſet illis beatius?* Proh quantum ſibi detrimēti affert qui, ſi facta dictis accommodauerit conſequi poteſt beatitudinem, & negligit. Quando porro cætera deeſſent

Morrales verborum domini ſed non factorum.

Pſal. 11.

Socrates, & Plato bene ſentientes, malè tamen meriti de virtute.

Philoſophorū probus ſermo improba vita.

A omnia apud me ſemper momenti maximi futurū eſt, id vitio datū fuiſſe hominibus, etia vera fidei luce orbatis. Quippe loqui aliter, aliter viuere, indecorū eſt vt mox laudatus Seneca teſtatur eodem lib. c. 18. init. *Optimo cuique obiectum fuit. Platoni, Epicuro, Zenoni: omnes iſti dicebant, non quemadmodum ipſi vixerunt: ſed quemadmodum ipſis viuendum erat*. Noſtrum noſtrum eſt, qui nomen dedimus ei, qui tam benè nouit facere, & docere, eos virtutum numeros explere omnes, quos laudibus proſequimur, atque exornamus. Itaque ea perficiamus opere, quæ oratione probamus. Siquidem cum vitijs conuicium B facis, tibi facis, ſi cum poſſis, viuere negligas, vt par eſt. Subijcio S. Auguſtinum de ſe, cum virtutem commendaret ſer. 16. in Matth paulo ante finem dicentem. *Omnes me laudant: non amo in voce laudatorem: & in corde contemptorem. Cum enim laudas, & non te corrigis, contra te teſtis es.*

Nihil dixiſſe me crederem, niſi recitarem ſapiens Solonis dictum apud Diogenem Laërtium in vit. Philoſ. lib. 1. circa medium aſſerentis. *Sermonem eſſe imaginem operis*. Iam verò compellor dicere pace tanti viri: diſcedas à ſententia Solon, Quandoquidem ſceleſtiſsimorū hominum præſtigijs neſcio quibus fieri comperio; vt nequaquā ſermo ſit operis imago: teſtan- C tur id illi, quorum ſermo probus eſt, opera autem facinoroſiſſima. Quod quidem à ſapiente alienum eſſe, vt probè tenebat, ita dilucidè declarauit mox memoratus Solon; qui Piſiſtrato Athenienſium tyranno inuitanti, vt Athenas repeteret, data ad eū perbreui epiſtola quæ habetur apud citatum Auctorem lib. 1. circa med. in hunc modum reſpondit. *Athenas redire, mihi velle non eſſe cognoſco: ne quis me iuſtè* D *reprehendat; qui Athenienſibus dudum rem publicam exæquo adminiſtrandam tradideram, præſenſque oblatam mihi tyrannidem ſponte declinaueram. modò rediens factum tuum ſubita pœnitentia probare videar*. En cur nihil profecerit pollicitationibus ſuis, licet ampliſsimis Piſiſtratus: quia Solon alienum ducebat à probo, & prudenti viro, illud vitæ genus aliquo modo probare; quod paulo ante vituperauerat. Ideoque, qui Athenienſibus, ſermone liberam reipublicæ adminiſtrationem

Sermo imago operis.

Solon Piſiſtratum tyrannum perſtringit.

com-

commendauerat; noluit facto aliud viuendi genus comprobare. ò tenacem propositi virum; quo veluti pro exemplari nobis proposito percipiamus; tandem summo studio, moribus, & factis ea abborrenda omnia, quæ oratione vituperauimus. Nobis super omnia cordi sit, si nos ipsos amamus, oris, & operis symphonia. Vtinam nullus eorum, qui auaritiam, aut elationem, aut quamuis animi labem sermone condemnat moribus amplectetur.

Imperbus probo sermone virtutem inquinat.

Vnum mihi superesse video, quod prætermittere nollem; mea quidem sententia criminosus virtutem si laudet, eá ille perfundat, affligit, & sordibus oris impudentissimi commaculat. Videtur enim virtutis, ac veritatis mendacissimus adulator, cui dum adblandiri videtur turpissime, grauissimè nocet: cum aliud gerat in corde, aliud ore profiteatur. Quis verò non annuet si de huiusmodi hominibus dixero, quod de adulatoribus scripsit Q. Curtius lib. 8. paulo ante med. *Perniciosa adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes sæpius assentatio, quam hostis euertit.* Eijciantur ab hominum consortio, qui primo aspectu honestissimo genere commendationis extollere videntur virtutis præstantiam; quam re vera hoste quouis infensiores extetminant. ò linguæ perniciosæ, vitiorū altrices, vltrices inimitæ virtutum; Quarum vim, ac virus, vt declararet Pindarus, meritò diceret, *inexplicabile malum; Principum vermes*, pronunciaret Anaxillas, Diogenes affirmaret *præstare ad coruos redigi, quàm istorum encomijs laudare.* Demum *mendaces, deceptricesque syrenulas.* Senec. ep. 124. paulo ante finem nuncuparet. Enimverò misera, planèque deploranda honestatis, ac virtutis calamitas: si prauorum hominum sermonibus commendetur.

Adulatio regū hostis infensissimus.

Linguæ adulatricis tituli.

Canum.

Vnum præbet tanto malo remedium probatissimi iudicij Philosopbus Seneca lib. 4. q. moral. circa init. Plancum alloquens inquit: *remedium tāti mali est nolle laudari.* Idem fere mōet lib. 2 de ira circa med. & epist. 123. circa init. Audite scelestæ aures, arrigite improbi; non vult à vobis laudari vera virtus; quæ indignata auersatur vestras commendationes; ne vitio robur addatur, & scelestorum nequitia peior fiat. Vtinam non præ oculis modò contemplandum, sed imitandum nobis proponeremus. Inclyti iuuenis factum ab Heliano conscriptum lib. 9. cap. 33. Adolescentulus quidam Eretricœus Zenonis scholam litterarum causa longo tempore frequentauerat. reuersum pater interrogauit, quidnam sapientiæ didicisset: qui cum se ostensurum dixisset; obmutuit illico indignatus pater verbera ipsi inflixit filio, existimans se à filio derideri. at ille modestè patienterque ferens, *hoc ipsum*, inquit, *didici, vt iram patris moderatè ferrem.* Indignum duxit cordatus adolescens vendibili oratione iactare; quibus à philosophia institutionibus fuisset imbutus; dignissimum verò opere, verbis, & orationi congruēte palam facere. Statuamus amatorem, studiosumque virtutis illum esse; qui quod de virtute ore promit, perficit opere: è contra infestum esse virtutis, qui quam voce exornat, lacerat factis. Quibus discussis manebit, vt arbitror, scelestum, si virtutem laudet, fieri scelestiorem. Etenim in hoc pacto, non modò probitatis, & integritatis studiosis, atque percupidis, non modò virtuti, sed sibi plurimum nocet ex tot, quas simul, & semel gerit, imò creat inimicitijs: quam fœdus, quam facinorosus, quam nequam euadat nemini ignotum reor; quippe non bonorum modo hostis, sed bonitatis; & quod mirere magis, sui ipsius criminosissimus parricida.

Virtus sentit ab improbis laudari.

E schola Zenonis tacere didicebatur non dicere.



IN

IN CAPVT TERTIVM A à Num. V. ad VIII.

Tunc exibat ad eum Ierosolyma & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?

PARADOXVM V.

Etiam pœnituisse peccatori noxium.



DVM Ioannes secum ipse primo aspectu pugnare videatur, monitũ extra omnẽ cõtrouersiã maximè salutare docet attẽtius considerantes, quæ de ipso hic scribit Euangelista; etenim ex ijs, qui ad baptismum accedunt, quosdam blandè excipit, & sancta tingit lympha: quosdam vero reijcit, & reprehendit. Equidem vel probandi sunt accedentes ad pœnitentiam, vel reprehendendi: cur igitur amicè excipiuntur, qui ab Ierosolyma veniunt, & regione Iordanis; & è contra Pharisæi, & Sadducæi repelluntur? Antequam responsum proferam, dabit quisque, vt reor Pharisæos, & Sadducæos genus hominum fuisse scelestum, adeo vt etiã post salutaris lauacrum baptismi redirent ad ingenium, & denuò ijsdem se fœdarent sceleribus; Iam igitur in promptu responsio est: reprehenduntur isti, quia certissimè statuendum est etiam pœnituisse Peccatori noxium esse.

Ioannes Bapt. alios benigne alios acriter excipit.

A Quod ipsum vt optimè percipit, ita dilucidè declarauit Tertullianus lib. de Pœnit. non multo ante med. siue circa med. cap. 5. *In Dominum peccat, qui cum æmulo eius Diabolo pœnitentia renunciasset, & hoc nomine illum Domino subiecisset: verum eumdem regressu suo erigit, & exultationem eius, se ipsum facit.* Videtur de pœnitente, qui iterum peccat eodem fere modo ratiocinati, quo de scelesto, qui se ad bonam frugem recipiat, à seruatore Christo pronunciatum legimus Lucæ 15. num. 7. *Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente,* & è contra exultatio apud B inferos de pœnitente, denuo se se scelere obstringente. Nihil potuit expressius dici ad declarãdam fœlicem pœnitẽtium conditionem: nihil è contra aptius ad exaggerandam infœlicitatem peccantium post pœnitentiam. Iam verò aduertantur diligenter, quæ eodem loco cit. à Tertull. subijciuntur his verbis. *Non ne quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est: Diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egisse, qui vtrumque cognouerit, & iudicato pronunciasse, eum meliorem, cuius se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum* C *pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet.* ò execranda sanctæ Pœnitentiæ Pœnitentia.

Qui post pœnitentiam peccat diaboli fit exultatio.

Recidiui diabolũ Deo præponunt postquã vtrumque prouerint.

Sensum minimè pœnitendum indicant mihi, vt video eruditissimi ijdem, & doctissimi Patres Eusebius Emissenus, & Petrus Damianus, vt sententia, ita verbis omnino cõcordes. Ille quidem dum Hom. de SS. Mart. Euadio, & Alexandro in fine sic ait: *Obseruemus, ne quis nostrum per nuluus peccati victima efficiatur inimici.* Alter vero opusc. 17. ad Nicol. II. Sum. D Pont. cap. 3. init. dum scribit. *Cur temetipsum maligno spiritui non vereris victimam immolare.* Allatam ab vtroque camdem similitudinem victimæ plenam emphasis recognosco. Victima quippe litanda impinguabatur, & coronabatur, verùm coronabatur ad necem impinguabatur ad lanienam. Vnde Tertullianus lib. de Corona militis, inquit; *Ipsæ fores, ipsa bestia & ara coronabantur,* & Tacitus lib. 40. Histor. *Spatium omne, quod templo dicabatur, cinctum vittis, coronisque.* Vtique

Peccator victima diaboli.

Victimæ impinguabantur, & coronabantur.

que

que par erat vt multiplex coronarū copia esset in promptu, cum nulla mactaretur hostia, nisi coronata. Item Plinius lib. 16. Natur. Hist. cap. 4. circa med. *Deorum honori sacrificantes sumpsere corouas victimis simul coronatis*; optimas porrò fuisse victimas, & benè pastas. Idem Plinius auctor est lib. 8. Nat. Hist. cap. 45. paulo ante fin. inquiens. *Victima opima, & lautissima Deorum placatio*; ex quo fortè desumpsit Alexander ab Alexandro lib. 3. Gen. Dier. paulo post init. asserens in hunc modum; *hostia vberiùs depasta, quæ clauda, morbosa, aut vitiosa non sunt, quia peruosci nisi ex sana victima futura non possunt*:

B Hisce à me breuiter indicatis, dici poterit, non posse meliùs declarari conditionem eorum, qui peracta semel pœnitentia iterum cadunt, nempe Diaboli victimæ, vt quemadmodū grauior erat vulneratæ hostiæ pœna, quam & corona, & pinguedo præcessisset, ita infœlicior casus, & calamitas longè credatur acerbior eius, quem, & corona iustitiæ exornarat, & cœlestium gratiarum epulæ paulo ante refecerant: Equidem huiusmodi calamitas omnium facilè princeps, quia summum genus infęlicitatis est fuisse fœlicem.

Recidiuus victima diaboli impinguata.

Redeo iterum ad paulo ante laudatum Tertullianum, cuius egregia sententia eodem lib. c. post med. seu cap. 6. C paulo post init. mirum in modum confirmabit, quod prę manibus est, etenim qui interposito pœnitentiæ studio, iterum sceleribus se se inquinant, facere videntur commeatum. Verba Tertull. sunt. *meatum tempus iterum furantur, & commeatum sibi faciunt delinquendum*. in quem locum eius commentator Iacobus Pamelius docet commeatum esse veniam, quæ militi datur, vt possit ad tempus abesse a castris. ex quibus illa pœnitentię intercapedo declarat, impium nefariæ mali Dęmonis militię dedisse nomen, & in album tartarei Ducis fuisse relatum: vsque adeo ipsum pœnituisse, denuò peccanti fit noxium.

Recidiuus profitetur se merere in castris diaboli.

D Magno cum acumine perpendit S. Cyprianus verba Christi Domini Io. 5. nu. 14. *Ecce sanus factus es iam noli peccare, ne quid tibi deteriùs contingat*, ait enim tractat. a. de Habitu Virg. paulo post initium. *Sospitantis Domini verba sunt, quod nulla sit venia, vltra delinquere, postquam Dominum nosse cæpisti*. A Quasi ante pœnitentiam deliquisse tolerabile crimen censeri quear, & post pœnitentiam, qua Deum penitus nouisti, denuò se fœditatibus inquinare videtur, veniæ aditum omnem intercludere. quid autem tam noxium, quàm venię locum adimere? pende illa verba. *Nulla sit venia*. Quę licet magna cum exageratione dicta videantur, ostendunt tamen quàm graue peccatum sit, & quàm nefarium scelus post pœnitentiam denuò fœdis criminum maculis inquinari. Præterquamquòd ipse Dominus satis apertè indicat, quod dico, ait, ne deteriùs tibi aliquid contingat, noli ampliùs peccare. Interrogo quid potest homini contingere deterius peccato. Etenim probatissima mihi semper visa est, atque sanctissima D. Ioann. Chrysostomi sententia Homil. 29. in cap. 5. epist. ad Ephes. paulo post med. *At hic inquit, & ille est pauper, & malum est paupertas. Quid verò morbus, quid cæcitas? Nihil hæc sunt ò homo, Vnum solum malum est peccare*. Igitur quid peccato deterius potest contingere, si solum peccatum malum est? profectò nō aliud quam impium peccatum, si post pœnitentiam perpetretur longè sine dubio seipso deterius. Ne gratię Dei secundo per pœnitentiam concessæ facias iacturam, monebo verbis Tertulliani lib. de pœnit. in fin. c. 7. seu aliquanto ante fin. vbi sic. *Iterato beneficio gratus esto: maius est enim restituere, quam dare: quoniam miserius est perdidisse quàm omnino non accepisse*. At quę miseria maior quam non semel, sed iterum, & tertio tantum bonum perdidisse? Miserior miseria est perdere, quod donatum acceperas: ex ipso igitur accepto dono crescit amittentis calamitas luctuosissima. Neque me pudet huc ex antiquitate testem aduocare magnę mentis, & eloquentię virum M. Tullium Ciceronem in oratorijs partitionibus cap. 44. circa med. dicentem. *Nihil est tam miserabile, quàm ex beato miser*. qui Dei fruitur gratia, proculdubio beatus, quę tamen beatitudo subsequentem miseriam reddit miseriorem.

Solum peccatum est malum.

Peccare post pœnitentiā est peccato deterius.

Fœlicitas præterita miseriā amplificat.

Facit mihi satis, quod Poëta nō ignobilis Claudianus lib. 1. in Rufinum paulo post init. non multa quidem, sed satis ingeniosè cecinit in hunc modum.

Iam non ad culmina rerum.

Iniu-

Iniustos creuisse queror: Tolluntur in altum.
Vt lapsu grauiore ruant.

Non potuit aptius aperiri, quàm grauis sit casus facinorosorum, quorum ruina eò grauior, & calamitosior est, quò exagerata magis pręcessit altitudo fęlicitatis. Disertius, & oportuniùs loquitur Diuus Io. Chrysostomus hom. 1. in cap. 1. Actuum Apostolorum paulo post med. vbi hęc babet decerncns, quam flagitiosum sit post Baptismi gratiam peccare, *pro bis, quæ post Baptismum commissa sunt, tantam damus pœnam, quasi, & illa* (boc est commissa ante Baptismum) *renouata sint, ac multo etiam grauiorem: Iam enim non simplex peccatum est, sed duplex, aut triplex.* Nemo sanè non videt quanto deterior sit conditio post Baptismum peccantis, cum duplo, vel triplo grauius eius flagitium perbibeatur.

Peccatum post pœnitentiam multiplicatur.

Porro pęnitentię beneficio baptismi nobis donari innocentiam auctores babeo Magnum Gregorium, & S. Bernardum: illum quidem hom. 10. in Euangelia circa finem dicentem; *baptizemus lacrymis conscientiam*, & lib. moral. 27. cap. 12. in fine *polluta dudum conscientia lacrymis baptizata renouatur*. Similiter Bernardus semel, atque iterū idem replicat ser. 1. de Resurrectione paulo ante finem, dum inquit: *communicauimus passionibus Christi complantati ei denuo sumus, per Baptismum quemdam lacrymarum pœnitentiæ confessionis.* Et serm. 13. in Psal. 90. circa med. toto cordis affectu exclamat: *baptizabor vberrimo quodam profluuio lacrymarum* In quem etiam sensum in Scala claustr. non multo ante finem, dicuntur; *oculi sacris lacrymis baptizati* Resumo iam ex auctoritate Chrysostomi vt quid sententiam aperire possim. Crescit in immensum culpę fœditas post baptismi integritatem, quàm noxium igitur censendum erit illorum flagitium, quàm turpe peccatum eorum, qui post pœnitentiæ, hoc est sacri cuiusdam Baptismatis integritatem fœdantur denuo. O miseros illos, quorum deterior lapsus est ex pręterita probitate.

Pœnitentia iteratus baptismus.

Pœnitentia baptismus lacrymarum.

Verum satius erit si iterum gestum faciat Diuus Chrysostomus examinans illud Ioannis 5. paulo superius, allatum à nobis, & illustratum à Sancto Cypriano. Sic autem habet tom. primo serm. de lapsu primi hominis in fine. *Te iam instituit Dominus, tibi gestorum exempla proposuit. Ecce inquit sanus factus es noli iam amplius peccare, ne quid tibi deterius fiat. Noli inquit, peccare post veniam; noli vulnerari, post curam; noli sordidari post gratiam. Cogita inquit ò bomo grauiorem culpam esse post veniam; renouatum vulnus peius dolere post curam; molestius bominem sordidari post gratiam. Sanitate indignus est, qui semet ipsum post quam curatus est vulnerat: nec mederi meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Graue est enim hominem instructum delinquere, grauius absolutum peccare. Seruo peior est, qui patronum post datam libertatem offendit.* Huc vsque Cbrysostomus.

Recidiui non merentur iterū vocari ad pœnitentiam.

Neque verò nouum est, quod dico aut solius Christianę veritatis arcanum. Etenim id nosse visi sunt, qui pręsentem calamitatem eo arbitrabantur grauiorem; quo felicitas beatior pręcessisset. Hinc Appianus in Ibericis postquam cladem Saguntinorum enarrauit, hęc subdit: *finis bic Saguntinorum oppidi magni quondam; & potentis*. Peracutè potentiam memorat, ac magnitudinem præteritam, vt calamitatem exprimat, cladem que repręsentet miserabiliorem. Similiter Liuius libro 39. de Annibale verba faciens ait: *poculum exbausit, hic vitæ exitus fuit Annibali*. Aptè ad calamitatem exagerandam. Indignior apparet obitus, commemorato nomine Annibalis: idest Imperatoris celeberrimi, atque inuicti, tot bellis, tot victoris, amplificato imperio omnium fama petcelebris. Eequis non videat, quale sir Annibalem tot tebus illustrem, talem exitum, tam inglorium, ac tam miserandum babuisse? Similiter Xenophon libro primo de Cyro altero scribens, eius morte commemorata statim addit elogia, ab imperio amplissimo, ab optimo iudicio Persarū de illo, à cōparatione eum primo Cyro. Tantam vim habet ad augendam calamitatem prætetita felicitas.

Commemoratio Saguntinorum exaggerat infortunium præsens.

Annibalis.

Cyro minoris.

tas. Quis porro non deprehendat, quanto miserior sit, qui filiorum Dei paulo ante gloriabatur faustitate, nunc autem ærumnas inter reproborum tam miserè diuexatus. Ipsa, credite, prætericæ fœlicitatis, vel recordatio, vel comparatio facit miseriorem.

Plura qui velit consulat P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. Reg. in lib. 1. cap. 5. num. 6. in expositione circa literam in quinta ratione quam affert cur Philisthini eo supplicij genere fuerint vexati quæ est num. 26. & sequenti.

IN CAPVT TERTIVM Num. VII.

Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira.

PARADOXVM VI.

Venenum concupitum.



Cogitanti mihi quo reprehensionis genere vti possem in eos, qui blandis cupiditatibus, ac turpium voluptatum illecebris fœdissime, & frequentissime maculantur; venit in mentem acris hęc Ioannis Christianorum oratorum facilè Principis, obiurgatio qua in Sadduceos, ac Pharisęos aculeos conuertit orationis suę.

A Adeo vt nihil à me in huiusmodi homines perditos, atque effęminatos, æquiùs pronunciari queat, quam breuissimum hoc, sed maxime aculeatum: *genimina viperarum*. Porro vipereas esse illorum animas, qui turpi impudici amoris nota maculantur, non erit admodum arduum demonstrare quia amor ipse, cui flagrantissimo studio seruiunt, Venenum est. Hinc apud maximum Poetarum Venus ipsa cupidinem alloquens, vt Didonem inter, & Aeneam exitiales excitet flammas infit.

Homines voluptuosi genimina viperarum.

Amor venereus venenum.

B *Occultum inspires ignem fallasque veneno.*

Quem in re simili imitatus Propertius lib. 1. elegia quinta canebat.

Et bibere e tota toxica Thessalia.

Neque verò rei verissimæ testimonium ab Ethnicis solùm petere debeo; cum sit in promptu sapientium Antesignanus, qui prouerb. 23. num. 31. sapientissimè monebat, *ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet*. Porro vinum turpium illecebra-

Vinum venenatus potus est.

C tum originem esse nescit solùm, qui ignorat Romanis fœminis vini vsum fuisse interdictum, quem morem refert Plinius lib. 14. cap. 13. & Athenęus lib. 10. ille quidem inquiens: *non licebat id fœminis Romæ bibere*. Hic autem ait *apud Romanos interdictum est fœminis vinum bibere*, quod quidem à Romulo lege fuisse sancitum Auctor est Dionisius lib. 2. Affert in rem meam huius legis rationem Valer. maximus lib. 2. cap. primo inquiens: *vini vsus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus pro laberentur*. Cum igitur stuprum, & vsus

Fœminis Romanis vinũ interdictum à Romulo.

Fœminæ Romanæ abstinebant à vino, vt abstinerent à stupro.

D vini tanto iungantur nexu sapientissimè Salomon monet à vino abstinendum, quod velut regulus venena diffundat, idem enim est impudentiæ facem admouere, ac veneno tabifico inficere.

Præbebunt fortasse fundamentum haud infirmum conficiendæ ratiocinationis nequaquam obscuræ assertiones Philosophorum naturalium, qui venenorum, quæ propriè appellari debent venena duo afferunt esse genera quorum alterum

pote-

Venenorum duo genera. Alterum frigidum, quod dementat. Alterum calidum quod lethargum inducit.

potestate frigidum de mentis deijcit sanitate, & dementatum hominem vita spoliat: alterum verò potestate calidum calore nimio inducendo soporem, somno consepultum enecat. Ita communiter medicæ facultatis periti, vt leges apud Andream Cęsalpinum lib. 3. artis medicæ cap. 3. ante med. Quod cum ita sit adamussim, vt arbitror, adumbrabitur in veneno peccatum, quod in præsentia reprehendo; cum in eo vis vtraque nocendi reperiatur, & nimio frigore, & plus æquo æstuante calore: primum si quæris dabo ex secundo capite sapientiæ: licet enim calorem charitatis extinguere, & vita gratiæ oblata lethali frigore perfundere sceleribus omnibus sit commune; mihi tamen consideranti citatum sapientiæ caput magis proprium videtur esse libidinis, dicitur enim à num. 6. à luxuriosis hominibus, *venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter vino pretioso, et vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, & post multa in hunc sensum concludũt tandem num. 20. citati capitis *morte turpissima condemnemus eum*. Supra enim num. 12. decreuerant *circum veniamus ergo iustum* En fructus luxuriæ. Quis crederet; de labe lasciuiæ originem ducit mors filij Dei, quo in nobis extincto, extinguatur calor omnis virtutis, & gratiæ cœlestis necesse est: vnde exclamat stupore correptus Augustinus in hunc locum; *à talibus ligatus, cæsus, interfectus est Dominus. Quis de coronis florentibus cruenta vincula formidaret? quis de suauibus poculis dolores grauissimos prauideret? quis de mollibus pratis tam durum Crucis lignum prænosceret?* Ergo molles rosæ prauarum cupiditatum, ergo prata virentia effœminatæ libidinis, & extremum filio Dei supplicium inferunt, & auferunt ab anima vitalem superni spiritus alitum, vt peculiari modo cadaueris in morem frigescat; Quid enim efficacius fit ad obtinendum, vt charitas refrigescat eo, quod charitatis interimit auctorem? Illud verò, quod alteri generi adscribebatur, veneni quod scilicet nimio calore de mentis potestate

Luxuria venenum frigidum charitatis ignē extinguens.

Luxuria consilio occisus Deus.

A deijciat facilius est, & magis obuium: Hinc apud Atheneum lib. 5. Plato in Charmide, vt Socratem inducat amoris facibus inflammatum eundem asserit ebrũ amore. Facile est in ebrietate vtramque vim, & inflammandi, & deijciendi de mente recognoscere. Neque aliud ponit ob oculos profanum ipsum cupidinis simulacrum, & orbatum oculis, & faces dextera gestans, idem nimirum, & flammas admouet, & videndi aciem remouet. Fuisse in hac sententia comperio Pausaniã in Attic. quę hæc habet. *Anacreon Teius qui primus post lesbiam Sapho magnam*

Amor lasciuus inebriat.

Amoris simulacrum oculis caret & faces gerit.
Anacreon poeta, similis ebrio.

B *carminum suorum partem in exprimendis amoribus consumpsit: habitus eius est veluti hominis per ebrietatem cantantis*. Nihil verius amori tribui potest, quam ebrietas, amor etenim, & inflammat, & dementiat; maneat igitur, turpem amorem veneno aptissimè comparari, quandoquidem etiam ęstu nimio mentem de sanitate deijciat. In quem sensum eleganter B. Petrus Damiani lib. 1. epistolarum epist. 15. aliquanto post med. vt notionem aliquam tradat hominis inquinatæ voluptatis, mollibus corrupti delicijs, eumdem appellat luxuriæ facibus inflammatum. habeo in promptu exemplum, quo

Luxuriosi vocantur facibus inflammati.

C dicta hactenus illustrem, petitum ex D. Ambrosio lib. de Ioseph cap. 5. explicante illud Geneseos 39. num. 12. *ipse relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras*; *Teneri veste potuit* (verba Ambrosij) *animo capi non potuit: contagium enim iudicauit, si diutius moraretur, ac per manus adulteræ libidinis incentiua transirent*. Neget, qui voluerit, venenum esse, atque contagium, & quidem virulentum, atque tabificum, obscęnum amorem, ego sanè tam apertis rationibus, tam claris auctoritatibus contradicere non possum.

D Cui adde si volueris, quod affert. Pater. Franciscus de Mendoca tom. 1. in 1. Reg. caput 1. num. 2. sect. 1. in annot. 5. circa litteram num. 12.

Quæ licet satis ampla, & dilucida esse videantur ad declarandas vipereas animas libidinosorum; supersunt, tamen magis expressa: legere me memini apud Augustinũ libro 2. de moribus Manicheorum caput 8. circa med. Puellam quamdam Athenienſem, quę fortasse eadẽ est ac

Mulier venenis assueta ijs vtebatur pro cibo.

illa. de qua mentionem fecit Aristoteles A capisse initio paulatim venenis innutriri, consuetudinemque abijsse in naturam, vt ijs perinde vesceretur, aleretur que, ac consuetis cibis reliquis. Portentosum id quidem, & præter naturæ leges, longè tamen monstruosius est, vt qui diuinæ gratiæ pabulo sunt alendi, veneno fœdarum affectionum inhient flagrantissimè. libet etiam animaduertere, puellam illam ab Aristotele memoratam venenosam euasisse adeo, vt sputo, ac quouis humore alio perimeret appropinquantes: libidinis malum venenum est, & quidem tanta diligentia cauendum, vt effæ- B minatorum hominum non congressus modò. & consuetudo, sed alitus refugiatur; nihil quippe tam noxium, nihil tam letbale esse merito perhibetur, quod innuere visus est Sanct. Petrus Chrysologus in Psal. 1 num. 1. vbi beatus declaratur, qui in cathedra pestilentiæ non sedit, in quem locum Chrysologus serm. 44. non multo ante finem ait, *homo peccati currit in viam vbi caperit impietatis venena gustare*. Quid hoc perniciosius scelere, quo omnino scelerum aditus aperitur; mellis in morem blandè serpit, inuadit illico sen- C sum omnem pietatis, truculento inficiens tabo, planeque immedicabili. Obuersatur animo excogitatum illud à Scythis emblema fabulosum sine dubio; sed non sine acumine ingenij, cuius mentionem facit Diodorus Siculus lib. 2. par. 127. Scythæ Virginem ex terra apud se natam perhibebant, cuius habitudo oris cingulo tenus fœminam, inferiùs viperam repræsentabat, Immane monstrum, sed mirum in modum fabulosum licet voluptatē adumbrat vetissimè. Caue, si sapis, virgineam illam pulchritudinem; qua deprauatæ il- D lecebræ sensim inuadunt animos, & mores corrumpunt. Caue inquam; nam amabilis illa venustas, defluit in draconem aspectu horribilem, veneno tabificum: Aut saltem perspice, & percipe randem, quid illud sit, cuius amore deperis, & quod, vt auidissimè, ita insanissimè concupiscis.

Mulier veneno velci assueta sibi ipsa acenata.

Libidinosorū societas fugienda.

Iulianus Imperator, vt Sozomenus lib. 5. & 6. testis est, Christianæ religionis desertor turpissimus, ex quo cognomen apostatæ reportauit, suorum scelerum ta-

Iulianus Apostata Christianos persequitur voluptatū illecebris.

bo perniciosius, quam vllus antea nostrā religionem inuasisse, & infecisse creditur ab æquis rerum extimatoribus, quia Christianorū, animos voluptatum illecebris, & amicis blandimentorum delicijs vehementius quàm carnificum lanienis, & tormentorum cruciatibus inuadebat; Qua arte dum lenius tentabat, nocentius debacchabatur. Nulla quippe ganior lues nomini Christiano; quia est huius modi pietatis germanæ ratio, vt dum sensim fine sensu venenum haurit, morbum sine remedio contrahat. Apertiam quid dicere velim memorata Herculis morte, quem interijsse accepimus indutum linea veste, quæ sanguine imbuta fuerat hominis, qui vulnus acceperat ex venenata sagitta hydræ lerneæ quemadmodum refert Andreas Cesalpinus in praxi citata libro 3. caput 5. circa medium subsiste parumper, Hercules adolescens adhuc hydram colubris, & capitibus pullulantem igne, & ferro dimicando fortiter superauit, idem lineā veste veneno hydræ infecta necatur. Videlicet sensim sine sensu venenum si haurias blandè repens, actum est. Vtinam non multi Herculei roboris igne, & ferro contra horrifica vltiorum monstra fœliciter decertantes non succemberent veneno paulatim labente per venas. Vtinam voce ærea, & pectore ferreo resonaret in auribus hominum: prauarum cupiditatum affectio venenum est, quod inuictos Hercules per insidias è medio tollit. Tene memor monstrum Senecæ lib. 3. natural. quæst. caput 25. dicentis *magnorum artificum venena deprehendi nisi morte non possunt*. Intelligas maxima diligentia venenum buiusmodi cauendum esse, quia non raro solet prius vitam rapere, quam per venas repere. Ignorat nemo licet mediocriter eruditus; quod Caius Plinius lib. 21. in caput 3. circa finem de Cleopatra scribit. *Hac scelerata, & notissima pellex apparatu belli Actiaci, gratificationem ipsius Regina Antonio timente, nec nisi pragustatos cibos sumente, fertur pauore eius lusisse extremis corona floribus veneno illitis, ipsaque capiti imposita. mox procedente bilaritate inuitauit Antonium, vt coronas biberent. Quis ita timeret insidias? ergo concepta in scyphum incipiente bausi-*

Hercules moritur veneno hydræ Lerneæ in vestem diffuso.

Sensim sine sensu imbibere venenū rus luxuriam.

Venena quędā non nisi sequuta morte deprehenduntur. Voluptatis malum nō deprehenditur, nisi cum peremit grauiè.

Cleopatra inuitat Antonium ad bibendum floribus corona veneno.

haurire opposità manu! En ego sum, inquit illa, care Antoni, quam tu noua prægnantium diligentia caues, adeo mihi, si possim sine te viuere, occasio, aut ratio deest. Inde eductum custodia bibere iussit; illico expirantem hæc Plinius, ex quibus discas velim, quidquid blandum, atque hilare porrigit flora, venenatum esse, vel potiùs, vt meam sententiam in hac re explicem mutuabor ab eodem auctore cit. cap. paulo superiùs paucula hæc verba *hunc habet nouissimè exitum luxuria*. O exitum planè infœlicem, quandoquidem cum minùs cogitas, veneno inficit.

Luxuria floribus venena miscet.

B Reprehensum fuisse Attalum Philomatorem ab antiquis sapientibus lego apud Alexandrum ab Alexandro libro 3. gen. Diet. cap. 21. post med. quod pro oblectamento habuerit, helleborum, aconitum, & cicutam, venenosasque herbas plantarè, vt fructum inde legeret. quo obsecro obiurgationis genere inuehemur in eos, qui intra pectoris noualia venena cōdunt noxiarum cupiditatum, vt fructus inde ferant inexpletæ, & inexplendæ libidinis feracissimos. Plures sunt, iique præcipui ex SS. Patribus, qui Dei amicos Aquilarum, & nomine, & symbolo, in sacris C litteris explicari contendunt. S. Ambrosius in Euang. lucæ cap. 18. ait; *iustorum animæ aquilis comparantur*. S. Augustinus in illud Matthei 24. num. 28. vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur, & aquilæ: disertè interpretatur aquilarum nomine sanctos significari. Item D. Chrysostomus tom. 2. hom. 94. in hunc locum & alij. Huius similitudinis tam frequenter in sacris litteris vsurpatæ rationē reddit S. Hieronymus in cap. 66. Isaiæ paulo ante med. ei de quo sermo est satis accommodatam ad illud Deuteronomij 32. n. 11. D *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*, dum inquit, *Aiunt, qui de animantium scripsere naturis maximū esse amorem aquilarum, quę in excelsis, & inaccessis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Amethystum quoque inter pullos eius lapidem reperiri, quo omnia venena superentur. Si hoc verum est rectè affectus Dei in suas creaturas aquilis comparatus est: qui omni custodia protegit liberos suos; ne draco, & coluber antiquus Diabolus obrepat nouellis fœtibus*,

Attalus venenatas arbores serit.

Luxuria arbor venenata.

Iusti comparātur aquilæ.

Aquila in excelsis nidificat.

Aquila amethystum collocat in nido contra venena.

A *vt ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion omnes aduersariorum frangantur insidiæ*. Hactenus Hieronymus, qui non parum illustrabitur, si quęramus cur inter lapides reliquos, Ametistus deligatur ab Aquila pro veneni antidoto? Amethistus, vt tradit, Pierius Valerianus lib. 41. paulo ante finem contra ebrietatem stare dicitur non enim vino tentari potest, qui eum gestet, vnde sobrietatis Symbolum appellatur. Habes iam quale venenum arcendum sit ab ijs, qui aquilarum in morem, vt decet filios Dei ab humilibus labentis vitæ ad superna cœlestis B patrię euolant expeditissimi. Vinum in quo est luxuria arceatur, Amethisti antidoto, hoc est beneficio sobrietatis, & nullus superest veneni metus. Eò profectò collineat diuini amoris industria, vt inter omnia peccata arceat potissimùm venenum luxuriæ, vel quia ista nihil nocentius, vel quia nihil tam solemne est draconi tartareo; quam missis reliquis omnibus tale veneni genus diffundere.

Amethistus antidotus ebrietatis.

Diuinus amor maximè luxuriam arcet.

Portēto simile credebam, quod Plinius scribit lib. 5. naturalis historiæ cap. 8. in fine, Atlantes, qui populi sunt Æthiopum C serpentibus vesci, & solem Orientem, Occidentemque dira imprecatione contueri. Id veritati minimè consonum in animum nemo inducat suum, nisi qui animaduertat portentosius longè, atque execrabilius, quod in pręsenti prosequor: videlicet impuros homines humani ritus ignaros solem Iustitię auersari orientem, occidentemque, hoc est patris luminum & in exortu creationis, & in occasu redemptionis beneficentissimam vim nefaria obliuione despicere titillantium blandimentorum venenis saginatos.

D Et quis inposterum sanę mentis huiusmodi scelestos humana specie viperas virulentas, homines nuncupet: dicantur potiùs ad insignem dedecoris notam, ad aliorum institutionem, ad totius Christianę reipublicę bonum, genimina viperarum. Inuenio id quadam ratione adumbratum ab ijs, qui bacchanalia inter tripudia anguibus se circumplicabant: fortasse, vt intelligeremus bacchanalia lasciuię luxu tanquam ab hydra serpentina corruptos mores pullulare. Excipe Arnobium lib. quinto hęc tradentem his verbis

bacchanalia etiam prætermittemus inania, quibus nomen Omophagijs græcum est, in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus. Cum deprauantur libidine humani cordis affectus inter bacchanalis amentię delicias verò verius est animas anguibus circumplicari, sed adhuc expressius spondeo me paucis declaraturum esse, quod sentio. Sanè ex Hieronymo, & Augustino veneno vesci serpentum non hominum est. Iste quidem lib. vnico de salutaribus documentis cap. 34. circa med. inquit, *quamuis venenum vita sit serpentis: tamen mors est hominis*. Hieronymus verò tom. 4. in 3. caput lamentationis Hieremiæ circa med. *venenum quidem inquit mors est homini, sed tamen vita serpenti*. Serpentes igitur magna cum emphasi si dixero turpes huiusmodi animas, mentesque cęnosas, quæ tantopere turpibus delicijs oblectantur, vt ijs quodammodo viuere videantur, si inquam serpentes dixero accedere videbor ad sententiam Plutarchi: scribit enim de Aristippo Argorum tyranno in vita Arati paulo ante med. his verbis: *Aristippi viuendi rationem exponam. famulos simulatque cœnasset vniuersos exigens, & interiorem domum concludens, ipse cum sua amasia cœnaculum editius ostio pensili clausum subibat: supra quod lecto collocato somnum capiebat, scalam mater amasiæ remouebat: luce facta iterum apponebat, & admirabilem illum tyrannum deuocabat, Serpentis instar è specu prorepentem* Hucusque Plutarcus. Vsque adeo verum est concupitum, & liberaliter haustum lasciuiæ venum non inficere modo, sed in serpentem permutare. Itaque quanta diligentia virulenti huiusmodi, & viperei homines, imò veriùs serpentes deterrimi fugiendi sint, nemo non videt. Sanè nihil æque horridum, ac fugiendum atque serpentes: cognouit id etiam Plautus, apud quem: *mœchat, inquit, nempe vxor, est tua quam dudum dixeras te odisse æque atque angues*. non absimili sensu Theofrastus allaturus monstrum, supra quam dici queat vitandum, mentionem fecit viperarum inquiens *mores igitur non simplices, sed insidiosos vitare magis oportet, quam viperas*. Quibus ita constitutis meridiana luce patet clarius, quanta cum energia ad rem propositam dici queat Genimina Viperarum.

In bacchanalibus se anguibus circumplicabāt veteres.

Libidinosi cōparati serpentibus.

Aristippi tyranni sollicitudo, & metus suorum.

Luxoria homines in serpentes mutat.

Qui probare vellet peccatum generatim vniuerseque venenum esse videat P. Ludouicum Cressolium lib. 3. Mystagogi cap. 39. & P. Io: Antonium Velasquez tom. 2. in Epist. Philipp. ad cap. 2. versu 12. adnot. moral. 11. num. 6.

IN CAPVT TERTIVM
Num. VII.

Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira.

PARADOXVM VII.

Villosus in Eremo Baptista simulacrum Diuinitatis.



Veritas odium parit, antiquum adagium quotidiano firmatum experimēto. Cur igitur tam aspera cōcione veritas à Ioanne prounciata in nefarios, qui confluebant, Iudæos, eorumdem non inflammauit animos cōtra disertissimum reprehensorem? Crediderim facinorosorum mentes ad omnem cæteroqui temeritatem proiectas, fuisse cohibitas ab ea diuinitatis imagine, quam Ioannes præseferebat. Equidem siue vitæ rationem, quam inter homines homine maior ducebat, cōsidero: siue gesta perpendo, siue locum examino, continere me non possum, quin dicam, Io: pulcherrimum expressisse simulacrum Diuinitatis. Pla-

Iudæi reuerentur Io. quasi diuinitatis imaginem.

Placet ab hoc vltimo exordiri. Eremi cultorem vide; Deum recognosce. Quod ego quidem ab Augustino didici, qui ad declarandam fœlicem eorum cõditionem, qui procul ab vrbibus, ac strepitu ciuilis tumultus Deo vacant in solitudine exclamat: *ò vita sancta, eremitica, vita angelica, vita deifica, non humana*. Ita ser. 27. ad Fratres in eremo paulo post initium.

Vita eremitica vita deifica.

Sapienter, nisi fallor, supra quàm animo comprehendi queat, dicitur ab Augustino vita deifica. Ea quippe nostræ mortalitatis ratio est, vt eius non solùm imitemur mores, sed etiam personam induamus, cuius familiari vtimur consuetudine; vnde Regius vates Ps. 17. nu. 27. canebat: *Cum sancto sanctus eris, & cū peruerso peruerteris*.

Imitantur homines mores eorum, cum quibus cõuersantur.

At si dixero eum familiarirer vti Deo, qui hominū societati remisit nūcium, vt solùm Deo viuat; ne transuersum quidem vnguem à S. Bernardi sententia aberrauero de vita solitaria paulo post initium de eremi cultoribus in hunc modum differentis; *nunquam minus solus est, quam cum solus est. Tunc enim liberè fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est, sibi ad fruendum Deo in se, & se in Deo*. Idem omnino sentire visus est eloquẽtissimus Carthaginiẽsis Antistes S. Cyprianus epist. 6. lib. 4. paulo ante med. hæc scribens ad hominum mentes amore solitudinis incendendas. *Vnusquisque fratrum, nec recedens, & latens solitudine deserti loci terreatur, solus non est, cui Christus comes est: solus non est, qui templum Dei seruans vbicumque fuerit, sine Deo non est*. Igitur si tā arcto necessitudinis vinculo, solitudinis accola cum Deo nectitur; ambigat iam, qui voluerit pro arbitratu, num eremi cultor deificari queat, vt dicebat Augustinus. Ego sanè huiusmodi prærogatiuam consuetudini, & amicitię, quam cum Deo ineunt solitudinis amatores denegare non ausim; quam pro nostra conditione communem esse omnibus consuetudinum, ac familiaritatum generibus certò scio.

Solitarij conuersantur cum Deo.

Solitarius Christi comes.

Præterquàmquod hoc ipsū, quod Ioannes videtur habere commune cum multis, inueniemus esse illi mira quadam ratione peculiare adeo, vt fateri in eo compellamur indicium esse aliquod, vt ita dicam, homini concessæ diuinitatis. Neque vero est, cur ab eiusdem auctoritate Augustini recedamus. Examinans etenim rationem illam, quam Dauid 1. Reg. cap. 17. attulit ad probandum aptum se esse ad ineundum cum gigante certamen cum inquit: *Pascebat seruus tuus, patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis. & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum*. Vt vides S. Dauid duo potissimum profert, quibus vtitur, veluti indicibus fortitudinis suæ, alterum petitur à loco, alterum ab ætate. Quid porro sibi vult, aut quam vim habet leonem, & vrsum ab adolescente prostratos fuisse in deserto? si nescis declarabit auctoritas Augustini tom. 10. Hom. 31. quæ est serm. 20. inter diuersos de Monomachia Goliæ, & Dauid, vbi in fine cap. 3. sic habet de Saule loquens: *intellexit, cum videret audentem puerum, aliquid diuinitatis in eo esse, nec illam teneram ætatem sine diuino instinctu talia posse præsumere*. Memoria repete Ioannem puerum, & quidem trium annorum in deserto praua cupiditatis monstra prostrauisse, pressisse pede, & paternæ domus delicias, & quidquid blandi fallax caro mentitur penitus conculcauisse: & nega, dici à me merito posse, aliquid diuinitatis in eo esse, nec illam teneram ætatem sine diuino instinctu talia posse præsumere.

Dauid licet puer audet se opponere giganti.

Saul aliquid suspicatus est diuinitatis in Dauide.

Assentietur certè Hieronymus, cultores eremi summi Dei censendos esse pernecessarios, & quod inde consequens est, vt asserebat Augustinus, deificari. Eremum in regula monachorum agẽs de laudibus, & vtilitate Eremi ait: cultorem alloquens solitudinis. *Paradisum mente deambula, quoties illuc conscenderis, toties in eremo nō eris. ò desertum Christi floribus vernans; ò solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis extruitur; ò eremus familiarius Deo gaudens*. Qua Dei familiaritate vtebatur iucundissimè Ioannes, quemadmodum ex D. Chrysostomo tom. 2. cap. 11. in Matth. circa med. in hunc modum accipio, *perinde in terris, atque in cœlis agebat, naturaque necessitatibus superior effectus, nouam quampiam, ac peregrinam virtutis viam insedebat, in hymnis, canticis, ac precibus, tempus omne traducens. Ad hæc nulli se vnquam hominum consuetudine iungens, continuò solus Dei fruebatur alloquio; Non lecto, non*

Solitudo est paradisus.

Io. in eremo solus Dei fruebatur alloquio.

tecto,

tecto, non foro, non alia quapiam humana A *re vsus est vmquam.*

Probè teneo à Clemente Alexandrino orat. adhortatoria ad Græcos circa med. derisos fuisse gentiles, eo quòd consueuerint à cultu corporis, vel expresso coloribus, vel marmoribus inciso diuinitatis speciem repræsentatam exhibere colendam, ait enim: *si quis ergo picturas, & imagines obiens cōtempletur, ex turpibus ignominiaque, ac dedecore plenis figuris vestros Deos statim agnosceret. Vulcanum ex arte, Cererē ex calamitate, Iunonem ex vitta, Neptunnum ex tridēte, Iouem ex cygno; Herculem autem ostendit pyra.* Deridendos as- B serit Clemens, & quidem verissimè eos, qui non modò diuinitatem humano artificio repræsentari posse arbitrabātur, verum etiam id se assequi posse putabant insignibus, adeo vilibus. Ego vero proferre non dubitabo, quid sentiam. Pingatur villosus Ioannes in terris cęlestem ducens vitam naturæ necessitatibus superior, Dèo continēter fruens, nullius indigus, & expressum satis habebimus simulacrum diuinitatis.

Dij gētilium in suis knuheris ignominiosi.

Enimvero dicetur à nobis cum D. Ioanne Chrysostomo Hom. 16. ex varijs in Matth. locis paulo post init. *Ioannes maior homi-* C *ne, par Angelis, legis summa, Euangelij ratio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mūdi, præcursor Iudicis, Christi metator, Domini testis, totius mediat. Trinitatis.* Hoc enimverò gloriosum esset, illustre hoc humana conditione maius, hoc præcellentissimum, ac sublime, hoc ne longum faciam, redolet Diuinitatem.

Io. Baptistæ encomia.

Recognosceret tantam prærogatiuam in hac viuēdi ratione perspicacissimus Iudæus Philo lib. de fortitudine non multo post init. loquens in hunc modum. *Dixi quas opes corpori suggerat naturæ munificentia: dicam, & alias augustiores, quæ non* D *hominibus contingunt; sed solis diuinis viris, & verè venerabilibus. Eas opes sapientia porrigit, ex quibus virtutes proueniunt, quæ luxum eijciunt ex animo, & frugalitatis amorem excitant ad quandam Dei similitudinem. Nam, & Deus nulla re indiget sibi sufficiens.* hęc Philo, qui sane non poterat, neque elegantiùs, neque expressiùs viuam diuinitatis imaginem in Ioāne repræsentare. Dicatur vir planè diuinus, cum neque hominum societate, neque indumento, neque cibo indigeat miro frugalitatis amore planè factus ad Dei similitudinem. Insinuat id S. Ambrosius enarr. t. in 3. & 4. Ionę caput paulo ante finem, vbi traditurus rationem, qua ad Deum accedere, & deificari, quodammodo homo possit, ait: *oportet igitur proximos nos fieri Deo, quoniā dicit Propheta: Ecce, qui elongant se se à te peribunt. Quod si à Deo, qui longe sunt peribunt, vtique, qui sunt proximi saluabuntur. Aliter ergo proximi Deo esse non possumus, nisi ad eum ieiunijs propinquemus, Deus enim ipse ieiunus, & sanctus est. Atque ideo, qui vult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse, quod est Deus.* Imitatur vtique hoc esse, quod Deus est, nono hoc, & post hominum memoriam inaudito ieiunij genere Ioannes, vt mirum nemini videri debeat; si viuum, ac spirans, si expressum, atque simillimum dicatur à nobis simulacrum Diuinitatis.

Virtutes opes animi quæ Deo nos similes faciunt.

Ieiunijs propinquatur Deo.

Pręterquamquod quis non videat Ioannem totum esse in perfundendis diuinę sapientię luce eorum animis, qui exorto licèt in terris iustitię sole, plusquam cimerijs tenebris tetrę infidelitatis inuoluebantur; vt propterea Dei similitudinem videatur adamussim exprimere iuxta sententiā Theologorū principis Dionisij Areopagitę c. 3. de Cęlesti Hierarchia circa med. dicentis: *in eo posita perfectio est, vt pro sua quisque virili parte ad Dei imitationem contendat, & id, quo nihil diuinius est Dei, vt sacra Scriptura loquitur, fiat adiutor, diuinamque in se actionem quantum potest ostendat.* An non Dei adiutor, & imitator is, qui in eo est totus, vt seruatori humani generis; apud cuiusuis ordinis homines opinionem conciliet diuinitatis? Idcirco non tam splendidè, quàm verè cum D. Petro Damiano ser. 1. in Natiuit. S. Ioannis Initio, dicatur: *Ioannes vnus est, qui sublimitatis corona titulis vniuersitatis humanæ transcendit ascensum.* Ascendat quantum potest, & se se efferat humana dignitas, & tamen semper supereminēbit Ioannes, de quo si vmquam alias verissimè dici potest, *homo homini Deus.* Deus vtique, quia vel eremum consideres, vel perpendas vitę rationem pręstantiorem longè humana imbecillitate, siue ętatem spectes, siue arctam cum Deo necessitudinem; siue studium de alijs bene merendi sedulo contem-

Io. in curanda aliorum salute factus adiutor Dei.

Io. maior humanitate.

templeris; denegare non poteris, Ioannem A viuum inter mortales signum esse diuinitatis.

Placet eruditissimo, & omni commendatione sapientię probatissimo viro Cęsari Cardinali Baronio, quod ex antiquissimis eruit memorijs Cedrenus Ioanni videlicet inter deserti antra omni humana ope destituto, beatas cęli mentes famulatricem operam prębuisse. Sic autem rei seriem ex Nicephoro, & Cedreno exponit 1. Annal. tom. Anno Christi 1. Augusti Imper. 42. c. 28. in fine, vbi de Herodis infanticidio scribentem Nicephorum in hunc modum citat. *Filius Zaccharia Io. in cuius nati-* B *uitate patris vox soluta est, cum primum ab illo Io. nomen in tabula fuisset exaratum, alterum cum dimidio annũ agebat, & una cum matre Elizabeth in spelunca quadam ad regionem montanam saluus conseruabatur, fortaßè Herodis sanguinariam effugiens manum; atque inde in solitarijs locis libenter versari solitus, Angeloque duce vsus, in remotiores siluaru recessus, secessit,* Hactenus Niceph. lib. 1. cap. 14. Cui addere liceat, quod scribit Cedrenus in compend. hist. vbi testatur Elizabeth post dies quadraginta in eadem spelunca diem obijsse Io. vero curam ab angelo esse susceptam. C Igitur si Io. vitam in eremo degẽte, Angeli famulantur, dum eundem prędico simulacrum diuinitatis, is solummodo me reprehendet, qui vel non legerit, vel non animaduerterit quod Danielis c. 7. nu. 10. vbi Dei maiestas mortaliũ exhibetur oculis, legitur in hunc modum: *Millia milliũ ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quo loco, vt neminem latet, de Angelis sermo est. Itaque nõ alia pompa meliùs, nõ alio indicio expressiùs, atque manifestiùs, quàm Angelorum famulantium ministerio, species Diuinitatis, quę perspici cæteroqui nõ potest, mortalium oculis fit adspectabilis: Consequitur necessariò, vt is, qui Angelum habet itineris ducem, is cui Angelus domestico famulatur obsequio, is denique cui ad singula seruitutis obeunda munia Angelus præsto est, si minùs in terris Deus non est, in eremo certè Rectoris summi videndum exhibeat simulacrum.

Io. Bapt infanti ministrãt Angeli.

Quòd Deo ministrent Angeli maximè ostenditur eius maiestas.

Videndum moneo P. Didacum de Baeza tom. 2. Comment. in Euang. hist. lib. 9. cap. 2. S. 29. & tomo 3. lib. 14. cap. 1. S. 6. eodem cap. S. 15. & S. 21. similiter eodem lib. cap. 9. S. 7.

IN CAPVT TERTIVM Num. VIII.

Facite ergo fructum dignum pænitentiæ.

PARADOXVM VIII.

Coloni ignobilis Imperium inclitum.

BREVIS quidem, sed succi plena mihi semper visa est ratio, & oratio Ioannis dicentis: *facite fructum dignum pœnitentiæ.* Dum enim pœnitentiæ opera fructibus comparat, miro quodam dicendi genere præstãtiam complectitur, ac dignitatem virtutis huius, quam si percipiant homines non possint non prosequi amantissima voluntate. Nam licet primo aspectu videri posset contractum plus æquo, ac mutilum genus orationis; re ipsa tamen ingeniosissimum est, ac penè diuinum. Atque vt intelligamus, quo pacto comparatæ fructibus pœnitentiæ exercitationes tantam vim habeant ad extollẽdam, exornandamque conditionem eorum, qui pœnitentiam agunt; altiùs repetenda res est. D

Ducta à fructibus similitudo ingerit sine dubio mentibus, cultura quadam terram cordis excolendam esse, vt fructus ferat tàm commendatos. Verùm dicet fortè non nemo, quid tam ignobile, atque abiectum, quàm coloni partes agere? Quid tàm demissum, atque obscurum, quàm terram excolere? ergo auersabuntur homines suopte ingenio nobilium rerum, atque sublimium cupidi opus demissũ adeò, atque inhonestum. Sanè Paulus Iouius scribit in magni Isaiæ.

Sfor-

Sforciæ, eos, qui tanti viri decus minuere conabantur dictitare consueuisse Sforciam paterno in agro ita operis præfuisse, vt & sua manu faciundo operi vomeres, & ligones strenuè tractaret. Videlicet, qui spectatam ducis inuicti virtutem negare non poterant ignobilitatem idétidem obiectabant. Quid itaque præcellens vspiam, aut præstans indicare credemus nequaquam auro, aut gemmis, sed fructibus comparatæ pœnitentię exercitationes? *facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* fateor vltrò, coloni, siue terræ cultoris personam induere quisquis pœnitentiam agit, debet quippe, vt dicebam, sui terram cordis excolere. fateor insuper opus huiusmodi ignobile esse, ac libero homine prorsus indignum. legi siquidem Menãdrum apud Stobæum ser. 55. dixisse: *agricolationem opus esse seruile.* legi etiam apud Herodotum lib. 5. post initium, à Thracibus habitos fuisse contemptissimos, & nihili æstimatos fuisse agricultores. Præterquaquod probè teneo inter mechanicas artes numerari agriculturam. At hoc ipsum diuinæ sapientiæ arcanum, quod euoluere in præsentia consilium est, demonstrando coloni ignobilis imperium inclytum. Id consequar facilè, si admonuero verbis hisce: *facite fructus dignos pœnitentiæ*, insinuari duo alterum quidem vt faciamus fructus, quod obtineri non potest nisi colendæ terræ manum admoueamus: alterum verò vt fructus huiusmodi non quicumquè, sed copiosi, prædiuites, vno verbo fuerint digni, quod nõ obtinebimus, nisi imperatoriam imitantes munificentiam. Horum vtrumque euincit imperium inclytum vt mox patebit.

Stob. Agricultura ars seruilis, & mechanica. Herod.

Ordiamur à primo. *facite fructus.* Adeste obsecro animis qui arbitramini terræ culturam alienam ab imperatoria maiestate; ego autem aio hanc vel inuenire vel facere imperatorem. Ecce tibi Iosue viuum, ac spirans fortitudinis simulacrum, instructa acie contra Dei inimicos, vt legitur cap. 17. num. 15. militem alloquens ait: *Ascende in siluam, & succide.* Credidissem acriori oratione militum animos inflammandos ad arma capessenda. Iàm sumus in arena: instat viro vir: milite multo, & ferreis curribus armatæ perterrefaciunt acies inimicorũ, & tamen imperij summa à duce maximo lata, hæc est, vt silua succidatur.

Iof. 17. Imperatoris Iosue vox.

A Id enim verò munus videtur esse inermis agricolę nequaquam dignum facinus bellatore quod ab imperãte præcipiatur. Sed audiamus quid hac; super re sentiat B. Petrus Damianus. *Ad agriculturam Iosue*, loquitur Damianus, *allegoricis exhortationibus prouocabat filios Ioseph. Cum Iosue præcepit populo siluarum condensa succidere, hoc innuit quod noster Iesus sequentibus se iubet malè pululantes siluescentium vitiorum frutices extirpare.* Ita epist. 32. lib. 6. epist. immediatè post medium. Monere hoc loco non debeo strenuum Iosue imperatoris partes agẽtem præbere nobis B exemplum facinorum egregiorum, quia vel me tacente, id nemo non percipit. fortis viri est continuo labore mentis agrum excolere, extirpare prauarum cupiditatum spinas, radicitus euellere peccatorum vrticas, ligonibus effodere, & aratro rescindere terram cordis, malè pululantes prauarum cupiditatum arbores resecare, vno verbo siluam succidere iniquitatum bellatorum est facinus, atque pugnantium, non imbellium opus agricolarum, vt propterea celeberrimus Imperator Iosue iubeat. *Ascende in siluam, & succide.* quasi verò idem omninò sit præclarè gestis se ipsum immortali posterorum memoriæ commendare, & in colendo sui cordis agro desu-C dare. Vide quàm nobile facinus exposcat, qui imperat, vt fructus feras pœnitentiæ.

Petr. Dam. Imperiũ Iosue quid significet.

Solertissimè, vt semper poëtarum decus Homerus Iliados 8. Vulcanũ repræsentat in clipeo Achillis cælantem, effingentemque agrum benè cultum, & vndequaque messores, & colonos quam plurimos. Quid tàm nouum, atque inauditum dicet fortasse non nemo. Profectò in clypeo tanti imperatoris effingẽdum erat facinus aliquod arduum, illustre, singulare, tàm forti bellatore dignum, & immortali consequentium sæculorum admiratione dedicãdum. Quid habet aratra commune cum machinis bellicis, aut quo pacto terræ glebę cum profligatis hostium turmis conueniunt? linceum D tamen poëtarum principis ingenium nihil dignus, quod in sui hęrois clipeo effingeretur, perspexit, quã expressum agriculturæ simulacrum, vel quia agricultura nobile imperium est, vel imperiũ nobilis agricultura. Patriarca Iacob diuino afflatus spiritu, cum filijs suis futuros prænunciaret euen-

Homer. Achillis in prælia.

Genes. 49.

euentus, & successus decantaret consequ-[A]turos, vt habetur cap. 49. Genes. num. 14. Isachar fortem futurum pronunciauit. Hūc locum S. Hieronymus in Isaiam cap. 66. paulo ante medium cum septuaginta interpretibus legit: *vocatus est vir Agricola.* Mira profectò coniunctio, vt pro eodem habeatur in sacris literis, *fortis, & Agricola*. Enimuero agricolæ magis videtur proprium robur corporis ad ferendos labores, vel peritia frugum, ac fructuum, quàm fortitudo quæ tantæ dignitatis est, vt si Aristoteli credamus à fortium albo expungendi sint ij, qui vitam cum paruo lucro commutant quemadmodum docuit

Arist.

lib. 3. Ethic. cap. 6. in fine, & iterum cap. 6. [B] eiusdem libri paulo post medium pronunciauerat. *Neque circa omne genus mortis vir fortis est & habetur. Non enim circa mortem eā quæ fit in mari, aut euenit morbis. Circa quam ergo mortē vir fortis erit? An circa eam quæ est pulcherrima? Talis autem est ea, quæ fit in bello. In maximo namque fit, & pulcherrimo periculo. Is igitur homo fortis propriè dicitur, qui circa honestam mortem, & ea omnia quæ repente eueniunt, atque afferunt ipsam interitus est, Huiusmodi vero sunt ea, quæ in bello* [C] *contingunt.*

Qui verè fortis.

Igitur ea vera fortitudo est, quæ circa ardua versatur, & quidem adeo vt honesto homine dignum censeatur esse discrimen, quod subit qui commendatione fortitudinis præstans esse perhibetur. Hinc verò videtur patere ex Philosophi sententia fortitudinem minimè propriam esse agricolarum, sed militum, atque imperatorum, quibus solemne est pulcherrimam mortem, hoc est eam, quæ fit in bello prompto subire animo intrepidoque. Vnde de Vespasiano legimus apud Zonorā lib. 2. cum extrema valetudine naturæ deficien-[D]ris postremo laboraret deliquio, cōsurgentem dixisse: *Imperatorem stantem mori oportere*; quia nihil æquè imperatorem decet, quàm germanę fortitudinis argumenta prębere. Cur igitur, vt eò vnde videmur digredi reuertamur, *Viro Agricolæ*, non modo tribuitur diuino oraculo fortitudo, sed idem prædicatur esse, *Vir fortis, & Agricola*. Id planè est quod in præsentia prosequimur. Pro eodem accipiatur. *Vir fortis, & Agricola*, quia qui Dei amore in colendo sui pectoris agro operam collo-

Zonar.

Vespasiani moriens fortitudo.

[A] cant opus imperatore dignum adeò præ manibus habent, vt non immerito fortes debeant nuncupari. Cum igitur ne ipsum quidem capitis discrimen, vltæque periculum ab operibus pœnitentiæ possit retardare, cum formidare non debeant mortem ipsam qui pœnitentiam agunt, vtpotè verè fortes; quis non videat inclytum istorum imperium, qui primo aspectu coloni videntur ignobiles. Mirum est, & commendabile facinus à Cardano relatum de rerum varietate lib. 8. cap. 43. de quodam Scoto nomine Hays, qui cum duobus tantum filijs Danos victores vertit in fugam non claua, aut gladio sed aratro. Quæ [B] quidem victoria illustris adeò fuit, & tanti habita, vt victoribus prædia data fuerint villęque permultæ vna cum insignibus nobilitatis. ferunt camporum magnitudinem passibus decem millibus fuisse circumscriptam. Si parua licet componere magnis, dicam videri mihi in hoc Hays gesto tanquam in emblemate repræsentari quod volo. Etenim exultates tartarearum copiarum exercitus miro victoriæ genere debellantur ab ijs qui pro armis vtuntur eo pœnitentiæ aratro, quo proprij pectoris ter-[C]ram scindere consueuerunt. Istis cū nobilitatis insignibus debetur terra viuētium.

Card.

Hays aratro hostes fugat.

Probè teneo, eos qui contendūt non libero modo, sed principe etiā viro dignam exercitationem esse culturam agrorum, plures recēsere dinasthas, qui in re rustica sedulam operam posuerunt. A Marco Tullio in oratione quā habuit pro rege Deiotaro commendatur nominatim Deiotarus nō modo quòd tetrarcha nobilis, sed diligentissimus agricola & pecuarius haberetur. A Xenophonte lib oēconom. Iunior Cyrus Persarum Rex celebratur quod a-[D]grum suis manibus sereret ac arbores in quincuncem disponeret diligentissimè. Imò ipse Cyrus cum Lysandro hac de re verba faciens de se ipso magnificè loquitur, quasi opus haberet præ manibus imperatore dignissimum. Diocletianus post vigesimum principatus annum non longè à Salonis vrbe Dalmatiæ hortorum culturæ se se addixit, adeò vt quamuis à Maximiano Herculeo ad sceptrum resumēdum vehementissimè sollicitaretur, maluerit terram colere, quàm imperare, vt auctor est Eutropius. Hos ego, vt verum fatear,

Diocletianus maluit terram colere quàm imperare.

non

non magni facio ad firmandum propositum, cum mihi instar omnium sit summus cæli, terrarumque imperator Deus, de quo

Ioann. 15. Deus agricola.

Io. cap. 15. num. 1. à filio dicitur: *Pater meus agricola est*. Quam autem colendæ terrę vt dignitate pręcipuam, ità ordine primam mortales docuit ipso rerum procreatarum exordio Deus ipse. Obseruat Origenes, quod calcamus pedibus infimum elementorum suis libratum ponderibus rerum corporatarum fundamentum primo quidem nūcupatum fuisse, *Aridam*; tùm auctore Deo mutato nomine *Terram* fuisse appellatum. Sic Genes. 1. num. 10. *Vocauit Deus aridam terrã*. Quod nomen inditum fuit posteaquam Deus ipse fecit diuisionem aquarum; legimus enim nu. 9.

Gen. 1.

dixit Deus; congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum. Quo insinuare voluit rationem ferendi fructus, & excolendę terrę cordis nostri. Hęc nempe ne sit arida, ne fructu careat, sed terra frugifera, separandę sunt aquę abyssi, & spinæ resecandę. Audi Orig. *Sicut ergo arida hæc, segregata à se aqua vltra non mansit arida, sed terra nominatur, hoc modo etiam nostra corpora, si hæc ab eis segregatio fiat non permanebunt arida, sed terra appellabuntur; ex eo quod fructum Deo ferre iam poterunt. Si quis ergo sua culpa aridus adhuc manet, & fructum nullum affert, sed*

Terra humani cordis quo pacto frugifera.

spinas, & tribulos, esca ignis efficitur. Si verò studio, & diligentia sua separatis ex se Aquis Abyssi, qui sunt Dæmonum sensus exhibuit se terram fructiferam, debet sperare, quod introducatur à Deo in terram fluentem lac, & mel. Hactenus Origenes hom. 1. in Genes. non multo post init.

Orig.

Attende quęso te, quisnam, quo tempore, quo modo doceat hanc agriculturam.

Deus magister agriculturæ.

Auctor Deus est. Tempus quo docet omnium primum, modus, specimen prębet exercendę artis ipsemet auctor Deus. Putauit Iulius Capitolinus suis commentarijs complecti se mirum aliquid, & nouum, omnique posteritate pędicandum, cum scripsit Clodium Albinum Imperat. Rom.

Viri principes cultores terræ.

non modo peritissimum fuisse agri colendi, verum etiam, vt alios hanc eamdem disciplinam doceret, Georgica conscripsisse. Quid hoc, si cum nostræ agriculturæ conferatur auctore? Terræ, Cælique Imperator maximus agri cordis nostri colēdi pręcepta non editis libris, sed re ipsa, & exhibito tradit exemplo. Fœlices vos, Christiani Fabricij, religiosi Corsicani qui dum bella contra Dei hostes geritis cōtinenter, vitam ducitis (quod de Romanis hisce Heroibus scriptum reliquit Latinus Pacatus in Panegirico ad Theodosium) inter aratra propriæ mortificationis, & inter ligones quotidianarum afflictationum: fœlices vos, qui vestris manibus oliuas seritis meliori conditione, & vberiore fructu, quàm Scipio olim Africanus, vt est apud

Plin.

Plinium lib. 16. cap. 44. exprimitis quippe misericordiæ oleum ad perennem beatitudinis æternitatem. Ter denique, quaterque fœlices cordis vestri cultores, de quibus verius longè, quàm olim de Attilio scripserit Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. dicere possum: *Vestræ rustico operę attritæ manus salutem stabiliuerunt, ingentes hostium copias pessundederunt*.

Agricultura nostra pręstātia.

Vos scilicet pœnitētiæ ligonibus, quot turbas blādientium voluptatū profligastis? Vos ea, quam propriæ demessionis habetis præ manibus terra quoties, hostem antiquum coegistis terga vertere turpiter exterritum. His stabilita salus, his inimici ad internecionem vsque deleti. Exclamare Lubeat, ò pręclaram; ò nobilem, ò dignam Imperatore agriculturam. Video id non adumbratum leuiter, sed expressum adamussim à Regibus Monomotapæ, quos scribit Io. Boterus lib. 1. dicto memor. longe ab init. vti consueuisse pro sceptro vomere, eburnea cuspide, quē cum duabus sagittis suspensum gestant è cingulo. Pręclarus nexus, vt innotescat non minus regium esse armari in hostes, quam agrorum, præesse culturę. Regio cibo vtimur iuxta Isaię vaticinium, *mamilla regum lactaberis*, cap. 60. nu. 16. Simul etiā agricultores simus necesse est, quemadmodum sagittæ cū vomere iunctę videntur insinuare. Ad nos igitur pertinet in eo operam ponere, vt benè cultus ager animi fructus ferat dignos; quandoquidem regia stirpe gloriamur. Antequam progrediar vlterius monebo, hic ego Christi fideles verbis ijsdē, quibus S. Paulus scribebat 1. ad Corint. 3. nu. 9. *Dei agricultura estis*.

Accessimus autem sensim ad id quod secundo loco propositum initio, modo est illustrandū, vt statuamus dignos nobis fructus esse ferendos. Digni porro futuri sunt

si predi-

si prædiuites, si copiosi munificentiam quandam præ se tulerint planè imperatoriam. Quandoquidem autem tam nobilem, quàm hactenus expressimus Agricolam non nominauimus modò, sed demonstrauimus Imperatorem, par erit, vt eundem commonefaciamus de liberalitate, quâ in huiusmodi fructibus ferendis, & offerendis Deo, vti debet; dedecet quippè Imperatorem exigua donare munuscula: quod, vt cæteros omittam, & Alexander, & Alcibiades suo exemplo docuerunt: de primo apud Aelianum lib. 1 cap. 25. leges Phocioni Atheniensi duci, centum argenti talenta, & vnam è Principibus Macedoniç ciuitatibus dono dedisse: Alcibiades, vt cit. auctor. lib. 6. cap. 29. testatur Socrati tàm munifica misit donaria, tam ambitiosa, tàm ditia, vt puderet Socratem illa recipere. Imperatorē agis quisquis in ferendis fructibus pœnitentiç operā ponis. Sint igitur necesse est dona splendida, ampla, & numero, & conditione præstantia, ne multis, qualia Imperatorem offerre par est; in quam fortasse gratiam dictum fuit hoc loco à voce Verbi, facite fructum dignum. Attendite diligenter qui cupiditatibus seruiuistis, non quicumque a vobis exigitur fructus pœnitentiæ, sed dignus, nimirum, qui pluribus se, & grauioribus fœdauit sceleribus, non quoquo modo, sed conatu magno, sed labore permulto pœnitentiam agat. Cap. 4. Ieremiæ euoluens horrore perfundor; ibi enim mulieris impudicæ nomine impia anima designatur, & de hac num. 30. dicitur. *Tu autem vastata quid facies? cum vestieris te coccina, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris*. Deus bone quid hoc est. malum ingens adeo, ac sine remedio est se se semel sceleribus obstrinxisse, vt frustra se componere dicatur licet coccino induatur, licet auro, & pigmentis exornetur. An non Dei oraculum fuit? *Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum eius non recordabor*. Ezech. 18. num. 21. 22. cum quo, qua ratione stare dicemus, *frustra componeris*. Nodum soluit sanctus Hieronymus, qui in explanatione huius Prophetæ loci habet. *Frustra componeris: Hac enim etiam tuis amatoribus præpararas*. Maximam enimvero apud me vim habet Hieronymi ratio: frustra laborat, qui tantundem facit vt Deo placeat, quantum industriç, & operis adhibuerat, vt voluptatibus deseruiret. Quòd cum ita sit, quis putat se facere dignos pœnitentiæ fructus, plura numero, conditione magis ardua, perpessu asperiora sunt, quæ subimus, vt scelera perpetremus, quam quæ vt Dei iustitiæ faciamus satis. Vnde merito pertimescere possumus, ne & de nobis dicatur, *frustra componeris*, non solum tantum industriæ, & temporis, non solum tantum laboris, & periculi subeundum, vt Deo placeas, verum etiam longè grauiora, alioquin frustra componeris.

Aelian. Phocioni & Alcibiadi.

Ier. 4.

Insulis pœnitentiam quæ.

Ezech. 18.

Ioannis pœnitentia nisi peccatis maior.

Ingeniosum est, quod adnotauit sanctus Augustinus de vndecim illis velis cilicinis Tabernaculi, Deo imperante, extructi; *magnum mysterium*, verba Augustini serm. 15. in Matth. non multo ante finem, *figuratum est, quando iussum est Tabernaculum fabricari, multa ibi numerosa dicta sunt in magno sacramento. Inter cætera vela cilicina iussa sunt fieri non decem, sed vndecim, quia per cilicium ostenditur confessio peccatorum*, Excedit ciliciorum numerus numerum mandatorum, quia plures exiguntur pœnitentiæ actus, quam fuerint errata; Ita vt qui omnium mandatorum se reum confitetur, intelligat iussa esse vela cilicina, non decem, sed vndecim, videlicet plura numero, & conditione potiora prçstare debemus, pœnitentiam agentes, quam commiserimus seruientes peccatis: id ipsum videtur, me iudice, indicare nomen fructus. Etenim si serentem interroges colonum, futurum ne satis tantum à terra excipere, quantum terræ committit. Abnuet diligens agricultor, sed expectare se fructum afferet, hoc est iacti seminis, felicem, & fœcundam prolem, talemque docebit esse terræ feracitatem, vt multiplicato semper fœnore, fruges reddat: Iam comparati fructibus pœnitentiæ actus quid sibi velint tenes dilucidè. Ethnicos etiam non multum ab hac sententia aberrasse comperio; certè tam apud Græcos, quàm apud Romanos, cum pestilentia, alijsque grauibus morbis laborarent, in more positum

S. August.

Quá multiplex debet esse fructus pœnitentiæ.

A fuisse, scimus vouere Hecatombas: quam consuetudinem à Laconibus primum fluxisse ferunt. Sic Paulus Aemilius sacrum centum bouum vouit apud Plutarchum, sic apud eumdem Marius, & multo prius apud Homerũ iliados 4. Minerua monuit Pindarum, vt Apollini voueret Hecatombem. Cuius voti obseruatio talis erat;. Vt ceutum aras vno in loco aggesto cespite facerent, in ijsque centum boues, centum oues, centumque sues, vno tempore immolarent; si verò imperatorium id votum esset, tum leones centum, centum aquilas vno tempore mactabant. Subsiste

B parumper, vt discas placari Deum non posse cum grauibus animæ morbis laboramus, nisi ara multiplici, nisi hostijs penè innumeris, nisi natent altaria sanguine, & quidem Imperatores, ac principes debent non vilia tantummodo, sed nobilissima litare animantia. Pende conditionem dignitatis tuæ, perpende accepta diuinæ beneficentiæ muncra, vt dignis fructibus pœnitentiæ facias Deo satis.

Isa. 66. Grauissimum Dei vindicis supplicium.

Grauissimum supplicium describitur Isaiæ 66. num. 15. 16. vbi dicitur, *quia ecce Domiuus in igue veniet, & quasi turbo quadriga eius, &c.* contra quos obse-

C cio ira, & furor, tribulatio, & angustia omnipotentis Dei satellites armata manu conspirant; habes ibidem num. 17. *qui sanctificabautur, & mundos se putabant in bortis*. Durum videtur primo aspectu quod dicitur. Cur enim exardescat vindex Deus in eos, qui sanctificantur, & putant fecisse se satis, vt mundarētur. Cur quæso furorē brachij sui mitissimus Dominus acuit aduersus eos, qui sceleris maculam abstergere curauerunt? Vbi illa promissa; *si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur*, Isaiæ 1. num. 18.

Isa. 1.

D Num obliuiscitur Deus misericordiæ suæ, vt illos quoque plectere velit, qui nullius sibi facinoris conscij sunt? Nodum soluit sanctus Hieronymus his verbis: *Preceperat per Moysen Deus, vt si quis preuentus fuisses iu peccato Vacca rufe aspersus ciuere, & alijs expiationis modis per sacrificia, & victimas rediret ad templum; quod illi uegligentes in locis deliciarum, ac voluptatum, hoc est iu bortis amanissimis adulteria, & omnem libidinum turpitudinem simplicibus aquis abluere se putant: quibus rectissimè illud aptabitur: & noctem flumiue purgant.* turpissimas fæditates, flagitia grauissima, leui aspergire lacrymarum delere qui putat, prouocat Dei vindictam, cui ita satisfacere debemus, vt delictis respondeat pœnarum modus.

S. Hieron.

Quæ pœnitentia non iustificat.

Sanctum Paulum subijcio, cuius ea sententia fuit epist. ad Romanos cap. 6. num. 19. *bumanum dico propter infirmitatem caruis vestra: sicut exbibuistis mēbra vestra seruire immuuditia, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exbibete membra vestra seruire iustitia*, in quem locum sanctus Gregor. lib. 19. Moral. cap. 16. aliquanto post initium monet: *saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores nos babeat saucta libertas charitatis, quam iu carne validos babuit vsus terreua voluptatis.* Pende illa vesba, *in fructu bonorum operum*. Propterea crediderim cum voluerint Euãgelistæ exemplar pœnitentis Christianæ posteritati represẽtare, expressisse Magdalenã, vt seruatori pręberet obsequium, & capillos, & lacrymas, & vnguenta, & oscula adhibuisse, hoc est ea omnia, quibus fuerat iu ciuitate peccatrix, cui si quid addere licet monitum adnecterem Sancti Hieronymi in cap. 3. Naum paulo post med. dicentis. *debes multitudinem peccatorum, multitudine exequare virtutum.*

Ad Rom. 6.

S. Greg.

Fructus bonorũ operum qualis.

Atque vt manifestius fiat, quod in præsenti contendo reuocandum iubeo in memoriam, quod de Xerse annales veterum tradiderunt. Ridendus dicitur Xerses ditissimus Rex ab Aeliano lib. 2. cap. 14. quod platanum non suspexerit modò, sed honerauerit ditissimis ornamentis. *In Lidia*, verba Aeliani, *eum vidisset proceram platanum, multiplicem, & pretiosum ornatum ex ea suspẽdit torquibus, armillisque ramos veneratus. Sed quid tandem ex bis ad arborem emolumenti redijt? Nam ornatus appostitius, & nibil ad ipsam pertiuens frustra pependit. Nam in arboribus cõmendantur geuerosi rami, coma deusa, stirps firma, ac stabilis. At chlamydes Xersis, & aurum barbari, reliquaque munera neque ad platani, neque vllius arbo-*

Aelian.

Xerses platanũ veneratur.

Aeliani de Xerse gesto iudicium.

arboris generositatem quidquam faciunt. A
Tale est Aeliani iudicium, à quo dissentire cogor non modò quia fortasse Xerses hoc pacto indicare voluit arborum culturam opus imperatore dignum habendum esse; planè dignum, si tanto principi credimus, quod regijs & vestibus & diuitijs exornetur: verum etiam quia arboribus homines comparantur in sacris litteris; vnde Marci 8. num. 28. cæcus ille tam oculatus dicebat: *Video homines velut arbores ambulantes*. Hominibus autem, vt nemo non videt, non modò appositititius, & alienus est à torquibus, armillisque petitus ornatus, sed maximè conueniens, & ac- B
commodatus. Propterea Cant. 7. num. 1. & Cant. 1. num. 10. & 11. dicebat Sponsus: *Collum tuum monilia; murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. & passim alibi similia. Igitur aureis caritatis torquibus exornetur animus, pretiosis virtutum gemmis niteat mens, cor multiplici, pretiosoque ornatu niteat vt anima quasi decora arbor, Deo planè digna censeatur. Quod cum ita se habeat quis cæcus adeo est, vt tam operis quàm artificis spectata præstantia, (siue munificentiam cõsideremus operis, siue fortem contemplemur magnanimitatem eorum qui C
pœnitentiam agunt,) non recognoscat imperium inclytum huiusmodi agricultorum.

Homines arboribus comparati. Mar. 8.

Cant. 7. Dotes animæ ornatus.

Videat qui velit P. Ioann. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses ad cap. 1. vers. 6. Adnot. 4. quæ litteralis, & moralis est.

Præterea legatur P. Didacus de Baeza tom. 2. Comment. in Euanel. hist. lib. 6. cap. 7. §. 13. Nec non tom. 3. lib. 14. cap. 4. §. 12.



IN CAPVT TERTIVM à Num. VII. ad X.

Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptismum suum, dixit eis; Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira, facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos. Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

PARADOXVM IX.

Homo vel optimus, vel pessimus.





VT clariùs Pharisæorum appareat nequitia, (libet enim omni posthabita insinuatione meum animi sensum proferre in medium) memorat Iudæos alloquens Ioann. Patrem sanctissimum D
Abrahamum, vt facta comparatione parentum optimorum, eum nequissimis filijs perspicax quisque decernere possit eam hominum conditionem esse, vt vel optimi sint, vel pessimi, ea planè ratione qua sicuti Abraham carissimum Deo caput sanctissimè olim vixerat: ita è contra nefarij cum quibus loquitur, Iudæi vitam ducunt flagitiosissimam. Attentos maximè vellem eos, qui vt in reliquis, ita in moribus,

auream diligunt mediocritatem omnium quippè vsurpatur sermonibus, & fortasse omnium consensu comprobatur quod latinus Pindarus ode 10. lib. 2. ad Licinium scribebat.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret, obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Placet tamen in præsenti ad tollendam è medio huiusmodi mediocritatem euincere, quemque vel optimum esse, vel pessimum.

Atque vt de more rem totam pluribus illustremus chorum ducat sponsus ille sanctissimus animarum, qui Cant. 1. num. 7. Compellat notissima illa cantilena amoris dilectam suam. *ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* Videtur pugnantia loqui, quo enim pacto stare potest tam diserta pulchritudinis commendatio cum minis tam asperis; *egredere, & abi post vestigia gregum.* Respond. Ingeniosè Origenes; *eris non solum in grege, sed in vestigijs gregum. Vltimus enim fiet, & nouissimus, qui primatus suos non intellexerit.* Ita hom. 2. in Cant. Cantic. circa medium. Caue ne tibi de pulchritudine blandiaris Dei serue, si enim ex hoc principe, quem obtines loco decideris, non modò inter greges, sed post greges relegaberis ex antesignano virtutum pedissequus vitiorum. In oratione Dominica Deum rogamus. *libera nos à malo.* Hoc est, interpretatur Petrus Chrysologus à diabolo, qui totius mali & auctor est, & origo: *Diabolus natura cælestis fuit, nunc est nequitia spiritualis: Vnde non iam malus, sed malum dicitur.* Ita serm. 70. paulo ante finem. Examina verbum *(Vnde:)* videtur enim inferre ex eo, quod fuerit natura cœlestis; factus sit nequitia ipsa, quasi vero mediocris quædam probitas nequeat inueniri, sed necessariò alterum extremorum contingere debeat, atque adeo natura cœlestem eo deuenisse, vt malum dicatur.

Cant. 1.

Origenes.

Vir ex optimo pessimus.

Petrus Chrysol.

Dæmon quia cœlestis naturæ, nequior.

Neque aliud sibi voluisse sapientissimum seruatorem affirmare minimè dubitarem, cum Matth. 5. num. 13. inquit de discipulis suis, & primæ viris sanctimoniæ. *Vos estis sal terræ.* Sal enim si sacrarum monumentis litterarum credimus præstantissimum quid, & Deo dignum semper habitum fuit Leuitic. 2. num. 13. præcipiebatur, *quid quid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* obserua quanto sit Deo in pretio sal adiungens, quod experientia docet in dies, & sapientiæ Aegyptiæ eruditissimus Pierius Valerianus annotauit his verbis: *sal corpora solidiora facit, & diutissimè conseruat, vnde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas, ac perseuerantia significetur.* Ita lib. 31. paulo post medium. Sal igitur, & humanis, & diuinis vsibus tam accommodatum, tam aptum, non modò sibi, sed alijs etiam maximè vtile oportunè viros Apostolicos adumbrat, sed eo potissimum nomine, quod vel optimum sit, vel pessimum, quia si semel corrumpatur, *ad nihilum valet vltra nisi vt conculcetur ab hominibus*, vt dicitur Matt. cap. cit.

Matth. 5.

Iusti cum sale comparantur.

Leuit. 2.

Pierius Valer.

Sal diuinis & humanis vsibus accommodatum.

Quod quidem vsque adeo verum, vsque adeo exploratum esse debet, vt visua sit naturæ auctor in ipsa rerum natura adumbrare voluisse, quod ex doctrina Galeni aduertere licet. Peritissimus enim medicorum magister. Ther. 10. inquit. *Vetus sermo est quadam animalia, vbi inter mordendum sanguinem humanum ex vulnere manantem contingerint commorsos occidere, alioqui incolumes seruari.* Ita refert Andreas Cæsalpinus lib. 3. Praxis art. medicæ cap. 4. circa med. Immo Scythæ, vt nocentiores essent ipsorum sagittę, non modò viperina tingebant sanie, sed etiam humano sanguine, si Plinio credimus lib. 11. cap. 53. circa medium. Humanus sanguis natura sua nulli noxius immo animantium præstantissimo maximè necessarius, & optimus; si tamen commisceatur, & corrumpatur attactu noxij animalis, fit illico lethale venenum, vi pollens adeo peruicaci ac virulenta, vt neque natura vinci, neque arte cōprimi queat. Confero vaticinium Ezechielis cum oraculo seruatoris. Illud quidē c. 15. vbi à num. 2. ad 7. proponitur, & soluitur quæstio, auctorę Deo, dicitur quippè, quid

Galenus.

Sanguis humanus ex vitalis [illegible]

Plin. lib. 11.

Ezech. 15.

quid fiet de ligno vitis inter omnia ligna siluarum; responsio consideranda; *ecce igni datum est in escam; vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam*: tũ applicatur exemplum habitatoribus Ierusalem. *Propterea hac dixit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna siluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradam habitatores Ierusalem*, tantum imminet malum incolis ciuitatis Dei, ijs inquam, quos singulari souet patrocinio parens summus, quod, vt clarius innotescat, recole, quod de se seruator dixit Ioann. 15. num. 1. *Ego sum vitis* inter omnes arbores, vna eligitur vitis, cui se se comparat natus inter homines Deus, & rursus vitis est, quæ tota igne est absumẽda inutilis planè ad opus. quo loco, me iudice illud sentiendum est, eos, qui cum Apostolo dicere possunt; *Viuo autem iam non ego viuit vero in me Christus*, ad Galat. 2. num. 19. vtique dicere possunt, ego sum vitis. Verum caueant sibi, etenim inter optimum, & pessimum, nihil est medium vel vnus erit cum Christo Spiritus, vel pabulum ignis. Qui nunquam Dei fuerũt amici Platones, Aristoteles, aliosque, vel sapientia vel fortitudine spectabiles, alijs nemorum lignis compararem, dum viuerent gestis fortiter, & eruditis lucubrationibus vtilitatem humano generi non mediocrem pepererunt: at qui Deo derelicto, desciuerunt; nefaria prauitate ab eius amicitia, viti conserantur aridæ, quæ sicuti feracitate vtilissima, & iucundissima inter cæteras arbores erat spectabilis, ita si fructu careat nihili fit. Vno verbo, vel optima, vel pessima.

Ioann. 15. Christus vitis similis.

Paulus ad Galat. 2.

Vitis vel frugifera vel pabulum ignis.

Exemplum suppeditat satis apertum, quod Principi gentium reipub. accidisse animaduertit Augustinus ipso init. c. 19. libr 2. de Ciuitate Dei, inquiens; *ecce Romana Respub. quod non ego primus dico, sed auctores eorum, vnde hac mercede didicimus, ex pulcherrima, atque optima pessima, atque flagitiosissima facta est*. Infero, quæ Andreas Tiraquellus ex Apuleio scribit in præfation. de iure primogenit. num. 15. his verbis. *constat apud rerum natura scriptores dexteram corporis partem validiorem esse. Ideoque minus spei ad sanitatem esse, cum & ipsa ægritudine succumbit, sicut asserit Apuleius Apologia magiæ prima in id citans Aristotelem, qui in problematis scriptum reliquit, quibus æque caducis à dextro morbus occipiat, eorum esse difficiliorem medelam*. Et rerum magistra experientia à Rom. petita Repub. & natura solertissima parens à viro oculatissimo obseruata euincant pessimam esse optimi corruptionem, vt ij, qui præstantia, validitate, fortitudine comparari dexteræ merito possunt à corruptela morbi, quæ grauior semper est, quo pars afflicta nobilior, caueant diligentiùs.

Augustinus.

Roma ex optima pessima teste August.

Tiraquellus.

Dextera corporis pars difficilius medetur.

Optimi corruptio pessima.

Liceat mihi tanquam in exemplari miserandam hanc hominum calamitatem, proponere contemplandam in Romano Imperatore Nerone; quem, & optimum, & pessimum fuisse veterum testantur annales: Consule Suetonium in eius vita, paulo post initium, præsertim à num. 9. & deinceps, & inuenies initio principatus specimen præbuisse pietatis eximiæ, aboleuit enim grauiora vectigalia, diuisit quadringenos nummos nobilissimo cuique Senatorum, sed à re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena constituit. Et quod mirum est, cum de supplicio cuiusdam capite damnati, vt ex more subscriberet, admoneretur: *quàm vellem*, inquit, *nescire litteras*. Confer iam cum Nerone Neronem, luxum eius perpende incredibilem, & inuenies, nullam eum vestem bis induisse: piscatum fuisse rete aureo: nunquam carrucis minus mille iter fecisse, & quidem mulorum soleis argenteis: Inuenies auiditatem luxui parem, tyrãnica illa voce sępius declaratam: *hoc agamus, ne quis quidquam habeat*. Neque solum sua auiditate mortalibus fuit inuisus; sed Deos suos etiam bonis spoliauit, leges enim num. 32. apud Suetonium citatum, *Vltimò templis compluribus dona detraxit simulacraque ex auro, vel argento fabricata conflauit*, ecquis non exclamet, quantum mutatus ab illo est, qui ex moderatissimo, & liberalissimo, auidissimus, factus est, & immanissimus Imperator. Vtinam mentirer: id planè homini accidit, qui vel

Suetonius.

Nero Imp. ex optimo pessimus.

Neronis luxus.

vel seruantissimus aequi sit, necesse est, vel scelestissimus: quippe, vel adunguem perficit omnia, quæ diuina lege præscribuntur, vel in omnia probra, ac dedecora ruit, iuxta illud Iacobi cap. 2. num. 10, *Iacob.2.* *quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus*. Nihil igitur medium, nihil mediocre cogites, quandoquidem necesse est, vel vt recti seruantissimus viuas, vel diffracto semel fræno probitatis, per prærupta omniũ flagitiorum feraris præceps; cum pro comperto haberi debeat, hominem, vel optimum esse, vel pessimum.

B Quod quidem meridiana, vt aiunt, luce patebit clarius collato simul, quod de dignitate hominis testatur sacrarum oraculа litterarum, cum monito Cornelij Taciti lib. 2. hist. Consule cap. 1. Genes. vbi factus ad imperium dicitur homo. *Genes.1.* Vnde nu. 26. leges: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersaque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*. *Homo rerum Dominus.* & rursus num. 28. *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini*. Non præses modo, C sed rerum Dominus homo est. Igitur nemini mirum videatur, si dixerimus eum vel optimum, vel pessimum, cum à Tacito lib. cit. didicerimus fieri non posse, vt inter media consistat qui imperat. *Qui imperat nescius medij. Tacitus.* verba Taciti sunt: *Imperium habentibus nihil medium, inter summa, aut infima*.

Verum mittantur ista, quæ expressa licet minoris videntur esse ponderis, vt sine dubio sunt, quàm ea, quæ à sacris petuntur paginis. Memoria teneo emblema illud ingeniosissimum, cuius Deum ipsum certo scimus fuisse auctorem. Consule cap. 24. Ieremiæ vbi inuenies num. 3. in- D terrogatum voce à cælo delapsa, illis verbis: *Quid tu vides Ieremia?* *Ierem. cap. 24* respondisse Vatem sanctissimum: *ficus bonas, bonas valde, ficus malas, malas valde*. Quid sibi velit huiusmodi diuisio fructuum, inter quos nihil medium, aut mediocre inuenitur, facilè percipiet, qui legit apud *Homines ficubus similes.* Magnum Gregorium genus hominum ficubus repræsentari. *Gregorius.* Sic enim habet hom. 31. in Euang. paulo post init. *Quid arbor*

A *fici nisi humanam naturam designat*. Hæc humanæ naturę Deo iudice conditio est, vt ficus instar, vel bona sit, & bona valde, vel mala, & mala valde. Nemo iam, nisi sapientiæ Dei contradicere velit mediocrem aut quærat factis, aut ore iactet morum, vitæque probitatem. Summa quærenda integritas est, à qua si recesseris, in deploratam penitus rues, atque fœdissimam improbitatem.

Palmare Anaxagoræ de cælo disserentis insulsi deliramentum, quod refert Stobeus in eclog. phys. p. 53. *Stobeus.* huiusce sermonis longius protrahendi materiam præbet non contemnendam. Docebat Anaxagoras circumiectum ætherem flammiferum, igneæque naturæ circumferri tãta celeritate, vt non modo ipsa motus incitatione attollat è terra lapides, & comburat, verum etiam stellas reddat, quæ deinceps in gyrum circumuoluantur influxu multiplici subiecto orbi maximè fluctuosæ. *Lapides in stellas commutari commentum Anaxagoræ.* Puerile sanè commentum, & ipsis deridẽdum aniculis, è lapidibus astra fieri, atque è ruderibus stellas intermicare. Cœlestis porrò sapientiæ effatum dicere non dubitauerim Deum, qui ignis consumens dicitur, lapidea hominum corda, saxeasque mentes vsque adeò emollire, vt è voluptatum corruptarum terra extollat altiùs, & beato vrat incendio, donec mutentur in stellas rutilo splendore fulgentes *in perpetuas æternitates*, iuxta oraculum Dan. 12. *Iusti stellæ* num. 3. sanè hominum corda scelestorum vtpotè dura, & omninò sensu pietatis carentia lapidibus repræsentari posse negabit nemo; & si cui fortè contingat mentis obtutus in stellas defigere à pulchritudine, à splendore, & ab amico in terras influxu eorum animos hominum exprimi dicet; qui splendore virtutum, & pulchritudine honestatis minimè contenti opem, & operam in iuuandis alijs collocant omnem, vt meritò prædicemus homines è pessimis optimos facere, videlicet de lapidibus stellas, solemne esse bonitati summæ magni Dei. In quam gratiam verba fecisse videbitur fortalse Magnus Greg. *Gregor. Deus de lapidibus stellas accendit.* præfat in Iob cap. 6. dum inquit: *cognitioni hominum Diuina dispensatio, quot iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras cælum misit*.

Vides

Videri poteſt P. Didacus de Baëza, tom. 1. com. moral. in Euang. hiſtor. lib. 4. cap. 5. §. 30. ſimiliter tom. 2. lib. 11. cap. 7. §. 12.

IN CAPVT TERTIVM Num. XI. & XII.

Qui autem poſt me venturus eſt fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

PARADOXVM X.

Chriſti Iudicis Benignus Terror, Terrifica Benignitas.

ORRET animus, quoties Chriſti Iudicis aduentum feriò contemplatur. Et quia nihil validius afferri, aut excogitari poteſt ab oratore facto, ad audiorum animos terrore complendos, compellendoſque, vt ſe recipiant ad bonam frugem; ideo crediderim à Præcurſore Ioanne Chriſti Iudicis in præſentia fieri mentionem. Cuius ego, illud & animaduerto, & illuſtraturum me præſenti Paradoxo polliceor; quo demonſtrabo, futurum ſimul, & ſemel terrore benignum, vl- [In bapt. dupli- ci ſimilitudine Chriſti terrorē & benignita- tem exprimit.] uentium Iudicem, benignitate terrificum, hoc quidem ignem memorans inextinguibilem inſinuat Ioannes, illud vero petita ab agricola ſimilitudine, qui hilari, & perhumano animo eſt frumentum in horrea congerens.

A

Vt autem, quod propono, clariùs innoteſcat conabitur animus palam facere Chriſtum Dominum Iudicis perſonam gerentem, & oculis, & voce, & vexillo, extremo illo morientis naturæ die pręſelaturum benignum terrorem, & terrificam benignitatem. Recolè obſecto, vt id faciliùs percipias, quam afferat cauſam D. Hieronymus, ob quā eiecti fuerint negotiatores è tēplo Ieroſolymitano à Chriſto Domino, quemadmodum legitur Matt. 21. num. 12. & 13. & cęſi flagellis, & tam aſperè excepti emptores profani, hoc eſt cupiditate diuitiarum ad omnem proiecti licentiam, ac temeritatem timuerint verberantem. Equidem mirum eſt, & fortaſſe maximum miraculorum ab homine paupere, nullo militum pręſidio, nulla famulantium corona ſtipato, tot homines verberibus exceptos, per ludibrium, per ſingularem ignominiam eiectos fœliciter, nullo penitus repugnante. Audi tam pręclarè geſti rationem à S. Hieronymo lib. 3. commentariorum in cap. 21. Matth. paulo ante med. dicente: *igneum enim quiddam, atque ſidereum radiabat ex oculis eius: & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Notatu dignum reor in oculis igneum quid ſimul, ac ſidereum dici, micuiſſe; illud ad ſceleſtos deterrendos, hoc ad iucundum iuſtorum ſpectaculum. Ideo autem, niſi fallor pertetrefactos legimus impios templi profanatores, nequaquam verò diſcipulos. Nimirū hęc eſt humanitatis Chriſti Domini conditio prædicanda, vt ipſo oculorum intuitu, nempe ſidereo ſimul, & igneo recreet iuſtos, metum improbis inferat. Sidereum lumen, ſolis tenebris inimicū flagellum, amica cæteroqui fax vniuerſitatis. Similiter ignis & lucet, & vrit. Luce quidem, & oculis orbitatē, & cordi mærorem aufert, vnde Tobias cap. 5. n. 12. veriſſimè Angelo gaudium annuncianti reſpondit; *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cæli non video.* Quas porro exerat vires vrendo, quaſi in obſtantes, repugnanteſque exardeſcere nō deſiſtat, niſi iiſdem redactis in cineres. Vt iam proculdubio pateat, quàm ingenioſè ad

[S. Hieronymus.] [Matth. 21.] [Emētes & vendentes in templo non audent ſe Chriſto opponere.]

B C D

[Idem Chriſti vultus mitis, & dus & placidus.] [Chriſti aſpectus ſidereus & igneus.]

ad explicandum foret Christum Dominũ A &terrificum, & benignum oculorum eius igneus aspectus, simul, atque sidereus, legatur insuper Hilarius in Psal. 65. Basilius in Psal. 32. Eucherius in forma spirituali prima Cassianus lib. 8. collat. cap. 4. & Origenes hom. 12. in Ierem.

Hoc verò quod maximè summum Principem decet, fortè commẽta est antiquitas de Augusto. De quo Iustinus scribit oculis fuisse præditum non fulgentibus modo, sed fulgurantibus; adeo vt, eum miles non nemo, dum auerteret ab eo oculos, ab eodem Augusto interrogatus, cur oculos demitteret, responderit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Vnde B de eodem Cælius Rhodig. lib. 15. cap. 2. testatum reliquit Augusto adeo oculos enituisse, vt si defixis obtutibus aliquem esset intuitus cogeretur ceu splendoris nimietate caligaret, vultum submittere. Qua in re si Suetonium audiamus, fortasse haud obscurè quod prosequimur, videbimus adumbratum, ait enim in eius vita circa med. *oculos habuit claros, ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam diuini vigoris, gaudebatque, si quis sibi contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret.* En simul in oculis C fulmen, & fulgor solis illud ad terrorem, hoc ad animorum leuamen: quanto verius quanto æquius diceretur: Sicut sol lustis, sicut fulmen impijs futurus est conspectus oculorum Iudicis Christi. Vt interea taceam quod de Tyberio Cesare refert Plinius lib. 11. cap. 36. vbi testatur hunc principem tanto micantium splendore oculorum fuisse præditum, vt nocte media, non alio luminis extranei beneficio, sed suorum splendore oculorum, intueri omnia, & dignoscere singula ad vnguem potuerit.

Augustus oculos habebat fulgentes & fulgurantes.

Celius Rhod.

Sueto. ibi.

Cæsaris oculi fulguris instar.

Christus sol lustis fulmen impijs.

Tyberius media nocte videbat.

Quod si quis forte percipere nequit D quonam pacto mitissimus Dominus aspectu suo simul eodem plane conspectu, & terrere nefarios, & recreare queat electos; Testis è Cęlo petitus declarabit expressè. Perbeatum illum Cœlestis Reipub. Senatorem qui ad sepulcrum Domini excubabat in hunc modum describit S. Matthæus cap. 28. num. 3. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.* Quam narrationem examinans hom. 21. in Euangelia circa med. in hunc modum exponit Magnus Gregorius; *In fulgure etenim terror timoris est; in niue autem blandimentum candoris. Quia verò omnipotens Deus, & terribilis peccatoribus, & blandus est iustis, rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgore vultus, & in candore habitus demonstratur; vt de ipsa sua specie, & terreat reprobos, & mulceat pios.*

Matth. 26.

Angelus ad sepulcrum Christi exemplar eiusdem iudicis.

Matth. 26.

Christus iustis blandus terribilis impijs.

Nõ admirabor inposterum quod apud Aelianum lib. 12. cap. 14. legimus, vbi Alexandrum Philippi filium forma eximia præditum fuisse scribit, & describit in hunc modum; eum dixisset eum eximia floruisse forma, aptissima ad recreandos, & cõciliandos sibi Hominum animos, statim subdit: *ferunt tamen formidabile quiddam in facie Alexandri insitum fuisse.* Hęc inquam admiratione non prosequar, veriora longè atque admirabiliora habens præ oculis his verbis ab eodem S. Pontifice explicata. *Moysi non semper in igne apparuit, sed in igne aliquando, aliquando in nube. in igne quippe terror iudicij est. Vnde, & de secundo redemptoris nostri aduentu, per Psalmistam dicitur: Ignis ante eum præibit, & in circuitu eius tempestas valida: In nube autem protectio miserationis exprimitur, quia eiusdem protectionis sua blandimentum electis suis promittens Dominus ait: Tunc videbunt filium hominis venientẽ in nube.* Hæc Gregorius cap. vlt. lib. 2. in 1. Reg. paulo ante finem. Et igne & nube faciem obducit vt idem terrore benignus, benignitate terrificus ipsa oris habitudine videatur.

In Alexandri facie pulcherrima erat aliquid formidabile.

Et hic quidem non solum habitudine oris demonstrari potest terrificus simul, & blandus, sed voce etiam, atque oratione. Quod didicisse me libenter, & sine fuco fatebor ex acuta S. Basilij animaduersione. Legi quippe apud ipsum hom. 6. in Hexameron aliquanto post. init. ingeniosam sententiam his verbis in medium prolatam. *Psaltes testatur; vox Domini intercidentis flammam ignis. Vnde arcana quędam doctrina nos docet, vt pro ijs, quę in vita gessimus, mercedes nobis retribuentur: naturam ignis in hac distributum iri: lux sane iustis in perennem, & peramaenam fruitionem cedet. E diuerso, supplicio addicendis seorsim attribuetur vis vstiua.*

Deus in igne apparet ad terrendum, in nube ad protegendum.

S. Basil.

[illegible]to igne nitor & calor.

Vox Domini interc[illegible] flammã ig[illegible] quid sibi [illegible]lit.

Duo

Duo in igne, tanto duce possumus considerare. Blandum alterum, nempe nitorem, alterum verò terrificum nempe vim consumendi, & redigendi in cineres. En ratio cur sententia Iudicis solius ignis faciat mentionem. Etenim missis omnibus alijs, quæ dici possent, exaudietur horrendum illud: *ite in ignem æternum*; cur siletur fætor, cur non memorantur verbera, cur carceris angustia, cur frigoris vis, cur inflicta à dęmonibus vulnera, cur alia innumera tormētorum genera reticentur. Crediderim, vt verum fatear, quia *vox Domini intercidentis flammam ignis*. Seiungit enim blanda, & amica iustorum beatitati, terrifica e contra æterno seponit supplicio impiorum. Hæc quippe vocis Domini dos est, vt resonet acerbum, & asperum supplicium perditis, & blandum nunciet solatium electis.

Lex Dei inter flammas data.

Id ipsum adumbrare voluisse visus est, quasi præludens scelerum vindex Deus, etenim, vt animaduertit Philo lib. de Decal. pag. 579. non sine mysterio, cum legis Diuinæ decreta ferrentur in monte, inter populantium flammarum vortices, voces opificis summi resonuere magnificè. Opportunè id quidem: cum etenim vrendi simul vim ignis habeat, & illuminandi; rerum moderator sapientissimus æquè, ac præstantissimus indicare voluit, futurum, vt lucidissimum, & iucundissimum lumen esset probis, lex diuinitus data, eademque improbis ac facinorosis incendium, si eam violare, atque infringere non dubitarent.

Iesu nomen amabile, & terribile.

Commemoro propositā à magno Gregorio dubitationem: quam allata in medium S. Bernardi sententia illustro simul, & expono, quid sentiam. Examinato responso Christi Domini ad Saulum, vt habetur cap. 9. Act. Apostolorum num. 5. concludit S. Pontifex ad exaggerandum terrorem, dictum fuisse *Ego sum Iesus*. Sic autem ait lib. moral. 33. cap. 24. circa med. *& notandum quod non ei à Domino respondetur: ego sum vnigenitus Patris, ego principium, ego verbum ante sæcula*. Sanè speciosiora nomina, & ad terrorem incutiendum accomodatiora non deerant, quorsum ergo dicitur ego sum Iesus Nazarenus? quo nomine quid amabilius, quid dulcius, aut quid suauius? respon-sum ego non aliud afferam, quam petitum à sermone D. Bernardi 15. in Cant. circa med. Vbi explicans nomen sponsi ad illud Canticorum primo *oleum effusum nomen tuum*; subiungit *cur oleum? est procul dubio inter oleum, & nomen sponsi similitudo, nec ociosè Spiritus sanctus alterutrum comparauit*. Quæris quæ sit ista similitudo? dabitur à Bernardo his verbis; *fouet ignem, nutrit carnem*. En cur potissimum dicatur Saulo *ego sum Iesus*: quia nimirum hoc nomen perbeato stringit cōpendio, & vltricis flammę supplicium, & vitæ perdulce subsidium. Intonat resono è cœlo boatu, *ego sum Iesus*, quia quem prosternit terrore, recreat gratia is, cui solemne est exhibere se se sono vocis terrore benignum, & benignitate terrificum.

S. Bernard.

Sponsi nomen cur oleo simile.

S. Cyprian.

Dies Iudicij Iustis læta impijs mœsta.

Hinc S. Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum paulo ante finem dicebat: *cum iudicij dies aduenerit, quæ lætitia credentium, quæ mæstitia perfidorum*. Rem maximam quam nequit oratione complecti satis exaggerat interrogatione.

Theodoretus.

Tarquinius superbus crucis supplicium primus excogitauit.

Crux olim quā detestabilis.

Et merito sane. Non solum namque viuentium Iudex, & aspectu, & voce blandus simul, & terribilis est futurus, verum etiam quia eodem vexillo Crucis, & deterrebit, æternis addictos cruciatibus hostes, & recreabit hæredes immortalitatis. Theodoretus serm. 10. de prouidentia scribit de Tarquinio superbo, qui Romanum Imperium in tyrānidem permutauerat Regum postremus, Tyrannorum Antisignanus crucis suppliciū primus ex cogitauit. Hic cum iussisset cloacas extrui quàm plurimi inferebant sibi manus ne tam seruile opus aggredi cogerentur. Tarquinius, vt abnuentium comprimeret peruicaciam, iussit eorum, qui sibi mortem intulerant, cadauera in crucem agi, tantumque ponderis habuit, vel apud infimæ sortis homines ignominiosi terror supplicij, vt crucis conceptus horror cohiberet à nece sibi inferenda quos à tanto facinore, ne ipse quidem vitæ amor potuerat retardare. Plura sunt numero, & acerbitate dira, quæ nefarios cruciabunt animos amissæ vitæ æternæ amor, inferni cloaca, dura sub tyranno Lucifero seruitus; nihil tamen vehemētius cruciabit, quàm crux. Hanc qui contempserunt, quam viles animæ quam perditę mentes, qua perfundentur

S. Leon. — Crux credentium gloria, & non credentiũ pœna.

tur rubore, quæ amaritudine corripientur. *Crux Christi*, dicamus cum S. Leone ser. 9. de pass. Domini paulo post med. *& credentium gloria, & non credentium pœna*. E conuerso maximum à cruce solamen capturos esse electos, si nescis recole, quã appositè à S. Bernardo ser. 2. de S. Andrea Apost. paulo ante finem dicatur. *Crux ipsa est scutum, quo circumdamur*. Huius vim dicti vt teneas iunge illud cum oraculo vatis purpura non minus, quam lyra illustris Psal. 5. num. 13. *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*; monet hic Incognitus innui his verbis morẽ apud omnem antiquitatẽ satis celebrem; quo consueuerant victores absoluto prælio extollere scuta supra capita, quasi verò non alia cingi corona deberent, quàm eo armorum genere, quo se se tutati fuissent contra hostes. Huius consuetudinis mẽtionem facit noster Lorinus in versum Psalmi mox citati his verbis: *Erat scutum militare Honorarium, & premij datum loco, sicut id, quod Niso Aeneas dedit. Quia verò non solùm in bello Romano scutum gestabant, sed etiam in triumpho, quo etiam ante vsum coronarum coronabantur. Inde Thomas, & ex eo, credo, mutuatus Incognitus natum putat, vt SS. pingantur cum scuto rotundo in capite, quod Diadema vocamus, quia de hostibus adepti sunt triumphum*. Hæc Lorinus, ex quibus aditum mihi facere potero ad dicendum, crucem esse scutum, quod si dixero placebit Bernardo, cuius sententia fuit, *ipsa est scutum, quo circumdamur*. Scutum inquam quo non modo dimicamus, dum in acie sumus, dum in arena huius vitæ confligimus; sed triumphantes in capitolio beatitatis coronamur, scutum profectò crux appellanda, & longè veriùs, ac securiùs, quam illud Agamemnonis. Etenim si in isto depingebatur caput Leonis, addita epigraphe. *Vt terreat hostem*. Quoniam, vt est apud Alciatum Emblemate 57. hoc fortissimum animal, omnibus aspicientibus timorem incutit: At in clypeo crucis non caput tantummodo, sed totus planeque victor Leo de tribu Iuda fuit impressus non muris vt in emblemate depictus coloribus; sed spirantibus sacrorum vulnerum caracteribus, famulante, diuino consilio, Iudæorum impietate, pla-

S. Bern. — Crux Christi scutum.

Psalm. 5.

Scuto victores se coronabantur.

Lorinus.

Scutum Agamemnonis.

Alciatus.

A nè vt terreat hostem, quem cruci affixus Leo gloriosissimè profligauit. Vides apertissimè quantum terroris ex hoc crucis ostento inimici Dei, quantum voluptatis, ac gaudij fœlices beatorum animæ sint reportaturæ.

His ego memorabile portentum infero ad faciendam fidem in re præsenti fortasse minimè contemnendum. Iulianus desertor ille scelestissimus Christiani nominis odio fidei, quo flagrantissimè æstuabat suasit Iudæis, vt templum Hierosolimitanum solo æquatum denuo excitarent. Igitur noui molitionem ædificij aggrediuntur tã- B ta rerum affluentia vt rudera, saxa, & cementa argenteis cophinis egererent. Litissimum opus, & pœne diruto non absimile dum inchoatur, dum fundamenta iaciuntur, repentino terrę motu quassata omnia, & artifices tumulati prius quam mortui horrendum in modum, neque hic malorum finis: erupit è visceribus terræ igneus globus, flammisque edacibus circumstantes Iudęos omnes cum ruderibus, & æramentis dicto citius consumpsit. Tandem splendida crux è superiore aëris parte micans, Iudęorum vestibus crucis C signum impressit; quod hominum perditissimorum animis tantum incussit timorem vt vel inuiti ab opere desisterent, & reparatoris humanę salutis virtutẽ, quam perfidia acti fuerant insectati, metu perterriti venerarentur. Videlicet, nec terręmotus, nec vltrix flamma, satis esse potuerant ad continendos in officio rebelles, & perfidiosos; nisi signo crucis è cęlesti armamentario prolato, hoc est omnium grauissimo metu coërciti fuissent. Videatur Nazianzenus orat. 2. contra Iulianum, & Nicephorus lib. 10. historiarum cap. 32. D & 33. Nos interea hic animaduertamus, quasi proludentem diuinam vindictam, & quodammodo pręexercentem se se in ijs, quibus extremo deficientis mũdi actu vexabit facinorosos. Hos siquidem terrę quassatione, atque hyatu, igne, & flammis, ac modis mille deterrebit quidem, nullo tamen vehementiùs, quàm signo crucis, quę fortasse miro modo singulis Christi rebellibus sui notam infliget ad ęternum supplicium, non secus ac Iudæis perduellibus contigisse perhibetur, vt dictum est. Hęc eadem porro crux quantam

Iulianus Apostata facultatẽ Iudæis templi reædificãdi.

Crux Iudæorũ vestibus impressa.

S. Greg. Naz. Niceph.

Crux in die Iudicium formidabilis.

pariet

patiet electis iucunditatem, securitatem A quanram testis sit S. Augustinus eam tractatu 118. in Ioannem appellans lectum sponsi, & lib. de Symbolo ad Catbecumenos cap. 6. virgam regiam. Testis sit S. Ephrem lib. de vera pœnitentia cap. 3. crucem consalutans, victricem mortis, fidelium spem, lucem orbis terræ, paradisi reseratricem, & gloriam perpetuam Orthodoxorum in æternum. Testis sit Tertullilanus lib. contra Marcionem crucem nuncupans sceptrum regium. Testis sit magnus Leo ser. 8. de Pass. Domini paulo ante finem inquiens: *crux omnium fons benedictionū, omniū est causa gratiarum*. B

S. Aug. Crucis praeconia. S. Ephrem. Tertull. S. Leo.

Quid plura Christus Dominus quantus, quantus est totus futurus est terrore benignus, terrificus benignitate. In banc gratiam memoria repetere iuuat mirum illud, & post bomines natos, inauditum, quod scribit Aelianus lib. 1. cap. 34. De Patre filium suum, capitis reum postulante; Phacoces is dicebatur cum septem haberet liberos, horum natu minimus nomine Cartomes sapientes diris affligens modis in officio contineri non poterat. Nihil non præstitit Rhacoces, vt filium ab ea in sapientes peccandi licentia abduceret. C Verum cum oleum, & operam perderet; comprehēsum filium, & manibus post terga reuinctis mox pertaxit ad Iudices, & sigillatim exposiris quæ ab eo audacius fuerant perpetrata, enixè à Iudicibus postulauit, vt filium capite condemnarent. Verum Iudices stupore correpti tā nouo, tamque inusitato expostulationis modo; reum, & accusatorem ad Artaxersem Persarum regem adduxerunt. Qui re cognita inquit. Ergo ne tu oculis tuis tuum filium morientem videre sustinebis? Qui nulla interposita mora alacri vultu, & ad lętitiā composito respondit maximè. Quoniam in bortto etiam cum nascentium herbarum surculos amaros destringo, & amputo: tantum abest, vt dolorem ex eo mater ipsorum patiatur, vt etiam magis efflorescat, item magnitudine, & dulcedine plus augeatur. Non secus ò Rex meorum filiorum crescet dignitas, scelesto iusta pœna mulctato. Demiratus dicitur Artaxerses bominis sapientiam, qui simul, & probis liberis lenitate prospiceret, & terrore plecteret improbum. Christus Iudex Pater est omnium, quos redemit, damnabit impios, quos appositè Cartomes representat, neque enim ex alio capite futuri sunt Christo Domino inuisi damnati, nisi quia fanctos, hoc est verè sapientes deluserunt. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*. Hos Iudex e Patre factus merito condemnabit Terrifica benignitate, simul enim, & illorum supplicium, & iustorum leuamen, qui Dei vltoris iustitia lætabuntur, habebit præ oculis. Sit igitur in ore omnium tanti sapientia Iudicis, qui se se exhibet, & terrore benignum, & benignitate terribilem. Iam si quis Redemptorem alloquatur. Ergo Domine tuos filios tuis oculis immortaliter morientes æquo animo sustinebis? Respondebit, maximè; vt simul, & torqueantur improbi, & recreentur electi. Huius quidem quoddam veluti depingere voluisse emblema crediderim summorum rerum opificem ignea illa columna, de qua Deut. 1. num. 33. præsertim cum apud Clem. Alexandrinum ad hortat. ad gent. aliquanto post initium ait, *ex columna flammam accendens, quod est simul gratiæ, & timoris indicium si obedieris, lucem, si non obedieris, ignem*.

Rhacoces filiū capitis reum postulat. Adianus. Columna flammea timoris, & gratiæ index.

Disertius adbuc gestit animus aperire, quod videtur non posse cogitatione comprebendi. Etenim quonam pacto fieri potest, vt is, qui Pater misericordiarum est, immo ipsa misericordia, ex hoc ipso capite, quia amantissimus hominum est, dum bomines beatitudine recreat; terrorem, supplicium, & cruciatum augeat damnatorum: quomodo verò se se huiusmodi res habeat intelligemus reuocata in memoriā historia, quam de lucio Munatio Planco scriptam reliquit Valer. Maximus lib. 9. cap. 2. num. 4. Cum à Cæsare in Hispa- D nia inclusus moenibus Atteguensium obsideretur, vt ciues truculentissima vexatet crudelitate, quos Cæsaris nouerat studiosos præcipites agebat è muris, vt ipso Cęsaris conspectu immitiori cōficerentur angore. Durum quippe supra quā dici queat semper erit eo spectante, à quo decus, & præsidium expectare debueras, non modò spe fœlicitatis, sed vita cadere. Quapropter hic, de quo sermo est Munatius, Atteguensium etiā fęminas deligebat, quarum maritos in Castris Cæsaris esse sense-

Munatii Planci barbaries.

rat;

A tat, quę ad exaggerandum diri genus supplicij, non modo vna cũ infantibus trucidabantur, viris præsentibus; verum etiam singulis suggerebatur mariti nomen, vt dum recordarentur, quibus præsentibus fieret laniena, dolore vehementius earum animus, quam ferro corpora dilacerarentur. Si nescis quid potissimum horrescere debeas, Impie, dum dicitur ab ipso amantissimo, & Patre, & Sponso, & amico Christo Domino ęternę mortis ferenda sententia, audi Eusebium Emissenum hom. 4. ad Monachos, ipso fine dicentem: *quam lugubre erit homini Deum videre, & perdere, & ante pratij sui perire conspectum.* B Amantissimo Seruatore præmia iustis largiente nihil fingi potest benignius, sed quo benignior est, eo magis terrificus impijs, vt maneat, futurum Christi Iudicis benignum terrorem, terrificam benignitatem.

Euseb. Emiss.

Deum videre, & perdere quã miserabile.

Possem hic ego, quod tamen volens mitto, possem inquam M. Tullij Ciceronis artificium imitari. Etenim vt extremo, omniumque acerbissimo supplicio interẽptum P. Gauium euincat latinus Demosthenes, illud perpendit, non modo fuisse in crucem actum; sed à C. Verre illum potissimum locum electum fuisse, ex quo Gauius cum actus in crucem, se ciuem Romanum esse diceret, ex ipso supplicio, Italiam cernere, ac domũ suam conspicere cogeretur *Italia conspectus*, verba Ciceronis, *ad eam rem, ab isto delectus est, vt ille in dolore, cruciatuque moriens: per angusto freto diuisa seruitutis, ac libertatis iura cognosceret*, & paulo post, ad exagerandam iudicis seueritatem, eiusdem refert sententiam dicentis: *spectet patriam: in conspectu legum, libertatisque moriatur.* Hæc Tullius in Verr. orat. vlt. immediatè ante perorationem. Proh Deus immortalis, quam acerbum, quam dirum, quàm durum, eorum supplicium futurum est, qui dum fidei Ciues sanctorum 2. ad Ephes. nuncupantur, In conspectu cælestis patris, & supernæ libertatis, æternis cruciatibus condemnari. Fiet, fiet luctuosior pœna, & vindicta sæuior, illius felicissimę conspectu Patriæ, ac beatissimæ, cui felicitatem diuinus tribuit aspectus, atque beatitatem. Vt hoc pateat, vnum, eundemque summi Dei conspectum, & futurum simul iucundũ electis, & improbis formidandum.

M. Tullius.

In patriæ conspectu perire quam durum.

Verum, vt dicebam, missa fiant isthęc, præsertim cum sit in promptu memorabile gestum supremi In terris sacrorum pręsidis, quod nisi fallor, pręsenti Paradoxo non parum afferet luminis. Nota est, maiorum gesta memoria veteri repetentibus, sententia lata à Theodoro Papa, in Pyrrhum Constantinopolitanum Patriarcham de qua Cardinalis Baronius, annalium tom. 8. anno Christi 648. Thedori Pap. 7. Constantis Imperatoris 7. paulo ante finẽ idest num. 16. vbi relapsus Pyrrhus, fertur fuisse summi Antistitis auctoritate dãnatus, nouo illo, planèque terrifico inuento, cum Sanctissimo Christi seruatoris sanguine perfuso atrementario, sententiã dicitur conscripsisse. *Pyrrhus*, verba à Cardinali Baronio loco citato relata *cum Roma discessisset, & Rauennam peruenisset, vt canis ad vomitum suum reuersus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine conuocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato, ex viuifico sanguine in atramentum stillauit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit.* Quis C hic non obstupescat nouum, ac penitus inauditum irati in Pyrrhum numinis argumentum? Ergo signum maledictionis, & damnationis æternæ omnium certissimum, omnium funestissimum, sanguis Christi est ex calice distillatus in atramẽtum? Ita profectò: Sanguis nimirum pretium nostræ redemptionis, ac pignus amabile diuinæ charitatis, mortis atræ fit instrumentũ, & idem quos inserendos superis profusus describit, ac detrudendos decernit ad inferos lesæ reos diuinitatis. Profuso Vindicis nostri sanguine quid mitius, aut benignius, eodem in atramentum transeat, ad exarandam sententiam damnationis, quid terribilius? D Propterea percipiant impij, sic se habere vltoris Dei iudicium, vt sit terrore benignũ, terrificum benignitate siue oris habitudinem spectes, siue vocem consideres, siue sententiam, siue denique ipsum sanguinem contempleris.

Baronius tom. 8. Theodor. Põt. sententiam cõtra Pyrrũ sanguine Christi exarat.

Insuper legatur P. Io. Antonius Velasquez tomo primo in epist. ad Philippenses ad caput primum vers. 10. Adnotat. moral. 8.

Pre-

Præterea videatur P. Didacus de Baeza tom. 3. Comment. in Euang. hist. lib. 13. cap. 2. §. 2. & 3.

Videri potest etiam R. P. Didacus Nisſenus sermon. in fer. 3. hebdom. 3. quadrag. Assumpto 5.

IN CAPVT TERTIVM à Num. V. ad XIII.

Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane cõfitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? & quæ sequuntur.

B

PARADOXVM XI.

Malus Dęmon dum minus nocet maximè nocet.



PLurimi ex Pharisæis, & Sadducæis nõ modò se conferunt ad Ioannẽ, sed etiam baptismate abluuntur, & quod mirere magis dum amicus Dei diuino tonans eloquio nefarios increpat, ab ijsdem attentis auribus excipitur. Quid obsecro tam perditum hominum genus molitur? Quid cogitat? quoue cõsilio sãctissimi viri, & colloquio vtitur, & cõsuetudine? ea fortasse mente, vt informetur ad pietatem, & religiosis pręceptionibus imbuatur? Nequaquam; qui enim in sordibus sunt, iuxta minitantis Dei sententiam, sordescent adhuc. Etenim, me iudice hæc religiosis, quam in præsenti inimica Deo capita pręferunt, species aperit nobis Dæmonis insidiatoris ingenium, cui sępe numero solemne est nõ omnem omnino sensum pietatis extinguere: vt hoc pacto sensim sine sensu faciat scelestiores. Nimirum veterator vaferrimus, dum minus nocet maximè nocet.

A

Demon non extinguit omnem pietatem.

Neque verò hęc vel mea, vel noua sententia habenda est, cum gemina id ipsum auctoritate cõfirmet B Petrus Damianus, quarum prima petitur à lib. 1. Reg. cap. 11. num. 2. Vbi petentibus militibus Iabes fędus, respondisse dicitur, Naas Ammonites: *In hoc feriam vobiscum fędus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Subdit B. Petrus Damianus; *quid per Naas Ammonitem, superbum videlicet Regem, nisi vel mundum Creatori suo rebellem, vel Diabolum eius intelligimus principem.* Et aliquanto post ait. *Notandum, quod iniquus Rex non duos inimicis eruere, sed vnum dumtaxat oculum flagitat: quia sæpe malignus hostis, consentienti sibi cuilibet reprobo homini, potiorem partem sanctitatis, ac lucidi operis adimit, minorem verò, artificiosa quadam suæ calliditatis industria derelinquit, vt in eo quod tollitur sit occasio damnationis, vt pereat, in eo verò, quod remanet, de spe fiducia præsumatur, vt peccator ad pœnitentiam non recurrat.* Huc vsque Petrus Damianus. Vtinã non viuerent plures gratię Dei orbati lumine, qui tamẽ dum ieiunijs dant operam, dũ vacant orationi, dum alia huiusmodi pietatis exercitamenta, vt ipsi putant, satis religiosè obeunt, quam immerito sibi, propterea de ęterna salute blandiantur, minime percipiunt. Redeo ad alteram sacrarũ litterarum historiam de Hanõ cum seruis Dauid quã habes lib. 2. Reg. c. 10. n. 4. & his verbis à S. Card. expositã. *Quid per Hanon, nisi nequitiæ spiritus? quid per barbã, quę virorũ est propria. Quid etiã per vestem, nisi sãctitatis intelligitur indumentũ? Psalmista perhibente, qui ait Sacerdotes tui induãt iustitiã.* Ita sanctus epist. 5. lib. 6. ante med. & circa med. ex quibus intellige tandẽ aliquando ad maiorem turpitudinis tuę notam, ad probrum, ac dedecus dignitatis tuę id sępius agi à malo Dęmone, vt maximè noceat dum modum in nocendo tenere velle videtur.

B. Petr. Dam. 1. Reg. 11.

Naas Ammonites Diabolũ repræsentat.

Diabolus aliquid relinquit in hominibus boni.

C

D

Hanon Diabolum repræsentat.

De Artaxerse scribũt Q. Curtius lib. 10,

M. Tull. Cicero lib. 3. de offic. & Valerius Maximus li. 9. c. 2. inter externa n 8. Aeginentiũ iuuentuti pollices abscindi iussisse, vt hoc pacto ceteroqui classe potẽs populus, & militari robore extimescendus, incertamen maritimarum virium secum descendere nequiret. Cur non obtruncauit brachia, vel dissecuit capita inimicorũ ad vires omnino infringendas, conterendasque? fortasse, vt plus noceret dum minus detrimentum primo quidem aspectu inferebat. Quod Dęmonis mali solet esse consilium, non robur adimit omne, non brachia discerpit, & humeros pręcidit, vnico contentus pollice. Equidem satius sibi consultum putat vaferrimus inimicus, si nequaquam suas exerat vires ad perdendum iustum, vt dum non omnino sensum pietatis adimit, faciat magis impium. Etenim qui non omnino nequam sibi videtur esse, qui blanditur sibi, quasi non sit perditę penitus improbitatis, ęgrè, ac rarò resipiscit, & non nisi magna cum difficultate recipit se ad bonam frugem. Neque tacebo hoc idem, paucis tamen mutatis scribi ab Aeliano lib. 1. cap. 9. fortasse, vt sensum aperiat vehementiorem, acrioremque sententiam in rem pręsentem indicet. Ait enim, *decreuerunt Athenienses Aegenetarum vnicuique, pollicem è manu dextera scindi, vt hastam ferre non possent remos verò adhuc agere possent.* Ex hisce Historici verbis, vide obsecro, num quidquam accomodatius fingi queat? Hę sunt versutissimi, & nequissimi inimici artes, vires quidem demere, sed ad arma fercẽda, & simul etiam compellere, vt duriorem, & abiectiorem seruiamus, seruitutẽ ita efficere, vt hastam ad pugnandum gestare nequeamus, cogamur tamẽ remos tractare, hoc est ad triremes scelerum vitam degere, inter inimicos Dei, ad miserrimas damnati ęrumnas, atque vilissimas. Non perimit semel, qui satagit, vt vitam morte transigamus acerbiorem.

Athenienses Aeginentiũ pollices abscindi iubent.

Reliquias pietatis aliquando nocent.

Profero in medium, quod Io. Boterus narrat lib. primo dictorum memorabilium vir. illus. de Theobaldo comite Campanię, hic cum conspirasse quam plurimos subiectos sibi Principes in suam perniciem animaduertisset, terris aliquot suę ditionis ignem admouit, & incendio absumpsit, Quę subiectorum essent querelę, qui eiulatus, facilius quisque poterit mente, quam ego oratione complecti. Quibus tamen rabidè adeo, & ad insaniam vsque furore inflãmatis, Theobaldus dicebat maturo se decreuisse consilio statuisseque, vt mitius se gereret, Ignem admouere. Minòris quippe mali rationem habere sibi videbatur redigi in fauillas tecta, domosque, quam eos in seruitutem abduci. Quia verò id mihi persuadere non possum, cum maximè abhorrere videatur à veritate: asserere non dubitabo, potius Theobaldi dicto, mali Dęmonis ingenium adumbrari, cui solemne est minoris mali quęsito colore, dum leniter blanditur, verbis, & promissis, res ipsa extrema, & grauissima inferre detrimenta. Quippequi dum minus nocere velle videtur maximè noxius esse solet. Etenim, ne redigaris in seruitutem, sed vt gratissima, ac iucundissima, libertate fruaris, vt ipse asserit, flammis concupiscentię admotis incendium excitat lacrymabile turpium cupiditatum, prauarum affectionum, voluptatum excerandarum, & quod caput est dum incendio libidinis absumeris, quasi de te benemereatur, quęsito vanissimę libertatis colore, non modò nocere se velle, sed dum maximè nocet, beneficium conferre profitetur.

Theobaldus Cãpanię comes ignem admouet subiectis oppidis.

Dęmon flammas admouet libidinis specie libertatis.

Quoniam verò mali Dęmonis pręcipuus assecla, quo ad huiusmodi componendas fallacias vtitur potissimum, mundus est, non erit ab re in memoriam reuocare mundum maris metaphora significari sępius in sacris litteris, quemadmodum testatur inter ceteros Origenes homil. 4. in Matthęum, & in diuer. hom. 6. alijsque passim. Placet autem huiusmodi similitudo ex eo pręcipuè, quod tanquam admirandum refert Cælius Rhodiginus libro 26. lect. antiq. cap. 12. ipso initio, ex Aristotele, alijsque, his verbis: *Contingit verò non nunquam res maximè mira, nec nisi cunctanter promenda in litteras. At quia maximis est ingenijs prodita, nullius prorsus Momi Theonius nobis deus reformidandus. Contingit inquam, nauigia quandoque, dum cursum agunt hebescente motu maris vniuerso repente absorberi, totaque ita perire, vt ne naufragium quidẽ fluitans visatur vsquã.* Quod

Mundus mari comparatus.

Naufragia maximè damnosa in maris malacia.

Quod naufragij genus? mirum dixerim, ah A terrificum, dicto citius abripi, cum omnis visa est ablata ventorum vis, cum nullis fluctibus tumescit mare. Ita plane accidit; quæ in speciem apparet malacia, tempestas est ineluctabilis. Cum ridere, & nil nocere velle videtur, cum prospera censentur cuncta, cum nullo quassatum turbine, per hoc mare præbet iter adversarius, caue ne intra penitissima æquoris abdita certus lateat interitus; caue, ne dicto citiùs, aquis subsidentibus, eo grauiore, quo occultiore vi pertrabaris præceps. Perlege, qua sententia, quàm acri, & quàm vehementi concludat Seneca B epist. 51. cui finem faciunt ea verba: *Voluptates præcipuè exturba, & inuisissimas habe, latronum more, quos Philetas Aegyptij vocant, in hoc nos amplectuntur, vt strangulent.* Præclarum monitum, ex notissimis apud Aegyptios petitum prædonibus latrocinio, & immanitate fœdissimis. His solemne erat quos cæpissent, blandè amplectendo, necare. Arguar mendacij, nisi talem se gerit cum hominibus, humanę salutis inimicus; cum blanditijs videtur amplecti, cum diuitias pollicetur, cum honores offert, cum cedunt C omnia ex animi sententia, nihil aduersum, nihil durum contingit, contradicit nemo, quid quid flagitiosi, ac facinorosi venit in mentem, in promptu est. Heu deploranda sors eius, cui id accidit, quem amplectitur dirus hostis, vt strangulet, hoc est quando minùs nocere; imo prodesse velle videtur, leuamen afferre, & facere satis voluptati, & voluntati perditorum, tunc maximè noxius est; tunc, si sapis eo magis pertimesce dolorem, tunc molestiam, animi confusionem, languores, ærumnas, interitum, malorum iliadem grauissimorum.

Latrones Aegypti amplexādo necabant.

Dæmones cū blandiuntur tunc maximè nocent.

Testantur, nisi verius detestantur, incorruptæ nuncię veritatis historię, quod D Basilius Orientis Imperator, an Tyrannus, non sine nota dedecoris sempiterna pręstitisse memoratur, dum anno Christi 1003. Imperium tenuit. Hic auaritia, & crudelitate infamis, versis in Bulgaros armis, victoria tumidus, & militari elatus insolentia, quindecim hostium captiuorum millibus iussisse dicitur oculos erui, vno singulis centurijs, lusco duce relicto, quemadmodum ex lib. 7. Sigonij P. Horatius Tursellinus refert lib. 8. epit. historiarum initio. Tam atrox monstruosę immanitatis portentum consideranti, videre mihi videor nostrarum animarum inimici truculentissimi ingenium, moresque repræsentari. Cur enim non trucidauit Basilius hostes suos? aut cur tanti flammam furoris inimico sanguine illum dixeris, non restinxisse? nisi, vt ipsa humanitatis specie immitior, atque immanior sęuiret in eos, quos tanto prosequi odio profitebatur? Eadem planè ratione, qui nobis infensissimus est malus Dęmon non se se prębet immitem, vt grauius noceat. Solet excęcatis sensibus, ad omnem libidinem, & impietatem pronis, intellectum, qui Dux est, non omnino excęcare. Neque enim fidei orbat lumine, neque omnem omnino irati Dei metum adimit sæpius (experimentum testor quotidianum) nefarios homines, & moribus planè corruptis, audimus de religione, de suę Beatitudinis, alijsque huiusmodi tam piè in speciem loquentes, vt non immeritò, dici debeant, nequaquam omnino excæcati. Verum quæ minor miseria est, maior videbitur consideranti, tali pietatis planè impio genere, & immiti misericordia vti sæpius consueuisse malum Dæmonem, vt grauiora sint scelera, eorum, qui nequaquam cæcitate labuntur, sed lumine planè lusco in luem omnium flagitiorum volentes, videntesque ruunt. Inimica planè humanitas, quæ minus nocet, vt maximè noceat. Apud Senecam libro 3. de Ira caput 20. paulo post init. leges. *Rex Persarum, totius populi nares recidit in Syria. Pepercisse illum iudicas, quod non tota capita præcidit.* En quale proponat, sapientissimus Philosophus impotentis iræ exemplum inauditum. Nequè tua te fallat opinio, nares solum rescidisse non pepercisse, sed grauius sæuisse fuit. Propterea concludit loco cit. mox laudatus auctor his verbis, *nouo genere pœnæ delectatus est.* Nouo quidem eo potissimum nomine, quantum ego interpretor, vt plurimum inimicis obesset cum parcere videretur. Enimverò satius fuisset semel honestè mori, quàm diutius cum tanta dedecoris nota vitam traducere.

Basilius Imperator exoculat Bulgaros: dato singulis centurij luſco duce.

Sensus humani cæci.

Dæmon non omnino excæcat intellectū.

Rex Persarum Syrorum nares recidit.

Quod in præsenti de malo dæmone obseruo, didici non solum à Paulo Apostolo, vt habetur Act. cap. 16. sed etiam à Christo Domino, vt legitur Lucæ 4. vtrumque adnotauit Chrysostomus hom. 13, in Matthæum aliquanto post init. dicens de malo Dæmone: *quod & si non tibi præuaricationem ille præcipiat* (Examinat eo loco Chrysostomus, quod Christo Domino diabolus proposuerat, vt scribitur Matthæi 4. *dic vt lapides isti panes fiant*) *nec sic quoque esse credendum. Et quid dico præuaricationem? etiam si aliquid vtile Dæmones iubeant, nec sic quidem illos debes audire. Sic enim etiam illos Dæmones loqui vetuit, qui eum Dei filium prædicabant, & Paulus rursum id ipsum inclamãtes increpauit: & certè erat vtile, quod dicebant; sed magis eos magisque deprimens eorum, quoque insidias destruens exagitabat, salutaria quoque dogmata prædicantes.* Etiam cum videntur Dæmones salutaria, ac sancta proponere, struunt insidias, quia maximè nocent cum minus nocere velle videntur.

Act. 16. Luca 4. Dæmon non audiendus etiã cum benè monet.

Duplicis mihi pro hac re similitudinis argumentum testis temporum præbet historia. Alterum quidem ab Annibalis peritum facinoribus, alterum à calamitate Zenobiæ Palmerinorum Reginæ. Quantum attinet ad primum videntur mihi tartareorum aduersariorum conatus esse simillimi inuento Annibalis, qui cum semel inimicam vrbem expugnare non posset, consilium huiusmodi dicitur iniuisse. Expectauit, vt ciues lætabundi, ac tripudiantes ad quoddam peragendum sacrificium progrederentur, & quia rem sacram ad numerum saltantes perficiebant, effecit, vt milites numerosam illam pedũ glomerationem perdiscerent, atque exercerent; quo circa facile cesserunt omnia exanimi sententia. Quippe milites Annibalis choreas ducentes facilè se se cum ciuibus immiscuerunt, & saltantes mutuo manuum nexu vna cum ciuibus Ciuitatem ingressi eandem redegerunt in seruitutem. De Zenobia, porrò, quæ conatu supra mulieris ingenium admirando occupauerat orientem capta ab Aureliano, & in triumphum (vt Zanoras scribit lib. 1.) ducta aureis vincta catenis fecerit ne gloriosiorem Romani principis fortem, an suam miserabiliorem ambiguum est, videlicet aureæ catenæ specie honoris vexabant grauius, & acerbius animum lancinabant; præteritæ felicitatis testes, & præsentis ministræ calamitatis. Heu quam deploranda, quam lacrymabilis, quam infelix eorum calamitas, quos amico veluti ioco, & choream perblanda, vel aureis catenis malus Dæmon, & in triumphum ducit, & redigit in seruitutem. Tunc enimuerò triumphat gloriosissimè, tunc nocet grauissimè is, qui more suo dum minus nocere velle videtur, maximè, & perniciosissimè nocet.

Annibalis stratagema. Zenobia aureis catenis vincta ducitur in triumphum.

Videatur P. Franciscus de Mendoza tom. 2. in lib. 1. Reg. cap. 3. numer. 10. Annot. 2. circa litteram Sect. prima paulo ante finem à num. 18. & cap. 4. eiusdem libri Annotat. 9. circa litter. Sect. 3. à num. 6.

Consule etiam P. Didacum de Baeza tom. 2. Comment. moral. in Euangel. historiam lib. 6. cap. 3. §. 47.

Insuper videri potest Reu. Par. F. Didacus Nissenus Dominica decima post Pentec. Assumpto 3. & Dominica decimaquinta post Pent. Assumpto quarto paulo post initium.



IN CAPVT TERTIVM à Num. VIII. ad XIII.

A

Facite ergo fructum dignum poenitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor, quæ non facit fructum B *bonum excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni, cuius ventilabrum iu manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum,* C *paleas autem comburet igne inextinguibili.*

PARADOXVM XII.

Nullum peccatum tam nostrum, quàm quod alienum.



Io. Bapt. cur adeo acriter in improbos inuehatur.

Voniã in crimina auditorũ suorum tanto conatu, tanto labore, vi tanta ratio- D nis, & orationis neruos ad hibet Ioannes, facilè disco probo cuique vesis remisque contendendum esse, vt aliena etiam flagitia euellat radicitus; quasi verò aliena crimina maximè nostra sint, nisi à nobis aduersus ea singularis diligentia adhibeatur. Igitur ne alieni criminis reus fias, perdisce nullum crimen tam tuum esse quam quod alienum.

Non lepidum modò, sed vrbana institutione pleniffimum meritò iudicatur, quod de Diogene scribunt, & Erasmus lib. 3. apoph & Aphtonius Sophista c. 3. de chreia paulo post init. Diogenes cũ vidisset adolescentulum lasciuientem turpiter, ac se se indecorè gerentem: cum perspiceret nescio quem adesse, illum percussit baculo, & quã vis ille minimè lasciuiret acri verbere exceptus fuit à cordato viro, cuius iudicio existimare debuisset tãquam suum, & maxima diligentia vitare crimen illud, quod ab altero perpetrabatur, alienum quippe crimen maximè nostrum videri debet sapienti viro.

Diogenes percutit non eum qui peccat sed eum qui præsens est.

Quando verò mentio Diogenis incidit, nequaquam reor vlterius progrediendum, nisi alterius philosophi item grauissimi, & sapientissimi fecero mentionem. Solon is est, cuius verba grauissima perpendenda sunt eius epistolę, quam Epimenidi scribit in hunc modum. *Reipublicæ inuexere detrimenta, qui Pisistrato, ne tyrãnidem inuaderet non obstiterunt.* Ita leges apud Diogenem laërtium lib. 1. in vita Philosophorum circa med. Nihil sanè breuius, nihil scribi potuit oportunius. Quasi diceret amissam lugetis libertatẽ Athenienses, sub iugo durissimæ seruitutis ingemiscentes, non tam Pisistratum, quam eos, qui Pisistrato non restiterunt, auctores recognoscere debetis tam deplorandæ calamitatis. Recognoscis grauissimè reprehendendos criminis alieni reos, quia nullum crimen tam nostrum, quam quod alienum.

Pisistrati tyrãnis imputanda ijs, qui nõ obstiterunt.

Peracutè S. August. exposito Lucretiæ Romanæ matronę gesto, quę se ipsa dignũ edidit in omnem posteritatem fortitudinis, & pudicitię documẽtum, rationem reddit, cur passæ a Tarquinio violentiæ, ægra, atque impatiens, sibi manus intulerit. Sic autem inquit c. 19. lib. 1. de Ciuit. Dei paulo ante finem: *sociam quippe facti se credi erubuit, si quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter.* Supra iã insontis matronæ asseuerat innocẽtiam, cum dixisset: *mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium vnus admisit.* Igitur si vnus tantũ adulter, si vnus reus, si vnus pœna dignus, cur alte

Lucretia alieni criminis rea se perimit.

ra proprio sanguine eius abluit maculam quā non contraxerat? si Lucretia denun ciata fuerat ab Augustino innocens, cur additur tantam sibi intulisse pœnam nimirum parum fuit pudicæ feminæ nulla culpę cōtagione fœdari, nisi insuper omnem mouisset lapidem, vt alienum crimen infectū redderet, at quę propriò pura erat scelere, integram etiam voluit esse alieno.

Fuit nisi fallor in hac sententia Plinius, fuit Aristides, & quod longè apud me maioris est ponderis, fuit Ioannes Chrysostomus sanctitate non minùs, quàm eloquentia præstantissimus. Plinius quidem epist. 11. lib. 3. scribens his verbis; *tot circa me iactis fulminibus, quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer.* Cordarum augurium non inanibus præstigijs adumbratum, sed certa scientia cognitum, quoties circa te ardentia prauatum cupiditatum iactari fulmina animaduerteris, tibi præsens impendere exitium recognoscens, in alieno funere defleas tuum. Similiter Aristides in secunda Platonica videtur in hanc eamdem iuisse sententiam inquiens; *mihi dum consulo, rem tuam ago.* Videlicet nunquam prospicit soli sibi, quiab animo eradit impietatem, sed ijs omnibus, quibus crimen esset commune: esset porrò quam plurimis, quia nullum crimen est adeo tuum, vt non sit etiam alienum. Grauius D. Chrysostomus hom. de doctrina, & correpτ. sumpta ab incendio similitudine, quod babemus præ manibus sua confirmat auctoritate, dicens *neminem esse tam tam hostili animo erga vicinum, qui non accurrat celerrimè ad extinguendum illius incendium suis ædibus consulēs.* Cōsulis tibi, quoties populatricem, debacchantemque in proximi animo prauarum cupiditatum flammā restinguere satagis, quia tuum est, alienum incendium, & re tangūt aliena funera, nō minus quàm tua.

Sapiēter, vt semper Romanæ, hoc est regnatricis reipublicę senarores gesti sui rationē reddidisse comperies, si TitūLiuium lib. 7. consulueris, apud quem cur in famnites arma susceperint his verbis aperiri comperies: *pugnauimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus finitimum populū nefario latrocinio Samnitium peti, & vbi conflagrassent Sidicini ad nostra is*

A *flurum illud incendium esse.* Perpendas velim breuissima illa verba *pugnauimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis,* & nunquam excedat animo conatus ille, qui ad tollenda aliena crimina adhibetur, verbo quidem pro alijs impendi, sed re ipsa pro nobis; nobis quippè bella gerimus, cum hostem in alio lęuientem profligamus, nobis arma tractamus, dum hostilem in alio impetum retundimus, quia nulla calamitas tam nostra, nullum incommodum tam proprium est, quàm alienum.

Hinc equidem aureo Christianæ religionis sæculo Stephanus Deo plenus, vt B habetur Actor. 7. num. 58. antequam genua flecteret, pro se preces ad Deum fudit, dicens. *Domine Iesu suscipe spiritum meum;* at vero Patrem luminum pro inimicis exoratutus, vt habetur citato capite num. 59. *positis genibus clamauit voce magna, Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Cur clamor vocis, cur tanto labore flectat genua, nisi vt ostenderet, minimè se de alienis criminibus, & quodammodo magis etiam quam de sua salute sollicitū, quemadmodum D. Augustinus serm. 170, & 237. de tempore, & sermone 1. & 2. C de S. Stefano aduertit. Qui nullius criminis tibi conscius videris, de tua salute securus, disce tanto magistro nullum non mouere lapidem, vt alienum amoueas crimen: merito quippè de alieno trepidabis, licet tuorum conscientia factorum extra omnem periculi aleam esse videaris: tuum est, quidquid alium fœdat, tuum quid quid alium vexat, & flagitiorum absumit incendio, quod restinguendum est sudoribus tuis; verè quippè non minus quam eleganter Venusinus Poëta epist. 18. lib. 1. epist. canebat.

D *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

Tua tua est fœdiras, & nequitia, tuū facinus, atq. peccatū, quo proximus exibilatur.

Neque multum ab hac sententia recessit, nisi fallor, purpuratus Vates cum Psal. 18. nu. 14. misericordiarum Patrem exoraturus postulabat humillimè dicens. *ab alienis parce seruo tuo.* Etenim si aliena sunt, cur sibi dari veniam deprecatur, aut si veniam postulat, quo pacto sunt aliena? videlicet amici Dei iudicio sic se res habet. Deflenda sunt tanquam propria,

Plinius sibi timet à vicino malo.

Qui sibi consulunt, alijs etiam prospiciunt.

Sibi consulit, qui vicinæ domus incēdium extinguit.

Romani Sidicinos à Samnitibus defendunt, vt se tueantur.

S. Stephanus pro alijs magis sollicitus quam pro se.

Dauid sibi parci precatur pro alienis peccatis.

Qui sceleribus præsentiam ea- hibet, peccat

pria, cauenda sunt tanquam sua aliena A peccata. Quemadmodum etiam innuere voluisse visus est S. Ambrosius in cap. 5. epist. 1. ad Romanos circa med. inquiens. *non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur, aut vitatur.* Non sibi peccat, sed tibi, qui spectante te se se sceleri obstringit. Par igitur erit, vt eo affectu, quo Samuel ob Saulis peccata tristabatur, vt legitur 1. Reg. 15. par erit, vt sicuti sacerdos Heli maximo afficiebatur dolore ob flagiria filiorum, quemadmodum scribitur 1. Reg. cap. 3. par iniquam erit, vt nos quoque acerrimè, & vehementissimo cum doloris sensu aliena de- B fleamus peccata, eaque tanquam propria auferre placato Deo, satagamus.

Aliena dixi, sed recantare debeo, considerans, quod Deus dixit ad Iosue, vt in eius historia legitur cap. 7. num. 12. inquiens. *non poterit Israel stare ante hostes suos eosque fugiet, quia pollutus est anathemate.* Mirum sanè, & quod attentiùs consideranti, terrorem incutiat necesse est.

Achā vnius peccatum toti populo imputatur

Etenim solus Athan furto abstulerat nescio quid in arce Ierico ex ijs, quæ Deo fuerant dicata, & vniuersus Israelis exercitus huius sceleris pœnas dedit debella- C tus, & fugam capessere coactus. Cur obsecro vnius hominis peccatum tot innocentium plectitur pœna? respondebit sanctus Augustinus quæst. super Iosue lib. 5. quæst. 8. his verbis, *vt non se solum quisque curet in populo, sed inuicem sibi adhibeat diligentiam, & tanquam vnius corporis, & vnius hominis alia pro alijs sint membra sollicita.* Aptissima similitudo.

Homines inter se quasi membra vnius magni corporis.

Etenim si cor lethali laboret morbo, huiusmodi pestem caput si despiciat tanquā non suam, desipiat necesse est. Quis eam alienam, & veluti extraneam arbitrabitur culpam, qua proximum viderit maculari? D Igitur quando te tua non mouet pietas, moueat saltem, quod tuis infers grauissimum damnum, dum enim tibi soli videris noxius, sis omnibus nocentissimus.

Date, obsecro, vt allatis in medium veterum exemplis, Poëtarum insistam vestigijs præclarissimorum. sanè Homerus Iliad. 13. inducit Deiphobum hastam iacientem in Idomeneum, quæ perlata in scutum eius, inde resilijt, & percussit Hypsenorem.

Deiphobi hasta in Idomeneum iacta Hypsenorem percutit.

Quod quia non semel ab A eodem Poëta fingi patet legenti eius poëmata; facilè adducor vt credam velle nos huiusmodi inuento, alicuius moniti ad mores accommodati, more suo facere certiores. Sanè eadem planè ratione lib. 8. Diomedes cum Hectorem vellet percutere, frustrato ictu petijt aurigam. ibidem Teucet sagittam in eundem dirigit, & vulnus infligit Gorgythioni. Vnde Virgilius imitator Homeri ingeniosus lib. Aened. 10. describit Anthorem à Mezentio prostratum, eo ictu, quo Aeneam designarat ad cædem.

Diomedes pro Hectore aurigā interficit. Alij pro alijs ca- lo cæsi.

Quapropter Anthores infœlix dicitur à Poëta, eo potissimum ca- B pite, quod alieno vulnere occubuerit. Id equidem commendo etiam, atque etiam lectoribus meis, vt caueant diligentissimè, ne alieno vulnere perimantur. Quoties, qui videntur in alium ferri venenati hostium ictus, nil tale cogitantem confodiunt. miseri planè huiusmodi homines, quoniam, quam per incuriam, alienam arbitrabantur, propriam coguntur deflere, & quidem acerbissimam orbitatem. Dicaci dum aures præbes, ira percito dum auxiliaribus viribus præsto es, tumido dum blandiris, deprauantium voluptatum cupido dum arrides, tuum fit crimen quod C ab alio perpetratur. Crede, eo concidis ictu, quo peti alter ab aduersario credebatur.

Exclamet pro me propterea grauissimè, & appositissimè morum institutor Seneca. *Nemo errat vni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitque inuicem. Et ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit: dum facit quisque peiorem, factus est.* hæc epist. 95. aliquanto ante finem.

Mala exempla tot populo nocent.

Ex hoc saltem intellige quam palmaris sit eorum error, quam miseranda deceptio qui & proximorum, & populi vitia si deriserint, atque vituperauerint fe- D cisse se satis arbitrantur. Errant. tollenda sunt, quia ea populus dat, & vulgi vitia, fiunt vitia singulorum. Nunquam nos capiat obliuio pulcherrimi illius moniti quod venustè, & verè vsurpabat Ennodius lib. 5. epist. 21. in hunc modum scribens: *apud quos ignorati sumus moribus nostris, de sodalibus æstimemur.* Ergo virorum longè clarissimorum sententia, si impuri fuerint, si ebriosi, si mendaces, si in sordibus, & flagitio volutati ij, cum quibus viuimus,

Quales quis sodales habeat talis æstimatur

nobis

nobis licet innoxijs nostra innocentia sa- A tis esse non poterit, ne ipsi nos ijsdem fœdati improbitatibus, & quidem æquissimè iudicemur, quia nullum crimen tam nostrum est, quàm quod alienum esse perhibetur. Quamobrem citatus Philosophus vt sapienter, & accommodatè concluderet mox laudatam epistolam sic habet: *Vbi testis, ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari, & conspici fructus est. Quis eam, quam nulli ostenderet induit purpuram? Quis posuit secretam in auro dapem? Quis sub alicuius rusticæ arboris luxuria suæ pompam solus explicuit? Nemo oculis suis lautus est,* B *nec paucorum quidem, & familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit; Ambitio & luxuria, & impotentia scenam desiderant. Sanabis ista, si absconderis.* Hæc ex Philosopho deprompta non indicant modò subobscurè, sed apertissimè commostrant, viriorum esse peculiare malum, vt alios inficiant, quærere sibi theatrum. languescit, imò sine theatro vitium euanescit, quia solum illud perpetranti noxium esse non potest, & vitium non est, quod pluribus non afferat detrimentum. Itaque ea, quæ scelestorũ credis esse faci- C nora tua sunt, scænam præbes criminoso longè scelestior ipse quippequi facias, quem vides tuo aspectu facinorosum. Ergo quæ hactenus aliena credebas esse peccata, tua prædices, & collimasti.

Vitia publicum amant.

Videri potest P. Franciscus de Medoza tom. 2. in lib. 1. Reg. cap. 3. num. 11. in expositione circa litteram num. 7.



IN CAPVT TERTIVM à Num. XIII. ad XVII.

Tunc venit Iesus à Galilea in Iordanẽ ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo: Ioannes autem prohibeat eum dicens: ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei: sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus cõfestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cælis dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

PARADOXVM XIII.

Sola Christo nupta fæcunda.

D BAptismi aquis perfuso humani generis reparatore, videndum se offert Spiritus Domini non alia specie, quàm colũbæ, quemadmodum existimo, ad indicandum, esse debere more columbæ fæcundam Christi gratiam bonorum operũ in mentibus per Baptismum vera fide donatis, quod quidem adeo peculiare est, vt æquis rerum æstimatoribus, sola Christo nupta fæcunda videatur.

Repete memoria quæ scribũtur Gen. 38. num. 20. de Odollamire, & Thamar, de quibus, sic apud B. Petrum Damiani. Require-

quirebat autem Hiras Odollamites à Thamar annulum, armillam, & baculum; per annulum signaculum fidei, per armillam labor operis. Ita Sanctus qui vt hoc idē nobis applicet subdit; *quasi fidei annulum requirebat, cum diceret. Qui habet sponsam, sponsus est, armillam verò laboris exigebat, cum diceret Pœnitentiam agite:* Ita Sanctus serm. 25. qui est 3. in Natiuit. S. Io. Bapt. circa med. Cum sacro fonte abluimur de nobis dicitur, quod cecinit sanctus Vates Oseas cap. 2. num. 19 *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in fide.* non excidat mente quia amantissimus sponsus non annulum modò fidei, sed armillam exigit operis. Secus, qui faxit reponitur inter eos, qui Deo sunt inuisi, ab albo iustorum penitus expungendi, dicitur enim à S. Iob cap. 30. num. 8. *in terra penitus non parentes*; quo dicendi genere qui comprehendantur explicat S. Gregorius lib. 20. moral. cap. 16. non longè à fine inquiens: *esse vero in terra, & penitus non apparere, est in Ecclesia quidem per fidem consistere, sed nil dignum fidei in opere demonstrare.* Quod si vim vocis aliter volueris interpretari, aduerte, quoniam improbi, vt describantur dicuntur non esse Parentes; fortasse, quia qicumque bonorum operū effœti viuūt, & steriles: habendi sunt impij, ac Dei inimici: cum idem sit celebratis per fidem nuptijs sanctorum operum carere liberis, ac esse Dei inimicum. Satius erit è nostris quæ nullius sunt ponderis ad alia longè præstantiora facere gradum.

Annulus fidei symbolum, armilla symbolū laboris.

Ioann. 1.

Per baptismum desponsamur Christo.

Ose. 2.

1 S. Greg.

Qui non bene operantur non apparent.

Qui carent bonis operibus inimici Dei.

Offert se mihi pijssimus, & ingeniosissimus D. Bernardus, per quàm apposite insinuans hanc, de qua loquimur sanctorum operum feracitatem. Considerat enim sponsæ lectulum, qui vt ipsamet loquitur floribus exornatur, dicit enim Canticor. cap. 1. num. 17. *lectulus noster floridus.* Enimverò neque vsu receptum est floribus lectos conspergere, neque quid magnum, aut præcellens est adeo vt sponsum cœlestes inter delicias enutritum euocare queat, aut allicere. Cur igitur post mille blanditias, & sanctissimi incitamenta amoris, post mille dilecti encomia concluditur randem: *lectulus noster floridus*; respondebit Bernardus in hunc modum. *necesse est sanè reparare*

S. Bern.

A *frequenter, & semper recentiores apponere flores, qui diù odorem suum minimè retineant, nec decorem. Quod si lectulus respersus floribus conscientia est bonis referta operibus, vides certè, nequaquam sufficere semel, vel secundo operari quod bonum est, nisi incessanter addas noua prioribus. Alioquin iacet, & marcet flos.* Ita Sanctus ser. 47. in Cantica paulo post initium. Non possum non animaduertere, quanto cum lepore meus animi sensus à Doctore mellifluo aperiatur. Resciſſis à planta floribus, opera adumbrantur, quibus castissimi beneuolentiam sponsi conciliamus

B nobis; vt sicuti nihil citius flore languescit, quibus iam breuissimi temporis iniuria decoloratis, noui denuo respergantur necesse est: ita etiam multiplici sanctorum operum centuria, par est vt animi nostri lectulus honestetur; adeo tamen, vt vna præterita die, altera non deficiat semper florida, semperque frugifera. Neque verò nouum est huiusmodi delicias, de quibus hic mentio fit esse Iustorum cum quibus nubit sanctissimè cœlestis sponsus quandoquidem mox laudatus Bernardus sine verborum inuolucris pronunciat.

C *Thalamus enim solius est anima, quam despondit Deus.*

Lectulus floridus repræsentat animam bonis operibus refertam.

Bona opera marcent, nisi noua addātur.

Maximè ingeniosam more suo proponit quęstionem Origenes hom. 1. in Genesim non longè à fine his verbis, *quomodo nondum facta muliere dicit scriptura, masculum, & fœminam fecit eos, quemadmodum legitur Genes. 1. num. 27.* paulo post ipse sibi respondet in hunc modum: *videamus per allegoriam, quomodo ad imaginem Dei homo factus est masculus, & fœmina. Interior homo noster ex spiritu, & anima constat. Masculus spiritus dicitur. fœmina, anima potest nuncupari.*

D *Hæc si concordiam inter se habent, & consensum: conuenientia inter se ipsa crescunt, & multiplicantur, generantque filios sensus bonos, & intellectus, vel cogitationes vtiles, per quæ repleant terram.* Hucusque Origenes cuius sententia audita, quis non exclamet: ò miram casti connubij fœcunditatem, cui omnis alia comparata fœcunditas, sterilis est: quoniam tàm multiplex esse debet sanctorum operum progenies, vt terram vniuersam, quanta quanta est complere queat. Vtinam parens

Spiritus masculus, anima fœmina.

Ex animæ & spiritus connexione generantur bona opera.

rens optimus tā beatę fœcunditatis Deus A hac nō dicam pulchra, sed multa faciat te prole parentem. Hic interim animaduerte ò anima quæcunque Dei sponsæ nomine gloriaris, par esse, vt nequaquam intra domesticos solum parietes pietatis, & religiosæ probitatis argumentis tuam patefacias fœcunditatem; sed frequenti, charitatis, demissionis, patientię vno verbo integerrimæ, vitæ exēplo multiplici compleas orbem terrarum, orbem imò virtutum expleas, & gratiarum.

Bona opera exercenda corā aliis.

Sanè fœcūditatem huiusmodi adamare se, & efficere quodam veluti symbolo, declarauit spiritus ille non tam vniuersitatis, B quàm fœcunditatis. Imò quia fœcunditatis pater, principium vniuersitatis, is inquam, de quo sanctissimus Vates, & historicus diuinitatis cap. 1. Gen. num. 2. ait: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quorsum super aquas is, qui ignis consumēs est? sternet aditum ad proferēdum responsum Thales ille Milesius inter septem Græciæ sapientes præcipuè celebratus, cum quo, vt refert Alexander ab Alexandro lib. 5. Genialium Dierum cap. 9. initio. Sacerdotes Aegyptij, & vates Pindarus, ex aqua omnia confici & constare dixerunt. Cui si addas, quod innuere vi- C detur Cœlius Rhodiginus lib 28. lect. antiq. cap. 24. paulo post med. de quadā Græcorum consuetudine, quibus innuit fuisse solemne ad fœcunditatem à superis impetrādam sacra facere Nymphis, quas Naiades dicebant. Quorsum obsecro ab ijs coniugalem exposcere fœcunditatem, quas virgines arbitrabātur? Est in promptu responsio. Quia nimirum Naiades præsides existimabant aquarum, à quibus fœcūditatis originem emanare putabāt. Quando autem cæcutientibus oculis, indicibus tenebris, lux cōmonstratur; liceat obsecro tenebrosis & humanæ sapiētiæ, & D poëticæ fictionis tenebris lucem indicare veritatis. Primum diuinæ sapientiæ documentum est, nihil æque Denm à nobis exposcere, quàm feracissimam sanctorum operum fœcunditatem. Ferebatur super aquas; vt ab aquis, hoc est à principio rerum omnium feracissimo, quæ nostræ sint partes liquidò cognoscamus.

Spiritus Domini igneus fertur super aquas.

Aqua materia rerum omniū.

Græci sacrificabant nymphis ad obtinendā fæcunditatem.

Hic ego si poëtarum maximum à censoria Criticorum virgula vindicabo: potero, nisi fallor non nihil in præsenti argumento pro mea sententia mutuari. Non desunt, qui bonum dormitasse Homerum putent lib. 7. Odissea. In huius libri fine cum animaduertant, Aretem Phęacum Reginam, licet Dijs, regibusque maioribus ortam, lectum suis ipsam manibus Alcinoo marito constrauisse; Poëtam accusant, vtpotè Regię dignitatis oblitum, & decori immemorem. Similiter ex eodem capite carpitur eo, quod lib. 3. eiusdem operis comminiscatur Nestori Regi ab vxore, & lectum, & cubile fuisse paratum. Fortasse dixerit non nemo, poetam his locis exorbitare, cum dedeceat, vt nemo non videt, Reginam, ministerium ancillare. Verum inusta huiusmodi ab Aristarchorum procacitate querela refellitur facilè, si ingeniosissimi mentem poetæ perspiciamus; cuius consilium fuisse reor insinuare, ea esse sacri iura connubij, vt sine coniugis iniuria prætermittere sponsa non possit, quoties se offert occasio, famulatricem operā etiam abiectissimę seruitutis. Par quippe est, & rationi consonum, vt sponsa amoris coniugalis adacta legibus, quàm sępissimè potest de marito benemereatur, & fœcundior sit eiusdem vtilitati, ac commodo exhibitorum operum, quàm liberorum. Neque verò necesse est, vt pluribus vtar ad aperiendum, innocentem animam, sponsam esse summi Dei, quandoquidem resonant in auribus omnium sacra diuini amoris cantilena Cantica Canticorum. Vnum è multis libabo breuissimè, quo huiusmodi sanctorum operum fœcūditatem significare voluisse crediderim sponsum integerrimum animarum, cum toties columbæ nomine donat dilectā suam in eo, quod præ manibus est diuini epithalamio amoris, sic 2. Cant. num. 10. sic cap. 5. num. 3. & alibi passim: de columbis enim refert Aelianus lib. 1. var. hist. cap. 14. Inter aues reliquas miræ omnino esse fœcūditatis, tantęque, vt mensibus singulis pariant: steriles ab amantissimi sponsi arcentur connubio, & diuino solum dignę complexu censentur, quę columbarum in morem semper enixę, effętę nunquam reperiuntur.

Reginæ Phæacum suis manibus lectū sternit marito.

Vxor Nestoris suis manibus cubile parat.

Sponsa Christi nulla debet despicere opera pietatis.

Sponsa Christi comparatur columbæ.

Columba auis fœcūdissima.

Verumtamen reprehendo cursum orationis; neque enim est, cur hinc inde

emen-

emendicemus, quod satis abundè ab E- A uangelicę narrationis historia suppeditatur. Concurrunt sanè plura numero; & genere præstantia virtutum ostenta, quibus & Christus, & Ioannes certatim laborant, vt congestis virtutum præstantissimarum exercitamentis doceant nos hác, de qua loquimur sanctorum operum fœcunditatem. Certat enim cum Christi demissione modestia Ioannis, & huius obedientia cum illius integritate coniuncta, quot virtutes in vna virtutis actione coniungit, vt mirum non sit, si plaudat festiuus æther & superno nobis suffragio huiusmodi bene viuẽdi prębeatur exemplar. B

Inter Ioann. & Christum certamen virtutũ.

Hinc Magnus Gregorius, cum philosopharetur de Arca Domini terram Israëlitarum de terra Philistinorum petente, & vaccas plaustro subiunctas, moribus accommodata expositione interpretaretur hom. 37. in Euangelia, inquit: *Quid igitur vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia designant? de quibus hoc est notandum, quod fuisse fœtæ memorantur.* En quę conditio potissimum exprimat, cuiusmodi debeant esse partes iustorum, qui solummodò arcam Dei meritò ferunt, si nouis in dies sanctorum operum fœtibus fœti semper nunquam effęti repetiantur. C

Vaccæ ferentes arcã fœtæ.

Compono simul antiquum Persarum morem, & Sponsi cœlestis suauissimam cantilenam, vt aperiam nouum animi sensum. Strabo lib. 15. de Persarum disciplina scriptum reliquit apud Persas consueuisse sponsum prima die, qua ad nuptam accederet edere malũ, nec alium præterea cibum eo die gustare. Hoc autem pacto faustum omen capiebant futurę fœcunditatis; Videbantur enim restari non in aliam gratiam nubere, quàm spe fructus, quo se contentum futurum, ve præclarè testaretur sponsus, solo mali fructu, pro nuptialis conuiuij lautitijs vtebatur. Recole iam quibus alloqueretur verbis dilectam suam Sponsus sanctissimus animarum, cum Canticorum 8. num. 5. decantaret, *sub arbore malo suscitaui te.* Par siquidem est, vt tanto fœcundior Christi sponsa præ cęteris nuptis sit, quo copiosior, ac feracior fructuum est arbor semper noua proferens mala: vnicum pomum fęcũditatem adumbrat humani connubij, at animę cum diuino Sponso connubia qualis sint futura fœcunditatis, quanta quanta est arbor semper ferax, semper frugifera repręsentet.

Sponsus apud Persas in nuptijs solum mali pomum comedebat.

Sponsa Christi sub arbore mali ad fœcũditatem declarandam.

Sine admiratione recolere non possum, quod Moysi à sapientissimo Rerum opifice imperatum fuisse legimus lib. 9. Num. cap. 17. vbi vt apposito symbolo palam faceret Deus, quem tamquàm sibi carum foueret peculiari patrocinio, & singulari beneuolentia complecteretur, iussit prò singulis tribubus virgas in tabernaculo fœderis collocari, quarum ea, quę floruisset, futurum erat vt portenderet carum Deo caput, vnde num. 4. citati cap. eiusdem Domini verba sunt. *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.* Mirum profectò consilium diuinę sapientię. Quid enim habent virgæ refertę floribus, quo Dei erga homines beneuolentiam adumbrent. Verum quod legitur eodem cap. num. 7. & deinceps rei obscurę mihi sensum aperit. Dicitur enim, *Quas cum posuisset Moyses coram Domino, in tabernaculo testimonij, sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas dilatati sunt.* Interrogare vellem, cur C potissimum amygdalinis floribus, & ex ijs natis fructibus repręsentare voluerit, rerum Arbiter sapientissimus carissimum sibi, prę omnibus caput? & fortasse respondebit eruditus, id quidem dignum Deo sapientia fuisse præstitum. Quis enim apud Theophilactum in naturalib. probl. cap. 17. non legerit, *Amygdalum cerne fructu ingrauescentem, adeò vt præ foetu, & exuberantia incuruetur, & terram poenè contingat. est hoc ò Polycrates argumentum maximum fertilitatis.* Vel certè quis non euoluerit lib. 2. Philonis de vita D Moysis, vbi sic habet. *Fertur è vernis arboribus prima florere Amygdalus, prouentum prænuncians fructuum arborum.* Igitur cum fertilitatis nuncia sit Amygdalus, mirum nemini sit, si naturæ auctor, quouis alio flore posthabito, Amygdalo præbeat symbolum dilecti sui. Nimirum præ omnibus Deo carus ille sine dubio prædicabitur, cui casto Dei connubio vti licuerit; hunc autem non rosæ purpura, non liliorum candor, aut vernantium pulchritudo pratorum exprimunt, sed ea

Virga Aaronis florifera, & fructifera.

Amygdalus fructuum feracissima.

Amygdalus annifructiferi prænuncia.

Amicus Dei in amygdalo allegoricè exprimitur.

tan-

tantum floris species, quæ index, & prænuncia est omnium vberrimæ fœcunditatis. Hanc exigit à sua sponsa cœlestis Sponsus, hanc par est casto exbibeat amatori, qui integerrimarum, cum Deo amore incenditur nuptiarum.

Fabulosum fortasse, & à veritate abhorrens est, quod 6. Illiad. de Priamo canit Homerus, quem ait quinquaginta filios numerauisse, cuius quidem ipse Priamus Achillem alloquens testis est his verbis.

Priamus pater quinquaginta filiorum.

Quinquaginta mihi erant, quando venerunt filij Achiuorum.

Hęc, vt dicebam, fortè commenta sunt poëtarum, at vero veriùs est, Dei sponsam tanta lætari fœcunditate, vt de ea multo æquius, quàm de familia Priami dici queat quod Seneca ore Hecubæ canebat.

Sponsa Christi mater multorum filiorum.

Liberùm magni greges.

Consule P. Io. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses ad cap. 1. vers. 11. Adnot. mor. 1.

Consule etiam P. Didacum de Baeza tom. 2. Comment. in Euang. hist. lib. 6. cap. 1. §. 14.



EVAN.

EVANGELIVM

Secundum Matthæum.



CAPVT QVARTVM.

1 TVNC Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur
2 à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & qua-
3 draginta noctibus, postea esuryt. Et accedens tentator di-
4 xit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui
respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit ho-
5 mo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc as-
sumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum
6 templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim:
Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad
7 lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Do-
8 minum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum val-
9 de: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorùm, & dixit ei: Hæc om-
10 nia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana:
11 Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc
12 reliquit eum diabolus. & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Cum au-
13 tem audisset Iesus quòd Ioannes traditus esset: secessit in Galilæam, & relicta
ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus
14 Zabulon, & Nephtalim: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophe-
15 tam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Ga-
16 lilæa gentium: populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & se-
17 dentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædica-
18 re, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Am-
bulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres. Simonem, qui
vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant
19 enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores
20 hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde,
21 vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui
22 cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem sta-

23 *tum relictis retibus & patre secuti sunt eum. Et circuibat Iesus totam Gali-*
laam docens in synagogis eorum, & pradicans euangelium regni, & sanans
24 *omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in*
totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus, &
tormentis comprehensos, & qui damonia habebant, & lunaticos, & paraly-
25 *ticos, & curauit eos: Et secuta sunt eum turba multa de Galilaa, & Decapo-*
li, & de Ierosolymis, & de Iudaa, & de trans Iordanem.

IN CAPVT QVARTVM Num. I.

Tunc Iesus ductus est in Desertum à Spiritu.

PARADOXVM I.

Vt sis perfectus siluisse sat est.



MIROR equidem celeberrimum seruatoris nostri ieiunium cõsiderantes perpaucos admodum in eo perpendere virtutem silẽtij, ad quam, vt arbitror silentio suo docendam recepit se se in desertum, omni posthabita hominum societate, & quasi adempta sibi omni colloquendi facultate. Poterat quippe non solum in materna domo; sed etiam in maxima hominum frequentia omni cibo, potuque abstinere. Hic ego quoniam huiusmodi virtutem maximi faciendam sanctorum placita monent passim, demonstrabo in presentia silentium, vel facere, vel inuenire perfectos viros, adeo vt predicari verissimè queat. Vt sis perfectus siluisse sat est. Apud B. Petrum Damianum epist. 6. lib. 7. quę est ad Agnetem Imperatricem ante med. leges; *Dum strepitus humani cessat alloquij, constituitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est, quod de Israelitici templi constructione sacra testatur Historia (videli-*

Dam.

Per silentium Homo fit templum Spiritus sancti.

A *cet 3. Reg. cap. 6. num. 7.) quia Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, cum adificaretur, templum quippe Dei per silentium crescit: quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis adificij structura consurgit.* Quod minus nouum videbitur, si reuocauerimus in memoriam tanti etiam ab Etnicis factum fuisse silentium, vt M. Tullius Catonem miris in Cęlum laudibus elaturus asseruerit, cum nullum vnquam emisisse verbum, quod emissum doleret: Proh quanta silentij custodia linguam sepsisse dicendus est, qui nunquam verbo
B sit lapsus. Enimuero non poterat paucioribus exornari verbis. Vir probatissimę vitę, sed comẽdatio nequibat esse copiosior, qui enim certos intra cancellos infręnem contineat linguam, homine maior censendus est. Hinc huiusmodi homines peritos suę linguę moderatores Platonem accepimus admiratione prosequutum, vt legi apud Cœlium Rhodiginum lib. 13. c. 5. nõ multo ante med. Et Lycurgum Spartanos suos à pueris silentio assuescere coegisse. Quasi verò liberalium omnium disciplinarum, & virtutum honesto ciue dignarum seminarium, silentiũ iudicaret.

3. Reg.

Catonis laus à linguæ moderatione.

Platonis & Lycurgi [illegible] hibẽda [illegible] iudicium.

C Non erit, vt arbitror, iniucundum conciliare, quę Psalm. 33. num. 13. & 14. pugnare videntur cum oraculo seruatoris Marci 12. num. 29. & 30. Ibi enim dicitur à Propheta; *quis est homo, qui vult vitam diligit dies videre bonos? Probibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquãtur dolum.* En quid primo præcipiatur cupięti beatitudine perfrui. At Christus Dominus interroganti, quod primum esset mandatum, cui obedire debeant, qui cupiunt dies videre bonos. Respondit primum omnium mandatum est, *dili-*

Psal. 33. Mar. 12.

Scripturarum oracula videntur pugnãtia.

ges

get Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo. Quęro iam quod sit mandatum primum obtinens locum, præceptum ne caritatis iuxta oraculum filij Dei, an linguæ custodia, quemadmodum monet Vir iuxta cor Dei? nodum soluit M. Basilius hom. in Psal. citatum non multo post med. afferẽs primum esse mandatũ vt linguam custodiamus, quia omnia criminum genera, quot quot excogitari possunt lingua perpetrantur, vt non immerito primum omnium dici debeat illud mandatum, quod si seruetur omnia peccatorum genera tolluntur è medio. *Primum mandatum est*, verba S. Basilij, *prohibere linguam suam à malo, & cauere ne labia tua loquantur dolum. Peccatum quod per linguam admittitur omnium ferè propensissimum, sed, & idem multiforme. Iratus est mox lingua occurrit. Concupiscentia teneris? habes, & hic linguam ante omnia, quasi lenam, & conciliatricem, qua cooperetur peccato. Est tibi lingua quoque vice scuti ad iniquitatem cum non ex corde loquitur, sed ea promis, quæ ad fraudem, & imposturam faciunt. Denique quid opus est comemorare, quæ per linguam peccantur? Vita nostra referta est lingua delictis.* Quæ ibidem enumerat, & apud ipsum videri possunt. Nobis interea satis sit patere manifestè idem omnino esse cohibere linguam, & omnem omnino aditũ iniquitatibus intercludere. Vnde cõnsequens est merito dici tam charitatem, quam linguæ custodiam, primum inter virtutes locum obtinere, cum non minus ex hac, quàm ex illa virtutum emanet fons intercluso penitus omni aditu flagitijs.

S. Basil.

Quod primum mandatum.

Sanè modum bene loquendi vsque adeo difficilem esse deprehendit, vt dixerit è Christi scola primæ notæ, discipulus Iacobus capite 3. num. 8. nullum hominum domare posse, vt neminem fugit. Hoc autem, quod Humanarum virium superat facultatem, silentium sine controuersia obtinet. Cuius est eas linguæ præscribere leges, vt cum laude loquatur si Gregorio Magno credimus. Hic enim considerans cur Ieremias Dei nomine Israeliticum populum alloquuturus, tacuerit, hæc habet. *prius quam verba faceret, tacuit, formam verborum sumpsit. Quid est hoc, quod nobis Prophetia sanctus in hoc suo silentio innuit, nisi quia ille loqui veraciter nouit, qui prius bene tacere didicerit. Hinc per Salomonem dicitur; tempus tacendi, & tempus loquendi Eccles. 3. prius tacendi præmittis tempus, & postmodum subdit loquendi: quia non loquendo, tacere, sed tacendo debemus loqui discere*, ita Sanctus homil. 11. in Ezechielem non longè ab initio. Subjicio, quod de hac re grauissimè Plutarcus lib. de Garrulitate non multo ante mediũ in hunc modũ monebat. *Puto quod loquẽdi magistros habemus homines, tacendi Deos. Adhibito ad Sacrificia, & arcanos ritus silentio.* Hinc Pythagorici, vt Athenæus testis est, animantes quidem reliquas attigerunt, quasdam etiam immolarunt, pisces autem nec gustarunt omnino silentij veneratione; cum enim quiddam diuinum opinarentur silentium, pisces necare nefas duxerunt cum prorsus sine voce animaduertantur. Hic ego enixè rogo lectorem meum, vt perlegat attentius, rum cap. 28. Ecclesiast rum cap. 3. epist. B. Iacobi Apostoli, & diligenter examinatis ijs, quæ de linguæ peccatis Diuina recensent oracula perpendat, num verè appellare possim silentiũ Christianæ exedram philosophiæ, & sanctarum domicilium disciplinarum. Etenim cum nos modum cum laude loquendi doceat, informet animos, atque expoliat mentes; necesse est vt omni sanctitatis genere commendabiles faciat.

Iacob. 3. Quàm arduũ linguam in offi cio continere.

Silentiũ, disciplina bene loquendi.

Pythagorici ne fas ducunt pisces necare.

Zenonis sententiam nulla consequentium sęculorum memoria obliterabit. Athenis Regij legati conuiuio excepti sunt, quemadmodum Plutarcus ante citato libro, paulo post initium scribit, quibus cupientibus cum Philosophis cęnare, nihil prætermissum est operę, ac diligentię, vt primi nominis Philosophi, ad tantę mensę confluerent lautitias. Inter cęnandum cum reliqui, instituto colloquio vltro, citroque pro sua quisque persona disseruisset, Zenonem, qui tacitus se continebat comiter allocuti hospites, cum inter pocula salutassent, *de te verò dixerunt, quid nunciabimus Regi? Respondit Zeno aliud nihil, quàm esse senem Athenis, qui etiam inter pocula silere sciat.* Tanti semper silentium habitum fuit. vt vel solũ, licet cętera deessent omnia, Philosophum

Zenonis respõsum.

queat efficere, ac commendare. Vel potius bis omissis percontari libet ab ijs, qui silentium, Tyronum esse virtutem putant, quorsum auctor naturæ sapientissimus aquilæ, regiæ cæteroqui aui omnem omnino ademerit vocem; si Aristotelem audiamus, qui lib. 9. de hist. animalium cap. 32. non longè ab initio asserit genus aquilarum omnium præstantissimum viribus, omni penitus voce destitui. In hoc ego alto, perpetuoque silentio Principis auium, quauis voce disertius declaratum agnosco, cuius tandem sit omnino voce carere, & silentio præstare cæteris. Nempe eius animi qui sublimior volatu amicos Dei reliquos spirituali fortitudine virium antecellat. Dicatur propterea à mellifluo Bernardo serm. 2. in Dominica prima post Epiph. post medium *silentium custos religionis, in quo est fortitudo nostra*. Nos verò tanto edocti magistro asserere minimè dubitemus, silentium vel facere, vel inuenire fortissimos. Dicatur ab Euangelico Vate cap. 32. num. 17. *cultus Iustitiæ silentium*. Vt qui linguam silentio cohibere nouit, virtutum omnium cultor supra quam dici possit religiosus haberi debeat, ac prædicari.

Arist. Aquila omnino caret voce.

Neque ego mirum duco fuisse id adeo dilucidè diuino pronunciatum effato, illud non possum non admirari, notum id etiam fuisse homini veræ fidei lumine destituto. Talis fuit Charillus Rex, qui interrogatus cur Lycurgus tā paucas tulisset leges, sapienter sanè, & vt Regem decebat respondisse fertur, eos qui parum loquūtur, haud quaquam legibus indigere, ita apud Plut. in apoph. Reg. & Imp. circa med. enimuerò ardua res est pronam ad colloquendum linguam taciturnitatis fræno coercere. Vnde nō sine ingenij laude S. Augustinus lib. 7. cap. 14. de Ciuitate Dei paulo post med. ad id explicandum adnotat id sibi voluisse antiquòs Mercurio geminum alarum remigium effingentes. Eius verba sunt hæc: *Ideo Mercurius, quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius, ideo alas et in capite, & pedibus ponunt, volentes significare volucrem ferri per aera sermonem*. Non mediocris, sed heroicæ virtutis est vincire compedibus taciturnitatis, quod vento velocius volitat verbum irreuocabile. Sapienter à Zeuxide Megabyzus fuisse monitus dicitur ab Aeliano lib. 2. cap. 2. hic omnino imperitus artis pingendi, frequenter de pictis tabulis ferebat iudicium, ita tamen vt vituperaret laudanda, laudaret vituperanda, quod non sine risu sæpius à pueris Zeuxidis Melinam terram terentibus excipiebatur. Itaque Zeuxis Megabyzum alloquens, gratissimè, & verissimè dixit: cum taces Megabyze mirantur te isti pueri. Tu igitur vt inter laudandos censearis, linguam compesce. Assentitur Cleobulus, quem dictitasse scribit Diogenes Laertius libro primo de vita Philosoph. in eius vita paulo ante finem audiendi magis, quam loquendi studiosum esse oportere, quo breui apoph. satis, superque commonefieri sapientem sui muneris arbitrabatur. O compendium probatæ vitæ, & spectatæ probitatis, vnicum documentum. Vt inter laudandos censearis, vnum tantummodo præstare debes, nimirum linguam compescere iuxta Beati Iacobi monitum cap. 3. num. 2. *si quis in verbo non offendit hic perfectus est vir*. Quod acceperat à S. Dauid, qui cum sanctioris vitæ decerneret methodum, dicebat Psalm. 38. num. primo & 2. *Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*. Diligentissima viarum obseruatio, quò tendit? vt custodiat linguam. adhuc clarius sequenti num. *posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me*. Putabam custodiendum cor, ne ira inflammaretur, existimabam manus à vindicta cohibendas aduersus nefarios inimicos, & tamen nil horum, sed solummodo: *posui ori meo custodiam*: Os si custodieris tuta sunt omnia, nec sceleri aditus patère potest, si linguę ianua custodiatur.

S. Augustin. — Mercurius cur ita dictus. — Aelian. — Diog. Cleobul. silentio tum. — Iacob. — Psalm. 38.

Anseres, vt Plutarcus notat de silentio animalium aliquanto post init. Animalia alioqui vocalia, & obstrepera, quando Taurum traiciunt, metu aquilarum, in os iustę magnitudinis lapide sumpto taciturnitatem sibi imperant, qua ratione, cuius vngues vltrices, nec pugna, nec fuga euadere possent, silentio vitant. Insidiatorem Dęmonem Aquilę magnę in morém hac illac, & pręcipuè per altissimos sanctitatis montes volitantem in tuam perniciem, sileas, & va-

Plut. Anseres silentio ... do montis ...

vafisti. Princeps Poetarum Homerus A ad aperiendum quot, ac quanta à vino fine temperantiæ lege epoto manent in commoda, quot fluant damna, cecinit odiss. 14.

Hom.

Nam vinum vel prudentē cantare coegit.
Atque tacenda loqui, nec idonea dicere di-(Elu.

Ingeniosè, hoc tantopere accusatur nomine ebrietas, quod fræna laxet linguæ, videlicet vt palam fiat, ebriosos quauis scelerum fœditate commaculari, non fuit necesse affirmare, vino circa præcordia efferuescente, insanos furore homines, ac de mentis potestate deijci; sed satis fuit B innuere, vino fieri loquaces; loquacitas enim criminum mater est, & scelerum origo turpissimorum. Propterea prouerb. 13. num. 3. monemur. *qui custodit os suum, custodit Animam suam, qui autem in consideratus ad loquendum sentiet mala.* Proh quàm disertè, quam dilucidè. Enimuero quidquid pro animæ custodia dici potest, quidquid excogitari, si summa rectè ducatur linguæ custodia concluditur, & absoluitur; quam qui custodire neglexerit, sentiet mala. Indefinita propositio æquipollet vniuersali, vt loquuntur in primis rudimentis dialecticę sapientiæ C studiosi. Adeo vt sensus sit; omnia malorum genera turpia, facinorosa, nefanda secum trahit loquacitas. E contra scelerum omnium remedium obuium, facile, in promptu silentium est.

[Lo]quacitas fla[giti]orum sca[t]urigo.

Prouer. 13.

Non possum finem huic Paradoxo imponere, nisi summa cum laude commemorem acumen Pittaci à Plutarco lib. de garrulitate aliquanto ante med. iure quidem optimo commendati. Etenim cum ei hostiam misisset Rex Aegypti, iussisset que, optimam, & pessimam carnem ex ea eximere, exemptam linguam ei misit. D Enimuerò negari non potest medium nil inueniri. Optimum, vel pessimum linguæ conuenit. Hanc si coercere noueris, & in offitio continere, certo scias fore te probatissimum, secus qui faxit, omni amota dubitatione scelestissimus est futurus; clamemus igitur, cum purpurato Vate Psal. 140. num. 3. *pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Perbellè scripsit S. Paulinus epist. 12. *Pax bona voluntatis, compositis religioso silentio sensibus confirmatur.* Igitur Pax bonæ voluntatis, hoc est, ea bonorum summa, qua summa Dei bonitas, è sinu patris in terram delapsa hominum ditauit inopiam, vno silentio obtinetur. Quid præstantius? sed adhuc meliora supersunt, studiosè obserua loquendi rationem, compositis religioso silentio sensibus, numquid manus, numquid oculi silentio componuntur? quàm benè: compendium virtutum omnium silentium est. Disce tandem vagam, errantemque licentiam sensuum solo silentio cohibere.

[Sil]entium, sine voce docet Pit[tac]us.

Psal. 140.

Silentium omnes sensus cōtinet in officio

Habes quo præsens argumentum locupletes apud P. Didacum de Baeza tom. 3. com. moral. in Euangel. Histor. libro 14. cap. 2 t. §. 13. Immò apud eundem tom. 2. lib. 10. cap. 9. §. 9.

Consulendum moneo P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in libro primo Reg. caput quarto num. 9. in expositione litterę numer. 51. vbi demonstrat Deum ipsum silentij esse magistrum.

Videatur etiam R. P. Didacus Nisenus Dominica tertia quadragesimę Assumpto quarto.



IN CAPVT QVARTVM

Num. I. & II.

Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

PARADOXVM II.

Bonis nihil accidit mali, malis nihil boni.



ENE est: abunde est. Gestit enimuero animus, nec immeritò, quandoquidē præbet se mihi argumentum iucunditate vtile, & vtilitate iucūdum. Quorsum enim proponitur nobis laborans inedia, & conatibus inimici vndequaque circumseptus, & nostræ reparator salutis, & probitatis auctor Christus Dominus? nisi vt intelligamus, bonis nihil mali con- C tingere posse, quemadmodum tantorum malorum fælicissimo exitu comprobatur. Etenim nibil neque à fame, neque ab aduersario patitur detrimenti, quinimo, & cælestibus pascitur epulis, & triumpho fruitur perbeato. Nimirum sic se res habet: bonis nibil mali contingit, quod, vt statuatur certius, confirmabitur à contrario, quod spondeo me facturum probando: Malis nihil boni posse contingere.

Age iam: lubeat obsecro ab eo, quod primo loco dicebatur exordium sumere; annuentibus, & fauentibus geminis sanctitatis antiquæ luminibus Tobia, & Iob. Et quidem vterque cap. 13. Iob in primis D

Iob. 13.

lætus inter angustias, infractus inter ærumnas, inuictus inter Infortunia suo probat experimento, nullum truculentum adeo, ac ferum excogitari posse mali genus, quod bonis malum sit, sic antem baber citato capite num. 13. & sequentibus. *Tacete paulisper, vt loquar quodcumque* A *mihi mens suggesserit. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? etiam si occideris me in ipso sperabo; verumtamen vias meas in conspectu eius arguam. Et ipse erit saluator meus.* Adamantinum verè cor inter aduersitatum funera, viuum adeo vegeto calore, ac spiritu charitatis, vt tunc maximè, cum aduersantia confluunt mala, reuirescere spei adminiculo videatur. Dulcem pari magnanimitate exclamaret Tobias dulcem cæli indignationem, amicas superùm iras, suaues Dei furores, quibus furore licet æxtuantibus, grauior semper B est nostrorum reatus facinorum, fædior semper culpa delictorum. Acuant dentes aduersantes ærumnæ, exerat falcem inimica mors, conspirent temporum iniuriæ, cædes, exitia, morbi, omnia malorum genera confluant cateruatim, & nullus supererit nobis locus querelarum, nullus questibus patebit aditus conscijs nobis, Deum esse in ipsis supplicijs misericordem. Hinc enumeratis citato capite 13. vltoris Dei flagellis de se ipso testatur numero 9. inquiens, *ego autem, & anima mea in eo lætabimur. Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ.* Igitur si lætitia gestit, si effertur gaudio, ma- C lis vndequaque irrumpentibus, qui integer vitæ est, & sceleris purus, huic fanè malum nihil mali afferre dicendum est.

Tobi laus à magnanimitate inter infortunia.

Tobiæ lætitia inter aduersa.

Quod quia percipi facilè non posse optimè deprehendo, ineo in præsenti consilium exploratissimæ mihi veritatis, duplici ab historia petito exemplo confirmandæ. Quorum alterum antiquior, alterum verò recentior historia suppeditabit. Auctor est, quemadmodum refert Cælius Rhodiginus lib. 11. lect. antiquarum c. 13. cir. med. Auctor, inquam, est magnus Albertus, qui asserit in Colonia Agrippina puellam se vidisse, quæ in trimatu parietibus arreperet araneas venatura, quas voraret non modò sine valetudinis detrimē- D to, sed magno cum incremento virium, adeo vt eo cibi genere oblectata insigniter aleretur. Antiquius est, & fortasse admiratione dignius, quod scriptum accepimus ab Auicenna. Hic quippe testatur sua tempestate vixisse hominem, cui non solùm venena non oberant, sed ab eo detrimen-

Cæl. Rhod.
Puella araneis vescitur.

Homo venenũ veneni.

trimentum patiebantur, adeo vt videre- A tur ipse veneni venenum, ideoque venenata omnia eum auersabantur, morientibus omnibus, quæ fortè mordicus eum apprehendissent, inde nil omninò læsum. Inter cætera porrò illud mirabile huic homini contigisse memoratur. Cum grandior admota foret serpens, bidui quidem induxisse febrem, cæterũ ipsam defecisse. Petatur à simili pro re nostra ratio. Cur enim affirmare non potero Christianæ priuilegium probitatis, & quidem amplissimum huiusmodi esse, vt à venenatis circumstantibus anguibus infortuniorum, ac malorum, mali nihil omninò patiantur. Patiantur inquam? cãto palinodiam. Siquidem quod dixi parum est, non tantum nil mali à malo patiuntur, sed malo malum inferunt, illudque tollunt penitus, atque eneruant. Fauebit fortasse ducta à serpentibus similitudine tritum illud cœleste ostentum Apostolorum Principi Petro cœlitus propositum conspiciendum, quemadmodum scribitur cap. 10. Actuum

Act. 10.

Apostolorum à num. 13. & deinceps: vbi virulentis serpentibus deterrito Petro imperatum fuit illis verbis: *Surge Petre, occide, & manduca*. Par quidem est, vt in nostro Principe recognoscamus, quàm singulare sit patrocinium summi Dei, quo auctore, quàm malum non sit malum, probè tenebit, qui noscat esse se malorum pestem, atque internecionem.

Cæleste prodigium Petro exhibitum.

Magna fortasse videbuntur allata hactenus pro eo, quod illustramus; sed adhuc potiora supersunt. Senecam, quem cõmendo sæpe satis nunquam, cõsulas velim, cuius iudicio intelliges, vsque adeo bonis nihil esse mali, vt propter ea mala, quibus fortè premuntur, superis ipsis anteferendi esse videantur. Audi verba Philosophi

Seneca.

epist. 53. in fine sic scribentis, *Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum: Ille naturæ beneficio non timet, suo sapiens. Ecce res magna habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. Incredibilis vis Philosophiæ est ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore eius sedet, munita est solidaque, quædam defatigat, & velut leuia tela laxo sinu eludit. Quædam discutit, & in eum vsque, qui miserat, respuit.* Hucusque Seneca, quo magistro discamus, ipsis malis fieri bea-

Deo maior vir [illegible] aduersa intrepidus.

riorem eum, qui inter limosas calamitatum sordes, tam alacri est animo, mente tam hilari, quàm beatæ mentes eternæ tranquillitatis in sinu, atque inter crepundia cœlestis melodiæ mentium beatarum. Quocirca dabitur mihi, vt arbitror hoc loco facultas reprehendẽdi Vlyssem, hominem cęteroqui sapientiæ non vulgaris, cum tamen lib. 22. Odyss. Amphinomum alloquens asserere minimè dubitet, nihil vmquam à fœcundissima rerum parente terra procreari posse, quod debilitate, atque infœlicitate cum homine conferri queat. Erras Vlysses, erras. Quo- B niam verum quidem est maximę debilitatis hominem esse, non tamen illum adeo arbitrabimur infœlicem; imò verò Senecæ institutionibus eruditi considerantes imbecillitatem hominis, cui tot incommoda vndique imminent, & vbique; rem veluti magnam, & superis ipsis miram dignoscemus, ac prædicabimus mitam cum tanta imbecillitate securitatem. Propterea debilis quidem dicatur, sed fœlix, cui noxia nihil nocent, & aduersa nihil planè afferunt aduersitatis.

Nil homine debilius, aut infœlicius.

Quotiescumque centesimum vigesimum quartum Psal. Dauid attentiùs reci- C to, toties videre mihi videor Regem inclytum, animo sublimi, ac mente penitus humana maiore conscendere, & liberiùs euagari per illam insulam, quam vnam è fortunatis vocant, in qua nullus præter amicum Zephyrum ventus spirat, & nusquam inclementia aëris fœlicissima regio perturbatur, sed vere vernat amœnissimo semper statio nunquam interruptæ fœlicitatis. An non talis videatur, qui dum de amicis Dei verba facere videtur, seipsum ponit ob oculos suauissimè concinẽs citato Psalmo num. 1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commoue-* D *bitur in æternũ, qui habitat in Ierusalem.* Mons verè supra terrenarum fastigiũ sordium est mens amici Dei, quam non deterrent fulgura, quam non feriunt fulmina, quam tonitrua non concutiunt, quam tempestatum horror, ac procellarum turbines non deuastant. Dicemus fortunatis Insulis quàm simillimos montes huiusmodi semper ludentis Zephyri flabello leni, flagello leui euentilatos.

Psal. 124.

Iustorum animæ fortunatis insulis similes.

Quando autem incidimus in aurea san-

ctita-

ćitatis oracula, quę Vates Regius posteritati commendauit; antequam ab ipsis recedamus inueniemus fortasse, eorum, quæ dicimus rationem firmam satis, & maximè accomodatam. Psal. 28. num. 6. confertur Dei filius, cum Vnicorni, dicitur enim *dilectus, quemadmodum filius Vnicornium*. Quid obsecro tam pręcellens repetitur in Vnicorni, vt cum eo summi patris Vnigenitus conferatur? Placet mihi illa responsio ab Vnicorni natura petita. Notum est, quod de hoc animali rerum naturalium indagatores scripserunt. Pausanias in primis lib. 9. ita depingit hoc animal, vt ei in summa nare cornu esse testetur, similiter Plinius lib. 8. cap. 20. inquiens: *cui vnum in nare cornu sit*. Quod leges etiam apud Dionem lib. 5. Quod cum ita sit affirmare non dubitauerim comparari aptissimè Vnicorni, cui cornu infra oculos sit, comparari inquam eum, qui sæpe sæpius percutit quidem, & vulnerat, vulnua tamen lyncen diuinæ prouidentiæ oculo subest. Enimverò vulnerat, vt sanet, qui Pater est, percutit vt reficiat parens idem, ac Dominus vniuersitatis. Didici ab Amos Propheta cap. 3. num. 6. malum nullum euenire vnquam, nisi Domino auctore, dicitur enim *si erit malum in Ciuitate quod Dominus non fecerit?* ita est, sed compellor dicere, tale malum, minimè malum esse, quoniam erudiot non cæco furore percitum in nos irrumpere, quoties inuadit iratus Deus, sed ipsum attentissimè, ac diligentissimè perspicere; quasi verò tanquam è specula dirigat ićtū, amoris dixerim potius, quam furoris. Vel certè dicatur, *dilectus quemadmodum filius Vnicornium*, quia sicuti Vnicornis eodem, quo scindit, ac vulnus infligit cornu eodem etiam medetur, & sanat (quemadmodum scribit Pierius Valerianus lib. 2. Hieroglyphicorum in fine) ita etiam mala, quorum auctor Deus est, est autem omnium, iuxta Vatis oraculum, dum videntur prosternere subleuant; dum vexare creduntur, recreant: dum torquere existimantur, pariunt voluptatem. Dicantur igitur sine calamitate miseriæ, sine aduersitate infortunia, atque vno verbo mala non noxia, planèque infortunia fortunata.

Psal. 28.

Deus comparatur cum Vnicorni, & cur.

Pausan.

Plin.

Dion.

Omne malum pœnæ à Deo.

Pier.

Vnicornis vulnerat, & sanat cornu suo.

Cuius quidem ea subit in mentem ratio, quæ nequeat prætermitti. Si cui fortè mirū videtur, cum dicimus bonis nihil mali posse contingere, is memor sit à sapientibus viris probum hominem Olympo monti, & quidem meritò comparari, cum Olympus, vt tritum est sublimi vertice supra nubea erigat caput, adeò vt nulla fulminum ićtu percuti queat ab omni penitus irati cœli inclementia immunis. Erigit sese supra nubes, ac nebulas humanæ inconstantiæ, qui totus in Deo est, vt mirum videri non debeat, si nullo feriatur fulmine, nullo fulgure deterreatur. Imò si poetarum vestigija velimus insistere fortasse proferre poterimus aliquid pro re præsenti non omninò exsibilandum. Poëtæ quippè ex tam vulgari Olympi magnitudine occasionem sumpserunt, cœlum, beatarum mentiū sedem, Olympi nomine nuncupandi: Nos rećtiùs huiusmodi homines Olympo similes cœli nomine dignos, non consalutabimus modò, sed venerabimur. Equidem Dei amicos, veram Dei sedem, & animatum cœlum appellare non dubitauit Gregorius lib. 29. moral. c. 15. aliquanto post initium. Liceat hic mentionem facere de eo, quod scribit Aelianus lib. 1. cap. 33. de Mise quodam, qui Artaxerxi per Persidem equitanti malum punicum tantæ magnitudinis obtulit, vt Rex admiratione captus interrogauerit, *è quo nam Paradiso depromptum hoc donum mihi affers?* Misen verò respondisse fertur, *è domo mea*; fœlix, qui oblatis regi potentissimo fructibus eiusdem iudicio domum suam Paradisi potuit nomine nuncupare. Aperitur mihi hoc loco aditus ad dicendum, Paradisum esse animum Iusti, cuius frućtus probatissimus, ac laudatissimus est cœlorum imperatoria iudicio, malum punicum. Hoc quippè singulare indicium est, quod in anima iusti requirit Cantic. cap. 6. num. 10. vbi ait. *descendi in hortum, vt inspicerem, si germinassent mala punica*. Igitur Paradisus est is, in quo maturescunt continuò coronata semper, semper viuida natiuo rubore malorum punicorum instar, opera charitatis. At si Paradisus est etiam in teterrimo hoc miseriarum carcere mali profećtò nihil pati, aut pertimescere potest.

Iustus Olympo confertur

S. Greg.

Amicus Dei cœlum animatum.

Aelian.

Misis responsum memorabile.

Cant. 6.

Enimverò eximij probitate viri, mea quidem

quidem sententia, illis animalibus sunt simillimi, quæ lib. 8. de hist. anim. omniuora dicuntur ab Aristotele. Hæc non modò frugibus vescuntur, & carnibus; verum etiam muscas, vermes, & omnium insectorum varietatem comedunt, imò, quod mirere magis, cœnosas luti sordes, lapides, stipitesque degluriunt. Longè melius cum Dei seruis agitur, quibus dura, insuauia, sordida non nocent modò, sed præbent alimenta. Horum vnus fuisse mihi videtur Boemiæ Rex Vinceslaus, quippe, vt refert Io. Boterus lib. 2. dict. memor. viror. illustr. paulo post initium, profligatus ab hostibus captusque, nescio cui tàm miseram deploranti calamitatem respondisse fertur. *Pone lachrymis modum, & si sapis nouum agnosce genus prosperitatis. Tot inter erumnas nulla vexor calamitate; imò gestientis animæ efferor voluptate.* Etenim qui Deo cor sacrauit, in ipsa captiuitate, carceris quidem compedibus detineri potest, non deturbari de culmine fœlicitatis.

Iam verò reliquū est, vt ex aduerso perspiciamus, quam veritati sit consonum, malis nihil boni posse euenire. Loquor autem de eo bonorum genere, voluptatibus videlicet, delicijs, alijsque, quibus improbi maximopere delectantur. Placuit mihi semper, quod legi apud Aelianum lib. 9. cap. 24. de Smindyride: Quod fortasse sternet aditum ad sententiam minimè pœnitendam. *Smindyrides Sybarita*, inquit Aelianus, *adeò in luxuriam, mollitiemque prolapsus est, vt cum omnes Sybaritæ delicijs vacarent, vitaque diffluerent, hic omnes longe post tergum relinqueret. Proinde quodam tempore in rosarum folijs recumbens, somnumque in ijs carpens experge factus dixit: Se pustulas ex nimia lecti duritie inflictas habere.* Hoc quod hactenus ex Aeliano commemoraui sine dubio mirum est, sed quod subijcio verum. Ipsæ deliciarum, & voluptatum illecebræ quibus rosarum instar oblectari se profitentur impij, vt ipsimet Sapientiæ cap. 2. num. 8. loquuntur dicentes; *non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*; hæc inquam amœnissimæ florum, atque nimium deliciæ asperæ adeo sunt, vt lacerent, dum delectant, & spinarum instar vulnus infligant; vnde Magnus Gregorius in Psal. 31. num. 4. ait: *omne peccatum dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.*

Recognouit id expressum D. Ambrosius ipso nascentis temporis exordio in historia, quæ sacrarum monumentis litterarum de humanæ naturæ parente Adamo legitur cap. 3. Genesis num. 7. vbi dicitur; *& aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Cur potissimum induerunt se folijs ficus? profectò, vt constet facinorosis hominibus id contingere, vt nequaquam prædulcium fructuum vbertate fruantur, sed duritiem, & asperitatem sentiant, adeo vt non ficus recreentur dulcedine, sed foliorum asperitate lacerētur, & quis non dicat inamœnas delicias, & insuaues suauitates facinorosorum. Audi Ambrosium lib. de Paradiso cap. 13. circa med. sic sentem. *Et assueuerunt inquit, folia ficus, & fecerūt sibi succinctoria ficuum hoc loco, pro qua specie debeamus accipere, diuinarum nos docet series lectionum, quandoquidem sanctos esse, qui sub vite, & sub ficu requiescunt, scriptura memorauerit, & Salomon dixerit. Qui plantat ficū comedet fructus eius. Et Dominus cū ad ficum venerit, sed ideo sit offensus, quod non inuenerit fructum, sed folia tantum. Docet ergo nos Adam qua sint folia, qui posteaquam peccauit de folijs ficus fecerit sibi succinctorium, qui de fructibus magis eius gustare debuerit. Iustus fructum eligit, folia peccator. Illo nil dulcius, istis asperius nihil.*

Gemini, iique lectissimi è choro sanctorum Patrum nostræ subscribunt sententiæ: ij sunt Gregorius, & Augustinus. Hic postremus Concione 2. in enarratione in Psal. 32. paulo post med. explicans versum 12. eiusdem Psal. *Beata Gens cuius est Dominus Deus eius.* Subdit hæc verba; *quis est, qui non hoc audito cupiat se [illegible] amant certe omnes beatitudinem. & tamen peruersi sunt homines, qui mali nolunt esse miseri nolunt. Et cum sit malitia indiuiduus comes miseriæ, isti peruersi non solum mali esse volunt, & miseri nolunt, quod esse non potest: sed nec mali esse, ut miseri sint.* Itaque ex Augustino non [illegible]

[illegible]

Animalia dicta omniuora. & [illegible]
Vinceslai constantia.
Aelian.
Smindyridis luxus.
Sap. 2.
S. Gregor. Rosæ delectando pungunt dum delectant.
S. Ambr.
Genes. 3.
Cur folijs ficus sese induerunt primi parentes.
Psalm. 32.
S. August.
[illegible]

non esse miser, præsertim dum se beatum putat suorum compos votorum, qui malus est, atque facinorosus. Plurimus est in hac veritate confirmanda Gregorius. Etenim cap. 16. lib. 20. moral. exposit. in 30. caput Iob paulo ante medium. Ieremiæ oraculum Threnorum tertio in hunc modum interpretatur. *Rectè Ieremias totius in se humanæ conuersationis speciem sumēs per lamentum queritur dicens: inebriauit me absinthio, qui absinthio inebriatur, & hoc, quod sumpsit amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem, qua repletur. Humanum igitur genus, recto Dei iudicio in voluptatibus suis, sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium, quia & amara sunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat: mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit amarum est, quod bibit. Amant peruersi homines pro huius mundi gloria etiam tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo deuotissimè colla submittūt.* Plura similia videantur loco citato, dummodo assentiamur omnes laboribus, angustijs, cruciatibus dirissimis referras ingeniri semper eas voluptates, quas flagrantissimè affectant, & suas putant delicias facinorosi.

S. Gregor.

Amara scelestorum dulcedo.

Videntur mihi humanæ salutis hostes, Diabolus, Mundus, & Caro gerere se cum scelestis tales, qualem Cleomenem Laconem præbuisse se cum Arconide scribit Aelianus lib. 12. cap. 8. Profitebatur Cleomenes se necessitudine deuinctissimum Arconidi, cui propterea pollicitus est voluptates, ac delicias vsque ad satietatē, si quemadmodum machinabatur rerum omnium fuisset potitus. Aspirarunt superi votis Cleomenis, qui summum adeptus imperium contra ius, falsque obtruncatum Arconidis caput, vasi pleno mellis imposuit. Perspicite tanquam in exēplari impij voluptatis amatores, quàm sint mellitæ blanditiæ, quas splendidè mendax aduersarius, vt Dei, & vestræ non modò salutis, sed voluptatis, sæpissimè pollicetur. Fallax hoc est semper sibi similis, mel propinat, mortis felle contaminatum: ludit ille inanissimis pollicitationibus, sed verissima deludit pernicie, ac

Aelian.

Rescissum Arconidis caput vase mellis inclusum.

A exitu planè calamitosissimo. Moneat propterea breuissimè, sed accommodatissimè morum institutor Gregorius lib. 10. moral. cap. 12. *malis præsens securitas labor est.* Et dubitabimus, num veritati consonet, malis nihil accidere boni, quandoquidem, & rosæ rigescunt in spinas, & blandissimi fructus rigescunt in asperrima folia, & eorum beatitudo misera, & mel infectum amaritie à sanctissimis, ac sapientissimis viris non immerito prædicatur. Abite amaræ dulcedines, recedite asperæ blanditiæ, procul hinc, procul esto deliciæ laboriosæ, ac parentales fœlicitates.

S. Gregor.

B Demum antequam finem faciam, geminum commemoro exemplum satis, vt arbitror, accommodatum è sacris vnum, alterum è profanis ductum historijs. Illud quidem à beato Petro Damiano examinarum, sic accipe. Filij Israel, vt neminem fugit cœlestibus licet epulis pascerentur reperiris ramen crebrò suspirijs, cępis, & allijs inhibabant. Dicas portento simile inter fercula Angelicis manibus parata; allia, & cœpas expeti. Demirarer profectò monstruosam hanc insanientium C helluonum ingluuiem; nisi eloquentissimi, & sanctissimi Cardinalis animaduersione docerer in huiusmodi fame recognoscendam, ac deplorandam esse calamitatem facinorosorum. *Sibi deesse coepas, loquitur Damianus, conquerūtur, & allia, quæ nimirum species dum vi naturalis acredinis mordent faucium gustum, lacrymas prouocant oculorum.* Ita epist. 15. lib. 1. epist. quæ est ad Alexandrum Secundum Summum Pontificem circa med. Ibidemque docet idem ad vnguem contingere flagitiosis, qui vrinā aliquando perdiscant tales esse, quas expectant delicias, vt ijs, D dum fruuntur abire in lacbrymas compellantur. Discite infœlices, quantus sit in vestris delicijs cordis amaror ex eo, qui necesse est erumpat ex oculis imber profluentium lacbrymarum. Alterum, quod dicebam suppedirat Plutarcus in apoph. Reg. & Imper. non multo ante med. vbi dicitur Lysimacus imperio potens, & pollens ingenio in Thracia à Dromachecta superarus, cum seipsum, exercituinque, qua ad interitum vsque laboraret siti, leuare vellet, compulsusque hosti manus dare

S. Petr. Dam.

Israelitæ cepas & allia exoptant.

Plutarch.

date, cum bibendo sibi molestissimè facere satis, vt suam deploraret calamitatem, sero quidem, sed vero exclamauit apophtegmate: *ô Dij quam paruæ voluptatis causa me ipsum ex Rege seruum effeci.* Responde paululum, num Lysimachi infortunio declaretur adamussim conditio malorum, quibus nihil accidit boni. Quoniam ea ipsa, quæ veluti flagrantissimo studio, vnicè concupita bona sibi appetunt æstuantes, vbi primum hauriunt, fastidiunt nauseabundi, quia nihil illis potest esse boni, qui mali sunt.

E rege seruus quis, & cur.

Atque vt paucissimis plura complectar, & vltima primis respondeant, si vlupa. uero illud Augustini enarrar. in Psal. 127. aliquanto ante med. declarabo, quid dicere velim. Confert loco citato Augustinus, martyres cruciatibus vexatos cum hominibus omni bonorum genere abundantibus, & sic ait: *nolite zelare, quando illos videritis esse fœlices infœliciter. Saculi enim homines infœliciter fœlices sunt. Martyres autem fœliciter infœlices.* Sic initio statuebam, vt vellem tantam bonorum esse fœlicitatem, vt in ipsa sint infœlicitate fœlices, & praui è contra in ipsa fœlicitate infœlicissimi. Finem dicendi facere non possum, nisi commemorem lepidum æquè, atque ingeniosum Ioannis Secundi Lusitaniæ Regis apophtegma relatum à Io. Botero lib. 1. dictor. memor. viror. illust. paulo post med. Venabatur aliquando, animi causa Rex generosus, cum fortè sitiret, vix id significauit ecce tibi præsto fuit poculorum præfectus, qui dum porrigit calicem, nescio quo pacto dilapsus è manibus ciatus nonnullorum, qui aderant procerum risum excitanit. Hos seuero supercilio intuitus Rex risum iussit cohibere addens: Huic quem derideris ipsi ridendi, cryrstallus è manibus cecidit, nunquam lancea; quod vobis non semel contigisse scitis, spectante me. Si vti liceret similitudine dicere non dubitarem recognosci facilè posse in narrata historia proborum discrimen, atque improborum. Illis quidem ipsa infortunia famulantur, & Imperatorem summum excusatorem quodammodo habent, atque procuratorem. Isti è contra cum efferri, atque gestire videntur lætitia, hoc est, cum eis prospera cuncta succedunt, acrius reprehenduntur, ac durissimè obiurgantur. Vt hinc etiam constet, vt bonis, nihil mali, ita malis nihil boni posse contingere. Ac propterea dicere debeamus, cum B. Petro Damian. opusc. 23. cap. 4. paulo ante finem: *malè agentibus vertitur in perniciem, quod rectè viuentibus prouisum est ad salutem.*

S. Aug.

Iustus fœliciter infœlix, peccator infœliciter fœlix.

Boter.

Acre dictum Io. Regis.

B. Petr. Dam.

Neque verò mihi displicet omninò, quod Seneca scribit lib. de vita beata c. 6. in fine, his verbis: *Quid est, oro vos, cur separari voluptas à virtute non possit? videlicet, quod omne bonis, ex virtute principium est. ex huius radicibus etiam ea, quæ vos, & amatis, & expetitis oriuntur.* Hæc Philosophus. Ex eius itaque sententia habeatur pro certo, ea omnia voluptatum, & bonorū genera, quæ quot quot sunt homines expetunt auidissimè, à virtute tanquàm à radice pullulate; vt mirum nemini videatur inposterum si nil boni malis, nil mali bonis contingere decernamus, cum ea, quę bona iudicantur ab omnibus, a virtute, quæ sola bonorum origo est, proficiscantur. Scio equidem non modo Herillum Chalcedonium, vt Laertius in eius vita scribit, sed Aristotelem etiam asseruisse, vt legenti lib. 10. ethic. facilè patet, solam sapientiam, Indeficientem esse venam earum, quæ animo concipi possunt, fœlicitatum. At verò germana sapientia probitas est, & solum virtute prçditum, arbitraberis sapientem, ipse si sapias. Sanè sapientissimus gentium Doctor Paulus 1. ad Cor. cap. 2. n. 2. scribit in hunc modum: *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Vt interea omittam S. Gregorium Nazianzenum in Christo Patiente circa med. sic canentem.

Seneca.

Voluptas cum virtute coniuncta.

Laert.

1. ad Cor.

Colere Numen iudico

Id omnium longe esse sapientissimum.

Itaque si sola virtus, Sapientia est, vtique nihil mali contingere poterit amatori virtutis, cum tam arctus sit nexus virtutis, & fœlicitatis, vt hæc solum cum virtute reperiatur.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 1. Comment. moral. in Euang. hist. lib. 1. c. 7. à §. 30. ad §. 33. & lib. 3. eiusdem tom. cap. 9. §. 4. similiter tom. 3. lib. 14. c. 6. §. 4. & tom. 4. lib. 16. cap. 11. §. 4.

Videatur etiam P. Io. Antonius Velasquez

quez tomo 2. in epist. ad Philippenses ad cap. 2. vers. 22. & 23. Adnotat. vnica. Immo tom. primo ad caput primum versicul. 10. Adnot. moral. prima, & ad idem caput vers. 22. Adnot. moral. vnica.

Iterum moneo legendum P. Didacum de Baeza tomo 2. Comment. moral. in Euang. hist. libro 11. caput 5. S. 6.

Similiter non parum illustrabit hoc argumentum id, quod affert P. Io. de Pinna in caput 7. Ecclesiastici Ethologia 85. vbi probat, nomen mali vni peccato conuenire.

Insuper legendum moneo P. Didacum de Celada comment. in Judith caput 12. vers. 7. S. 14. morali & c. 16. vers. 9. S. morali 8. 10. 11. & 12.



A

IN CAPVT QVARTVM à Num. III. ad X.

Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum

B

templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mãdauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est, non tentabis Dominum Deũ tuum.

C

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.

PARADOXVM III.

D

Malus Dęmon magis timendus Victus, quàm Victor.



TOTO cælo aberras, si fortè tibi de immanissimo hoste, semel, atque iterum profligato, ita blandiaris vt putes in vtramque aurem te posse dormire. Imo erebi Principem, cum vicisti, tunc

A tunc maximè pertimeſcas, Etenim malus Dæmon magis timendus Victus, quam Victor. Vt meridiana luce patet clarius, in certamine, quod hoc loco proſequitur Euangeliſta. Repulſam ſæpius patitur immaniſſimus humani generis inimicus, & ſemper validior ſurgit, ſemper acrius inſtat, ſemper deteriora molitur. *Intelligamus*, vt cum S. Leone loquar; *quanto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto nos vehementius ab aduerſarijs impetẽdos.* Ita ſanctus ſer. primo de Quadr. ante med. Ad rem noſtram plura conglobat auctor lib. de ſingularitate clericorum, qui inter opera S. Cypriani circumfertur, Quicumque ille ſit, certè laudatus, & antiquus eſt ſcriptor, ſi Belarminio credimus lib. de Scripr. Eccleſiaſt. ſic autem fatur. *Acrius diuitibus, quàm pauperibus inuidetur, & non inopes, ſed locupletes inquietat infeſtatio ſaua latronum! Plus diuites, & Principes, quam milites ab hoſtibus appetuntur in pugna, & violentius propulſantur ventis, & turbinibus culmina quacumque ſunt altiora. Ideo magis magiſque, quo plus cateris vnuſquiſque poteſt ſciat eſſe ſibi metuendum.* Ita cit. auct. lib. cit. circa finem. Malus Dæmon inimicus eſt, inuidus eſt, latro eſt, hoſtis eſt, turbo eſt, timeat ergo, qui diues, qui fortis, qui ſublimis reportatis ab eodem victorijs ſupra C cæteros eminet opinione virtutis. Dignam ſanè Auguſtino ſententiam quã licet ſer. 6. ad fratres in eremo: Scriptam inuenimus, cum legerem heſi attonito, ſimilis ſic enim ait; *ſi bonus es monache cadere facilius poteſ.* Ita S. ſer. cit. paulo ante finem. Quid hoc eſt an non portento ſimile, quod piæ aures perhorreſcant. igitur morum innocentia, & vitæ integritas impellet ad lapſum: abſit ſed cadere facilius potes, ſi bonus es, quia quò fortius hoſtem reijcis, eò ardentius accendis ad pugnam, audi S. Cyprianum. *magis inſidiantem aduerſarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, et acrior factus, hoc ipſo, D quia victus eſt, ſuperautem ſuperare conatur.* Ita S. lib. 3. epiſt. epiſtola 4. in fine. Emerſiſti Deo fauente è vitiorum cæno, prægrandem criminum ſarcinam depoſuiſti, effractiſque malarum cupiditatum vinculis truculẽtiſſimi tyranni euaſiſti ſeruitutem.

Quàm Diaboli pertinacia.

Mens Dæmonis concutitur magis qui fortior eſt.

S. Aug.

Probus facilius poteſt cadere.

S. Cypr.

Dæmon victus, hoſtis nocentior.

A Caue lætitia efferaris, potiora ſuperſunt argumenta timoris, ſi monitum audias, vt veritati conſonum, ita tuæ accommodatum ſecuritati ſanctiſſimi Patris Gregorij: quærit enim cur dicatur Iob. cap. 40. numero 10. *Behemot fænum quaſi bos comedet.* præſertim cum Iſaiæ 11. num. 7. habeamus: *leo quaſi bos comedet paleas*, quæ hæc tam diuerſa loquendi ratio? cur modò dicitur comedere fænum, modò paleas. Sed aduerte dicitur leo comedere paleas, hoc eſt cum, immaniſſimè ſæuit, & leonis induit feritatem, quando videlicet omnem adhibet ad nocendũ conatum virium tunc paleas comedit, audi iam ſanctum B Pont. *Boues fæno non niſi mundo veſcuntur: fænum ergo comedere ſicut bos appetit, quia ſuggeſtionis ſua dente conterere mundam vitam ſpiritualium quærit.* hæc S. lib. a 3. moral. capite 10. paulo poſt init. Nulla palleſcis culpa, quia quoties tentator accedit, toties à te reijcitur, impigrè; caue ponas metum, quia hoſtis vires colligit, vt te vehementius impugnet. Non eſt cur id meo marte confirmem, cum magnum Leonem afferre poſſim, ſic fantem. *Peruigil ille tentator eos acrioribus pulſat inſidijs, quos maximè videt abſtinere à peccatis: Viderat ſuperbiam ſuam baptizati Domini Ieſu humilitate calcatam; intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis excluſam, & tamen non deſperauit de artibus ſuæ malitia ſpiritalis improbitas, tantumque ſibi de natura noſtra mutabilitate promiſit, vt quem verum experiebatur hominem, præſumeret poſſe fieri peccatorem.* Ita S. ſer. 3. de quadrag. circa med.

S. Greg.

Iob 40.

Iſaie 11.

Cur Diabolus Boui comedẽti comparetur.

S. Leo.

Diabolus nunquam deſpondet.

Vſurpari ſolet tritum illud S. Auguſtin. ad ſignificandum, omnem abiciendum eſſe timorem de hoſte nefario, quia cum ligatus ſit, *latrare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem*: ego verò huiuſmodi latratum non mediocriter perhorreſco, præſertim cum recolo, quæ in vita Arati paulo poſt init. refert Plutarchus. Aratus, vt Xenocle Sicyoniorum tyranno profugato, patriam in libertatem aſſereret, miſit cum Xenocle duos ſuorum famulorum, Seutham, & Theonouem, qui expugnandæ ciuitatis murum contemplarentur. Reuerſus cum famulis Arati Xenocles menſuram muri attulit, indicauitque loci

S. Aug.

Plut.

Xenocles latratum canũ pertimeſcit.

naturam eam esse, vt conscendi facilè posset, magni autem laboris esse, eò accedere propter hortulani cuiusdam canes paruos quidem, sed oppidò acres, & implacabiles. Vide quid viro cęteroqui fortissimo facessat negotium, latratus canum: quanto æquius Cerberum trifaucis triplici hiatu oris immanissimè reboantem pertimescere debet Christi bellator. Esto sit eò vsque adactus Canis tartareus, vt mordere omnino non possit reninctus adamantinis cathenis, solo tamen latratu eos animi motus ciere potest, ac tantas in animo commiscere turbas, vt extremum euadere discrimen omnino sit arduum, vsque adeo veritati respondet, malum Dæmonem victum licet, debere tamen esse formidini.

Diabolus timendus licet latrare tantum possit.

Diog.

Est apud Diogenem Laërtium lib. 2. de vita Philosophorum: Menedemi adagium huiusmodi.

Deprehensus olim est ab impotenti celer,
Et tarda capit testudo regem alitum.

Fortis timeat imbellem.

Generosissimæ naturæ, & eximij roboris est aquila, supra quàm dici possit imbellis testudo, videlicet etiam fortes, & victorijs præclari ab ignauis cauere debent, ne plus æquo sibi blandiantur. Sæpius in morem aquilæ magnę, Dęmonem humi repente allisisti (quemadmodum reginę alitum solemne esse testatur Plinius lib. 10. cap. 3. raptas etenim testudines è sublimi iaciendo frangunt aquilæ) non propterea timorem abijcias. Imò victus hostis timendus magis, quemadmodum deduci facilè potest, ni fallor ab eo, quod magnus Basilius hom. de leg. lib. Genr. post med. refert his verbis: *Illud Alexandri Magni non præteribo, qui Darÿ filias captiuas admirabili forma, & decore conspicuo, vt fama est, nec etiam videre dignatus est, turpe esse existimans victores, bis, quas ipsi superassent gentibus succumbere.* Plenum animæ magnæ pectus, omnem adhibet diligentiam, ne à victis, & in seruitutem redactis vincatur, probè tenens, & id turpissimum esse, & maximè pertimescendum. Scitè quippe Tertull. lib. de Pœnitentia cap. 7. circa med. de malo Dæmone verba faciens ait. *Peruicacissimus hostis nunquam malitia sua otium facit. At quin tunc maximè sæuit, cum hominem plenè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.* Caue igitur in vtramque aurem dormias qui Dæmonem profligasti; imò sit eò iustior merus eò grauior sollicitudo.

Plin.

S. Basil.

Alexander Darii filias videre noluit.

Tertull.

Diabolus accedit dum extinguitur.

Quòd si comprobatū viderimus ab ipsis mendacissimarum auctoribus fabularum, quod in præsenti prosequimur, mira non minus, quàm vera videbimur promere. Age dum è festiua poetarum natione nostræ confirmationem sententię retexamus. Neminem latet Antæum immanem illum Lybiæ Gigantem Neptunni ex terra filium magnitudinis fuisse prorsus insanæ. Aiunt quippe illum in quadraginta cubitos excreuisse. Dicitur autem singulari cum Hercule congressus certamine, quoties ab aduersario in terram postratus profligabatur, toties acrior, & validior impetu vehementiori in hostem insurrexisse. Gigantem si dixeris malum Dæmonem consenties cum Philone de Gigantibus, & cum Origene super Numeros hom. 7. & homil. 3. in Cant. cuius quidem lamentabatur Iob cap. 16. num. 15. inquiens. *concidit me vulnere super vulnus irruit in me, quasi Gigas.* Huius Gigantis discas velim ingenium, & mores, cui pro certo teneas solemne esse, tunc vehementioribus inflammari stimulis, ad colligendas vires, acuendumque furorem, cum se sentit prostratum esse, & profligatum.

Antæi magnitudo.

Phil.

Iob.

Diabolus Gigas.

Perbellè S. Io. Chrysostomus extremæ dementiæ esse docet superari ab hoste semel profligato; Eius porrò ratio hom. 79. in Matth. aliquanto post initium, perpendentis, quod de quinque fatuis Virginibus scribitur ab Euangelista cap. 25. est huiusmodi. *Non est autem corporum, & pecuniæ par cupiditas, sed acrior multo, atque vehementior, illa corporum est. Idcirco fatuas appellauit, quoniam maiori certamine superato, in faciliore totum perdiderunt.* Si sapis diligenter animaduerte, ne redarguaris insipientiæ, si fortè, quod auertat Deus, profligato ab hoste post gloriosissimas victorias, debelleris.

S. Io. Chrys.

Euangelicæ Virgines cur fatuæ dicantur.

Legatur Pater Didacus de Baeza tomo quarto Comment. moral. in Euang. hist. lib. 16. cap. 2. §. 9.

Videri possunt etiam, quæ afferuntur à P. Francisco de Mendoza tom. 2. in librum primum Reg. cap. 7. num. 14. Annotatione

ne 28. circa litterã sect. prima cuius argumentum est. Quo tempore renuntiamus peccatis grauius tentamur, & superius eodem tomo in cap. 4. num. 8. in expositione circa litteram num. 17.

Videri potest insuper P. Didacus de Baeza tom. 3. Commen. allegoric. & moral. de Christo figurato in veteri testamento lib. 4. caput 11. in parte moral. circa textum §. 1.

Videatur Pat. Benedictus Fernandius tom. 3. in Gen. cap. 39. sect. 6. num. 17. vbi demonstrat Diabolum insurgere vehementius in resistentes, & caput 49. sectione 16. num. 4. eiusdem tomi, vbi dicitur Diabolus ab homine victus contra victorẽ acrius insurgere. Ibidem plura vno abscisso repullulare capita dicuntur.

* *
*



A IN CAPVT QVARTVM à Num. III. ad XI.

Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum B *templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim. Quia Angelis suis mãdauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc* C *omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana, scriptum est, enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

PARADOXVM IV.

Mali Dęmonis Perspicacia stolida. D



Onsilium, an vis plus in acie valeat iam dudũ disceptatur, & adhuc sub iudice lis est. Certè num Grecorum gloriam expugnata Troia pepererit Achillis robur, an Vlysis consilium ambigunt periti antiquitatis. Qua propter operæ pretium me facturum existimaui, si

demonſtrauero malum Dæmonem, neque A consilio pollere, nec viribus, quod fortaſſe imperrabo, vt ingenuum quemque pudeat ab hoſte tam ignauo ſuperari. Stolidam in præſenti mali Dæmonis perſpicaciam proſequor, eiuſdem debilitatem alibi probaturus. Porrò noſtri vecordiam inimici facilè cognoſcit qui ſuo cum animo verſet, atque recogitet, quo aſtu certamen inierit cum ſeruatore ſanctiſſimo, quem odio pluſquam vatiniano proſequebatur, accedit enim inquiens, *dic vt lapides iſti panes fiant*, prudenter dicet aliquis, quia cum eſurientem viderit, ſperare facilè potuit, fore vt nullo negotio cibi deſiderio B caperetur. Vnde S. Bernardus, de ordine vitæ paulo ante finem aduertit. *Diabolus*, inquiens, *dum decipere quemquam quærit, prius naturam vniuſcuiuſque intendit, & inde ſe applicat, vnde hominem aptum ad peccatum inſpexerit; ex ea quippe parte hominem Diabolus tentat, qua eum per excreſcentem humorem facilè ad vitia inclinari conſpicit*. Sed audi quid ſentiat hac ſup re Sanct. Petrus Chryſologus. *Diabole fallit te prouiſio tua. Poteſt famem vertere in ſaturitatem qui poteſt in panem lapides immutare*. Ita S. ſerm. 11. non multo ante finem. C O vaniſsimas tartareæ mentis thecnas: videbatur primo aſpectu conſilium ſagax, ſed re ipſa hebetudinem aperit mentis inſulſæ. Sic enim perſtringere licet deceptorem inſanum. Tuo iudicio, qui quadraginta dierum ſpatio, nec cibo, nec potu refecit vires, tantā ſibi ſupra humanæ vim poteſtatis opinionem cōciliauit, vt credas poſſe ab eo, ex lapidibus panes fieri, quę te ergo cepit dementia, vt nō intelligas poſſe hūc eadem planè facilitate, famem vertere in ſaturitatem, profectò veriſsimum eſt: *fallit te prouiſio tua*.

S. Bernard.

Diaboli perſpicacia.

Eiuſdem hebetudo apertè demoſtratur.

Reijcitur malus Dæmon, ſed habet in D prōptu nouas nocendi artes, videlicet ſuadet ſtatim, vt ſe ſe pręcipitē agat, *ſi Filius Dei es, mitte te deorſum*, quod vt impetret pollicetur adfuturos Angelos, qui eum humo tollant. Itaque velit nolit inſinuat pernicioſum eſſe, quod proponit; promittit ſcilicet Angelorum auxilium ad impetrādum, quod cæteroqui horret animus, & recta ratio auerſatur. Callidè ſanè. Certa, & præſens ruina, auxilium incertum, & cōſequutum; exclamemus cum S. Cypriano: *ò execrabilis diaboli malitia? ò ſtulta nequitia? ò inſenſata verſutia? ò præſumptio excæcata. Putabat malignus, quem gula nō vicerat, vana gloria ſuperari*. Ita S. ſerm. de Ieiunio, & tent. cir. med. equidem inſanit, qui putat ſuperari eum poſſe, qui ieiunij armis inſtructus manus conſerit cum aduerſario; vt patet ex ijs, quę dicentur Paradoxo proximè ſequenti. Niſi potius inſanit ſtultus inſidiator, minimè intelligēs, incaſſum oppugnari inanis glorię fallacibus blādimentis eū, qui æquo animo ferre poteſt famem, hoc eſt malorū maximum, ſi Tullium audiamus, cuius illud eſt monitum ad Act. lib. 5. *Iter igitur ita per Aſiam feci, vt etiam fames, qua nihil miſerius eſt, mihi optanda fuerit*. Itaque ea virtus, quæ neque fame potuit labefactari expugnabitur glorioſis, blādientis illecebris diaboli? ò inſanos hoſtis conatus, ò labores fruſtra ſuſceptos. nihil impetrat tàm dira, tàm inimica, tā pertinax nequitia; quia ſtulta. Imò nihil nobis vtilius, nihil ſibi moliri deterius potuit inſanū caput: cū enim ad vulgi ſpectaculum in Vrbe ſancta, & frequentia populorū hortatur, vt ſe ab alto proijciat, monet popularis gloriæ cupidos ſua ſibi ruina auram captare, ita vt meridiana luce clarius pateat, fuiſſe à nefario tartari tyranno declaratum, quod poſtea monuit Euſebius Emiſſenus inquiens: *Neſcio cur nobis ſuperbiæ itinera aſpera, & confragoſa magis placeant, cum magis humilium viæ molles, planæ, atque directæ ſint*. Ita hom. de Epiph. cir. med. caue ruinam, qui inimica mundani honoris incenderis cupiditate.

S. Cyprian.

Stultæ Diaboli nequitia.

Cicero.

Ieiunus inuincibilis.

Emiſſ.

Asperū [illegible]biæ [illegible] humilitatis.

Venio iā ad tertiam oppugnationē, qua ſine dubio callidus aduerſarius admonens Ducē noſtrū ſumma ope nititur vt voti cōpos fiat. Verū hęc lego apud S. Bernardum. *Tertia de ambitione fuit, quando omnia regna mūdi promiſit, ſi cadens adoraret eum. Vides ne, quod ambitionis via adoratio diaboli eſt, quia videlicet ad honores, & gloriā mundi perueniendum ſuis ille adoratoribus pollicetur*. Ita S. ſerm. 6. in Pſalm. *Qui habitat*. paulo poſt med. Quid audio? ergo fraudum architectus tam inſulsè deſipit? vbi doloſæ fallaciæ? vbi ſubdolę inſidię? vbi artium tuarum machinamenta mendacia? nocere quid ceſſas? decipere quid moraris? quid agis? quid moliris? quid cogitas? an non intelligis te nihil pro-

S. Bernard.

Ambitioſi Diabolum adorāt.

Pſalm.

proficere, inuentum prome nouum, inauditum, ingeniosum: tende laqueos, texe dolos, cur eodem volueris; nisi quia tam nequam es, quàm vecors dum inquis, *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Quod quàm illepidè, quàm insulsè proponatur, probè tenet S. Cyprianus, qui sic fatur: *si consenseris, vt concidas; casus tui te non potes excusare improuidum, cum ipse tibi casum, & ruinam prænominet, & præcipitium exigat*. Ita Sanctus ser. de ieiunio, & tenta. in fine. Non erit ab re perpendere nihil tam pemiciosum Dæmoni non contingere modò, sed ne excogitari quidem posse quàm suas prodere nequitias, & commonefacere casus eos, quos in altum tollere nititur; quod licet satis, superque veteratoris declarer amentiam, adhuc tamen supersunt in hoc ipso, quod præmanibus est, argumenta dementiæ potiora: eadem quippe opera, qua satagit ad superbiam inflammare sapientium animos, à superbia reuocat, declarans abiectam esse, planèque seruilem animi elationem; vt dominatum obtineas necesse est, vt diabolum adores ad terram prostatus: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*.

S. Cypr.

Peccatoris rui. na inexcusabilis.

Abiecta superbia.

Alphonsus Senior Neapolitanorũ Rex, vt scribit Ioannes Boterus lib. 1. dict. memor. viror. illust. non longè ab initio dicere solebat, aulicos honorum cupidos simillimos esse camelis, quorum notissimus est mos dimittere se in terram, vt onus recipiant; onerari verò mox se se extollunt: quo circa sapiens Rex idẽtidem repetebat, cum hos, qui dignitates affectabant allocqueretur, te te prosternas, & aptes ad onus recipiendum. Equidem sic se res habet; magnificè se circumspiciunt elatæ mentes, si quid fuerint consequutæ honoris, immemores, quàm abiecta, quàm vilia, quàm indigna fuerint, ea, ad quæ sunt coacti se se dimittere, vt quid quid illud est, quo glorientur onetis, potius quam honoris adipiscerentur, quod copiosius prosequi nequeo, quam verbis eiusdem S. Cypriani alibi sic fantis: *Illum vides, qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura, quibus hoc sordibus emit, vt fulgeat? quot arrogãtium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit, quod tumentium contumeliosa vestigia stipatus clientium cuneis ante præcessit, vt ipsum etiam salutantium comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati? Neque enim moribus coli meruit ille, sed fascibus*. Ita S. lib. 2. epist. epist. 2. post medium, ò quàm abiecti sunt animo, qui omni virtutum destituti præsidio, vt se supra cœteros efferant, coguntur ad tam abiecta descendere. Pendẽdum hoc loco diligenter, elationem animi, quam malus suadet Dæmon ficta quadam honoris decipere specie; sed re ipsa seruile vitium esse; *si cadens adoraueris hæc tibi dabo*. infœlix, eum tibi debes quodammodo constituere Deum, quem non dubitas seductorem; euolue, quæ posteritati reliquit pij laboris monumẽta locupletissima Mag. Gregorius, & cap. 3. lib. 2. in primum Reg. initio leges, quæ de Agar, & Sara Gen. 16. num. 4. & 5. in hunc modum narrantur. *At illa concepisse se videns despexit dominam suam. Dixitque Sarai ad Abram iniquè agis contra me: ego dedi ancillam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet*. quibus addit S. Pontifex. *Quę dominam despicit, ancilla esse perhibetur, quia superbi subiecti, & infirmi sunt per elationem*. Ita S. loco cit. supra cæteros, qui se superbia conatur efferre, se miserè subijcit, quod ipsemet Diabolus edocet, sibi nolens infestus, *si cadens adoraueris*. attende quò te vocat, vt etiam prospicias tibi, & eius despicias fatuitatem. Quantum attinet ad imbecillitatem Diaboli vide infra huius cap. Paradoxum 10. Nullus homo à Dęmone vincitur.

Boter.

Lepidũ Alphõsi apophtegma.

S. Cypr.

Superbus cõparat sibi honores per dedecora.

Sanè Iulius Cæsar gloriæ cupidissimus cum in transitu Alpium oppidolum quoddam præteriret, comitibus cum ioco, & risu percunctantibus num illic etiam aliquos esse putaret principatus, ambitionis, & dignitatum certamine, serio respondit. *mallẽ hic primus esse, quàm Romæ secundus*, vt est Auctor Plutarchus, tum in vita ipsius, cum in apoph. liceat hic cum Bernardo exclamare: *Cæca ambitio, magis imis, quã summis delectari*, ita epist. 78. ad Suggenum Abb. paulo ante finem ea superborum infœlicitas est, vt quò auidius appetunt sublimia, eo fœdius ad infima se se deijciant planè iuxta Cæsaris dictum, Vrbis pręstantissimę splendorem, & amplitudinem ignobilis oppiduli postponunt obscuritati.

Superbũ Cęsaris ingenium.

Abiecta ambitio.

S. Bern.

S. Greg. Vilis declissio superborum.

Quis quis loquitur Magnus Gregorius A *supra se extollitur, ipso elationis suæ pondere grauatur, & eo se in infimis mergit, quo in superbia vitium proruens ab eo, qui verè excelsus est, elongauit*. Ita cap. 3. lib. 24. moral. non longè ab initio.

Boter.

Patescūt nisi fallor meridiana luce clarius insulsæ versutiæ mali Dęmonis, & stolida dignoscitur perspicacia: ad quam tamen generatim, vniuersèque aperiendam conferet plurimum in memoriam reuocare peracutum Michaelis Angeli Bonarotę responsum, cuius mentionem facit Io: Boterus lib. primo dictor. memor. vir. illus. post med. obambulabat Florentia celeberrimus nostrorum temporum Archimedes, B quem honoris causa magnus dominatu, maior animo Cosmus aduocari iussit ad se, eius vsurus consuetudine, & fruitutus ingenio. Accidit autem, vt iter haberent per plateam, quam vocant dominorum, vbi Etruriæ Regulus, occasionem disserendi tanto viro præbiturus, eum interrogauit, vt suam ferret sententiam de simulacro Neptuni, quod fonti eminet; exclamat extemplo Bonarota, ò factum male, quantam marmori fecit iniuriam ignauus artifex, satius fuisset integrum habere lapidem, quam eumdem tam rudi artificio, tam inepta industria deformauisse. Tales enimuero æquo rerum æstimatori C mali Dæmonis industriæ videbuntur, qui cum deprehēdatur stolidè perspicax quoties suis vtitur artificijs, toties suæ stoliditatis erigit monumenta; quæ sine sapientium risu, sine ingeniosorum, ac prudentium contemptu recoli, ac recognosci non possunt.

Imperitus artifex tempestiuè deluditur.

Videndum moneo R. P. Didacum Nissenum Dominica secunda post Pent. Assumpto 3.

Huc etiam facilè reuocabis quæ dicuntur à P. Francisco de Mendoza tom. 2. in lib. 1. Reg. cap. 5. num. 4. in expositione litteræ num. 20. & 21. & eodem tomo, & capite; sequenti num. 5. in expositione litteræ num. 2.

Videatur Pat. Benedictus Fernandius D tom. 1. in Genes. cap. 3. sect. 2. num. 3. vbi demonstrat, Diabolum primum insipientem,

IN CAPVT QVARTVM
à Num. III. ad Num. XI.

Et accedens tentator dixit ei si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, qui respondens dixit scriptum est, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. &c.

PARADOXVM
VI.

Miles Christi quo imbecillior, eo fortior.



NVlla re frangi validius vires, quam ieiunio, & ciborum abstinentia ab experimento, edocti Medici asserunt. Vnde Galenus in Aphorismum 162. sect. Hypocratis, inedia inquit virtutem frangi, ac debilitari; imò ipse Hypocrates de veteri medicina num. 15. *fames*, monet, *magnam potentiam in naturam hominis habet debilitandi*. Quæ mihi animo voluenti occurrit ratio, propter quam sanctissimus idem, ac sapientissimus seruator in arenam descensurus, quadraginta ipsos dies ieiunus transegerit. Videlicet Christi miles quò imbecillior, eo robustior; Neque enim vllo armorum genere fortior est, quàm ieiunio, qui Christianæ Militiæ nomen dedit. Carpunt fortasse, qui videntur sibi emunctæ naris, hunc loquēdi modum, quasi verò pugnantia complectatur. Quo enim pacto possumus mente percipere, vt quis eò sit fortior, quò imbecillior. Verum ante quam ad probandum propositum accedo legendum moneo Aelianum lib. 9. cap. 14. vbi fit mentio de quodā Phileta Coo his verbis: *Philetam Coum aiūt macerrimo corpore fuisse*.

Galen.

Hypoc.

Inedia maximè debilitat.

Aelian. Philetas plumbeis soleis vtebatur, & cur

se. Quoniam igitur quauis occasione facilè subuerti poterat, ferunt eum plumbeas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosterneretur, si paulo durius eum efflassent. Id vbi exposuit citatus auctor statim dubitans subdit. *Quod si sic fuit imbecillus, & omniū virium inops, vt vento non posset obluctari, quomodo tandē onus trahere tantū poterat? mihi sanè dissimile vero esse videtur.* Huiusmodi fert iudiciū de sua historia Aellanus. Id autē quod illi visum est supra fidē legentium, sternit mihi aditum ad dicendum. Conabor igitur euincere eum, qui maximè sit imbecillus, & ad arma ferenda aptissimum esse, & suismet viribus fortissimum.

Quando verò rudibus ductum lineamētis argumentum propositum est; illud iam & auctoritatibus, & rationum momentis illustrare nostrum erit, fiet porrò perquàm facilè si nullum armorum genus ieiunio fortius esse demonstrauerimus, cum idem ieiunium, & auferendo vires debilitet, & tribuendo arma reddat inuictum. Enimuerò cum exemplar bellatoris fortissimi ponere nobis deberet ob oculos, par fuit, vt maximus Imperatorum, non nisi armatissimus cum hoste congrederetur. Nec me pęnitet ieiunium armorum nomine nuncupasse, non solum quia magistros sequor, & laude scribendi, & dicendi genere spectatissimos Eusebium Emissenum, & S. Ambrosium, cum ille hom. de init. Quadragesimę initio de Christo Domino verba faciens pronunciet. *Qui se contra Diabolum pugnaturus, ad informationem tui, abstinentiæ se virtute præcinxit.* Et S. Ambrosius ieiunij notionē aliquam traditurus, appellat speciosam militiam, cui & Christus nomen dedit: ait enim ipso initio cap. 2. lib. de Elia, & Ieiunio; *magna virtus Ieiunij, & tam speciosa eius militia est, vt ieiunare delectet & Christum.* Speciosa inquam sunt hęc, & satis aperta ad declarandum quantum viriū tribuat ieiunium, cui vacare militare est. Sed vt dicebam non sola in presenti ducor auctoritate, sed insuper id ipsa mihi ratio persuadet. Cum enim duplex sit armorum genus, quædam in tutelam; quædam verò in perniciem comparata, & vtrumque munus pręstari à ieiunio deprehenderim, ab ea non possum sententia recedere, ieiunium coeleste quoddam esse genus armorum, superum dono datum ad tutelam nostræ mortalitatis. Quo mihi, quantum animo complector, nihil vtilius illustrandum contingere potest, petito à sanctis Patribus, & ab incorrupta veritatis teste historia, lumine sententiarum.

Emiss.

Cur Christus ieiunauerit pugnaturus cū Diabolo.

S. Amb. Ieiunium militia.

Primus occurrit S. Petrus Chrysologus, qui ser. 11. qui est de ieiunio Christi non multo post init. sic fatur. *Sumat cum Christo arma ieiunij, criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum, & de ipso Auctore mali sumat, Christo dimicante, victoriam.* Similiter magnus Basilius homil. prima de Laudibus ieiunij aliquanto ante med. inquit; *ieiunium armatura est ad confligendum cum impijs spiritibus.* Neque id solum sua auctoritate, sed exemplo Israelitarum confirmat S. Leo ser. 1. de Quadragesima init. monens. *Israelitica tribus, cum graui Philisthinorum dominatione premerentur, vires animi, & corporis iudicio sibi reparauere ieiunio, & vt hostes suos vincerent, gulæ illicebram in se ipsis ante vicerunt factumque est hoc modo, vt sani aduersarij esurientibus caderent, quos sibi saturos subiugarant. Et nos itaque inter multas aduersitates, & prælia constituti simili obseruatione curemus.* Graue bellum, truculentum, atrox gerimus continenter, & cum domesticis prauarum cupiditatum hostibus, & cum infestissimis tartarearum copiarum ducibus, quos non refellemus modò, sed prosternemus penitus, ac profligabimus, armorum, quæ commendamus pręsidio tuti. Id adūguem dicere voluit paulo ante laudatus Eusebius Emissenus loco cit. Exposito namque eo, quod de obsesso à Dæmone Marci 9. narratur, addit. *Vide quid commodi circa propriam operetur salutem, quod alio ieiunante interdum etiā ad alienam pertinet sanitatem, vt homo per abstinentiam, Angelicam possit expugnare naturam.* Componenda hoc loco est humana imbecillitas ad lapsum tam prona, cum inexpugnabili naturæ angelicæ firmitate, & cum hæc ab illa armis instructa ieiunij superetur; decernendum tandem est, quantum præsidij, quantumque roboris capiat à ieiunio infirmitas nostra ad bellum fœliciter conficiendum. Neque aliam affert rationem S. Augustinus rei à Iosue bene

S. Petr. Chrysol.

Ieiuniū armat.

S. Basil.

Armatura ieiunium.

S. Leo. Israelitę muniti armis ieiunij vincunt.

Emiss.

Marci 9. Ieiunus angelicam expugnat naturam.

S. Aug. Iosue, 10.

gestæ,

gestæ, quæ habetur Iosue 10. de qua verba faciens ser. 25. ad Fratres in heremo, qui est de Ieiunio paulo post init. ait. *Iosue Filius Naue ieiunauit plusquam per diem, & hostes superauit.* Quasi diceret; mirari desine fortissimi bellatoris præclarè gesta, pro certo habens tot, tantorumque hostium vires fuisse infractas non alia bellica machina, quàm ieiunij. Propterea apud S. Cyprianum ser. de Ieiunio, & tentatione Christi aliquanto post init. leges: *ieiunium omnem carnis rebellionē edomat, & tyrannidem gulæ spoliat, & exarmat.* Vt breuiter, ita eleganter redditurus rationem S. Ambrosius, cur inuicto semper animo, & nunquam territus per obiecta fulminum, nimborum, ignium è Cælo labentium discrimina mille nunquam deterreri potuerit magnus Moyses, quemadmodum scribitur Exodi 19. & 24. affirmat futurū fuisse, vt id nequaquam posset contingere, *nisi* (verba Ambrosij,) *munitus armis ieiunij fuisset.* Ex hoc eodem fonte Sampsonis manasse fortitudinē asserit S. Basilius hom. prima de ieiunio circa med. inquiēs: *Quæ res fortissimum virum Sampsonem inexpugnabilem reddidit. An non ieiunium? cum ieiunio in vtero matris conceptus est, cum ieiunio educatus est, ieiunio in virum adoleuit, quod ieiunium Angelus matri addixerat.* Ergo domata ieiunio caro fortior est, & ad prælium instructurus scribebat, idem Basilius *sobrius esto, vt athleta Dei.* O tutissima abstinentiæ arma, quibus munitus, sine vllo discrimine in arenam descendes.

Iosue victor quia ieiunus pugnauit.
S. Cypr.
Ieiun: vis,
S. Ambr.
Exod. 19. Moses munitus armis ieiunij.
S. Basil.
Sampsonis inuicta fortitudo à ieiunio.

Rex Aegypti Sesostris, probata apud omnem antiquitatem comendatione memorandus, martis simulacrum scutum gestans, & hastam erigi sibi curauit, vt testatum relinqueret posteris rerū in bello gestarum gloria lōgè se mortalibus omnibus antecelluisse: clypeo quippe arcuisse à se cladem, hasta verò, calamitatem hostibus intulisse, appositè significauit, vt monet Pierius Valerian. lib. 2. hierogl. paulo post init. Clypeo si comparaueris ieiuniū, est, in promptu auctoritas magni Basilij hom. 2. de Ieiunio non multo post init. vbi sic. *Angeli sunt, qui recensent ieiunantium capita. Vide ne te ipsum apud eum, qui recensuit exercitum, obnoxium facias desertoris crimini; leuius periculum est siquis* A *Rhipsaspis appelletur, quod in acie clypeū abiecerit, quam si magnam illam armaturam, ieiunium videatur proiecisse.* Alludit fortasse ad illud, quod de Demosthene per ludibriū circumferebatur. Dicebatur enim Rhipsaspis, quod abiecisset clypeum, sed quid quid de hoc sit ad rem nostram, vides non satis esse ad declarandum, quantam vim habeat ieiunium, ad nos ab hostium impetu defendendos, si illud, clypeū nuncupaueris: Dicas potius ieiunium armaturam esse fortissimam, qua si tegaris, nulla te lædent vulnera, nulla te tangent funera, imo inter confligentium hostium B mille discrimina viues tutissimus: Vel certè dicamus vtrumque. Vis, & cladis hosti inferendę, & à te propullandæ iniuriæ tutissimum armamentarium habere in promptu, ieiunium amplectaris. Etenim quod speciosè de se prædicari affectabat Sesostris, de ieiunio longè dicitur verius, cum vtrumque munus, & vastitatis hostiū, & propriæ incolumitatis à ieiunio nobis præstetur felicissimè.

Pier. Val.
S. Basil.
Ieiuniū genus armorum tutissimum.

Qui autem non intelligit quid dicere velimus ex hactenus allatis, audiat Doctorem gentium S. Paulum epist. 1. ad Corint. C cap. 9. num. 26. & 27. *sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Nouum planè pugnæ genus; vt hostem fundat, ac fuget, suum castigat corpus. Quæris quo id pacto contingat? Respondet Emissenus, *vt spiritualibus resistere possit inimicis, continuis studet corpus vallare ieiunijs.* Vos hoc loco monitos velim, quos tam crebrò hostium prosternit impetus, & venenatis criminum inflictis vulneribus vita spoliant tartarei prędones; tutissima ieiunij arma si deponat, qui in album militum Christi relatus est, omni omnino spe victoriæ ca- D dat necesse est. *Profecto seruator noster ieiunijs vicit* (liceat vti S. Petri Chrysologi verbis serm. 12. in fine) *vt nobis vincendi vires, vincendi formam taliter largiretur.* Enimuero si eidem S. Rauennati Antistiti credimus, nihil ęque ac ieiunium formidat tartareus prædo. Considerans enim illud Matthæi cap. 4. num. 3. *si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant: Quid est,* inquit, serm. 14. circa med. *quod ieiunante Christo, Deitatis signa tota in sola panis promissione perquirit?* Quare

1. ad Corint. 9. Paulus pugnat suum corpus atterendo.
Emiss. Ieiunium vallū inexpugnabile.
S. Pet. Chrys.
Vincendi vires, & formam dat ieiunium.
Matth. 4.

non

Ieiunium terror hostium. non dixit, si Filius Dei es dic, vt homines aut Angeli, aut aliquid aliud fiant: *Sed dic vt lapides isti panes fiant? signum panis petit, qui signum ieiunij pertimescit, signū panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum*. Quid certius, quàm quod ipsius aduersarij dicto confirmatur? nihil tam tremendum inferni viribus, nihil tàm formidandum, quàm ieiunium. Hoc igitur armemur, & ad laniénam hostium, & ad decus immortalis victoriæ: Holofernem Iudith. 13. obtruncatum à Iudith, & notum est & habetur cap. 13. Iudith num. 10. in quo gesto tā fortiter vim agnoscit ieiunij S. Ambrosius (S. Ambr.) cap. 11. de Elia, & ieiunio initio B dum ait *Iudith ieiunans bis armis munita processit*, & paulo post, *itaque viuius mulieris ieiunium innumeros strauit exercitus Assiriorum*. (Iudith victrix, quia armata ieiunio.)

Ateas non potuit ingeniosius declarare quantum Philippum viribus antecelleret, quàm cum ad eumdem scripsit. *Tu quidem viris macedonibus, qui bella gerere didicerunt imperas; ego verò Scythis, qui cum fame, & siti pugnare possunt*. Ita apud Plutarcum leges in Apoph. Reg. & Imp. non longè ab init. equidem, qui stare potest aduersus arma tam firma, tam præstantia, tam valida, longè bellatores reliquos superet necesse est. E contra ieiunio qui non munitur, ab hostibus sine dubio profligabitur. Considerat B. Petrus Damianus, quod lib. 4. Reg. cap. eap. 25. scribitur, videlicet. *Princeps Coquorum destruxit muros Ierusalem. Coquorum autem Princeps iure asseritur venter, cui nimirum à Coquis laborioso opere seruitur*. Ita lib. 6. epist. epist. 31. circa med. Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur, perbeatam illam animam significat, in qua Deus Princeps pacis commoratur. Hæc verò solum sibi timere debet à Coquorum Principe, munitissima cæteroqui Vrbs, sed si ieiunij munimento destituatur, acta res est. *Ventrem namque* (loquitur idem Dam. ibid.) *viuo, & epulas assuescere quid est aliud, quam hostibus anima, vt ingrediantur aditus aperire?* ita loco cit. paulo post. Herculis fabulosam fuisse fortitudinē norunt omnes, cur autem fabulosa habita sit mihi fortasse continget explanare, fœliciter, eo memorato, quod legi apud Aelianum lib. primo cap. 24. Grauissimæ intercedebant simultates Herculem inter, &

Qui famem tolerare nouit, tuatur. Plut.

3. Pet Dam.

4. Reg. 25.

Quis Princeps Coquorum.

Helluo aditum hostibus aperit.

Aelian.

A Lepream Glauci filium, ad quas dirimendas iuuenili æmulatione contenderunt, vter prior taurum comedere posset; hinc victus recessit Lepreas, tum nouum initium certamen est, vter bibendo plus posset, ex quo rursum pæan cecinisse victoriæ dicitur Hercules. Tandem Lepreas ira percitus sumptis armis Herculem lacessiuit, quo strenuè dimicante Lepreas fuit è medio sublatus. Hic si liceret indicare quod sentio, dicerem iure fabulosam fuisse Herculis fortitudinem, quippe benè pastus, opiparè prāsus arma tractare nequit, Helluo impinguatus, & se mero ingurgitans, si fortis in acie, & strenuus in pugna prędicetur, iure fabulosum ducas. (Certamen Herculis cum Leprea.) (Herculis fortitudo cur fabulosa.)

Ad exaggerandā fortitudinem, satis vsurpata similitudo est, quæ petitur ab adamante: ieiunio durata membra adamantina si dixero, consentire me lector eruditus animaduertet cum eo, quod S. Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio cap. 7. post med. de eo quod Danieli 14. scribitur, sic habet, *missus in lacum, & in adamantis rigorem, abstinentia soliditate membra duratus non potuit vulnerari*. Qui inedia, & ieiunio genua ægra trahere videntur, & gressibus tremulis vestigia premere, ij adamātina firmitate sunt inexpugnabiles, quod si quis fortè nō percipiat, peculiari exemplo illustrari potest ab eodem sancto Ambrosio eod. lib. cap. 3. post med. petito, vbi prodigiosum Eliæ robur explicaturus ait. *Quis humana virtute equos igneos, currus igneos potuisset ascendere, regere currus aureos, nisi qui naturam humani corporis incorruptibilis ieiunij virtute mutasset. Imitemur ergo illum*. Perutilis illatio *imitemur ergo, illum*: fortitudine indigemus eximia, qui ignem prauarum cupiditatū, & equos aureos affectionum inquinatarū coibere debemus, vires ad id præstandum procul dubio deficient, nisi ieiunium suppeditet. (S. Ambros.) (Hominis ieiuni fortitudo adamantina.) (C) (Hominis ieiuni fortitudo humana maior.) (D)

Vt sis fortior sis imbecillior necesse est. Vnam ego pro re præsenti rationem inuenio, quæ vtrum apposita sit viderit lector: hanc verò facilius, vt explicem narro breuiter, quod Aelianus lib. 2. cap. 24. de Milone scribit. Celeberrimi fuisse roboris Milonem omnium sermonibus vsurpatur: inter cætera autem sui roboris ostenta, (Aelian.)

vnum

Milonis fortitudo debilitata delicijs.

vnum illud vulgò circumfertur. Miloni nullum aduersariorum, malum, quod in manu tenebat eripere potuisse. Atqui amasia eius nullo negotio eximebat sæpe cum eo contendens; hinc disco validum licet viribus, si animo sit effęminato reddi facilè infirmū, & nullo negotio expugnari:è contra quandoquidem Christiana virtus animum munit, atque obarmat, corpori etiam ipsi cæteroqui infirmo validissimum suppeditat robur. Eneruent Dei amici ieiunijs,& afflictationibus vires corporis, dummodo enim stabiliant virtutibus mentem, profectò spondeo corpus eo fortius futurum, quò imbecillius. Quid dicis, eneruantur inedia vires, minuitur ieiunijs corporis robur. Ego verò refero, quod Suetonius de Octauio scribit aliquanto post med. in eius vita, vbi dicit malè Imperatorem audiuisse, quod lautioribus accubuisset mensis, tunc præsertim, cum Deorum, Dearumque habitu discumbentibus conuiuis, ipse os habitumque gerebat Apollinis, dum hoc modò ventri indulgeret, quasi deses helluo omnium sermonibus vituperabatur, omnium carpebatur dicterijs, animi quasi effęminati, & imbellis, è contra autem idem Octauius, dum vitam in Castris ageret apud Mutinam, vt idem Auctor aliquãto post scribit, bellator habitus fuit fortissimus, planèque inuictus; fuit enim cibi, & potus adeo parcus, vt super cœnam non amplius ter biberet, & pro potione perfusum aqua frigida panem sumeret, aut cucumeris frustum, vel lactucula thyrsum, aut recens acidumue pomum. Videlicet alia vitæ ratio bellatoribus, alia oscitantibus, & otiosis, hi ingurgitent se epulis cum ignauia pugnaturi, bellaturi cum inertia desidiosi, veternoque pigriores, cessatores, ac stupidi consepulti inter plumas, & in otio torpescentes; at verò qui acres, & præceleres sunt, qui ad victorias nati, illi frugalissima mensa contenti sint necesse est, vt ad arma ferenda sint idonei, & ad vim hostibus, clademque inferendam parum cibi, & potionis adhibeant; vt hinc pateat, quam extimescis à ieiunio imbecillitatem, à me non immerito dici fortiorem, firmioremque fortitudinem fore. Igitur eò fortior es futurus, quò imbecillior.

Suet.

Octauius bene pastus debilis habitus.

Idē ieiunus fortis predicatur.

Propterea, & præclarè gestis, & inge-A niosè scriptis magnus Basilius cū hom. 2. de Ieiunio sub. init. ad commendandam ieiunij vim, appellasset ieiunos, athletas pietatis, quibus colluctatio semper sit victrix aduersus carnem, & sanguinem, aduersus principatus, & potestates, aduersus mundi dominos tenebrarum harum; quasi vero impari laude fuisset prosequutus quos commendabat, eadem hom. aliquanto, post ieiunos nuncupat, *spirituales cataphractos*: Videlicet hinc intelligere debes, quo munimenti genere obarmet ieiunium. Hoc porrò quantum est, Deus immortalis? Equidem fides leuam muuit, B si Apostolum audiamus: Verbū Dei obarmat dexteram, Iustitia caput tegit. Vnde ad Ephesios caput 6. num. 14. vsque ad num. 18. dicitur: *state induti loricam Iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, galeam salutis assumite: & gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Porrò cum ieiunium cataphractos armet, qualè armorum genus, aut munimentum, quàm firmum, quod solum præstat quid quid vix virtutum arma singula perficiunt collecta: consumpta inedia caro, arata ieiunio facies, detritæ abstinentia vires, validiorē C te reddent, & ad retundendos impetus hostium, & ad belli incommoda perferenda.

S. Basil.

Ieiuni spirituales cataphracti.

Ad Ephes. 9.

Varijs virtutibus tamquam armis rutti vtūtur.

Lubet, quod præ manibus est à simili confirmare petito exemplo à gestis Methildis Tusciæ comitis fœminæ omni æuo memorandæ, tum ob legatam ditionem suam vniuersam Petro Apostolo supra muliebre ingenium sapientissimè iudicantis, satius esse diuos hæredes habere, quàm homines; tum ob inuictam virilis animi fortitudinem, Amazonum robur non scythica feritate, sed Christiana pietate munitum præseferentis. Hæc admi-D rationem omnium sæculorum, iure quidem vendicauit sibi, quippequæ nouerit triumphare toties, quoties contigit dimicare. Testis mihi sit Gibertus Longobardiæ præfectus, qui cū Cæsaris iussu, vita functo Nicolao secundo, vt scribit Sigonius lib. 9. Cadaloum, seu Cadalum, ex Parmensi Episcopo Pontificem ab Hērico IV. creatum Romanis obtrudere molitus est armis, & sine dubio tam lectis militum copijs fuisset vi victum ius, nisi cœptis à Methilde pro Pontifice armis, pseudoPontifex ad vrbem confugiens cum

Methildis pietas.

regis

regijs copijs fusus fugatusque recessisset. A Testis mihi sit ipse Henricus semel, atque iterum inuicta Mathildis manu repulsus: primò quidem eum aduersus Greg. VII. infesto agmine Romam inuaderet, deinde cum Vrbanum II. impietate, ac sæuitia armatus insequeretur. Præclara, inaudita, mirãda sunt hæc, quia ab imbecillis animi fœmina, & debilitate virium ad arma tractanda non multum idonea florentissimos exercitus, & validissimos hostes profterni supra quàm dici queat gloriosum est, & commendabile. Vides qui sit huius paradoxi scopus: animum nempe erigere ad inaudita, ad eximia, & ad miraculum vique suspicienda facinora; vt quò es imbecillior eò fortior sis futurus, si pro Deo arma capessis. Nimirum imbecillitas ipsa fortis est, & inuicta si pro Deo pugnet.

Victus à Mathilde Henricus.

Nemo iam admirari debet, si legit apud S. Gregorium Nazianzenum orat. 16. Petrum Christianæ militiæ Imperatorem, pro omni obsonio vsũ fuisse lupinis vnius assis: Nemo si eius collegã Paulum apud Cæsarem Cardinalem Baronium ad annũ Christi 36. inueniat fuisse abstemium. Par quippè fuit, vt duo sacri belli fulmina arctissima temperantis ieiunij lege debilitarentur, vt fierent fortiores: antiquius est C exemplum, quod de hac re è sacris litteris promit Philo in lib. de temulentia, eum de Samuele mentionẽ facit; Hic inter Reges, & Prophetas præcellens quidquid epotum inebriat, toto vitæ spatio, nunquam bibit abstinentiæ exemplo singulari; huius rationẽ reddit Philo, quoniã adscriptus esset in diuinum exercitum à supremo Imperatore. Vbi ad nomen Samuelis alludit. Quod interpretatur ad Dei ordinem adlectus, seu in albo militantium Deo adscriptus. Porrò tales sunt quot quot Christum sequuntur Ducem, qui à D. Paulo Dei milites nominantur. Imò si Clementi Alexandrino credimus lib. 7. Stromatum p. 516. Populi Dei ducibus vesci carnibus non licebat. Tu si fortis esse desideras, caue referrum epulis corpus opiparè pafcas non pulpa, atque aruina tumidum, ae redundans, sed emaciatum, sed luridum, sed confectum Ieiunijs, & fractum inedia geras. Verissimè quippè eum S. Hieronymus interpretaretur illud Psalm. 108. num. 24.

Greg. Naz.

Philo.

Samuel abstemius.

Clem. Alex.

S. Hieron. Psal. 108.

Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum, inquit, *Tales diligit milites Christus, qui ieiunijs vacent. Annona nostra, & esca ieiunium est. Quare? quia in ieiunio victoria est, & in victoria triumphus. Denique, & Apostolus non in saturitate, sed in infirmitate gloriatur. Quando enim infirmor, tunc fortior sum*, vt 1. ad Corint. 4. Hactenus Hieronymus: quo magistro, absque vlla suspicione erroris, prædicetur inposterum Miles Christi, quò imbecillior eò fortior. In qnam gratiam exemplum Iudith 14. lepidissimè afferret Ambrosius, B quemadmodum scripsit epist. 25. lib. 3. epist. aliquanto post init. inquiens, *exemplum euidens, quod, & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi fortiorem viris fecit. Non hic in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo vicit.* Quasi diceret: obstupescis miraculum, quod fortè non recognoscis. Disce quid debeas admirari. Non enim admiratione dignum est, naturam imbellis fœminę mira virtute fuisse superatam, adeo vt bellatorem eximium posset prosternere, hoc, inquam, admirari non debes, sed potius temperantissimi cibi moderationem admireris, cuius ea vis fuit, vt bostem procacissimum obtruncaret. *Non hic in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo vicit.*

Annona militis Christi ieiunium.

1. ad Cor. 4.

S. Ambros.

Victrix abstinentia.

Quod profectò minus videbitur mirum, si id in ipso etiam Christianæ militiæ Imperatore maximo factitatum fuisse animaduerterimus ex sententia S. Augustini serm. 20. ad Fratres in Eremo paulo post medium dicentis: *Saluatoris nostri aduentus Gabriel nuncius missus est. Propterea Gabriel missus est. Gabriel enim fortitudo interpretatur; quia ipsa etiam in-* D *firmitas fortitudo fuit, quoniam in ea superatus fuit inimicus, & capta præda à violento reducta est.* Fias igitur tanti Imperatotis exemplo fortis, vt non modò stare queas in acie, sed hostem etiam, quantumuis validissimum profligare. siue ergo frangas ieiunio vires, siue infirmitatis humanæ, præ oculis habita vilitate, tuam semper noscas debilitatem, atque vt in dies fortior fias non aliud

S. August.

Infirmitas ipsa, est fortitudo pugnantibus pro Deo.

Græciæ sapiētes simultates exercebat gra- [A] uissimas cū Phrynone, & mutua odia eo vs- que processerūt, vt necesse fuerit vtriq. fa- cultatē concedere deligendorū armorum, quibus æquo marte dimicātes conficerent pugnā. Pyttacus dexterā ense, sinistrā verò laqueo obarmauit, exceptus propterea ab aduersario nō sine risu: Sed ecce tibi rabido impetu cōserūt manus, & Pyttacus lethale vulnus infligere simulat capiti Phrinonis, qui vt ictū eluderet deflexit ad lęuā, & si- mul Pyttaci laqueo nolēs collū inseruit, vt testatur Strabo lib. 13. & Lipsius lib. 2. c. 8. Saturnaliū sermonū, hunc cū Pyttacū strā- gularet, vt victoriæ pęan cōcineret per lu- dibriū exclamabat: *Noueris occasionem*, seu mauis: *Noueris oportunitatē*, auctor Laert. in vita Pyttaci cir. med. Equidem inimici technas euadere omnes extra dubiū, incer- tūque negociū est, nobis præcipue, quī cū hoste versutissimo dimicamus, cū eo nēpe, cuius arma insidiosi sunt laquei, si B. Ant. credimus, qui orbem terrarū laqueis malē Dęmonis plenū vidisse se testatus est. In cu ius sorte gratiā scripsit S. Cypr lib. 1. epist. ep. 11. *Nec euadere Diabolū Dei seruus pote- rit, qui se Diaboli laqueis implicauit*. Ita ep. cit. paulo ante med. *Omnino metuenda*, scri- bebat S. Greg. *et cauēda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tētatione subuertere, la- tente telo sautus valeat trucidare*. ita ep. 3. lib. 7. ante med. hæc est periculi summa, ne clanculū illaqueet. Id circo Nahū 3. nu. 1. Iuxta sept. Venationi cōparantur insidiæ, quas malus Dęmon hominibus struit: in quē locum S. Hieron. ait: *Quāsi capiūturā Nembrod Gigante, et venatore sauissimo, qui aduersus Deū superbiens plures suis pe- dicis innexuit*. Venator vaserrimus Dęmon est, qui laqueis iniectis incautos stringit.

Nouum pugnæ genus.

Strabo. Lipsius.

Laertius.

S. Cyprian. Laqueis Diabolus pro armis vtitur.

S. Greg. Diabolus hostis astutus.

S. Hieron. Diabolus venator.

Verū hanc ego amouere conabor formi- dinē a mentibus amicorū Dei, quorum cū teterrimo hoste certamē ab omni periculo abest lōgisimè. Age proponamus nouum bellādi genus: hoc est sine vllo incerti exi- tus discrimine certamē. leges apud Gell. de Scipione, illo Regibus nō inferiore, facinus planè memorandum, quod non proferre in mediū nō posū. cū quadā die ius diceret se dēs in castris Scipio, quo ex loco Carthago procul cōspiciebatur, & ē militibus nescio quis, qui circū stabat interrogasset ex mo- re, in quē diē, locūue, vadimoniū promit- ti iuberet, tū Dux egregius manu ipsā op- pidi, quōd obsidebatur, arcē designans pe- tendie inquit, se sistere illo in loco, quod planè ex animi sententia cessit, Die enim tertio, in quē iusserat, oppidum inseruituī redactum est, eodemque Die in arce eius oppidi ius dixit. Ita Gellius lib. 7. c. 1. Tan- topere fidere se posse suis armis Scipio ar- bitrabatur, vt omni remota dubitatione affirmauerit fore vt rerū hostiū certo cer- tius potiretur, & formidabimus incertum certaminis euentū, qui Deo duce dimica- mus? Nobis enimuero nostra debilitas ne- quaquā debet facessere negotium; sapien- tet, quippe apud Plut. in apopb. Reg. & [B] Imp. ante med. Chābrias dictitare solebat, formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce Leone, quam Leonū ceruo imperāte. Imbelles sumus, & quasi cerui, vnde fortè dicitur. *Assimilare capreæ binnuloq. ceruorū* Can. 8. n. 14. sed ducē habemus Leonē sem- per victorē: Nimirum quem lateat canticū illud triūphantiū Angelor. *vicit Leo de Tri- bu Iuda*: quem quia formidant hostes at- triti, magno simus animo non nostris, sed ducis inuicti viribus de victoria securi.

Scipionis securitas exitu cōprobata. Gell.

Plut. Qualis Dux, talis exercitus.

Cant. 8.

Attexo quę Philo Iudęus scribit narrās, quo animo Hebræi milites arma sūpserint & aciē instruxerint contra impiū Balacem [C] orientis potentissimū regē. *Animati iuue- nes*, inquit Philo, *accensiq. amplius tanquam ad certam victoriā afferebāt inuicta pecto- ra, collatisq. signis tantū præualuerunt robo re, ac audacia, vt mactatis more pecudum, hostibus, ipsi omnes reuerterentur incolumes, ne vno quidē ex suis, vel desiderato, vel sau- cio*. Ita lib. 1. de vita Mosis paulo ante finē. O quàm sępe secūda sunt, quàm gloriosa seruorū Dei certamina, tanquā ad certā vi- ctoriā animæ magnę planum pectus afferat Christianus heros. Pugnauisse legūtur coro- nati Lacedęmonij apud Stob. ser. 42. & a- [D] pud Aeli. lib. 12. c. 23. Celtę dicūtur redimi- ti coronis inire certamina cōsueuisse. Qui Christo imperatore belligerat, pro certo adeo habere debet futurū, vt frāgar, ac debi litet vires impugnātiū inimicorū, vt delcē- dere possit in aciē corona victor. redimitus.

Philo.

Qui in hostes Dei dimicant, quàm inuicti.

Celtæ, & Lacedemonij pugnabant coronati.

Stob. Aelian.

Regię planè indolis plenissima anima S. Iob cū inquit c. 7. n. 4. *expectato Vesperam*. Quoniā per vesperā irruētis tētationis ob- scuritatē intelligit S. Greg. non potest non admirari, quo pacto dicat expectabo, & non potius formidabo. tum facit sibi sa- tis, inquiens; *in ipso iustitiæ Lumina positi*

Iob 7.

S. Greg.

& virium nostrarum periculum facere nō reformidant; verum quos putant enerues reperiunt inuictos, (solius, quam deridebāt, presidio humilitatis. Ea plane ratione, qua Miloui contigisse scribit Aelianus lib. 12. cap. 22. Equidem ridiculum est, quod de Milone, & Titormo testatū reliquit in hunc fere modum. *Milonem elatum animum, ob corporis robur gerentem, in Titormum bubulcum aiunt incidisse. Cumque vidisset Titormi corpus aspectu pergrande, virium eius experimentum sumere voluisse. Titormum verò, se non admodum robustum esse dixisse. Cum autem ad Eunuchum* (hic in Aetolia fluuius est non procul Calydone, vt Plinius scribit) *Cum, inquam, ad Eunuchum descēdisset Titormus, abiecta veste, maxima molis lapidem primum quidem ad se traxisse, deinde remisisse, & hoc bis, aut ter fecisse: tum eum vsque ad genua sustulisse, atque postremò sublatum in humeros, vsque ad octo passus portasse & proieci sse. Milonem vero Crotoniatam vix volutare lapidem potuisse. Secundum deinde Titormi certamen hoc erat: ad gregem abijt, & stans in medio, maximum, ferissimumque taurum pede prehendit, qui cum vellet effugere, non valebat. Alium quoque interim accedentem, attractum pede, manu altera similiter tenuit. Quo viso, Milo palmas ad cœlum extendit, O Iuppiter, inquiens, num hunc alterum Herculem nobis dedisti? Hinc ortum prouerbium aiunt. Hic est alter Hercules.* Ludicra sunt hæc, & fortasse fabulosa. Illa ego lectori meo verissima fortitudinis inuictæ ostenta polliceor, quibus aduersarij deterrebuntur. Non modo sine vllo labore, sed maxima etiam cum voluptate pondus attolles, & nil graue senties in ferendo onere diuinæ legis? Imò cum Regio Vate curres viam mandatorum: immanes belluas quasi per iocum frænabis impetus animi cohibens vehementissimos adeò, vt qui in hisce venerat triumphaturus, tuarum admiratione virium perfusus, & confusus discedere compellatur. Vnum solummodo desideratur, vt tibi persuadeas, te nihil posse iuxta monitum Seruatoris Io. 14. num. 5. *sine me nihil potestis facere.* quia certo certius est, quod asserebat Apostolus ad Philipp. 4. nu. 13. fore vt omnia possis in eo qui te cōfortat.

Aelian.

Titormi robur prodigiosum.

Vis Christiani hominis fortudo.

Luca 15.

Ad Phil. 4.

A Verum non est cur Titormi, & Milonis comparatione vtamur ad confirmandum securos nos fore semper, atque triumphatores si muniti fuerimus humilitate, cum par aliud, Samuelem videlicet, & Saulem ponat nobis ob oculos magnus Gregorius, qui explicans quod de Saul scribitur primo Reg. cap. 31. num. 3. ait: *Cum tantus, ac talis vir, carnali fortitudini relinquetur, bella perdidit, quæ pugnaturus acceperat, & vitam pariter amisit. Samuel autem, qui sæculi potentia sublimis non extitit, qui humiliter non solum Deo, sed etiam hominibus, ministrauit; de exterioribus quoque bellis trophæa potenter exhi-* B *buit.* Ne recedas ab aciè, quemadmodum Saul contigisse legimus primo Reg. cap. 17. num. 15. prouocato à Golia, sed vt triumphum sine discrimine reportes, disce à Samuele humilitatem. Sane hoc pacto belli pericula meritò non timebis, hosti ipse timendus, quemadmodum D. Io: Chrysostomus Olympiadem monuit, ad quam scribens examinat factum Iob de quo dicitur cap. primo nu. 20. *tonso capite in terram adorauit*, quę verba lib. 1. Origenes legit *Aspersit terram super caput suum.* Quæris quid sibi velit Iob se se prosternēs, C & terram crinibus inijciens; respendebit Chrysostomus loco cit. his verbis. *Tanta clade affectus de pietate erga Deum, ac religione minimè recessit, sed humi abiectus Diabolo cōpedes iniecit.* Miles Christi certamen subeas alacer, neque enim quidquam habes, quod timeas, cum potius ipse timearis, si humi abiectus nil excelsum, aut sublime, sed semper humilia, atque demissa animo volutaueris.

1. Reg. 31.

S. Greg.

Humilitas victrix.

Iob 1.

Chrys.

Videatur P. Cornelius à Lapide Commenr. in epist. primam ad Corinth. cap. 10. ad vers. 13. in illa verba: *Fidelis autem* D *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

IN CAPVT QVARTVM

Num. XI.

Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

PARADOXVM VII.

Nullus homo à Dæmone vincitur.




Oſtis ignauia inurit victis notam dedecoris ſine dubio turpiorem. En hominum hoſtis acerrimus ſolo ſermone victus, profligatuſque diſcedit. Itaque qui ab inimico tam imbecilli ſuperatur, tã abiecti animi eſt, vt etiam hominis nomine indignus meritò cenſeatur.

S. Greg. 1. Corin. 10.

Fauet magnus Gregorius, qui recitata anctoritate S. Pauli p. Cor. 10. n. 13. *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* ſubdit: *Ac ſi apertè diceret: Humanum quidẽ eſt, tentationem in corde perpeti, Dæmoniorum verò eſt, tentationis certamine in operatione ſuperari.* Ita ſanctus p. p. Paſtoral. cap. 11. nõ multo ante finem. intelligat homo humanitati adeò conſentaneum eſſe venenata mali Dæmonis tela repellere, vt expungendus ab hominum albo credatur, qui vincitur. Clarius loquitur S. Bernardus examinans ſentẽtiam Principis Apoſtolorum *Aduerſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens* Petr. 5. num. 8. in quem locum S. Abbas ait: *rugire iſte poteſt, ferire non poteſt, rugiat quantum poteſt, rugiat quantum vult, quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat. Non ſimus beſtia, vt nos proſternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curioſius ve-*

Humanum eſt tentari: vinci diabolicum.

D

S. Bern.

1. Petri 5.

Diabolus rugire poteſt non mordere.

A *ſtigant ad rugitum Leonis nullam beſtiam ſtare poſſe. Verè beſtia, verè rationis expers, qui tam puſillanimis eſt, vt ſolo timore cedat, qui ſola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, ſed tuba proſternitur.* Ita ſanctus ſerm. 13. in Pſalm. qui habitat in fine. Qui timeat, vbi non eſt timendum communi ludibrio hominis nomine exiſtimatur indignus, vacuo rugitu perterritus proſternitur, qui inſidiantibus inimici machinamentis ſuccumbit; igitur ne hominis quidem nomine nuncupetur.

Beſtia, qui vincitur a Diabolo.

Quod patebit manifeſtius ſi interroga-
B re datum fuerit, cur ſeruator Sanctiſsimus humani generis, vt diceret Chriſti fideles præcellentes eſſe debere in refellendo hoſtes tartareos, exemplum petierit ab oculis, cur non potius ab auribus, à lingua, vel ab alia quauis animæ potentia: fortaſſe vt inſinuet, ea facilitate, qua oculos claudimus poſſe nos nullo negotio aditum omnem intercludere tentationi. Rem illuſtrat Euſebius Emiſſenus his verbis perpendens quod legimus Matth. 5. num. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam. Ideo quàm facilè poteſt in puncto temporis euagari velocitas oculi, tam ſollici-*
C *tè præcauenda eſt irruentis noxa delicti.* Ita homil. 5. de Epiph. paulo ante med. perutile ſane monitum, vt irruentem expugnes, non armatæ tibi acies ſunt expediendæ, non bellicis vti debes machinis, ſola ſollicitudine opus eſt, & qua facilitate oculus euagatur, conteritur inimicus. Cum igitur hominis ſit cętera animalia ſolertia antecellere, quis non videat inter homines homine deteriorem viuere eum, qui nolit, cum ſola poſsit ſolertia, tantum arcere malum; propterea non alia quàm Sancti Bernardi oratione reprehenderem eos, qui ſuorum criminum excuſa-
D tionem petunt à vi inuadentis inimici, ſi qui adſunt huiuſmodi hominum audiant S. Abbatem. *Illius culpa tuam non excuſat: quid nam ille fecit; nunquid te rapuit; num quid vim intulit? Rogauit, nõ legauit. Blandiendo attraxit, non violenter traxit, quis te cogebat credere blandienti, aſſentiri attrahenti?* hæc S. epiſt. 2. ad Falconem puerum non multo poſt init. Qui ſe ipſum volens prodit, qui ſe infenſiſſimi hoſtis ſęuiſſimæ tradit Tyrannidi, hic me iudice

Quàm facilis de Diabolo victoria.

S. Bern.

Eo grauior culpa peccantis, quò Diabolus debilior.

homo

ſtomo non eſt, omni planè carens ſenſu humanitatis.

Dementatum omnino, & bumana ſpollatum ſolertia, quis non iudicabit eum, qui cum nullo negocio premere queat boſtem validiſſimum, atque expugnare, id per incuriam negl.gat inſaniſsimam. Hunc ego ſtipitem dicam, & duro exciſum è robore caput, Profectò arriſit mihi ſemper, lepida illa eiuſdẽ S. Bernardi animaduerſio ſerm. 64. in Cant. paulo poſt med. vbi perpendit verba illa, *capite uobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, quemadmodum legitur 2. Can. num. 15. Enimuerò parum id fortaſſe videbitur non ne.

2. Can.

mini: expectabam tam noxias vineę peſtes tollendas è medio, & penitus exterminandas mandato ſponſi, ſed audio ſolum capiendas: cur non potius perdire, necare, incendire, ſed tantum capite vulpes paruulas. Reſpondet loco cit. Bernardus bis verbis: *ſufficit ſi capiantur, quippe quibus apparere perire eſt*. Non poterat breuius, non poterat accomodatius. Poteris inimicum deſpicere, aſpicere ſi volueris, & quod hinc conſequi negabit nemo, valueris ſi volueris. Age, ne Homo Homine deterior prædiceris, ſola oculorum acie, aciem perdas inimicorum.

S. Bern.

Diabolus perit ſi apparet.

Examinat diligentiſſimè, hoc eſt more ſuo, S. Greg. quod habetur 1. Reg. cap. 16. num. 14. de Saul, his verbis. *Dicitur, Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce vnus idemque Spiritus, et Domini appellatur et malus Domini videlicet per licentiã poteſtatis iuſtæ, malus autem per deſideriũ voluntatis iniuſtæ: formidari ergo non debet, qui nihil niſi permiſſus valet.* Ita S. cap. 6. lib. 2. in Iob circa med. Vera illatio æſtuat quidem inimicus nocendi deſiderio, cæco carpitur igne furoris in hominũ genus, ſed nihil omnino poteſt, niſi Domino permittente, cuius bonitatis eſt, ita prędonẽ nefarium in officio continere, vt perimere nequeat niſi volentes. Recole, quæ habentur Iud. c. 1. n. 6. & 7. de Adonibezech de quo ſic B. Petrus Damianus: *huic Adonibezech humani videlicet generis inimico, manuum ſimul, ac pedum ſummitates, Redẽptor Noſter abſcidit, cũ eius ab electis ſuis nefarios actus, greſſuſque cõpeſcuit. Vos ergo dilectiſſimi nolite permittere vobis hunc præſidere tyrannum, quem mucrone diuinę ſententia non ambigitis detruncatum.* Ita epiſt. 13. lib. 6. epiſt. quæ eſt ad M. Abbatem poſt med. intelligis qualem habeas hoſtem; hunc pertimeſces? ab hoc ſuperaberis? Imbelli etiam indignum fœmina cenſeretur ab huiuſmodi aduerſario profligari, nedum viro forti. Nunc tandem percipio, quàm meritò, & quàm eleganter, vt S. Bernardus ſceleſtum deſcriberet, dixerit ſerm. de S. Benedicto Abb. circa med. *Trangreſſor Præcepti Dominici ſpurcos ſibi ſociat ſpiritus, & adherendo eis, vnus cum eis efficitur Dæmon.* En quod contendo nullus homo à Dęmone vincitur; quia qui ſe ſceleribus maculat inter Dęmones eſt cenſendus.

1. Reg.

Diabolus infirmus.

Iud.

B. Petr. Dam.

Diabolus non eſt timendus, quia detruncatus.

Homo per peccatum fit Dæmon.

Quæris vlterius quid ſibi velit, impium mutari in Dæmonem; declarabo luculentius auctoritate Magni Greg. qui lib. 14. mor. cap. 10. initio inueſtigat, qui ſint ſocij eius, qui non eſt; enimuerò videtur propoſitæ titulus quęſtionis loqui pugnantia; etenim ſi non eſt, quomodo ſocios habet, & tamen Iob. 18. num. 15. leges. *Habiteut in tabernaculo illius ſocij eius, qui non eſt*: nodum hunc pluſquam Gordium ſoluit Greg. loc. cit. inquiens; *eius videlicet ſocij, qui idcirco iam non eſt, qui à ſumma eſſentia receſſit, & per hoc quotidie excreſcente defectu, quaſi ad non eſſe tendit, rectè non eſſe dicitur, quia benè eſſe perdidit.* Quod idem reperit cap. 2. lib. 1. in 1. Reg. circa med. igitur duce Gregorio licebit dicere, impium non eſſe, qui peccando benè eſſe perdit, vides quid ſibi velit Dęmonem effici nunquam ſatis deplorata miſeria eius, qui flagitijs ad non eſſe tendit, & rectè non eſſe dicitur. In eamdem venit ſententiam aureus Chriſtianæ facundiæ orator D. Io. Chryſoſtom. qui hom. 25. in 10. cap. Matth. aliquanto poſt med. examinãs illa verba Pſalm. 138. num. 18. *dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur*, quærit quale priuilegium Iuſtorum ſit dinumerari à Deo. Dicet aliquis, eſt ne tanti momenti à Deo dinumerari, vt debeat ab eodem tanquam ſingulare beneficium memorari? reſpondet loco citato Chryſoſtomus his verbis: *vis ſcire dignitatem numeratorum? conſidera ouem illam quomodo paſtor non requieuit per deſertum diſcurrere, donec inueniret eam, & ad priſtinum numerum reuocaret. Nullam ex*

S. Greg.

Iob. 18.

Cur Diabolus dicatur non eſſe.

S. Io. Chryſ.

Pſalm. 138.

Quià Deo numerentur.

omnibus se habere putabat. Si de numero suo vna periret. Qui autem perituri sunt, non numerantur. Ideo Dominus dicit, vestri etiam capilli capitis numerati sunt. Peccatores autem, vt quid numerantur, qui esse non æstimantur. Igitur Dei iudicio non esse æstimandi sunt impij, quorum grauissima calamitas est ab albo Dei, hoc est, à rerum numero eradi penitus, atque deleri. Ex quibus liquidò patet hominem non esse, qui per peccatum desinit esse.

Habeo in promptu consuetudinem Barbarorum quidem hominum, sed me iudice, & scitu, & adnotatione dignissimam. Apud Turcas, hominibus quibusdam asperioris, & vt ipsi arbitrabantur, sanctioris vitæ instituta sectantibus (quos Torlacos vocant) in more positum esse stipem emendicare auctor est Io. Botetus libro 1. dict. memor. vir. illust. aliquanto post med. Vt autem oportunum impetrent, petitumque præsidium, gestare solent speculum quoddam permagnum, quod obicientes singulis, à quibus eleemosynam petunt facilè obtinent, quod deprecantur. Enimuerò ingeniosum inuentum, quo videntur dicere velle vnicuique; Ne ab auri cupiditate vincaris, perspicias te hominē esse, quasi verò plus nimio indignum censeant homine, superari amore immodico diuitiarū. Hic accepta à Barbaris hominibus institutione, eorum ego monitum vsurpabo libēter, non modò, vt ab auri, sed à praua quauis inquinatæ mentis cupiditate coercеā, vt frœnum inijciam, & quibusdam veluti cancellis concludam exleges animos deprauatosque obiecto veluti speculo, illis in memoriam reuocabo, vt contemplentur attētius se homines esse, quo procul dubio continebuntur in officio, quandoquidem qui sceleribus maculantur ab hominum albo expungendi meritò perhibentur.

Botet.

Turcæ obiecto speculo eleemosynā petũt.

Magna sanè me lętitia fuisse perfusum, fatebor vltrò cum deprehendi in hac eadem fuisse sententia S. Bernardum, quippe qui declamatione de bonis deserendis nō multo post initium explicās illud Lucę 14. num. 19. *Iuga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, babe me excusatum,* sic ait: *Quid iuga emit, & iuga boũ, cui iugũ suaue gratis offertur? Nam iugum Christi, iugũ hominis est: siquidē et Christus Homo. Hac modo gratis tribuitur, sed et copiosa* A *his qui tulerint illud, remuneratio est: Quid ergo miser pro iugo boũ distrabis animam tuam, qui iugum Christi suscipiens emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum?* Quod nominatim perpendendum moneo est, ex ipso responso hominis renuentis Christi lautitias, dicentisque: *iuga boum emi quinque*; percipi facilè posse illud esse inter Dei seruos, & scelestos discrimen, vt illi quidem iugo colla supponant, sed iugo hominis; isti autem iumentorum. *Quid iuga emit, & iuga boum, cui iugum suaue gratis offertur? Nam iugum Christi iugum Hominis est* sa- B pienter dixit Bernardus.

S. Bernar.

Luce 14. Iugum Christi iugum hominis est.

Hinc iure sanè meritissimo ad aperiendum quid de homine sceleribus Inquinato sentiendū sit exclamaret Augustinus lib. 2. confess. cap. 7. *O putredo, ò monstrum vitæ, & mortis profunditas.* En ex Homine monstrum, & calamitatum omnium miserrima corruptela. Queris autem qualis haberi debeat, qui se scelere obstringit, si Homo non est? responsum dabũt sapientissimi, & eloquentissimi Patres Eusebius Emissenus, Petrus Damianus, Magnus Gregorius. Et primus quidem decernet C huiusmodi Hominem, non Hominem, sed victimam esse diaboli, homil. de SS. Mart. Ephipodio, & Alexandro in fine, his verbis: *obseruemus, ne quis nostrum per vulnus peccati, victima efficiatur inimici.* Subscribet ijsdem ferè verbis Beat. Petrus Damianus opusc. 17. ad Nicolaum 2. Summum Pontif. cap. 3. initio sic scribens: *Cur te metipsum maligno spiritui non vereris victimam immolare.* Gregorius verò, siue equum, & mulum, cum Dauide, siuè Vmbram Diaboli; scelestum, ipsius Dei oraculo nuncupabit. Etenim in expositione secundi, ex septem Psalm. pœnit. ad ver. 11. D ait: *Nolite sicut equus alienum sessorem indifferenter portare. Equus enim, sicut Dominum suum ad portandum recipit, ita etiam sinè discretione alios, qui volunt ascendere sessores admittit. Qui ergo timore Dei posposito, qui Dominus omnium est, diabolicæ potestati subiecerit, & animam, quæ sedes sapientiæ esse debuerat, fallacis Domini ditioni mancipauerit, sine intellectu proculdubio, sicut equus existit. Mulus verò sicut onus Domini sustinet, ita se cuilibet extraneo onerabilem prabet. Quisquis*

S. Aug.

Peccator monstrum, & corruptela.

Emiss.

Peccator victima Diaboli.

Damian.

S. Greg.

Peccat. equus, & mulus.

quis itaque Domini illius, cuius iugum A *suaue, & cuius onus leue, praecepta reyciens, grauissimas peccatorum sarcinas ferre non recusauerit, irrationabilem se profectò sicut mulum ostendit.* Breuius quidem, sed non minus accomodatè lib. 24. mor. cap. 4. ipso initio explicans illud Dei, Iob alloquentis oraculum cap. 40. num. 17. *Protegunt vmbrae vmbram eius*, ait: *Vmbrae quippe sunt diaboli omnes iniqui, qui dum imitationi iniquitatis eius inseruiunt, quasi ab eius corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem vmbra eius sunt pluraliter reprobi: ita singulariter vmbra eius est vnusquisque peccator.*

Iob 40.
Peccator vmbra Diaboli.

B

Quæ cum ita sint ingeniosè non minus prædicetur quàm verè: Nullus Homo à Dęmone vincitur, cum huiusmodi hominem, si sapimus, ab Hominum albo expungere debeamus. Id fortasse indicare voluisse crediderim ingeniosissimum Augustinum dicentem, Hominem peccato inquinatum, exulem à se ipso, & sui met cordis esse fugitiuum. Miser planè profugus à consortio Hominum, & in bestiarum insulam relegatus. *Sed quia Homines*, loquitur Augustinus enarrat. in Psal. 57. sub initium, *appetentes ea, quæ foris sunt, etiam à se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui.* Siste gradum, & redde te ipsum tibi, ne profugus exules ab humanitate.

S. Aug.

Peccator sui cordis fugitiuus.

C

Vel certè vt clarius loquamur, atque disertius, dicamus cum eodem Augustino huiusmodi hominem monstrum esse teterrimum, atque turpissimum. Consule sermonem 8. ad Fratres in Eremo vbi circa medium, vt exprimat quid sentiendum putet de eo qui à Christiana pietate desciscens, scelerum se se implicat laqueis, sic habet. *Bonum inchoare, & malo fine concludere, quid aliud est, quàm monstruosas res conficere? Quidam habent initium bonum, quorum vita monstrum est mirabile, quasi hominis prætendens caput, sed medium in luxuriam descendit, ventremque ouium habet, & ad vltimum in rapacitatem lupi pedes extendit.*

Peccator quale monstrum.

D

Vel certè flagitijs fœdatum hominem, cum Beato Petro Damiano, dicamus imò potius defleamus vtpote in tartarum, atque sedem Diaboli miserrimè permutatum; vtamurque illis eiusdem S. Cardinalis verbis, quibus lib. 2. epist. epist. 2. aliquanto post medium scribit in hunc modum: *Reproba cuiuslibet anima fit confusio tartari. Mens enim odiosa, cupida, curis tantummodo secularibus dedita, libidinis igne succensa, non ne tibi videtur infernus, in quo videlicet, & Diabolus habitat et concupiscentiarum ignes æstuare non cessant; illic enim de luxuria sulphureus fætor oboritur, & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine, tanquàm teterrimi fumi volumina generantur. Nam dum hoc amat, illud timet; in alijs gaudet, hoc odit; illud auidè concupiscit; fit infelix mens, suspecta semper, & vaga, curiosa, anxia simul, atque sollicita, quæ curis impellentibus in multa diuiditur, diuersarumque passionum morsibus laceratur. Hæc itaque flebilis anima gehenna facta est, tartarus, & infernus, quàm & cruciant tormenta curarum, & vitiorum vastat incendium.* Hactenus Damianus. Neque copiosiùs, neque expressiùs dici potuit.

S. Petr. Damian.

Peccator infernus.

Igitur si Dęmon, si Bestia, si mente destitutus ab Hominum, imò à rerum albo eraditur flagitiosus. Si monstrum, si mortis profunditas, si Diaboli siue victima, siue vmbra, si infernus, Peccator est; sapienti dicamus horrore perfusi: Nullus homo à Dęmone vincitur.

Placuit mihi semper canori Vatis sententia Psalm. 21. num. 21. Diuinam opem enixè deprecantis illis verbis: *Erue de manu canis vnicam meam.* Sine dubio mali Dęmonis vires elidere, & versutias eludere desiderat Princeps pius. Percontáti porrò, cur canem eum appellet, quem belluis longè immanioribus, ac truculentioribus feris comparare potuisset, responderem, Aristotele magistro, id quidem sapientissimè, & magno cum acumine pronunciatum. Siquidem *omne animal*, inquit Aristoteles de an. lib. 8. caput 22. circa med. *cane rabido morsum interit; solus homo non sine periculo euadit.* Extollamus itaque vocem *Erue de manu canis vnicam meam*, fateamurque ab hominum albo expungendos, quot quot rabido canis huiusce morsu perimuntur. Inter belluas, credite, recensendi sunt ij, quos labores exantlare, & subire piget pericula ad

Psalm. 21.

Diabolus canis, & cur.

Arist.

Canis morsus interimit omnia animalia, homine excepto.

ad retundendos, refellendosque impetus inimici tam rabidi, tamque efferati; cuius morsum lethalem non senties, dummodò non exueris humanitatem.

Consulat, qui vult Patrem Ioannem de Pinna in caput primum Comment. Ecclesiastici Ethologia 13. vbi ostendit: humanam exuere naturam, & ferinam induere eum, qui peccat.

Insuper ignauia Dęmonis explicatur à Reuerendo Patre Didaco Nisseno Dominica prima Quadragesimæ Assump. 5.



A IN CAPVT QVARTVM Num. XI.

Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

PARADOXVM VIII.

B Flagitijs excitamur ad virtutem.



Atis esset ad instituendos homines, quàm promptè refellendus sit hostis Tartareus, exemplū illustre, quod prębet hoc loco seruator Christus, quo auctore, tales nos gerere debemus, vt à Diabolo relinquamur, & ministerio Angelo-
C rum vitam viuamus innoxiam inter virtutum lautitias, quæ liberalis animi epulæ sunt, non seruilis ingenij. Neque verò alienum est à sacrarū oraculis litterarum, virtutum exercitamenta conuiuio comparari; siquidem Prouer. 15. num. 15. dicitur. *Secura mens, quasi iuge conuiuium*: Prouer.
Imò hoc eodem cap. 4. Matt. num. 4. ipse Dei filius, cum excitetur ad comedendum, respondet. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth.
Verum quia mihi nequaquam est mens dicendo prosequi, quales sint epulę probis viris sapore virtutum, à beatis cœli menti-
D bus adornatæ: satius futurum reor, ad excitandos Christi fidelium animos acrioribus, ac validioribus stimulis demonstrare, ipsis etiam flagitijs hominum mentes erigi ad capessendam virtutem. Videlicet parum videbatur Bonitati summæ, dedisse nobis monitorem muneris nostri Natum Deo, sicuti hoc loco habemus, nisi insuper ipsa quoque docerent scelera, nostrum esse nefarium animarum prædonem diligentissimè propulsare; adeo vt sit explo-

ploratum flagitia quoque adminicula esse A virtutum.

Quod ita propono, vt pollicear me euicturum, tàm proprijs, quàm alienis vitijs quemque ad amplexandam virtutem vehementius excitari.

Neque verò (vt de proprijs sceleribus primo loco dicamus) hic loquendi modus, quasi ementiens superiectio desideri debet, si, & dignitate, & sanctitate ma-
S.Greg. Eccles.42. ximum Pontificem Gregorium excipiamus. Is certè explicans illud Eccles. caput 42. num. 14. *melior est iniquitas viri,*
Culpa virtutis occasio multis. *quàm mulier benefaciens*, inquit, *quia etiam culpa fortium occasio virtutis fit, &*
Impijs virtus occasio peccati. *virtus infirmorum occasio peccati*. Ita S. lib. 11. moralium cap. 26. paulo post initium. Habes Christiani hominis præclaram notam, & caractherem illustrem; videlicet si sumat occasionem in virtutibus proficiendi ex eo ipso, in quo defecit. Legisse me memini, quod de Iulio Cæsare
Suetonius. scribit Suetonius in vita paulo post initiū in hunc ferè modum. *Rhodum petebat Cæsar daturus operam arti bene dicendi Apollonio Moloni disertissimo præceptori; cum circa Pharmacusam à Prædonibus captus est, apud quos non sine summa animi indignatione mansit quadraginta dies. Ve-*
Cæsar ex ipsa captiuitate excitatur. *rùm numeratis quinquaginta talentis redemptus, vix manus euaserat Pyratharum; cum subitò omni cura comparandæ eloquentiæ posthabita, classe deducta, prædones eo vsque insectatus est, donec redigeret in seruitutem*. Dignum enimuerò Cæsare consilium tam acriter eos insectari, à quibus turpi fuimus seruitute subacti, vt eosdem penitus profligemus, debellemus, deleamus, & quod caput est ad huiusmodi vindictam excitemur ipso, quod subiuimus turpi dedecore seruitutis. Sapien-
S.Cyprian. tissimè mea quidem sententia Sanctus Cyprianus, vt improborum conditionem oratione non admodum longa, sed vnicè accommodata complectatur sermone 2. de Zelo, & liuore circa medium sic fatur;
Turpis impiorum seruitus. *nec se potest iam cohibere, nec regere, qui factus est potestatis alienæ*. Animaduerte diligenter, quisquis per huius sæculi mare iter agebas, vt beatitatis insulam aliquandò tandem superatis tempestatibus, ac fluctuum domita insania teneres, ipsa, qua non paucorum dierum, sed plurium annorum seruitute turpissima detineris captiuus, excitari debes ad debellandos prædones nefarios, perdendosque, nulla interposita mora, omni posthabita cura: pudeat iam te tui, quod libertatem amiseris; eum vita ipsa sit carior, & alienæ factus potestatis, resipisce tandem, & huiusmodi nota dedecoris admonearis, quæ tuæ debeant esse partes.

Sanè vita, quàm viuimus, via dicitur; & quamdiu spiritum ducimus, peregrinamur: sic prima Petri cap. 2. num. 11. cre- 1. Petr.
diderim quia, sicuti qui aliquò contendit, si fortè per errorē à via deflexerit, vbi Vita via est.
B primum id animaduertit, ab ipso excitatur errore, ad iter conficiendum celerius, & expeditius; eadem planè ratione, qui cum coronato Vate Psalm. 118. num. 176. Psalm. 118.
dicere potest: *erraui, sicut ouis, quæ periji*: alas pedibus addat necesse est, tantòque currat velocius, quantò longius aberrauit, etenim illud iter, quod pedetentim conficere potuisset, nisi aberrasset à recto tramite, longè maiori celeritate opus habet, vt absoluere possit: quò collimasse visus est Paulus; cum scripsit prima ad Corinth. 9. num. 24. *Sic currite, vt compre-* 1. ad Corint. Quibus potissimum currendum.
hendatis. Iter, à quo deflexisti, non per- C lustrandum est passibus, sed cursibus celerrimis illustrandum.

Illustre nobis exemplum præbuit in hac re magnus sceptro, maior pœnitentia S.Ambr.
Dauid, de quo S. Ambrosius libro primo Apolog. cap. 2. eius pœnitentia considerata, huiusmodi monitum subdit. *Sicubi, vt homines corruerint, acrius ad currendum resurgunt pudoris stimulo maiora* Ipso lapsu ad currendū excitantur iusti.
reparantes certamina: vt non solum nullum attulisse existimetur lapsus impedimētum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse. Anteiuit exemplo suo sanctus Rex, ipsius insistere vestigijs erit facilius.

D Conditor rerum sapientissimus amorem suum erga Isdraëliticum Populum adumbraturus ab Aquila auium Regina comparationem desumpsit, vt habetur Deut. ca- Deut. 3.
put 3. num. 11. *sicut Aquila*, inquit, *prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portauit*. Cuius sententiæ acumen planè diuinum percipi nequit, nisi rationem, qua Aquila prouocat ad volandum pullos suos, in medium proferamus.

Aquilę

Aquila prouocat pullos ad volandű lapsu.

Aquilæ vt primum pullos alis firmioribus volatum affectare vident, in altum sublatos demittunt, qui, si sibi relicti dilabuntur præcipites, vt sæpè contingit, rursus suscipiunt ipso monentes periculo, vt aërem volatu superare discant. Ita Sinesius in Dione, vt refert eruditissimus Vlysses Aldrouandus lib 1. Ornithologiæ sub titulo, Incubatus Exclusio: paulo post mediű. Ipso casu nequaquam feruntur præcipites, sed ad volandum sublimius, & expeditius prouocantur, qui filij sunt non degeneres Aquilæ magnæ. Certè cadit, qui peccat, sed si iustus est, ex ipsa casus calamitate vires resumit. *Septies in die cadit iustus:* summi Dei oraculum fuisse prouerbiorum cap. 24. num. 16. quis nesciat? Pudeat igitur iacere inglorium, & humi cubare eum, qui fabuloso Anteo fœlicius, ex ipso casu validius firmatur ad consurgendum. Iam præpetibus sanctorum operum pennis credere se cœlo non moretur, humilia fastidiens humanarum fœlicitatum quisquis filius Dei esse desiderat, & nominari; imò suorum criminum casum voluens erigatur ad volatum.

Vlyss. Aldrou.

Prouer. 24.

S. Bern.

Pia deprecatio.

Psalm. 67.

Iustos ipsa firmat infirmitas.

Vtinam eo affectu, quo sanctus Bernardus dicebat, exclamare possem: *Pijssimè Domine, ego peccabam, & tu dissimulabas: prolongabam multo tempore iniquitatem meam, & tu pietatem tuam. Da ergo misericordiam misero, qui tandiu pepercisti criminoso.* Hæc capite 3 t. de interiori domo in fine quasi verò dicere velle videatur ipsas anteactæ vitæ iniquitates impetrandæ veniæ argumentum præbere. Do ex Augustino plenam sale sententiam, ex illo Dauid Psalm. 67. num. 10. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata est: tu verò perfecisti eam.* Infert Augustinus serm. 13. in Matthæum paulo post medium his verbis: *Ergo ipsa hæreditas non firmaretur, si non infirmaretur.* Perinde acsi hæc vna sit ratio, propter quam Deus summa bonitas perficit, ac firmat electos; quia infirmos esse cognoscit. Age, & tu quoque ab ipsa tua exciteris infirmitate ad eius implorandam opem, qui Cœlestium dono munerum, & supernæ largitione gratiæ nutantem, labantemque firmet infirmitatem mentis tuæ.

Ingeniosissimus Augustinus mox laudatus, semper laudandus admonet singularem fuisse supremi sapientiam molitoris, & consilium opificis maximi asserere non dubitat planè Diuinum; Quandoquidem ita rerum hanc diuersitatem, vniuersitatemque disposuit, vt monstra ipsa (quæ labes quædam esse deficientis naturæ videntur, atque dedecora) plurimum ad vniuersi pulchritudinem absolutissimam faciant, & non rarò excitent pia, si dicere licet, titillatione proborum hominum mentes, ad contemplandam vim, effectricemque facultatem naturæ Diuinæ. Consule Augustinű lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 8. quem inuenies hãc reddentem rationem, cur in tam pulchro rerum procreatarum ordine monstra reperiantur? Nimirum, vt vniuersitas orbis immensi venustior, atque elegantior inflammaret nostra corda, admotis veluti supernæ charitatis igniculis, ad laudandum Deum. Sequor tanti vestigia ingenij longè quidem, imò si dicere fas est, quod aiebat ille, semper adoro: & non absimili ratione differo de flagitijs, ac criminibus, quibus se frequenter obstringunt homines. Equidem inficiabitur nemo, nullum omninò tam horrendum, tam indecorum, tam deforme monstrum esse, quod turpitudine cum peccato cõferri queat. Quæris fortasse, cur Deus summa bonitas permittat peccata? Est in promptu responsio (quæ reprehendi non potest, nisi simili reprehensione arguatur ingeniosissimus Augustinus) ad pulchritudinem vniuersitatis. Quid pulchrius, quã ipsa intueri peccata, quorum permissio effectus prædestinationis est, vt cum rerum Diuinarum indagatoribus Thelogis loquar. Quid pulchrius ea deformitate, cuius comparatione venustior apparet innocentia iustorum? Quid pulchrius ea turpitudine, quæ non modo trahit ad se, Diuinæ misericordiæ oculos, sed eos conciliat humanæ miseriæ? Igitur tam pulchra deformitas fieri minimè poterit, vt nostros non excitet animos ad auctorem virtutis ardentius adamandum. Nulla fœdaris culpa? Quandoquidem culpa tam fœda est, ames ardentius, diligentius custodias integritatem tuam. Criminibus sordes? expergiscere tandem, & sordida ipsa flagitiorum contagione commonefias, quàm sit indignum fœdari diutius eum, qui

S. August.

Monstra etiam excitant nos ad laudandum Deum.

Peccata conferunt ad pulchritudinem vniuersi.

qui dum hic viuit, exulat quidem à beata A
patria, Cœli tamen municeps est. His au-
tem, vt arbitror, opus non est plura dice-
re;cum oculatissimi etiam indagatores ve-
ritatis sacræ studiosi sapientiæ consentiãt.
Sit instar omnium doctissimus Franciscus
Suarez. Suarez,qui cap.8. de Prædestinationis ef-
Permissio peccati effectus prædestinationis. fectibus loquens ait. *Dico tamen permis-
sionem peccati, & esse posse, & sæpè etiam
esse effectum prædestinationis. Hanc sen-
tentiam frequentius hoc tempore sequuntur
moderni Theologi, & eam insinuarunt An-
selmus, & Diuus Thomas exponentes illa*
Ad Rom. 8. *verba ad Romanos* 8. *diligentibus Deum
omnia cooperantur in bonum, vbi Glossa* B
*addit etiam peccata; citat Augustinum
lib.11.Genesis.* Præterquamquod ipsa pec-
cata Dei seruis plurimum prodesse, vt in
dies proficiant magis,magisque, & non
parum ab ipsis sceleribus sanctos viros
referre compendij,vt desertum sanctitatis
iter aggrediantur ardentius, atque confi-
ciant expeditius, confirmare licebit tri-
plici recitata similitudine, quam affert
S. Ambros. sanctus Ambrosius lib.de Aelia,& ieiunio
cap.9. in fine, vbi sic habet: *Ipse Sol post
Confirmatur propositum à simili. noctem gratior,ipsa lux post tenebras splẽ-
didior: ipsa salus post ægritudinis tenta-
menta iucundior.* Illustrabitur facilè Am- C
brosij auctoritas,si reuocemus in mentem
Matthæi. iustos Soli comparari; vnde Matt.cap 13,
Iusti sicut Sol num.43.*fulgebunt iusti,sicut Sol.* Nox pec-
catum suis tenebris adumbrat satis aper-
Ad Rom. 13. tè. Propterea ad Romanos cap.13.nu.12.
Peccatum nox. scribebat Deo plenus Paulus: *Nox præces-
sit; dies autem appropinquauit.* Similiter
lux aureo suo colore sanctitatem repræ-
sentat, sic Prouerbiorum 4. num.18. dici-
Sanctitas, Lux. tur. *Iustorum semita, quasi lux splendens
crescit:* Porrò tenebris scelera comparan-
Ad Rom. 13. tur, in quem sensum Paulus ad Romanos
citato cap.13.num.12.scribebat: *Abijcia-
mus ergo opera tenebrarum.* Denique lan- D
guoribus significari peccata, sanitate ve-
rò sanctitatem, aperto Probaticæ Piscinæ
Ioan. 5. testimonio Ioannis cap.5. extra contro-
uersiam comprobatur. fortasse si Ambro-
sij sequamur sententiam, vt sicuti nonni-
hil gratiæ Sol ex horrore noctis, non pa-
rum splendoris ex tenebrarum inuolucris
accipit lux,multum trahit iucunditatis ex
Peccata conferunt iusto. ægritudine salus, ita conferant iusto mul-
tum splendoris, gratiæ, venustatis, & nox

peccatorum, & tenebræ iniquitatum, &
lãguor flagitiorum. Quod videtur ex ma-
gno Basilio mutuatus Ambrosius,ille ete- S. Basil.
nim Hom.1.de laudibus ieiunij paulo post
medium ait: *An non vides Solem lætiorem
esse post noctem? ac vigiliam esse iucun-
diorem post somnum? & ita sanitatem esse
desiderabiliorem diuersa expertis?* Maneat
igitur, omni amota controuersia, electis
nequaquam obesse vitia, sed prodesse, &
crimina ad culmen virtutum non obstrue-
re,sed adstruere iter.

Quis hic vel mediocriter eruditus si-
lentio inuoluere queat, quod scriptum
posteritati reliquit Aelianus lib.2.cap.21 Aelianus.
De Agathone, & Pausania. Agathonis Agathonis, & Pausaniæ beneuolentia.
amore deperibat Pausanias. Huic tamen
ille frequenter irascebatur. Quo circa
amoris, quo Agathonem Pausanias pro- Ira amoris incitamentum.
sequebatur, conscius Archelaus interro- Archelai interrogatio.
gauit aliquando Agathonem,qua de cau-
sa tam crebrò indignaretur ei, à quo ferè
ad insaniam vsque diligebatur. Huius rei,
respondit,& nisi fallor,sapientissimè Aga-
thon: *O Rex rationem tibi reddam. Ne-* Agathonis responsum.
*que enim contentiosior, aut morosior sum
aduersus ipsum, neque rusticitate quadam
id facio. Sed si quid ego de moribus intelli-
go iucundissimum amantibus esse reperio, si
ex contemptionibus, & litibus in gratiam
redeant.* Laudauit hæc Archelaus. Amo-
rem accendit amoris identidem intermis-
sum studium. Ista etiam, & sanctus amor
habet, qui non rarò intermissus, & vehe-
mentius reuocatus exardescit ardentius.

Triti illius, cuius paulo superius memi-
ni: *Septies in die cadit iustus*, me iam non Quomodo iustus, qui sæpe cadit,
pudebit facere mentionem. Immò pergra-
tum erit paululum examinare. Etenim si
cadit, quomodo iustus dicitur? Rursus si
iustus salutatur, qua ratione toties cadit?
soluit nodum propositi vis argumenti:
Iustus,qui toties cadit, non immeritò nũ-
cupatur, qui ex ipso casu vires, animum-
que validius, & citius resurgendi sumit.
Non secus,ac fortis equus, cui si contige-
rit cadere, non modo resurgit fortior, sed
graditur expeditior. Id cælestem sponsum
insinuare voluisse dicet fortasse nõ nemo
Canticorum 1.num.9.dicentem, *Equita-* Cantic.1.
*tui meo in curribus Pharaonis assimilaui
te, amica mea.* Quid, obsecro, cum equis
habet cõmune dilecta Deo,nisi fortè,quia
san-

ſanctorum animi in morem robuſti equi ab ipſo lapſu, ad curſum colligunt vires, equitatui non immeritò comparantur?

Suetonius.

Quem latet, quod Suetonius in Octauio aliquanto poſt initium ſcribit in fine numeri 28. Hic Inter Romanos Auguſtos ordine ſecundus, fœlicitate fortaſſe Princeps; cum Vrbem Romam pro maieſtate Imperij exornaſſet, gloriari ſolebat, marmoream ſe relinquere eam Vrbem, quam lateritiam à maioribus accepiſſet. Gloriabatur inquam, & quidem, vt Hiſtoricus monet, iure quidem optimo gloriabatur. Quanto æquius (ſi dicere fas eſt) gloriabitur Imperator Deus, conſiderans gratiæ collatæ decus, ſanctarum animarum ornamẽtum eſſe penitus ſingulare; lateritiã ſe ſe ingemiſcebat anima, quæ durius, & aſperius, quàm olim Aegyptio Tyranno conficiendis lateribus laboraret Populus Dei, inter ſcelerum ſordes fœdabatur; at ex lateritia pluſquàm marmorea gratulatur ſibi, quæ non modo è vitiorum cœno educta, ſed decretis ſtabilita firmiſſimis æternum futura Deo obſequioſa. Quam benè: è lateritia marmorea: vt præſens pulchritudo præteritæ comparatione vtilitatis pulchrior ſit, ac gratioſior. Vel certè lateritia dicitur, vt prædicetur marmorea, quaſi non parum ex hoc ipſo munificentia Imperatoris debeat commendari. In hanc ego ſententiam libenter adducor, eum ſimile neſcio quid innuiſſe animaduertam Dauidem Pſal. 102. à num. 12. ad 15. vbi videtur afferre rationem, qua Dei bonitas ad benè de nobis merendum quodammodo excitetur; ea autem non alia dicitur eſſe, quàm abiecta calamitatis noſtræ conditio; quaſi verò cum te lateritium videat, commiſeratione permotus admoueat operi manum, vt te è limoſis terræ ſordibus ad marmoreæ ſtructuræ præſtantem euehat ſoliditatẽ. Hinc n. 12. dicitur; *longè fecit à nobis iniquitates noſtras, quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Quo deprecatore/auctore quo, tantum contulit erga nos beneficium? *Ipſe cognouit, figmentum noſtrum recordatus eſt, quoniam puluis ſumus.* Reſpõdet purpuratus Vates. Intelligo iam, quo pacto noſtri abiectio pulueris acrius, ac vehementius Dei prouocet benignitatem, & fieri poterit, vt noſtrum non excutiat ſomnum? non exuſcitet torporem? Pudeat te tandem vilitatis tuæ, qui ſordeſcis in puluere vitiorum, atque ab humilitate lateritiæ ſtructuræ animum erige, mentemque attolle ad marmoream molem.

Auguſtus gloriabatur Vrbe exornata.

Quomodo Iuſti anima è lateritia marmorea.

Dauid Pſal. 102.

Cur Deus noſtri miſereatur.

Noſtra vtilitas diuinæ miſerationis incitamentum.

A

Plinius.

Mirum eſt, quod Plinius ſcribit lib. 28. cap. 3. circa finem his verbis: *A ſcorpione aliquando percuſſi, nunquam poſtea à crabronibus, veſpis, apibuſque feriuntur.* Quaſi verò vulnus à ſcorpione ſemel inflictum incolumem poſtea à noxijs animalium morſibus præſtet, raro inauditæ medieinę priuilegio. Sed mirabilius eſt, quod proſequor: ipſemet inflictus à tartareo ſcorpione venenatus aculeus, neſcio quo pacto ad admirationem vſque prędicando Dei beneficio pro anthidoto eſt, & nos igitur hoc loco vtamur verbis iiſdem, quibus vtitur Ambroſius lib. x. Comentariorum in Lucam paulo ante med. in expoſitione 22. capitis, vbi conſiderans vberem Principis Apoſtolorum fletum, poſt triplicem negationem ait: *Etiam lapſus ſanctorum vtilis.*

Scorpionis morſus pro anthidoto.

B

S. Ambroſ.

Lapſus Sanctorum vtilis.

Quod cum ita ſit, iam non admodum cenſebo difficile perſuadere, conferre nobis ad integritatem vitę vitia etiam aliena, quod fuit ſecundo loco propoſitum. Alexandriam petenti Abbati Pambo, vt Ecclesiaſtica teſtatur hiſtoria par. 2. lib. 6. cap. 1. obuiam venit benè compta, benèq; depexa mulier, tota nitida, & ad vnguem mundula, quam cum perſpiceret cincinnis ad numerum expolitam, obortis lacrymis, ductiſque imo corde ſuſpirijs, exclamaſſe dicitur ſanctus Abbas: Heu miſerum me! qua voce commoti, qui comites erant itineris non magis, quàm doloris eius diſcipuli interrogarunt, ecquid noui contigiſſet; propter quod tam amaras abire in lacrymas cogeretur. An non, reſpondit Pambo, par eſt, vt in lacrymas abeam perſpiciens mulierem illam tantam adhibere diligentiam, vt ceruſſa, & minio illita facie, vt calamiſtrata coma, vt cirrulis, & mundo muliebri blanditiarum ſceleri ſeruiat, & voluptati, cum tamen ipſe ſocordi torpore langueſcam, nullamque ferè adhibeam diligentiã, vt ſeruiam Deo? Quàm rationi conſonum eſt, vt alienis conſideratis flagitijs, admotis, veluti calcaribus ad illud, in quo currimus, ſtadium ſancti-

C

Hiſt. Eccleſiaſt.

Abbas Pambo lacrymatur, & cur.

D

tatis

tatis conficiendum celerius excitemur.

Experimento compertum est, si fortè conspexerimus aliquem in aduersa fortuna, indito à natura sensu humanitatis, excitari quemque ad opem afflicto afferendam. Deus immortalis! alieno malo commouemur vsque adeo, vt eam calamitatem auersemur vehementissimè, qua videmus quempiam affligi; Propterea fieri non poterit, vt flagitijs aliorum præ oculis habitis torpescamus: nullum enim calamitatis genus excogitari potest tam miserum, tam lacrymabile, tam acerbum, quod impia flagitia secū non ferant. Quis durus adeò, atque immitis, qui Iob non misereatur de fœlicitatis culmine deiecti, iacentis in sterquilinio, funesto planè spectaculo? Et de impijs dicitur: *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.* Threnorum 4. num. 5. captiuitates, & vincula fortissimi Sampsonis, cuius animum non excitēt ad commiserationem, & peccata ligatum hominem abiectam deducūt in seruitutem. In ore omniū est illud Dauid Psal. 118. num. 61. *funes peccatorum circumplexi sunt me;* Zenobiæ virilis animi fœminæ, quæ Odenato viro suo interfecto occupauerat Orientem, ab Aureliano Romano Imperatore in triumpho ductæ, vt Zonaras lib. 2. testatur, quis tributum deneget lacrymarum infortunij acerbitate commotus, nisi ferus ille sit, ac verè ferreus? Et de te, ò anima Christi fidelis, nata ad Imperium æternæ Beatitatis, non semel, sed sæpius Tartareus prędo triumphat, ecquem non misereat tui? Galerius Maximianus Flauij Constantini in Imperio Collega, sęuus licet, & truculentus, vt est apud Zonaram, mox citatum ibidem, cum dicitur computrescens inter vermes miserrimè vltimum obijsse diem, cuius animum, adamantinum licet, commiserationi non pulset? cuius pectus, saxeum licet, calamitate tam misera non mitescat? Immortali morte sine consumptione consumitur animus eorum, quorum vermis non moritur in ęternum iuxta Euangelici Vatis oraculum cap. 66. num. 24. nec tangimur, nec commouemur, proh quanto stupore correpti! Profectò ea mali magni vis est, si homines sumus, vt animos, quātuis sopore demersos lethifero excitet, & extorqueat non segnem modò, & effœ-

Iob ærumnæ.

Thren. 4.
Fœda calamitas Sampsonis.

Dauid Psal. 118
Misera peccatorum captiuitas.

Zon. lib. 2.
Zenobia ab Aureliano capta.

Idem Zon.
Galerij mors miseranda.

Immortalis pœna peccatorum vermis.
Isaias.

A minatam commiserationem, sed tempestiuum auxilium, & opportunā opem. Quod si contingat, vt sine dubio par esse nemo non videt, fient ipsa flagitia adminicula virtutum.

Aptè S. Io. Chrysostomus in fine hom. 23. in epist. ad Hebræos ad cap. 11. monebat: *Tu autem quid iudicas fratrem tuum malis decem millibus cumulatus? Cum dixeris, ille malignus est, & prodigus, & pessimus, intellige te ipsum, & examina cum diligentia, quæ tua sunt, & pæniteat te delicti tui. Non enim est omninò, non est ad virtutem vlla talis exhortatio,*
B *qualis est peccatorum recordatio.* Quid igitur Dei amico poterit obesse, si ipsi prosunt ad comparandam, perficiendamque virtutem flagitia, quò peiora, eò ad probitatem adminicula potentiora.

S. Io. Chrys.

Peccatorum memoria efficacissima exhortatio ad virtutem.

Inuenio ego apud Plinium quoddam hominum genus, quorum instituto viuendi tam pręcellens prerogatiua adumbrari perbellè videatur. Etenim vt citatus auctor lib. 7. cap. 2. testatur, qui Athenem montem olim incolebant, vesci viperinis carnibus consueuerunt. Dicam vipereis serpentibus adumbrari peccatores, me-
C mor inuectiuę habitę olim à Io. in Pharisęos, Matth. 3. nu. 7. vbi dicitur *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Vescitur porrò huiusmodi carnibus, qui scelestorum virijs non modò non inficitur, sed perficitur, sumpta occasione proficiendi, vt dicimus ab alienis defectibus. Fauet nobis ingenioso symbolo Vates Regius psal. 28. num. 9. Cerui similitudinem afferens illis verbis: *Vox Domini præparantis Ceruos.* Ceruus sanè, vt in hunc psalmū notauit Basilius mirificum animal est, quod nullo serpentis veneno lędi queat, imò genus omne veneni
D eijcere potest, ac superare. Insuper etiam serpentes edere solent Cerui, vt tritum est. Quibus quemadmodum, quod cęteroqui noxium est, prodest potius, quàm noceat, ita Deo caris etiam nocentissima scelestorum peccata conferunt ad augmentum sanctitatis. Omnibus autem ante dictis, huiusmodi cōficio syllogismum.

Plinius.

Homines pasti serpentibus.

Matth. 3.

Dauid Psal. 28.

Basil.
Cerui serpentibus vescuntur.

Quęcumque aut excitant expeditius ad currendā Sanctitatis viā, aut ad viuum fœditatem repręsentant improbitatis, aut mentem auocant à labentis amore virę,

Bb aut


aur ad Deum cor hominis erigunt, sunt A fine dubio adminicula, atque excitamenta virtutis.

Legendum moneo P. Didacum de Baeza tom. 1. comment. moralium in Euangelicam historiam lib. 5. cap. 4. §. 26. & to. 3. lib. 14. cap. 4. §. 13.

Videatur etiam P. Cornelius à lapide in epist. B. Pauli ad Romanos c. 8. vers. 28.

Ad hoc argumentum reuocabis quæ scripsit ingeniosè P. Didacus de Celada comment. in Iudith cap. 7. ver. 18. vsque ad 25. §. 17. Homo erudiat proprias virtutes à corporis schola, & iniquitatis propriæ magisterio, & §. 18. sequenti, maiora ho- B minum delicta ex occasione nobilitant augustiora Dei attributa. Insuper apud eundem vide cap. 9. vers. 2. §. moralis 1. Non solum pietas humanæ virtutis, sed etiam impietas vitij occasio est pietati diuinæ ad miserendum.

Nonnulla etiam inuenies ad rem propositam confirmandam apud P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. 1. Reg. cap. 4. num. 3. in expositione litteræ num. 33. & eodem tom. in cap. 6. num. 5. in expositione litteræ num. 11. & seqq.



IN CAPVT QVARTVM à num. XII. ad XVII.

Cum autem audiret Iesus, quòd Ioannes traditus esset: secessit in Galilæam; & relicta Ciuitate Nazareth venit, & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Nephtalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.

PARADOXVM IX.

C

Libertas serua, seruitus libera.



VO te proripis Seruator sanctissime? aut cur fugam cupis detruso in carcere Ioanne? si te recedente animi tranquillitas, ac mentis suauitas recedat necesse est, quo pacto tam caro capiti deesse potes cum disertè profitearis esse te cum iusto in tribulatione? sed D fallor recedendum fuit sapientissimo, & sanctissimo Seruatori, & par fuit, vt deserta Galilæa reciperet sese trans Iordanem inter gentes tenebris obrutas infidelitatis, vt istis cum Ioanne collatis statueremus proborum seruitutem liberam esse, seruam verò libertatem flagitiosorum.

Vidit id oculatus inter ærumnas, qui cæcus fuerat inter delicias, adolescens ille Euāgelicus Luc. 15. n. 19. qui dū benè cōptam oratione meditaretur ad flectendum paren-

patentis animum; hæc secum reputabat dicenda flexo poplite coram patente; *fac me sicut vnũ de mercenarijs tuis.* Si qui fortè abiectæ mentis huiusmodi consiliũ ducat, audiat S. Petrum Chrysologum dicentem: *hoc petit, quia qui penes extraneũ seruam senserat libertatem, penes Patrem credit sibi futuram liberam seruitutem.* Ità S. serm. 2. qui est de duobus filijs post med. Sapientes mundi libertatem perfectam putant, cum ad nutum propriæ volũtatis licet quod libet. audiãt isti S. Bernardum ad illud Iob 7. *Domine Deus meus cur non tollis peccatum meum, & quare nõ aufers iniquitatem meam? vt abiecta grauì sarcina propria voluntatis, sub leui onere charitatis respirem: nec iam seruili timore coercear, sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filij tui.* Ita Sanct. tract. de diligen. Deo paulo ante fin. cupit abiecto onere propriæ voluntatis leue subire pondus charitatis. I nunc, & nega liberam esse filiorum Dei seruitutem, seruam impiorum libertatem.

Libera seruitus & serua libertas filij prodigi.

Iob. 7.

S. Bernard. Spiritu libertatis aguntur filij Dei.

Atque hac veluti nota illustrem esse virtutem Lucius Annæus Seneca testabitur luculenter dicens. *Triginta,* inquit, *Tyranni Socratem circumsteterunt, nec potuerunt animum eius infringere. Quid interest, quot Domini sunt? Seruitus vna est. Hanc, qui contempsit, in quantalibet turba dominantium liber est.* hæc Seneca epist. 28. circa finem, si quæras, quæ nam sit ista, quæ dicitur à Philosopho vna seruitus, quæ sola potest in seruitutem redigere. Respondebit Eusebius Emissenus esse seruitutem vitiorum. Illum excipe sic fantem. *videmus nos extrinsecus generis claritate sublimes, intrinsecus mentis infirmitate degeneres innocentium dominos, & criminum seruos. Habetis boni famuli vestram consolationem, pro libertate amplectimini honestam seruitutem. Intolerabile iugum, & fœda damnatio, & erubescenda subiectio.* Ita Sanct. hom. 3. de Pascha circa med. Animaduertunt, vel me tacente, qui acri pollent iudicio, quam aptè non modo seruum esse decernat, qui fœdatur vitijs, verum etiam bonorum famulorum seruitutem anteponendam esse censeat libertati prauorum, quam insuper vocat *iugum intolerabile, fœdam damnationem, & subiectionem erubescendam.* liceat iam liceat cum S. Bernardo epist. 42. ad Henricum Senonen. Archiepisc. circa finem exclamare. *O libertas omni seruitute seruilior.* libertas sanè tam serua, vt verissima procul dubio sit Philonis sententia dicentis: *Cum nemo sanus non malit vita, quàm libertatis adire periculum,* ita lib. primo de vita Mosis ante med. decernat vnusquisque quam sit rationi consonum, subducere se à libertate peccati, quæ vera seruitus est, licet sine vitæ iactura fieri non posset.

Seneca. Socrates maxime liber in summa seruitute.

Emiss. Seruũ criminũ, quam turpem faciant seruitutem.

S. Ber. Seruilis libertas.

Philo. Libertas vita carior.

Me hic continere non possum, quin referam Senecæ sententiam omni posteritatis commendatione dignissimam. *In regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Ita lib. de vita beata cap. 15. in fine, liberta a planè; sicut enim S. Cyprianus obseruat, cogitur nullus: *Quando Dominum* (verba Cypriani) *magnalia, & mirabilia summa facientem, & virtutes factorum suorum Dei Patris testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint, & tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit: num quid, & vos vultis abire? seruans scilicet legem à qua homo libertati suæ relictus sibimet ipsi vel mortem appetit, vel salutem.* hæc lib. 1. epist. epist. 3. paulò ante med. nihil à Deo tam alienum est quàm violentia. Inuitus summo Parenti seruit nemo, quia libera seruitus est: oppositum planè contingit facinorosis, qui dum maximè libertatem affectant, eo turpiorem subeunt seruitutem, quibus contingere dixerim, quod de Atheniensibus scripsit Solon. Isti versutia Pisistrati decepti sunt; hic enim cum sibi vulnera inflixisset, ea se ab hostibus accepisse vociferans impetrauit cõtra Reipublicæ leges, quadraginta robustissimos iuuenes, à quibus stipatus incederet tutus; factum ab Atheniensibus, ne quid detrimenti pateretur libertas, & cuique integrum esset inoffensò vagari; at subacti sunt tyrannide Pisistrati, audi verba Solonis in epist. ad Epimenidem in fine, quæ habetur lib. 1. de vita Philosophor. Diog. Laer. circa med. *His itaque stipatus statum Reip. euertit,* loquitur de Pisistrato, *dumque illi spe inani pauperes suos, ne mercede seruirent, liberare student omnes vna sub iugum missi sunt, vni-*

Seneca. Libertas seruorum Dei.

S. Cypr.

Exhibita Deo seruitus spontanea.

Diog. Pisistratus premit seruitute Athenienses.

quæ seruiunt Pisistrato. Quod vtinam de scelestis dici non posset nostris temporibus, vt verius ita frequentius; quot quot libertatis iactant nomen, sese sceleribus obstringentes sub iugum mittuntur, vnique seruiunt Dæmoni, vel mundo, quæ est famulatrix, & abiecta libertas.

S. Aug. Bonus dum seruit liber; scelestus dum liber seruus.

Vnde S. Augustinus cap. 3. lib. 4. de Ciuitate Dei in fine ait; *bonus etiam, si seruiat liber est, malus autem etiam si regnet seruus est; nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum*; Et quando Augustini auctoritate confirmari aptius potest, accommodatè satis subijciā quod affert in exposit. psal. 80. ad num. 7.

Psal. 80.

explicans illud *manus eius in cophino seruierunt*, vbi regius psaltes miseram Hebræorum calamitatem Aegyptijs seruientium innuit; in qua recognoscit Augustinus luctuosam peccantium conditionem, qui dum suis cupiditatibus perquàm liberè, vt ipsi arbitrantur deseruiunt, in eo tori sunt, vt terram versent, vt stercora deferant, & vno verbo dum libertatem iactāt abiectissimam seruiunt seruitutem. Audi Augustinum loco cit. aliquanto post init.

Abiecta peccantium libertas.

Per cophinum significantur opera seruilia: mundare stercora, terram portare, cophino fit, seruilia sunt opera, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Dum frœna cupiditatibus laxas, dum ventri indulges, libertate frueris, inquit, sed quandoquidem id præstare nil aliud, quàm cophino terram portare, mundare stercora, Sanctorum, ac Sapiētium iudicio prædicatur, aduerte, num verè dicere possim seruilem esse tuam huiusmodi libertatem. E contra vt asseram liberam esse seruitutē proborum, statim ibidem S. Augustinus subdit, *sed & cophinos Deus bucellis impleuit*. Quasi indicet faciendam esse comparationem inter Impiorum, & proborū cophinos: illi implentur immundirijs, luto, & stercore, isti panibus, vt ab exuberantis annonę abundantia percipiamus, amicos Dei seruire quidem, sed regiam seruitutē. Nullum enim opus tam proprium esse regum, ac principum, quàm in eo laborare, vt rei frumētarię vilitas sit, & apud omnes est exploratum, & demonstratum à nobis superius Parad. 1. in cap. 2. Prima principis dos annonę vilitas. Dicamus itaque, & scelestorum libertatem seruam, & bonorū seruitutem liberam esse. Iusti quippe Deo seruientes panibus abundant, hoc est liberam seruiunt seruitutem; at improbi stercore fœdātur, dum peccant ad libitū, quia eorundem serua libertas est.

Quod ex antiquiorum fabulis dedocit Clemens Alexandrinus adhortat. ad gentes paulo post init. commentū enim illud, quo fabulabātur Poetę, & à Thracio Orpheo & ab Amphione Thebano canēdi peritia feras illectas mansuetudinem doctas fuisse putat eo fundamento fuisse excogitatū, quod flagitiosissimos homines, & corruptores morū quadā libertatis specie in abiectam, & vt ipse loquitur, *extremā redegerint seruitutē*. Nolite putare feras fuisse cantu domitas, sed re vera fucata suauitate deceptos homines fuisse redactos in seruitutem, & id quidē vendibili nomine falsò promissę libertatis; è cōtra Seruator Dominus diuinę prędicatione legis, veluti cantilena perdulci, *ad suaue*, vt ipse ait, *& benignum religionis, & pietatis in Deū iugum nos traducens acerbam soluit seruitutem Dæmonum tyrannidem obtinentiū*. Verè, qui cantu corruptelarum depravati viuunt, seruilem subeunt libertatem, qui Deo seruiunt, liberam ineunt seruitutem.

Clem. Alex. Quid significet fabulosus Orphei, & Amphionis cantus

Diabolus Tyrannus.

Video adhuc hærere quamplurimos nequaquam animo, atque cogitatione comprehendentes, quo tandem pacto stare queat, vt qui liber est, seruus dicatur, aut quænam sit ista seruitus libera, de qua in presenti verba facimus. Aio eam esse, quā cognouerunt Homerus, Aristoteles, Tacitus, Atheneus, Socrates, viri sine dubio eximia sapientię commendatione clarissimi. Euolue Homeri Poemata, apud quem Iliados 17. cōperies Patroclum modò seruum, modò pernecessarium, ac familiarē Achillis nuncupari; attentius contempleris Aristotelici monumenta ingenij, apud quem septimo Eudemior. cap. 5. hoc amicitię genus, seruis etiā cum Dominis suis cōmune inuenies. Perlegas annales Taciti apud quē lib. 13. Seneca Neronis nūcupatur amicus. Consule Athenęum, apud quē, li. 5. c. 13. Athenió Peripateticus Mitridatis describitur pernecessarius. Tandē hoc genus, sinè seruituris amicæ, sinè seruæ amicitiæ docet Socrates apud Platonem in Gorgia, vbi vt aperiter, seruum Principis simul esse posse, vt famulum, & amicū pro-

Homer. Aristot. Tacit. Athen. Plato.

Quo pacto possimus serui esse & amici eiusdem domini.

pronunciauit id fieri facilè posse, si & mores imitaretur Domini sui, & eius promptо animo iussa capesseret, & idem omnino in omnibus probare, & amplecti cogeretur, quod Principi arrideret. Intelligimus eam, quę sit libera seruitus, quandoquidem serua amicitia reperitur. Sanè nihil tam libertati contrarium, quàm ratio seruitutis, qua alieni constituimur iuris, ac penitus libertate spoliamur; è contra nulla magis libera libertas potest intelligi, quàm quę inter amicos intercedit. Quod haud obscurè pronunciatum fuisse animaduerto à Christo Domino Ioannis

Io. 15.

15. num. 15. vbi alloquens seruos suos ait; *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.*

Iusti, Dei amici.

Qua ratione à seruitute Dei possunt eximi creaturę, quibus adeo coniuncta est seruitutis nota, vt sine ea intelligi nequeant. Profectò non alio pacto, quàm si tribuatur illis diuino munere, amica quędam seruitus, aut amicitia serua. quod adumbratum fuit lib. 3. Esdrę cap. 8. vbi

Esd. 8.

famuli amici nomine nuncupantur. Hęc ea libera seruitus est, quam oratione prosequor, quam enucleatius declaratam lego apud S. Ambrosium in Psal. 104. pau-

Psal. 104.

lo post med. vbi cum explicasset, neque angustijs, neque persecutionibus, neque fame, neque mortis periculo Dei famulum deterreri; subdit. *qui verò hæc timet, qui mortem reformidat, quomodo non seruus? seruit profectò, & miseram quidem seruitutem. Nihil enim sic animam ad omnem seruitutem deijcit, quomodo formido mortis. Quomodo enim se erigat abiectus, & vilis sensus, atque ignobilis demersus in omnem infirmitatis voraginē vitæ huius cupiditate. Vide quam seruus: Abscondam me inquit, & ero gemens, & tremens super terram, etenim omnis, qui inuenerit me, occidet me. Itaque quasi seruus signum accepit, nec sic tamen necem potuit euadere.*

Quo seruitus miserum.

Seruit peccator licet sibi videatur liber.

Seruit igitur peccator formidini, seruit etiā cupiditati, seruit auaritiæ, seruit libidini, seruit malitiæ, seruit iracundiæ, & videtur sibi liber: sed magis seruit, quam si sub Tyrannis positus; illi autem liberi sunt, qui legibus viuunt. Lex autem vera, sermo rectus, lex vera, non insculpta tabulis, non ære incisa, sed expressa mentibus, atque infixa sensibus, quando sapiens, non sub lege, sed ipse sibi lex est, opus legis

Innocens quomodo liber dū seruit.

A *in corde suo continens naturali sibi stylo, & quadam inscriptione formatum.* Maneat igitur, omni amota formidine, liberam esse eorum seruitutem, qui rectę rationi, qui sanctissimis legum decretis, qui Deo seruiunt; quemadmodum serua est illorum libertas, qui nullo fræno coacti genio indulgent, & voluptati; & quidquid deprauati sensus, & noxiæ cupiditates petunt, expetunt ipsi auidissimè.

Diutius differre non possum, legenti mihi caput xj. S. Matth. num. 2. à Io. vinculis detento, nuncios ad Iesum fuisse missos, venisse in mentem quod scribit Matt. 11.
B eloquentissimus S. Cyprianus epist. 25. lib. 3. in fine his verbis: *Quæ sublimitas animi? qui triumphus in pectore? ambulare in metallo, captiuo quidem corpore, sed corde regnante.* Hæc qui audis, ab vno disce omnes, & pro comperto habeas seruorum Dei priuilegium esse, vt non modò vinculis non vinciantur, neque stringantur compedibus; verum etiam captiuo corpore, corde regnent; & cum detineri videntur captiui, tunc maximè præseferunt animi sublimitatem. mittat igitur Regis in morem nuncios, Io: captiuus, quia Dei seruis captiuitas
C ipsa libertas est. Scelestis è contra libertas ipsa quodammodo videtur esse captiua. Quod ego tāquam in emblemate considerandum propono in Balbo Græcorum Imperatore, vt est apud Zonaram lib. 3. Cū Leo Armenius Græcis imperaret, Anno à Christo nato DCCCXIV. ipso natali Christi die de Michaele Balbo sumpturus supplicium, vtpote reo maiestatis, deprecāte Augusta cum pęnam distulisset; nocte insequenti à Balbo fuit è medio sublatus. Etenim Balbus è carcere elapsus, custodis opera contrahit veterum coniuratorū manum. Cum his sub monachorum habitu si-
D cas ferentibus, Imperatorem in Symphoniacorum choro canentem interficit. Balbus illico adhuc cōpeditus, Imperator salutatur, mirum dictu, & monitu salutare: Michael cōpedibus vinctus, & nefaria se cæde polluit, & euehitur ad imperiale fastigiū. sic se res habet, dū impius voti compos, suis facinoribus triumphare videtur, tunc miser inter cōpedes religatus, ni sensu omnino careat, necesse est, vt suam huiusmodi libertatem fateatur esse captiuā.

S. Cypr.

Captiuo corpore corde regnat iustus.

Zon.

Balbi fraude perimitur Leo.

Consule P. Io. Antonium Velasquez A tom. 1. in epist. ad Philipp. ad cap 1. vers. 1. adnot. mor. 4. & ad idem cap. vers. 12. & 13. adnot. moral. 1.

Vlterius consule etiam P. Didacum de Baeza tom. 1. Commentar. moral. in Euang. hist. lib. 2. cap. 7. §. 2. & lib. 4. eiusdem tom. cap. 5. §. 7. Nec non to. 2. lib. 6. cap. 3. §. 29. & eodem tomo lib. 8. cap. 3. §. 43. & tom. 3. lib. 15. cap. 1. §. 3.

Videat qui vult P. Ludouicum Crisolium lib. 3. mystagogi, c. 39. post medium vbi inter incommoda à peccato manantia, quæ enumerat, seruitutis etiam, qua deprimuntur impij, facit mentionem.

De hoc argumento copiosissimè scribit P. Franciscus Mendoza to. 2. in lib. 1. Reg. cap. 8. num. 18. sect. 1. in qua per totam vera sub peccato seruitus, sub virtute libertas demonstratur, & sequentis sect. 2. argumentum est: sub peccato durissimè, sub virtute suauissimè seruitur.



IN CAPVT QVARTVM à num. XII. ad XVII.

Cum autem audiret Iesus, quod Ioannes traditus esset: secessit in Galilæam: & relicta Ciuitate Nazareth venit, & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Nephtalim, via maris trans Iordanem B *Galilææ gentium: populus, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.*

PARADOXVM X.

Virtus penitus destituta C maximè tuta.



QVID hoc portenti est? ergo tam acerbè agitur, cum amico Dei? Deus immortalis; in quas redigitur angustias Ioannis animus? ita ne vero inter captiuitatis ęrumnas detinetur solus, hoc est omni solatio destitutus, parum ergo videbatur hominem, penè homine maiorem, & morum integritate, quot quot fuerunt, vel futuri sunt facilè Principem in carcerem fuisse detrusum, nisi etiam ab D eo, qui vera salus est desereretur? Ecce tibi, cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam; imo vero, vt opem ferat tam caro capiti minimè recedat, quin potius leuamen afflicto præbeat oportunum, inter squallores carceris, proh quanta animi ægritudine, de fortunis, de dignitate, de capite tam certò, quam immeritò laboranti. Verum, si libeat, quod sentio, proferre in medium, debuit amantissimus seruator, audita calamitate

Cur Iesus recedat Io. captiuo.

mitate Ioannis secedere, quia virtus cum videtur penitus destituta, tuta maximè est.

S. Greg. Ezech. 40. Quid significet quadrati lapides.

Cognouit id sine dubio lyncei vir acuminis S. Gregorius, qui explicās illud Ezechielis cap. 40. num. 42. *Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris exstructa*. Quadris lapidibus hisce adumbrari docet insignes pietate viros, ob eam causam, quia sicuti quadratus lapis susque deque iactatus stat semper mole sua, ita religiosa mens, licet calamitate circumuoluta, è tranquillæ quietis statione dimoueri non potest. Audi verba S. Pontificis.

Iustus nulla aduersitate deiicitur.

Quos hoc loco lapides quadros accipimus, nisi quoslibet sanctos, quorum vita in prosperitate, atque aduersitate nouit fortiter stare? lapis etenim quadrus æquè stat, in quocumque latere fuerit versus; quasi ex omni latere statum habet qui casum in qualibet permutatione non habet. Hęc hom. 21. in Ezechiel. ante med. deturbauit te è culmine secundæ fortunę, inimicorum improbitas? esto vir integræ mentis, hoc est quadratus lapis, qui in qualibet permutatione casum non habet. Ageris præceps per obrupta montium, hoc est, de summo fœlicitatū vertice ad ima calamitosæ sortis deuolueris? stabis tamen mole tua, si probus es. Licet enim *fractus illabatur orbis*, vt canebat ille, *impauidum ferient ruinæ*. Nusquam periclitatur, imò tutus vbique est, neque aberrare à recto fœlicitatis tramite potest, qui virtutem sequitur ducem.

Virtus munimentum firmissimum.

Antisthenes Philosophus. Vt legi apud Pierium Valerianum lib. 42. Hieroglyphicorum dicere solebat, virtutem, munimentum quoddā esse, quod neque auferri posset, neque labefactari. Hoc qui defenditur, propugnatore non eget, securus satis, vel certissima inter discrimina, tanti beneficio patrocinij, illustre sanè facinus ad rē præsentem confirmandam oportunum, & consequentium omnium sæculorum memoria, magnifica prædicatione recolēdum mihi semper visum est, quod tempore Othonis tertij Imperatoris legimus cōtigisse. Imperabat is Princeps anno Christi nongentisimo nonagesimo octauo, cum Maria Augusta insano amore correpta Mutinensem comitem adeo impotenter amauit, vt sui, ac diuinæ legis oblita nihil non molita fuerit ad eum in sui amorem pelliciendum, fœda Augusti Thori viola trix. Verum cum animaduerteret, comitis animum, neque molliri posse blāditijs, neque conciliari muneribus, neque precibus expugnari, sui sæculi Phædra, amore more pellicibus familiari in odium verso, in innocentem vt culpam transferat, apud Cæsarem eo crimine insontem insimulat, quo se se obstrinxerat impudica. Imperator sicuti bibulis auribus fictí narrationem sceleris hausit, ita subitas exarsit in iras, & capite damnauit innoxiū: credulus heu nimium Othonis furor, perinde ac si ignoraret, posse facilè insontem insimulari, texte cum facinus vacat. En iam in perniciem innocentis Comitis cōspirarunt Imperatricis perfidia, iustus Cæsaris dolor, armata maiestas, facinus atrox. Itaque acta res est, & Mutinensis Comes nequit tam præsenti discrimine, & tam certa bonorum omnium iactura vindicari. Adeste iam, & perpendite diligentius, num veritati sit consonum, quod dicebam. Comitis vxor prudentia non minus, quàm probitate memorabilis, cum rem totam à Marito cognouisset, Augustum adit ius dicentem, & in frequentiore conuentu exclamat, probaturam se viri sui integritatem, quam vt demonstret, afferri iubet ferrum candens, quod se pollicetur attrectaturam impunè. Dictum factum: spectantibus omnibus, promissum comprobauit euentus. Illæsa enim matrona præ manibus habuit candentem laminam, quasi molles rosas; quo simul, & coniugis probata virtus, & explorata Augustæ fraus. Maria gemini furoris incensa flammis vnico, hoc est, minore meritis, luit incendio pœnas igne cremata. Equidem ambigo hoc loco, num ignem expiatorem dicere debeam, an exploratorem. Certè per ignem explorata veritas, facinus expiatum. Numquam verius dici debuit: virtus cum penitus destituta, tuta maximè. Hanc historiam non solum narrat Sigonius lib. 7. sed etiam Cardin. Baronius in suis annalibus anno Christi 998. Gregorij V, anno tertio, & Othonis tertij anno 3. Sanè virtute preditorum illis verbis alloqui possum, quibus vtitur Philo Iudæus lib. de Fortitud. in fine, inquiens: *caue formides, nam quicumque cum Deo fœdus habent, & amicitiam, felicitatis tenent fastigium*. Fastigium inquā sabu-

Augustæ amor impurus, & impotens.

Othonis furor in innocentē.

Comitis Mutinensis integritas miraculo comprobata.

Maria Augusta flammis absumpta.

Sigon. Baron.

Philo. Constans probitas fœlicitas.

A fabuloso Olympo celsius, quod neque exagitari turbinibus, neque tempestatibus obrui, neque fulminibus concuti potest aduersantium calamitatum. Elegantius S. Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum non multo ante finem diceret in hunc modum: *inter ipsas saeculi minas erecta mens, & immobilis virtus.* Securum semper virtutis munimentum, infortunijs quidem oppugnari potest, expugnari omnino non potest. Huc reuoco Eusebium Emissenum non multis quidem, sed ijs lectissimis, de nece Reparatoris humanę Salutis disserentem, reddentemque rationem, cur mors ipsa timuerit postquam vitae auctorem non inuaserat modò, sed prostrauerat. Enimuerò nulla timoris causa superest, hoste debellato. Mors, & vita duello conflixerant; vicerat illa, Christo Domino sublato, è medio. Cur igitur metu perculsa victum hostem perhorrescat. Audi Emissenum: *Sana mors praedam suã captiua contremuit. Contremuit inquam, nam, & si nouerat Crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatũ.* Haec citatus auctor hom. 2. de Pascha non multo ante finem. Quibus auditis non possum non exclamare, ò singulare, ac poenè diuinum virtutis honestamentum. Solutus inter vincula, securus inter discrimina, in ipsis mortis compedibus minimè vinctus, in ipso sepulchri carcere liber es, si culpa vaces. Ne multis: vastissimos periculorum sinus, vt sine periculo ingrediaris, nullo pallescas crimine; periculum enim non facit poena, sed causa.

S. Cyprian.

Virtus inuicta.

Cur mors mortuũ timuit Redemptorem.

Christus mortuus timetur, quia innocens.

Fortasse non erit iniucundum proferre in medium, quod de Apelle, ex Appione grãmatico refert Plinius lib. 35. naturalis historiae cap. 4. Venerat Alexandriam vi tempestatis iactatus peritissimus pingendi magister, cum ecce tibi aemulorum fraude, putido commento ad regias epulas inuitatur; in spem enim adducebantur, fore vt impudens hospes exsibilaretur. Itaque confert se se indicta die ad regiae mensae lautitias Apelles. Ptolomeus Rex hospitis hominis planè noui aduentu haeret admiratione correptus, iubetque, regia arceri mensa peregrinum caput, quod se se ingerebat tam importunè. Temeritatis notam excusat non sine rubore Apelles, & purpureis in vultu notis, verecunda veneratione expressis, satis luculenter declarat, suam animi ingenuitatem, aitque, se regio nuncio accersitum. A quonam? inquit Rex attonito similis. Cum ecce tibi pingendi magister statim extincto è foculo, qui nõ longè aberat, arrepto carbone, imaginem in pariete delineauit tàm affabrè, vt exhibuerit oculis, & artis miraculum, & viuum, ac spirans simulacrum deceptoris sui. Subiecit enim viui hominis lineamenta eleganter adeo, vt illico dici potuerit, hic ille est. Foelix, qui potuit derisores deridere. B Nequicquam dolosa fraus laqueos inijcis virtuti, quae tunc etiam maximè tuta est, cum videtur omni penitus praesidio destituta. Vt nullo non eximaris periculo ad virtutis asylum, tutissimum nempe perfugium te te recipias. *Etenim benè agentibus bona sunt omnia*: dicebat S. Cyprianus lib. de Singularitate cleric. post med. Ipsa tempestas portus est, ipsa aduersitas foelicitas est, ipsa calamitas securitas est, dummodò à recto virtutis tramite non recedas.

Plin.

Apelles ab aemulis deceptus.

Ptolomeus in Apellem exardescit.

Apelles derisores deridet.

S. Cypr.

Nil mali bonis.

C Omittere non possum quod narrat Laertius lib. 4. de vita Philosoph. Nauigabat Bion Borysthenites, vt legitur in eius vita paulo ante mediũ, vna cum facinorosis hominibus, cum repentè Piratarum apparet manipulus, maritimam oram populabundus excurrens. Vidisses statim spem omnem salutis abiecisse eos, qui cũ Bione vehebantur, neque se continere potuerunt, quin mutuo dicerent, metu, ac sollicitudine semimortui: *actum est de nobis, si agnoscamur. At Bion, & de me, nisi agnoscamur,* subdidit illico. Agnosci cupiebat nullo perculsus metu, virtute, & sapientia spectabilis, quia probè tenebat, vel ipsas inter Piraticas manus fore se maximè tutum, inter quas scelestus quisque, & D meritò quidem, se penitus destitutum lamentabatur. Videlicet, vt verbis vtar S. Gregorij Nazianzeni in Christo patiente non multo ante finem.

Laert.

Scelestis inter aduersa trepidantibus iusti tuti viuunt.

Bionis plena sale responsio.

Nazianz.

Iustus nil timẽdum, & cur.

Deo.

Quicumque se committit, is se se optimo Custode seruat.

Pudeat Christi fidelem, nisi se ducat tutissimum, inter aduersantium calamitatum discrimina destitutum. Quandoquidem de se loquitur Seneca in hũc modum. *Muta*

incon.

Probo nullam miseria misera est.

in cõtrarium indulgentiam temporis; hinc, illinc percutiatur animus, damno, luctu, incursionibus varijs, nulla hora sine querela sit, non ideo me dicam inter miserrima miserum, non ideo aliquem execrabor diem, prouisum est enim à me, nequis mihi ater dies esset. Hæc Philosophus de Vita Beata cap. 25. circa med. & dubitabit Diuinæ Sapientiæ eruditus in scola, num possit inter miserias minimè miser, inter ærumnas minimè viuere ærumnosus? Prouidendum est ante, & quoduis mali genus arcendum munimento virtutis.

Senec.

Memorandum planè, commendandumque mihi semper videbitur, quod Hilarioni Eremitæ contigisse scribit S. Hieronymus in eius vita aliquanto post initium, in hunc ferè modum. *Decimum octauum agebat annum inaccessa solitudinis incola nobilis, cum latrones, quasi in contemptum sui reputantes fieri,* vt verbis vtar Hieronymi, *si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret. Itaque inter mare, & paludem discurrẽtes, reperto puero. quid inquiunt faceres si latrones ad te venirent? quibus ille respondit: nudus latrones non timet. Et illi, certè aiunt, occidi potes; possum inquit, possum, & ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum.* En vt omni destitutus præsidio, inter estrema discrimina tutus viuit, qui sceleris purus est.

S. Hieron.

Probus nec aduersa timet, nec mortem.

Gloriam Socratis, vt explicat S. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei capit. 3. paulo post med. infit. *concitatis inimicitijs, calumniosa criminatione damnatus, morte multatus est. Sed cum postea illa ipsa, quæ publicè damnauerat Athenensium Ciuitas publicè luxit, in duos accusatores eius, vsque adeo conuersa, vt vnus eorum oppressus vi multitudinis interiret, exilio autem voluntario, atque perpetuo pœnam similem alter euaderet.* Subsiste obsecro parumper, & animaduerte quid hinc ipse deducam. Si superstes Socrates, suæ partes innocentiæ suscepisset, quid exoptare potuisset vnquam tam gratum, tam illustre, tam honorificum, quàm totius consensu Ciuitatis exterminare accusatores suos. Id porrò virtutis patrocinio longè fœlicius impetrauit. Eius nempè vrbanitas, eius sapientia, eius moderata viuendi ratio, & morum institutio commendata, vel defuncti causam perorauere. Si virtutum patrocinium etiam post mortem tutum est, tutum itaque semper sit. Equidem calcanda erat Socrati semel lethi via, qua autem ratione gloriosius potuisset vnquam è viuis excedere, quàm illustri adeò totius Reipublicæ testimonio, tam amplo, tam eximio, tam præclaro vindice præstantiæ suæ. Concludo verbis eiusdem Augustini loco cit. dicẽtis *tam præclara igitur vita, mortisque fama Socrates reliquit plurimos suæ Philosophiæ sectatores.* I nunc & reuoca in controuersiam nostri veritatem effati: virtus, cum penitus videtur destituta, tuta maximè est. Quandoquidem etiam post mortem tutatur amatores suos.

S. August.

Socratis interfectores qua pœna affecti.

Fama Socratis celebris.

Quod Fabellis etiam Poetarũ magnus Basilius recognoscit expressum, referens viri grauis, quem ipse non nominat, expositionem Homerici Figmenti, quo describitur Vlysses nudus, qui è naufragio, ac sinu tempestatis dicitur emersisse, & quod dignum admiratione censet a Pheacibus omnibus tanti ductus fuisse perhibetur, vt ijs, quibus maximè deditι erant delicijs relictis, nihil tantoperè haberent in amoribus, quàm Vlyssem adesse, & cum Vlysse colloqui, quem nudum, & in extrema fortuna, vix naufragio ereptum non poterant non admirari. Audi iam verba S. Basilij Hom. de legẽdis libris gentilium, paulò ante med. *quo sanè exemplo enarrator mentis Poetæ nihil aliud Homerum intendere, & tantum non clamare voluisse affirmat quàm, ò viri veneranda vobis ante omnia virtus est, quæ naufraganti præsto adest, & connatat, & in terra nudum existentem honoratiorem Pheacibus delitatis, ac fœlicibus reddit. Et profectò sic res habet.* Quæ firmior tutela virtutis? Ortum nanciscitur inter vortices scillæos, inter euripos placidè conquiescit, nusquam tutior, quàm cum minus videtur tuta. Sit mihi instar omnium, quod de inclito viro Laurentio Mediceo, (quem veluti regiæ familiæ, & florentissimæ reipublicæ columen honestissimum consequens posteritas demirabitur) quod inquam de tali ac tanto viro scribit Paulus Iouius in vita Leonis Decimi lib. 1. aliquanto post initiũ. Afflictabatur Florentinorum Respublica, grauissimo bello à Ferdinando Rege Neapolitanorum. Pestilentia insuper valde atrox, ac repentina florentissimam Vrbem,

S. Basil.

Virtus cõciliat beneuolentiã.

Laurentij Medicei facinus memorandum.

Iouius.

Florentina respublica vexata calamitatibus.

cre-

crebris vexabat funeribus. Omnis præterea intercludebatur auxiliorum spes, cum rem Mediolanensem Ioannes Galeatius puer, seu potius mater eius Bona muliebri regeret ingenio. Hisce de causis, quoniam, è tot bellicis tempestatibus emergere non poterat respublica Florentinorum, Laurentius semper sibi similis, hoc est magnanimorum Princeps, ac fortium antesignanus ab animi magnitudine consilium sumpsit oportunum æquè, ac gloriosum. Primo quidem inducias duorum mensium à Rege petijt, quas per hyemem facilè impetrauit, & simul etiam significauit Ferdioando se continuo Neapolim petiturum, vt in componendis rebus non alio vtatur arbitro, quam Rege ipso. Ergo cum paucis communicato consilio, Pisas inuisendi agri causa simulata profectus, inde Neapolim se se contulit; datis, cum discederet, ad Senatum epistolis, quibus certiores faciebat concives suos, se Patriæ amore, propriam salutem in discrimen adducere minimè dubitasse, decreuisseque propterea sistere se se coram inimico Rege, vt saltem publicam pacem, frustra tantopere exoptatam, proprio tandem periculo pacisceretur. Hæc profectio metum inimicis, Laurentij voluptatem peperit maximam. Sanè sanguinariæ Regis manus, & impotens ira formidari meritò debebat. Quid igitur expectatis? præsertim cum Neapoli minimè desiderarentur plures, qui Regis animum in Laurentium impellere conarētur. Dicam breuissimè. Ferdinandus tanti viri prudentia, rerum peritia, integra fide, omni demum virtutum genere, quo plurimum pollebat expugnatus, non modo humaniter excepit, ac honorificè dimisit, non modò cum Florētinis fœdus percussit; verum etiam sanciuit, vt Aragonij, ac Florentini si bellum aliunde ingrueret, mutuis auxilijs iuuarentur. Portento simile videtur deuincire animum inimici; antiqua auferre odia; perditam Patriam in libertatem asserere, quæ omnia an non aperte euincunt virtute præditum, tutum esse etiam maiora inter discrimina? Sed mirum non est, quia virtute insignis est veluti Mineruæ Neœ, de qua Plinius lib. 2. cap. 96. scribit, immunem fuisse ab iniurijs nubium coniuratarum, cum enim pluuio Cœlo inhorresceret aër, ne vna quidem decidentis aquæ guttula madefieret. Vel certè dicam virtutem esse concā, auream, de qua Photinus scribit cap. 250. Herculem tulisse, & seruauisse illæsum inter oceani iniurias, & confligentium impetum procellarum.

Laurentius inducias petitet impetrat.

Laurentij consilium pro Reipublicæ salute.

Inimicus Rex Laurentij virtutem veneratur.

Plin. Virtus simulacro Mineruæ similis.

Phot. Aurea Herculis conca virtutem repræsentat.

Legi potest P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. ad cap. 1. ver. 19. & 20. Adnotat. moral. Vnica.

Item legi potest P. Didacus de Baeza tom. 2. Comment. moral. in Euang. hist. lib. 10. cap. 3. S. 24. & tom. 3. libro 15. cap. 8. S. 9. Immo superiori tom. libro 2. cap. 8 S 1. & 2.

His addi poterunt quæ affert R. P. Didacus Nissenus Dominica 6. post Pentec. Assumpto 2.

Huc reuocabis quę habet P. Ludouicus Cresollius lib. 1. Mystagogi cap. 13. sect. 2. initio vbi montibus semper firmis, & nunquam inter aduersa nutantibus iustos viros conferendos esse demonstrat.

Iterum moneo lectorem, vt consulat cit. P. Io. Antonium Velasquez eodem primo tomo in epist. ad Philipp. cap. 2. versu 6. Adnot. moral. 4. num. 4. vbi euincit tantum abesse, vt aduersa prosternant iustum, quin potius eundem armis instruant; & eodem tomo, superius, nempe cap. 1. versu 7. Adnotatione 3. num. 8. probat, tribulationes defensiones esse iustorum.

Neque aliena omnino mihi videntur à proposito argumento, quæ inuenies apud P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in lib. primum Regum cap. 8. num. 8. in Annotatione 34. circa litteram sect. 2. vbi palam facit, magnum esse solatium Deum in tribulatione socium habere.



IN

IN CAPVT QVARTVM

Num. XVII.

Ex inde cæpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum Coelorum.

PARADOXVM XI.

Nemo legislator, nisi subiectus.





Apientissimus Seruator hominum, animos ad pœnitentiam excitaturus, solito impensius dat operam pœnitentiæ, quadraginta ipsos dies ieiunus summa transigens asperitate. Hic ego oportunam nactus occasionem, monebo: Nisi viua lex sis, præsertim in arduis, legem alijs ne tuleris. Nemo quippe legislator nisi subiectus.

Philo. Ingeniosus Philo, vt laudum excellentissimarum, quibus Magnum Moisem præcelluisse narrauerat, rationem breuissimè redderet, inquit. ***Quia Legislator futurus erat, multo ante ipse lex animata, rationalisque factus est per Dei prouidentiam.*** Ita Philo lib. 1. de vita Mos. circa med. (Moses animata lex.)

Commendabitur, me iudice, quandiu vigebunt litteræ, Princeps, & Legislator Tyriorum Charondas; hic, vt testatur Valerius lib. 6. tit. 5. qui est de Iustitia in fine, lege cauerat, ne quis cum ferro in concionem prodiret, qui secus fecisset, capite plecteretur, post longum tempus è rure longè ab Vrbe dissito, ferro accinctus domum reuertebatur, cum statim concio indicitur, ad quam statim procedens Charondas deponere gladium oblitus est; ab eo, qui proximè constiterat, solutæ à se legis suę admonetur, cum extemplo, idem inquit, illam (Valer. Lex Charondæ lata.) (Charondas se ipsum iocce[...]it.)

A sanciam, ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. O memorandam legis arduæ sanciendæ rationem; qui alijs imperas, vt decreta difficilia statuas, opere prius ipse perficias necesse est.

Quo loco nō erit ab re conciliare, quod habetur 1. Petr. cap. 3. vbi Apostolus insinuans rationem, qua Christi legem ferre deberent sancti Præcones verbi Dei, ait id cum modestia, & timore præstandum esse, è contra S. Paulus 1. ad Tim. 4. nu. 11. ait. *Precipe hæc, & doce*, hoc est, vt ait S. Gregorius. *Precipe hæc, & doce cum omni imperio*; vt disertè habetur epist. ad (1. Petr. 3.) (Ad Tim. 4.)

B Tit. cap. 2. num. 15. *Hæc loquere, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* Vt vides Petrus in ijs, qui Dei legem aperiunt, timorem; Paulus imperium requirit. Videlicet Paulus non enumerat partes priuati hominis, cui satis est cum timore, & tremore suam operari salutem, sed exemplar proponit eius, qui publice fungitur Legislatoris officio, qui feret cū imperio leges, si legibus ipse primus obediat; audi Greg. *Præcipe hæc, & doce cum omni imperio, non dominationem potentia, sed auctoritatem suade vitæ. Cum imperio, quippe docetur, quod prius agitur, quam* (Ad Tit. 2.) (S. Greg. Qui cum imperio doceat.)

C *dicatur*. Ita sanctus lib. 23. mor. cap. 7. in fine. Vnde percipies facilè vim elogij illius, quo Sanctus Matth. veluti per compendium Christi doctrinę laudes complexus est cap. 7. num. 29. *Erat docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi*. Quo pacto magister demissionis præsefetre potuit potestatem; præsetulit, quia legem, quam ferebat, docebat populos, sed non vt Pharisæi, quorum proprium esse monuerat, dicere, & nō facere, & Sapientissimus diuinæ Legislator cæpit prius facere, tum docere. Vt le- (Matth. 7.) (Christus hoc modo docuit.)

D ges ea, quæ auctorem legis decet auctoritate sancias, iubeas oportet onus legum, etenim ore proferentis, & opere non perficientis leges neruus omnis eneruis est ad subditos in officio continendos.

Imperium, illustri planè, & Principe viro dignissimo documēto dicebat Cyrus, *nemini conuenire, qui quibus imperat melior non sit*, quemadmodum Plutarchus in apoph. Reg. & Imp. initio tradit. Fiet porro melior si legibus obediuerit, & sanctionibus iuris æquissimi se subiectum præbuerit. (Plut. Cyri monitū.)

rit. Nihil equidem tantopere legum latorem decere, quam fieri subiectum agnouit, & docuit, vbi primum sapere cœpit Aegypti Rex, qui vt sacra testatur historia cap. 41. Genesis num. 40. his verbis Iosephum allocutus est *tu eris super domū meā, & ad tui oris imperium populus obediet.* Hunc fortè imitatus est Artaxerses; de quo scribitur cap. 1. Esther florentissimo Imperio præfuisse, subiectis tamen populis legem ferebat subiectus ipse consilijs sapientiorum; scribitur quippe num. 13. citati cap. *interogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum.* Vt interea silentio omittam, id fuisse declaratum à Poetarum Principe Homero, qui Iliados 9. Nestorem introducit, qui Agamenonem commonefacit, vt virum aliquem probitate, ac Sapientia præcellentem eligat, cui obediat, vt ipse quàm plurimis cum laude imperare queat.

Gen. 41. Rex Aegypti Ioseppho obedit. Esther. Artaxerxes sapientibus. Homer. Nestoris consilium principibus vtile.

Liceat interpretari sententiam Principis, & ingenio, & imperio maximi. Loquor de Carolo V. Imperatore, quem cum nomino, vtique nomino nostrorum temporum Cęsarem fortissimum, & fortunatissimum. Dicam quale fuisse crediderim tanti Principis consilium in ea impresia, qua depicto orbe vniuerso Herculeis humeris substentato, additaque epigraphe, Vt quiescat Athlas, insinuauit abdicare se velle imperio, quod Philippi II. patri maximo filij non imparis, humeris erat gerendum. Opportunè profectò, vt facilè discere possemus imperij dominatum non tam ornamentum esse, quam pondus, & Principes existimare se debere potius oneri subiectos, quam populorum dominatui præfectos. Quod comperio dictum olim fuisse à Dione, qui oratione 63. Principum munus esse pronunciat, vt cum laude leguni decreta sancire possint vtilitati, ac bono populorum, debere eos sapienti cuipiam subdere sese, ne vltra citraque recti fines aberrent incerti. Audite ò rerum Domini præpotentes, & pectori immortalibus ineidite caractheribus Theodosij monitum nulla consequentium ętatum obliuione delendum; dicebat quippe L. di. gna vox C. de constit. princip. *Digna vox maiestate regnantis, legibus alligatum se*

Caroli V. Impresia. Dion. Principis munus. Theod. fi. profitetur se legi subiectū.

A *profiteri.* Sceptrum, quo Principes exornantur, recta ratio est, imperat rerum Dominis æquitas, cui vsque adeò se subdere debent, vt nullum arctius vinculum excogitari queat. Innuit id sapientium antesignanus Aristoteles, qui 1. polit. cap. 3. docuit subiectum esse, & alterius imperio obedire non solum hominibus à necessitate, sed etiam à consilio, ac recta ratione perseribi. Non subduntur necessitati principes, fateor, sed rectæ rationi, & sapientiori consilio. Hinc Iliad. 4. inuenies ab Homero expressum fuisse Agamemnonem summo dominatu omnibus imperantem, B non tamen Vlysi, quem vtpote sapientem à suo eximit imperio, quasi verò te. cognoscat par esse, vt ipse obediat vni, & hac ratione cū laude omnibus imperet.

Aristot. Homer. Cum laude omnibus imperat, qui vni obedit.

Porrò ne videar inauditum aliquid, & nouum, planeque fide indignum prosequi dum aio. neminem, nisi lubiectum alijs imperando fieri posse Legislatorem, confugio ad patrocinium Senecæ, qui licet nequaquam verè, certè breuiter, & eleganter cap. 5. lib. de Diuina prouidentia post med. id ipsum asseruit de summo, ac maximo Legislatore Deo, inquit enim C *ille ipse omnium conditor, ac rector, scripsit quidem fata, sed sequitur, semper paret, qui semel iussit.* Id nos verius proferemus de legum latore, quem vt breuissimè moneamus, repetimus: semper paret, qui semel iussit. Decipiuntur, qui putant exlegem esse legis conditorem, neque consonat veritati, quod vulgari prouerbio circumfertur, posse legem rescindere legis auctorem: Etenim verissimum est. *Semper paret, qui semel iussit.* Vnde Aurelianus apud Vopiscum in Firm. populum alloquitur in hunc modum: *vos vacate circensibus nos publicæ necessitates, vos voluptates te-* D *neant. Senatus per totam diem sæpe consulitur, cum illo tempore vilissimus quisque, aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut in circulo tempus terat.* Enimuerò nō immeritò speciosam potius dixerim seruitutem, quam verum dominatum, vitam eorum, quam tot modis vsque adeo subiectam recognosco, vt compellatur non vtilitati modò, sed voluptati omnium deseruire.

Seneca. Error Senecæ de Deo. Vopiscus. Principes publico bono seruiant.

Barbati sensum animi fuisse illum Selimi primi Turcarum Regis, lego apud Io. Bote-

Boter. Boterum lib. 1. dict. memor. vir. illus. paulò ante finem. Solebat Selimus contra maiorum suorum consuetudinem abradere sibi barbam, cuius noui moris illud interrogantibus dabat responsum, consultò nolle se barbam nutrire, ne (quod suis parentibus acciderat) à consiliarijs, vt dici solet hac, illac traheretur. Nesciebat videlicet immitis vir animi, dominatum in tyrannidem degenerare, nisi qui omnibus præest subesse nouit consilijs sapientiorum. Hæc sanè summa laus Principum est in summo dominatu, & sanctis legibus, quas frequenter ferunt, & sanis consilijs esse subiectos.

Selimus cur barbam abraserit.

A

B

Verum quia nemo, nisi fallor hoc argumētum enucleatius prosequi potest, quam fecerit Seneca; illius ego auctoritatem, ad eos, qui præsunt imperio, & legibus imperant, commonefaciendos muneris sui, silentio inuoluere nec volo, nec possum. Consule epist. 47. atque vt discas quàm vetum sit legem alijs ferre non debere eū, qui subiectum se non exhibeat, perpende diligenter ea verba: *Viue cum seruo clementer. In iter quoque, & in sermonem admitte, & in consilium, & in conuictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum, Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eosdem deprehendam, alienorum seruorum osculantes manum. Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores nostri Dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum patrem familiæ appellauerunt, seruos (quod etiam in mimis ad huc durat) familiares. Instituerunt diem festum, non quo solum cum seruis Domini vescerētur, sed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt, & domum, pusillam rempublicam esse iudicauerunt.* hęc eit. epist. paulo post medium. Vides tanquam in exemplati, eum demum cum laude viuendi modum præscribere posse inferioribus, qui se norit subiectis subijcere. Rerum ignarus es, si degenerem duxetis animum illum, quem fortè conspexetis honorem subditis deferentem. Seruos in arduis consulere, parentum veneratione prosequi, honoribus cumulare, non humaniter modò tractare, sed colere quodammodo ac venerari: ne longum faciam, subiectis hisce se subdere, si nescis, maximè conuenit imperanti.

Seneca.

Qualis esse debeat Dominus cum seruo.

C

D

Consule P. Didacum de Baeza tom. 1. commentar. moral. in Euang. hist. lib. 3. cap. 7. §. 12. & tom. 2. lib. 11. cap. 2. §. 10. nec non eodem lib. cap. 4. §. 7.

Argumentum scitè idem proponit, & illustrat P. Franciscus Mendoza tom. 2. In lib. 1. Reg. in cap. 3. num. 8. in expositione litteræ num. 10. cui titulus est. Imperaturus prius obediat. quod confirmati potest ferè ijs omnibus, quæ affert vsque ad expositionem litteræ numeri 9 sequentis: ecce ego quia vocasti me, &c.

Huc reuocari poterunt quę affert P. Didacus de Celada comment. in Iudith c. 1. ver. 1. §. morali 9. per totum, cuius argumentum est Rex beneuolè concilians subditos illos vltrò subiugat; & sic sponte erunt ipsi quò raptantur.

Præterea ad rem præsentem faciūt, quæ inuenies apud P. Io. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses cap. 1. ver. 23. & 24. Adnotatione 3. vbi demonstrat, potiora Prælatis, atque Principibus subditorum bona, quam propria esse debere, vbi inter multa lege quod affert n. 3. quo loco euincit, Prælatos gerere se debere vt seruos, & eadem Adnotatione n. 11. vbi demonstrat a Prælatis subditorum onera, sordesque suscipiendas, quod etiam explicat vberius sequenti num. 12. ex eodē auctore eodem tomo in cap. 2. vers. 6. in illa verba: *in similitudinem hominum factus*: plura inuenies num. 1. & sequentibus; ibi enim declarat Dei filium humanitate ad se hominum corda pertraxisse: perfectæque gubernationis esse, subditos vrbanè, comiter, & similem illis factum pertractare.

Quædam quoque ex ijs, quæ habet R. P. Didaeus Nissenus feria 2. post Pascha Assumpto 3. addi poterunt non sine laude allatis hactenus.



IN CAPVT QVARTVM à Num XVII. ad XXIII.

Exinde cæpit Iesus prædicare, et dicere: Poenitentiā agite: appropinquauit enim regnū Cælorū. Ambulans autē Iesus iuxta mare Galileæ vidit duos Fratres, Simonē qui vocatur Petrus, & Andreā fratrē eius mittētes rete in mare (erāt enim piscatores) et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi cōtinuò relictis retibus secuti sūt eum. Et procedēs inde, vidit alios duos fratres Iacobū Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo Patre eorum reficientes retia sua, et vocauit eos. Illi autē statim relictis retibus, & Patre secuti sunt eum.

PARADOXVM XII.

Obedienti facillimæ difficultates.



ERGO ne is cuius ore melle dulcior, ac lacte suauior manare debet oratio, quia mel, & lac sub lingua eius, tam honorifica oratione fulgurare, tonare, permiscere vniuersam Christianorum rempublicam exauditur, vehementius, quàm olim Græciam Pericles ærea voce inuaserit. Et cuius obsecro animus non perturbetur, cogi percipiens molles, ac delicatos animos ad duros pœnitentię laborea, & ardua asperioris vitæ onera subeunda? Et quæ, oro, mens tam firma, quæ non commoueatur, cōtemplans sedulò extemplo nuncium omnibus remittēdum ei, qui Christi vestigijs velit insistere? Huiusmodi ego querelis assentiri nullo pacto possum cum pro cōperto habeā, obedientiæ priuilegiū, sin-

A gulare, ac penè diuinū esse, vt quę natura sua maximè nobis acciderēt incōmoda, eadē si ab obediētia præscribātur nequaquā molestiam aliquā, aut angorem, sed solatiū ac leuamen afferre perquam iucundum.

Id, vtpote nouū affirmanti mihi fides penitus denegetur, nisi comprobetur apertè ab eo, quod de Antisthene, & Diogene scriptum reliquit Aelianus lib. 10. cap. 16. Cū Antisthenes multos ad Philosophię studiū inuitaret, & nemo accederet ad eum: tandē indignatus acerrimè, nemini potestatem fecit audiendi, & scholam omnino dimisit. Nullum prætere a non mouit lapidē, *Aelian.*

B vt Diogenem etiam à sua cōuersatione repelleret, atque excluderet disciplinę. Cum autē discendi studio inflammatus frequentior, & magis assiduus esset Diogenes, increpuit illum, minatusque est, se ei plagas inflictutū. Quinimò, quod peius est, à verbis ad verbera ventum est, aliquādo enim in caput Diogenes baculū impegit, perquā asperè. Ille verò quasi vehementioribus stimulis excitatus miro moderationis exemplo inquit, ego tibi lubens caput præbebo, quod iam diu discendi cupiditate subdidi. Neque profectò tam durū fustem inueneris, quo me tuis disputationibus abigas. *Antisthenes scholam dimittit.* *Idem percutit Diogenem.* *Verberati Diogenis moderatio.*

C Vsque adeo nihil durū est ei, qui se volēs, ac Lubens alterius eruditioni tradidit, ac disciplinę. fatebor sine fuco me sedulò mēte versasse, cur Christus Dominus tā disertè magistri personā sustinuisse se, dū viueret inter homines, sit professus. sanè Io. cap. 13. n. 13. suos alloquens ait: *Vocatis me magister, & Dominus, & bene dicitis: sū etenim* At verò, quod nemo ignorat, sūma capita doctrinę suę quā mortalea docent, mādata dicūtur sic Psal. 118. n. 32. *Viā mandatorū tuorū cucurri.* Sic Mat. c. 19. n. 17. *si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Enimuerò si *Io. 13. Christus magister.* *Psal. 118. Matth. 19.*

D pręceptoris personā in Christo recognoscere, par profectò est vt eius doctrina per capita, vel quęstiones declaretur. Cur ergo dicuntur mandata? cur nūcupantur pręcepta; quę potius rudimēta, vel assertiones nūcupari ęquiua debuissent? Fortasse vt manifestū fiat, primā omniū Christianarū virtutū, & pręcipuam esse obedientiā: hęc namque circa mandata versatur, & res pręceptas proprie loquēdo, vnde D. Thom. 2. 2. quæst. 104. articulo 2. in corpore veluti ex cortina Theologicæ veritatis decernit his verbis: *Obedientia est specialis virtus, &* *S Thom. 2.*

eius

Obediĕtiæ obiectum.

eius speciale obiectum est præceptum tacitũ vel expressum. Hic ego parumper subsisto interogans, si imperia sunt, quæ Christo disserente percipimus, quomodo appellatur ipse magister; qua ratione dicuntur mandata quæ docet; aut quo pacto nostra huiusmodi eruditio doctrinę comparatur? Imperia dura sunt, & molestiam afferunt, è contra arcana sapientiæ docente magistro enodata accidunt gratissima, & magna cum voluptate excipiuntur; insita quippe est humanis mentibus cupido discendi. Cur ergo quæ tradit vt magister, præcipere dicitur, & imperare tanquàm Dominus; Id ego mox explicabo dũmodo liceat interpretari religiosè quod de Charmo homine cæteroqui flagitioso, & improbandi nominis scribit Clemens Alexãdrinus in protrep. Charmus Græcus genere, professione Philosophus Athenis in academiæ aditu aram amori excitatam dicit dedicauisse; quemadmodũ ego interpretor, vt insinuaret nullum patere posse ad culmen sapiĕtiæ aditum, nisi duce amore. Arduum quippe, & inaccessum sapientiæ iter confici nequit, nisi animo accedas prompto planèque amanti. nimirũ. *Virtutem posuere dij sudore parandam.*

Cur Christus dicatur magister.

Clem. Alex. Charmus inuentum.

Arduũ iter virtutis.

Deterrebũt ac detinebunt obiectæ difficultatum asperitates animos accedĕtium ad studiũ Philosophiæ, nisi amor ipse aditum patefaciat. Propterea quæ à Christo Domino proferuntur ad salutem humani generis, & ad benè atque honestè viuendũ, & nuncupantur mandata, & doctrinæ nomine donantur; quia sicuti doctrina discipulos exigit Christi fideles, ita mãdata eosdem requirit obediĕtes, ergo vt nihil difficile, arduũ nihil in his præceptis inuenias, in ipso disciplinæ aditu amori aram erigas & quæ natura sua difficultatem paterent, inuenies facillima. Hinc fortasse ipse met magister Christus primum suę scholę rudimĕtum veluti in prælectione declaraturus dicebat Matth. 22. nu. 38. *Primũ, et maximum mandatum in lege; diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autem simile est huic; diliges proximũ tuum sicut te ipsum*. Et rursum Io. c. 13. num. 34. *Mandatum nouũ do vobis, vt diligatis inuicem*. Viuat, ac vigeat in cordibus amor, & nihil difficile iudicabimus licet præcepto cõacti, omnem enim præcepti quod refugimus (natura imperium detrectante) asperitatem suauem faciet amor.

Matth.

Mandatum amoris. Io. 13.

Sed mittantur ista, cum afferre possim in medium viros sapientia religiosos, & religione sapientes. Et primo quidĕ adest Magnus Gregorius examinans, quod habetur primo Reg. cap. 3 de Samuele qui Domini voce tertiò vocatus semper sine vlla molestia iucundã somni quietem captauit placidissimè; mirum sanè, & quod rarò cõtingit, somnum toties excussum tam facile reuocare. Mihi sane placet, quod in hac re sensit S. Pontifex, & verbis huiusmodi explicauit. *Quid est ergo, quod omnipotens Deus ire ad magistrum sinat, toties ad somni quietem redire*. Et paulo post respondet in hunc modum: *Et quia surgere ad laborĕ, redire autem ad dormiendum, pertinet ad quietem: quid insinuat, nisi quia vtrumque nobis vitam præparat, si obedientis animus in eo, quod agit, non nisi obedientiæ bonum pensat*. Ita sanctus lib. 2. in cap. 3. Reg. cap. vlt. aliquanto ante med. Coniũge Samuelem tam crebrò à somno excitatum, eumdemque tam subitò placidè quiescentem. Licet euigilare coactus amico tamĕ sapore capitur, quia cum imperio regatur obedientię; ex ipso vocis excitantis incõmodo recreetur necesse est, blãdissimo veluti sõno consopitus. Nõ nisi obedientiæ bonum pensa, vt non ignauo stertentis inter plumas corporis, sed liberali mentis impauidę somno diutissimè perfruaris. Arduum tibi videtur opus, quod ab obediĕtia proponitur surge alacer, & solũ spectes obedientiã, fietque certo certius, vt dũ auocari videris à somno mollius, & securius conquiescas.

Gregor. 1 Reg. 3.

Quid significet somnus Samuelis.

Simile quid suo Seneca testatur experimento, cum afferat itineris se cõfectum laboribus, inedia, & fame emaciatum, mille vexatum incommodis, ęrumnis mille afflictatum, nihil tamen sensisse laboris, aut incommodi, quia hæc omnia ardua licet, & intolerabilia leuiter ipse excipiebat. Eius verba epis. 124. ipso initio sunt. *Itinere cõfectus, incommodo magis quàm lõgo in Albanum meũ nocte multa perueni. Nihil habeo paratum, nisi me. Itaque in lecto lassitudinem pono: hanc Coqui, hanc Pistoris moram boni consulo. Mecum enim de hoc ipso loquor, quàm nihil sit graue, quod leuiter excipias, quàm indignandum nihil,*

Seneca

Molestiæ minimè molestę volenti.

nisi ipse indignando astruas. O quam pa- A rabile remedium est, vt nihil accidat arduum, nihil contingat difficile, licet arduũ, & difficilè suapte natura sit. Aues scire, quid istud sit? disertissimè dicam, & breuissimè. Si leuiter excipias: nequaquam durum præcipientis imperium, sed cernitosa excipientis asperitas, quod iubetur, graue reddit, ac penitus non ferendum. Percipe sapientissimo magistro nihil onerosum accidere leuiter excipienti.

Adest suo suffragio Augustissimus litterarum Pater Augustinus, cuius vt intelligamus sententiam, recolere debemus, quę

4. Reg. cap. 2.

de Elia scribuntur lib. 4. Reg. cap. 2. nu. 11. B qui igneo sublatus curru euolauit in Cœlum; mox subijcio, quæ breuissimè quidem, sed sapientissimè protulit Augustinus

Obedientia currus Eliæ.

his verbis. *O sancta obedientia. Tu quadriga, qua Elias vectus est in paradisum.* Ita sanct. ser. 7. ad Fratres in eremo, qui est de obedientia paulò ante finem, ex quibus nemo vestrum est, qui non percipiat, vel me tacente vatem sanctissimum igneo curru vectum apposito obedientiæ symbolo, si credimus Augustino. Nimirum voracium flammarum aspectum quis non refugiat? & tamen Dei seruus igne popula- C bundo, non tanquàm ferali tæda deterretur, sed veluti amica rhæda portatur. Incendio nil horribilius; iter habenti curru expedito quid apportunius? date quod cõtendo, obedientię munere fieri, vt quæ natura sua nobis essent molestię, detrimento, terrori, plurimum nobis afferãt commodi, leuaminis, atque tutelæ. Prodit iterum in medium magnus, & sanctitate, & digni-

S. Greg.

tate Gregorius, nunquam tamen importunus, quia semper adest ad imbuendos sacris præceptionibus animos opportunus,

Gen. 28.

quod de Iacobo Gen. 28. habetur exponens in rem nostram his verbis. *Iacob dor-* D

Obediẽs inter dura quiescit.

mit in via, cum fidelis subiectus per laborem obedientiæ, ad quietem suscipitur. Ita sanct. loco superius cit. non multo post. Esto, laboriosum sit opus, quod præscribitur; iter longum, asperum, arduum est arripiendum, si fueris fidelis, obediens in ipso itinere ad quietem suscipieris. Testem ego appello Petrum, vt amore inter condiscipulos primum, ita dignitate præcipuũ, cuius votum inter ancipites tempestatum, & curarũ ęstus illud fuit, vt habetur Mat-

Matth. 14.

thæi 14. num. 29. *Domine si tu es, iube me venire ad te.* attende, quid postulet. Iube; cur non potius; fluctuantium vndarum cõpesce tumorem, timorem mentibus discute, & te præsente noctis, & animi abeant tenebræ; nihil horum, sed Iube; videlicet singularis est imperantis Domini prerogatiua, vt quæ cęteroqui essent imperuia, Domino imperante obuiam fiant. Iube, quasi diceret Petrus, maris æstum, tempestatis insolentiam, vorticum insidias nihili duco, dummodo Iubeas. *Iubeat Deus,* interpretatur hoc Petri votum S. August. *vt possit homo, quod non potest homo.* Ita ser. 13. in Matth. non multo post med. Porrò qui arbitrararetur id esse maximè arduum, & proprium solummodò hominum primę sãctitatis, audiat, quid responderint Hebræi imperatori Moysi, à quò vecordiæ fuerant reprehensi, quasi verò subducere vellent incommodis prælιorum; *scire debes nos nullis terreri laboribus, qui cum virtute coniuncti sint; Iudicamus autem virtutem esse obedientiam.* Ita lib. 1. de Vita Mosis apud Philonem circa finem. Illustris obedientiæ nota, præ cæteris virtutibus, omnem auferre laborum asperitatem. audiant, qui putant fieri non posse, quæ dico; audiant autem Senecam scribentem ad Lucilium epist. 105. post med. *Toties mihi occurrunt isti, qui non putãt fieri posse quidquid facere non possunt, & aiunt, nos loqui maiora, quã quæ natura humana sustineat. At quanto ego de illis melius existimo; ipsi quoque hæc possunt facere, sed nolunt. Non quia difficilia sunt non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt.* Hæc Seneca. quàm verè, non examino: illud est certum, verissimè de obedientibus dici posse, illis solum ea difficilia esse, quæ non audent: audeant, & aggrediantur, & quæ videbantur ardua, obuia fiunt.

Petrus exoptat imperium Christi, & cur.

S. August.

Obedientiæ priuilegium singulare.

Philo.

Obediens nulla re terretur.

Seneca.

Volẽti nil difficilè.

Magno cũ acumine videtur id tetigisse Guglielmus Parisiensis c. 9. de Virtutibus aliquantò ante finem; vbi comparans cum vi amoris prærogatiuam obedientiæ in re proposita videtur nobiscum sentire. Inquit autem, *proportionaliter se habẽt obedientia ad obediendum, et amor ad amandum.* Meo porrò iudicio percipi nequit, quid dicere velit Guglielmus, nisi eius sentẽtia ex Augustino illustretur, à quo si dicees nihil difficilè esse, quod facile nõ reddat amor,

Gugliel.

Amoris, & obediẽtię vis eadem.

mani-

manifestè cognosces obedienti difficultates minimè esse difficiles. Consulè ser. 9. Diui Augustini in Euang. Matth. de verbis Domini, vbi paulo post med. 2. cap. enumeratis laboribus, quibus in bellis miles arretitur, expositis periculis, quæ & cœli sæuitia, & procellarum inclementia cogitur subire mercator: Enumeratis incommodis, quæ à præcipiti montiū lapsu, & fluminibus, & feris, & cursu, & fame, & siti, & lassitudine perferunt venatores, cōcludit tandem, hoc est in fine 2. capitis, & initio tertij his verbis: *Sed hæc omnibus, qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Verum amanti eadem quidem, sed nō grauia pati videntur. Omnia enim sæua, & immania, prorsus facilè, & prope nulla efficit amor.* Huc vsque Augustinus, qui idem reperit ser. 33. de diuersis paulo ante finem. Intelligis sine dubio, vel me tacente, quæ sua natura difficilia sunt, facilia, & ex animi sententia accidere obedienti, cum & amoris, & obedientiæ par sit vis, & efficacia eadem ex Guglielmo.

S. August.

Amor omnia reddit suauia.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 3. Comment. moral. in Euang. hist. lib. 15. caput 8. §. 8.

Plura sunt, eaque optima quæ habes ad id argumētum confirmandū apud P. Franciscum de Mendoza tom. 2. in primum lib. Reg. cap. 3. num. 5. in expositione litteræ à num. 1. ad 5. & inferius à num. 19. & deinceps in expositione litterali citata. Sed copiosius eodem tomo citato cap. 3. num. 10. Annotatione 2. circa litteram sect. 2. cuius argumentum est: illustrior in difficilibus præceptis obediētia exhibetur.

Huc reuocabis etiam quæ habes apud P. Io. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses cap. 2. versu 8. pag. 435. in Comment. circa litteram nu. 15. vbi ostendit obedientiam sobolē esse amoris, adeoque ab obedientia omnia reddi facilia, licet natura sua dura, atque aspera.

Suppeditabit quoque permulta P. Benedictus Fernandius tom. 1. in Genesim cap. 3. sect. 6. num. 2. vbi cuincit nil planè esse difficile obedienti.

IN CAPVT QVARTVM
Num. XXIV.

Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerūt ei omnes, malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & Paraliticos, & curauit eos.

PARADOXVM XIII.

Solus improbus ærumnosus.



Misetum planè hominum genus tā multiplici morborum varietati obnoxiū, vt credi vix posse videatur, numerū si quæras, supra trecenta nominatim fuisse prodita scribit Plinius lib. 26. cap. 1. præter mille, & eo amplius pericula venenorum. Seneca epist. 65. ad Lucillum afferere minimè dubitat, sola febrium genera esse innumerabilia vnde Iuuenalis Sat. 10.

Plin. Quotuplex morborum ac venenorū genus.
Senec.

Morborum omne genus, quorum si nomina (quæras
Promptius expediam, quot amauerit Hip-(pia mæchos
Quot Themison. ægros autumno occiderit (vno.

Atque ne videar supputare velle, quot arenarum cumuli, euro perflante excitentur, vel certè summam ducere fluctuū, qui percussu reciproco frangantur in littore, satis superque declarat Euangelista humanæ imbecillitatis deplorandam conditionem, dum ait omnem languorem, & omnem infirmitatem, malè habentes varijs languoribus, & tormentis comprehensos, quæ, vt enumerare recensendo singula esset otiosum, ita indicare consilium est, vt spero non sine magno fructu, causam non morborum modò, sed omniū omnino, quibus dum viuimus vexamur ærumnarum

esse improbitatem, & hac omnino sublata, auferri etiam genera omnia miseriarum, imo quam ducimus vitam, lætam esse atque incolumem, omni suspicione calamitatis amota. Solus quippe improbus ærumnosus.

S. Cyprian. Certè eloquentissimus Cyprianus rationem allaturus aduersantium calamitatum, quibus mortales vexabantur suis tēporibus, & afflictati bello, & crebris, peste grassante, atrati funeribus, ait; *miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie, quod puniatur?* Ita contra Demetrianum non multo ante med. consentit cum eo Magnus Gregorius Aestu, *et frigore, fame, sitique turbari, morbis affici, quandoque etiam extingui, quid sunt hæc aliud, quàm flagella peccati.* Ita lib. 13. in Iob cap. 11. initio. Consentit Iudæus Philo, dum asserit: *elementa mundi terra, aqua, aer, ignis conspirarunt in impios, Deo vindice, ad declarandam eius potentiam, ea, quibus ad creationem, salutemque rerum vsus est, vertentis quando libet in impiorum perniciem.* Ita lib. 1. de vita Mosys aliquanto ante med. Annonæ caritate per aliquot annos laboramus, frequentia deterriti funerum, vexati cœli inclementia, terræ sterilitate, mille calamitatum modis atterimur, & iniquitates à nostris cordibus nō auferimus? quid hoc stuporis, quid dementiæ est!

Culpa pœnæ origo.

S. Greg.

Peccatum fōs calamitatum.

Philo.

Res creatæ Dei vindicis instrumenta.

B

C

Placet antiquis nostra inserere. Matthæus Vicecomes Mediolan. Princeps de principatu deturbatus prope Veronam vtcumque victitabat, magno ferens animo aduersantis fortunæ calamitatem. Dum res Matthæi ita sese haberent, Guidus de Turre, post quàm eum Mediolano eiecerat, certos homines ad Matthæum misit, qui ab eò Guidi nomine sciscitarētur tria. Primum quid ageret? Secundum speraret ne se Mediolanum rediturum? tertium demum quādo nam id futurum arbitraretur? Matthæus fortasse magnitudine perfusus admirationis paulum constitit meditabundus (obambulabat enim in Adicis littore, virgam manu gestans) tum respondit in hunc modum, Quid agam vestris ipsi spectatis oculis. De reditu Mediolanum in spem adducor fore. Quantum verò attinet ad tempus, quo id continget, erit sine dubio, quo tempore Turrianorum

Matthæi Vicecomitis calamitas.

D

peccata, plura numero, & genere fuerint grauiora meis. Ita Io. Boterus lib. 1. dicto. memorab. aliquanto post init. Sapientissimè. En vnde aduersitas, angustiæ, orbitates, omnia demum, quibus cruciamur, incommoda ducant origenem. Dicebat amicus Iob Eliphaz Themanites cap. 4. num. 8. & 9. *Vide eos, qui operantur iniquitatem, flante Deo, periisse. Flare Deus,* ait S. Gregorius, *vindicta retributione dicitur, quia ab exterioribus causis introrsus iudicij consilium concipit. Quasi flante Deo ab exterioribus aliquid introrsum trabitur, quando foris mala nostra conspicit, & intus iudicium disponit.* Ita lib. 5. mor. cap. 15. circa med. sicut dum flamus, aërem ab exterioribus trahimus, & tractū reddimus. Ita planè Deus plectit i auferatur aer, & trahi non poterit; tollātur mala, & calamitas, qua affligimur, nulla supererit.

Sapiens Matthæi responsi.

Iob cap. 4.

S. Greg.

Cur Deus puniens impios flare dicatur.

Fabij dictum à S. Augustino lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 6. circa finem relatum meam sententiā fortasse non omnino illepidè confirmabit. Illius, inquam, Fabij Tarentinæ Vrbis celeberrimi euersoris. Hic petenti scribę, quid de signis Deorum, quæ multa capta fuerant, fieri iuberet, interrogasse dicitur, cuiusmodi essent, & cum ei non modò plura eximiæ magnitudinis, verum etiam renunciarentur talia simulacra esse armata. *Relinquamus*, inquit Tarentinus Fabius *Deos iratos*. delusit iocoso dicterio Fabius hostes suos; nos autem, si iocum minimè iocosè interpretari velimus, dicamus non potuisse Imperatorem in hostes suos inuehi acrius, quàm Deorum iram expostulando vltricem inimicorum; compendium calamitatum est, extremum malorum, & vltima planè pernicies iratus Deus i iratos Deos dicebat Fabius, hoc est cędem, vulnera, lanienam, vastitatem, solitudinem Tarentinis relinquatnus: nos, vt breuissimum promamus malorum omnium, quibus vexantur impij, breuiarium; dicemus, reliquus sit peccatoribus iratus Deus: qui sceleribus prouocat vltorem Deum, iliadem congerit calamitatum.

S. Aug.

Deus iratus maxima calamitas.

Quo tempore Pyrrhus Rex Græciæ à Tarentinis accitus funestissimam Romano Imperio intulit cladem, Romanos grauis afflixit pestilentia, qua mulieres prius

quàm

Roma' calamitatibus afflicta, & cur.

quàm maturos partus ederét, grauidę mo-
riebantur; mox tam frequenti funere pe-
cudes prostrauit, vt animalium genus de-
fecturum crederetur: cum autem sequenti
anno lues multo perniciosius grassaretur,
Romani consulendos esse censuerunt li-
bros Sybillinos, & post solertem germani
sensus indagationem, ab omnibus in eam
sententiam itum est, vt affirmarét causam
tantę pestilentię esse, quod plurimas ędes
sacras multi contra diuinum ius occupa-
uissent: videatur S. Augustin. lib. 3. de
Ciuit. Dei c. 17. paulo ante finem. Igitur
testimonio Ethnicorum contempta reli-
gio, conculcata pietas, violata integritas
vastitatem inferunt, cędibus implent. ò
impietas nunquam effęta parens calami-
tatum. Etenim deletas dolemus familias?
deleuit peccatum: afflictas lugemus Vr-
bes? afflixit peccatum, amplas Prouincias,
opulentas Respublicas, ditissima regna di-
ruta, perdita, vastata lamentamur; dissipa-
tos populos, suburbia ęquata solo, regio-
nes pessundatas atque consumptas con-
querimur? hoc quoque pręstitit peccatū.

S. August.

S. Bernard.

Prouerb. 2.

Peracutè S. Bernardus, vt aperiat lacri-
mabilem peccatorum miseriam, vtitur eo,
quod dicitur Prou. 2. num. 14. inquiens
lib. de gratia, & libero arbitrio ante med.
*Tale est, quod faciunt, quale cum rident
Phrœnetici, nulla autem verior miseria,
quàm falsa lætitia.* exultas inter illece-
bras, gaudes iniustis lucris, cedunt omnia
ex animi sententia per fas, & nefas, hæc tu
secunda ducis, ex his secundis, imo hæc
eadem quæ prospera arbitraris germanæ
miserię sunt. quod adeò verum est, vt ipsa,
quæ magis vidētur secūda, veriores mise-
riæ sint, vtpote visui Phrœneticorum si-
millimæ. Quidquid mali experimur, &
aduersi patimur ex blandientis culpę se-
cūdis successibus ducere originem ex Be-
da asserit Cęlius Rhodig. his verbis lib. 1.
lect. antiq. cap. 3. circa medium. *Auctor
Beda, ante hominis peccatum, nil noxium
ab terra progerminare, non herbam veneno
pestilentem, non arborē sterilitatis inuti-
lem vitio, sequestrata item natricum viru-
lentia, & viperarum.* Quidquid tabificum,
quidquid infęcundum, quidquid virulen-
tum vexat, & displicet, à peccato, tanquā
à suo fonte cadit, si nescis. Hinc Camillus
Vrsinus vt refert Io. Boterus lib. 1. dict.

Falsa lætitia, vera miseria.

Omnia à peccato incommoda.

Boterus.

A memor. viror. illust. circa medium aiebat,
nostris temporibus martiale robur milita-
ri disciplina collapsa propemodum eua-
nuisse; id autem non aliunde, quàm ex
morum corruptela, & fallacibus, quibus
indulgent milites blandimentis, duxisse
exordium: fractę vires, eneruatum robur,
prostrata firmitas, calamitas procul dubio
maxima, prospice quibus germinent radi-
cibus, quoue pullulent semine.

Vnus nobis D. Io. Chrysostomus in hac
re instar omnium, & auctoritate, & multi-
tudine rerum instar omnium esse potest.
Sanè in expositione 3. psalmi, vbi Dauid
B numerum exaggerat ęrumnarum suarum:
inquiens, *Domine quid multiplicati sunt,
qui tribulant me*; Demonstrat Chrysosto-
mus omnia aduersantium calamitatum
genera à peccato, tanquam à fonte mana-
re; *& quid dico de malis domesticis?* lo-
quitur Chrysostomus, *quando ipsum no-
strum corpus quandoque nobiscum peccan-
tibus bellum gerit per febres, & morbos, &
dolores nos oppugnās. Huius testis est Chri-
stus, qui curato dicit Paralytico, ecce sanus
factus es, noli amplius peccare, ne quid de-
terius tibi contingat. Cum ergo didiceri-
C mus fratres, quod & domestica, & intesti-
na, & seruilia bella, & morbi etiam cor-
poris sæpe fiunt per peccatum, peccatum
fontem malorum reprimamus.* Quia verò
sibi minimè fecisse satis arbitrabatur, vt
apertius declaret homini noxium nihil es-
se pręter peccatum in exposit. psal. 139.
ipso init. quęrens, cur Propheta enixè po-
stulet ab homine malo liberari, *Eripe me
Domine ab homine malo, à viro iniquo eri-
pe me*; cur non prius petat eripi à feris, à
scorpijs, à viperis, & ab alijs huiusmodi
maximè noxijs, respondet sibi Chryso-
stomus his verbis; *extrema est amentia
D hoc dicere, nihil enim est, quod lædat homi-
nem, nisi solum peccatum, eo autem subla-
to omnia sunt facilia, explicata, ac tran-
quilla: quemadmodum si id adsit sunt om-
nia scopuli, tempestates, & naufragia.*
Nec minus eloquenter, hoc est semper si-
bi similis tom. 5. hom. 5. de pœnitētia post
med. hęc habet: *malorum omnium causam
tantùm esse peccatum. Ex peccato tristitia,
ex peccato tumultus, ex peccato bella, mor-
bi, atque omnes, quot quot nos premūt pas-
siones.* Hęc ex Chrysostomo, quo auctore
gra-

S. Io. Chrysost.

Psal. 3.

Morbi à peccato prodeunt.

Psal. 139.

Solum peccatum lædit.

Quot, & quæ incommoda à peccato.

gratulor, tam sæpè, quàm eloquenter ęrũnarum originem demonstrari peccatum, adeò vt verissimè prædicetur à nobis. Solus improbus, ęrumnosus.

Baruch 3. Vidisti id tu quidem Vates sanctissime bono diuinitatis in lumine Baruch; vt patet legenti cap. 3. tui vaticinij. Vbi enumeratis calamitatibus captiuitatis miserrimę, & durissimę seruitutis, qua Dei populi affligebantur; vt tot, tantarumque ęrumnarum rationem afferat, inquit, n. 12.

Proborum tuta felicitas. *dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna.* Hinc lacrimę, hinc angores, hinc omnia genera aduersitatum. Incorruptum pectus nihil omnino pertimescit, & cor maculatum fœditate peccati omnibus est obuium generibus incommodorum. quod eò confidentius profero, quò expressius declaratum lego à Seneca, Seneca. qui vt Serenum doceat, quo pacto quis ab omni incommodo, & ęrumna liber viuere possit, decernit id soli viro probo cótingere posse; sic autem habet lib. 2. de tranquillitate ad Serenum, cap. 6. in fine, dum ait. *Ergo ita habe Serene, perfectum illum virum humanis, diuinisque virtutibus plenum nihil perdere. Bona eius solidis, atque inexpugnabilibus munimentis præ-*

Arcet integritas calamitates *cincta sunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intrauit. Non Carthaginis, aut Numantiæ mœnia vna manu capta. Non Capitolium, arcemue. Habent ista hostile vestigium, illa quæ sapientem tuentur à flamma, & ab incursu tuta sunt, nullum introitum præbent, excelsa, inexpugnabilia Dijs æqua.* Vt nullus ęrumnę sit locus, necesse est, vt munimento propugnemus integritatis; hoc si desit, actum est.

Plura qui velit, consulere potest P. Didacum de Baeza. tom. 2. comment. moral. in Euang. hist. lib. 11. cap. 2. S. 1. & eodem cap. S. 5. similiter sequenti lib. eiusdem tom. cap. 4. S. 12. Item tom. 3. lib. 14. c. 4. S. 10. & tom. 4. lib. 16 c. 19. S. 3. & lib. 18. eiusdem tom. cap. 9. S. 6.

Ad propositum argumentum faciunt plura eorum, quæ inuenies apud P. Didacum de Celada commentario in Iudith cap. 5. vers. 10. & 11. S. morali 28. vbi probat peccatum censum esse; cuius causa redituum nomine, innumeras pensitamus ęrumnas. Et apud eundem c. 11. à vers. 5. vsque ad 9. S. morali 17. vbi dicitur pauperior inopia à peccato esse, & sequenti S. 18. cuius titulus est: Infamię natales à peccato sunt, & S. 19. sequenti in quo palam fit, à peccato hominis infirmitatem, & inualetudinem esse.

Nonnulla etiam huc reuocanda leges apud P. Io. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses in cap. 2. vers. 9. 10. & 11. Adnotatione morali 1. num. 9.

Habes etiam permulta apud P. Ludouicum Cresollium lib. 3. mystagogi c. 39. vbi non solum de fuga, adioque peccati differitur generatim, sed etiam singillatim ęrumnæ, quæ à peccato profluunt, recensentur.

De hac re & sæpè, & copiosè scribit P. Franciscus de Mendoza in lib. Reg. sed præcipuè tom. 2. in cap. 5. num. 3. in expositione litteræ ab eo titulo. Peccata non recreant, sed cruciant, similiter eodem tom. in c. 8. num. 18. Annotatione 35. circa litteram sect. 1. vbi vera sub peccato seruitus, eaque maximè ærumnosa demonstratur.



IN CAPVT QVARTVM à num. XXIII. ad vltimum.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre secuti sunt eum. Et circuibat Iesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

PARADOXVM XIV.

In Christi militia nullus Tyro.



EBEDAEI filij, vbi primum vocantis Domini vocem audiuot, *statim relictis retibus, & Patre sequuti sunt eum*. Arduū est nuocium remittere omnibus, & tamen Tyrones nobiles ipso vitæ sanctioris initio, & amantissimi despiciunt amorem Patris, & rei familiaris contemnunt copiam. Imò, quod maiore dignum arbitror admiratione, ipse Dominus, iuxta Vatis Euangelici vaticinium, Dux nobis cœlesti dono datus, vix in albū relatis nouis cōmilitonibus, ipsis spectantibus, & cum Dæmonibus, & cum varijs morborum generibus, salutis humanæ validissimis hostibus manus conserit. An non satius fuisset paulatim incipere à faciliotibus, ne Tyrones deterriti ab incepto desistere compellerētur. Dicam quod sentio. Credo equidem ita fieri debuisse, quia testatum omnibus voluit Diuina sapientia eam esse seruorum Christi prærogatiuam, vt non modò post diuturnam exercitationem, sed in ipso tyrocinio præclara fortiter aggredi queant, & perficere fœliciter; quæ si veritati consona comprobauero, dici debebit inposterum. In Christi militia nullus Tyro.

Plura recitat sacræ Scripturæ exempla in hanc sententiam B. Petrus Damianus lib. 7. epist. epist. 3. quæ est ad Henricum Henrici Secundi Imperatoris filium initio, inquieos; *Ecce Ioas Rex Iuda tener adhuc de Sartis tectis tēpli celeriter instaurandis cum sacerdotibus disputat; eos quoque collatam à populo vetat retinere pecuniam, totamque artificibus operam iudicat exhibendam. Dauid vix dum adolescentiæ limen ingrediens, aduersus Goliath non cum gladio, sed cum lapillis, quasi pueriliter dimicat. Adolescentulus adhuc Iosias omnia vasa Baal, de templo Domini, cum Sacerdotibus proÿcit, & in conualle Cedron flamma vorante succendit.* Quibus auditis, considera, quæ tuæ sint partes, & quando Gigantem prosternere, quando dirutum animæ templum denuò excitare; quando demum charitatis flamma idola cupiditatum consumere neglexisti; nuoc saltem post acta in castris Dei plurium annorum stipendia impigrè perficias; & quæ præstātissimè licet, ipso amœno flore melioris ætatis, hoc est in ipso tyrocinio sanctitatis, dudum fuerant absoluenda, iam aggredi, quid moraris? imò ad calcē perducere quid cessas? Non est nouus dicendi modus, nuncupare genitos Deo, eos qui sanctiorem ineunt viuendi rationem. Siquidem prima Petri cap. 2. num. 2. dicitur,

Dam.

Ioas Dauid. Iosias adolescentes præclara perficiunt.

tur, *quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*. Quod cum ita sit, quæret fortasse aliquis, quo ætatis anno, suarum virium periculum facere debeant, qui Deo nascuntur; & respondebit statim S. Petrus Chrysologus in hūc modum: *O vos Beatos, quibus datum est, ante regnare, quam viuere: Ecclesia fœlix Mater, qua vos tales respicit. Olim partus iste præcedentibus designabatur exemplis: hinc est, quod Iacob in vtero matris cum fratre luctatur, præripit & triumphos: Hinc est, quod in vtero Thamar gemini de primatus honore præliantur: nec ante lucem cupiunt videre, quam vincere. Hinc est, quod Ioannes exultat antè, & antè suo occurrit auctori, genitricis ex vtero quam procedat. Et si humana pignora sic ante Deo militāt, quàm nascantur parentibus; quid mirum, si Ecclesia diuina germina, si Deo sua soboles in vtero adhuc, quod sit superni germinis iam fatetur?* Hæc serm. 72. paulo post med. Deo generatur, qui contemptis terrenis appetit cœlestia, ac propterea victor fit antequam viuus tenellus infans, ipso triumphet in vtero, & priusquam vitali donetur aura, coronali laurea redimiatur.

Iam nemo admiratione defixus commendet egregiam Anibalis indolem; quę ingentis animi, mentisque planè præcelsæ, illustre specimen, in ipsa infantia præbuisse scribit Titus Liuius lib. 1. 3. Decadis init. Nono fermè ætatis anno, cum Pater Amilcar, perfecto Africano bello, in Hispaniam traiecturus sacrificaret, puellus Anibal altaribus admotus, tactis sacris iureiurando se obstrinxit, cum primū per ætatem liceret, illaturum se populo Romano cladem, & cum regnatrice tunc temporis toto orbe republica gesturum se perpetuas simultates. Eximium planè magnanimitatis exemplar, vt qui tantulus esset ætate, tanto esset animo. Verum quid hoc est, & quàm exiguum, si cum eorum virtute conferatur, qui non modò à pueritia, non alio magistro, sed propria duce magnanimitate ingentes concipiunt in hostes animos, imò verò intra materni vteri septa, aduersarijs calamitosam inferunt luem, lucem antequam videant? Vestrum, vestrum est tyrones Christi, in ipsa sanctioris vitæ infantia aggredi perpessu

Liuius.

Anibalis puelli indoles mira.

A aspera, genere præclara, conditione penè diuina. Memini me legere apud Philonem qua se se ratione, mutuo inflammarent ad prælium colloquio Hebræi, cum dicerent: *viri simus, geramus rem alacriter in primo regionis promissæ aditu. Intrepidè pugnemus pro munimento habentes audaciā; per initia sæpe de euentu decernitur. dum in limine sumus, terrorem incutiamus incolis*. Sic lib. 1. de vita Mosis multo post med. ò quàm benè sentit electus populus, hoc vno ex capite præpotenti Domino carus, quod decernit in primo aditu, in ipso limine regionis promissę pręberę B specimen fortitudinis inuictæ.

Philo.

Hebræorum in Dei inimicos magnanimitas.

Id quidem eò libentius in medium profero, quò antiquis Sapientibus minus notum fuisse testatur Seneca lib. 6. nat. quęst. cap. 5. in fine, inquiens: *nulla res consummata est, dum incipit. Nec in hac tantùm re omnium maxima, atque inuolutissima, in qua etiam cum multum actum erit, omnis tamen ætas, quod agat inueniet, sed in omni alio negotio, longè semper à perfecto fuere principia*. Non sic, non sic nobiscum agitur. ò quàm diuersa ratio fęlicitatis. Ipsa initia sanctioris vitæ perfecta sunt. C Fœlicius enim, quàm Cœlosyres apud Aegyptios primi nominis milites, vt Alexander ab Alexandro lib. 1. Gen. dierum cap. 28. non longè ab initio scribit, à nullo Doctore, sed à Patre solum militię pręceptis erudiuntur. His inquam fęlicius, Patre Deo pręceptis imbuuntur ad arma tractanda probi viri, vt mirum videri non debeat, si ęquius, quàm Cœlosyres tyrocinio minimè egere prędicentur. Ad admirationem vsque suspiciendum, & fortasse non immeritò scribit Plinius lib. 11. circa 51. post med. Crœsi filium in crepūdijs semestrem fuisse locutum. Mihi pro- D fectò gratulor lōgè pręstantiora de Christi milite referri posse, quàm mendax antiquitas nouerit comminisci. Etenim non semestris, sed vix in gratię lucem editus Dei amicus, non eloqui modo, sed bella nouit indicere, classicum canere, fortitèr aggredi, ac fęliciter profligare. Recitato ex S. Hieronymo Palestinarum Vrbium more patebit manifestius, quàm sit consentaneum veritati hoc Christiani militis priuilegiūm. Euolue commentarium in c. 12. Zacharię, vbi paulo post init. legesi mos

Seneca: Nullum opus initio perfectū

Alex. ab Alex.

Cœlosyres à patribus ad prœlium instruuntur.

Crœsi filius semestris loquitur.

Plin.

S. Hieron.

mos est Vrbibus Palestinæ, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi ponantur lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium subleuare, alij ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros, & caput; nonnulli super verticem, rectis, iunctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Atheniensium iuxta simulacrum Mineruæ vidi sphæram æneam grauissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi mouere vix potui: tum quærerem quidnam sibi vellet? responsum est athletarum in illa massa fortitudinem comprobari; nec prius, ad rigorem quempiam descendere, quàm ex leuatione ponderis sciatur quis, cui debeat comparari. Ex hisce consuetudinibus, quibus bellatorum & athletarum vires paulatim laboriosa exercitatione augebantur, militum Christi priuilegium quasi digito commonstro. Fęlices nēpe, qui statim, atque in albū tā ti referūtur Imperatoris, non paulatim & quasi per partes contumaci nisu, & conatu laboriosissimo, sed facillimè grauissimum peccatorum pōdus, totum simul à se abijciunt valentissimo impetu virium ad admirationem vsque conspicuo. Fęlices, inquam, quibus ad subleuandam imo ad amandandam longissimè molem, quouis ęre, ac plumbo grauiorem, non est laborandum, vt paulatim sudoribus assuescant sed illicò, dictòque citius à se propulsant. Hunc tu tyronem ne dicas: quandoquidē athletis exercitatissimis fortior est, atque expeditior.

Palestini attollendo pondere se præparāt ad pugnam.

Triplicis mihi argumentum similitudinis prębet, quod Aelianus scribit lib. 10. cap. 3. vbi asserit, & Perdicum pullos simul ac pedes exeruerunt de integumentis velocissimos esse ad currendum, similiter & Anatum pullos statim post partum natare. Tertiò demum testatur, catulos leonum, matrum vteros vnguibus stimulare, non tam ad lucem, quàm ad diripiendas, dissecandasque feras festinare. Tales, me iudice, debent esse, qui Deo semel geniti, cęlestis auręque spiritum ducunt. Isti vix in lucem editi, velocissimi sint ad currendam viam mandatorum Dei, expediti ad natādum, ne fluctibus humanę fęlicitatis demergantur, instructi similiter ad prędam, & ad lanienam inimicorum, vt decet catulos leonum, quales sunt serui Dei quod neminē latet. Et quis scit, vtrum in hanc grariā cāticorū 4.n.8. cōpelletur ab amatore suo sanctissima sponsa, cum dicitur, *Veni sponsa mea de cubilibus leonum.* Placet fortasse vt de leonum cubili egrediatur ad indicandum, eam esse debere mentem amicæ Dei animæ, vt egrediatur in lucem, docta discerpere, ac dilacerare. Sed quidquid de hoc sit, tria hæc quæ ex Aeliano mutuati sumus vnicè conueniunt bellatori. Etenim gloriosissimum esse militem, qui velociori fugæ sese committat à nobis demonstratum est supra in cap. 2. parad. 16. Similiter nare ad milites pertinere testātur Romani iuuenes, tradit enim Alexander ab Alexandro lib. 1. Gen. Die. circa med. dicens; *Nandi quoque iuuentutis Romanæ summum studium in militari rudimento fuit.* Tertium demum, hoc est discerpere, ac dilacerare, quàm proprium bellatorum sit, atque pugnantium, nihil attinet dicere. Igitur hæc tria perficiunt vnicè militem Christi, cui & quidem vix nato datur diuinitus pedum velocitas, nādi peritia, ac demum discerpendi vis admiranda, vt rectius longè debeamus Dei seruos ex his capitibus admirari, quàm olim naturæ contemplatores, aut perdicū, aut Anatum pullos, aut leonum catulos fuerint demirati.

Aelian.

Perdicum pulli vix nati ad cursum apti.

Anatum pulli statim v. x nati [natant].

Leones ili matrum vteros vnguibus extimulant.

Can. 4.

Miles omnium gloriosissimus; qui hostes fugit.

Alex. ab Alex.

Nandi studium Romanæ iuuentutis.

Haud scio quàm cōsultè Augustus adhuc puer Occidentis susceperit Imperiū, ex quo Augustulus appellabatur, vt tradit Procopius lib. 1. de bello Gothorum init. quemadmodum etiam eodem libro testatur de Atalarico, qui vix octauum ætatis annum agens sub matre Amalasunta, ad Imperij apicem est euectus. Intolerabilius est, quod de Persis scribitur, qui communi consensu Sapori adhuc in vtero Matris existenti, insignia detulerūnt Regni, vnde, vt tradit Agatius lib. 4. historiarum peregrinarum, cidaris ventri matris imposita fuit; vt ea ratione infantulum tanquam Regem coronarent, ac venerarentur, antequàm natum. Vsque adeo bellicosę gētes Imperatorem deligere gestiebant, cuius auspicijs arma tractare possent, ac bella gerere. Deus immortalis quę tanta hominum inconsultorum dementia? an non ęquum est, vt rerum grauissimarum rationem institutionibus, & experimentis perci-

Procopius.

Augustus dictus Augustulus.

Atalaricus ad Imperium euectus octauum annum agens.

Agatius.

Sapor coronatus antequam natus.

cipiat paulatim,qui alios dominatu regere debet, & pręclarè gerendis facinoribus pręesse imperio? sine tyrocinio instructus ad pręlia, & aptus ad arma capessenda nascitur solum, qui Deo auctore, vitalem spirat auram sanctitatis. Tritum est, quod Iustinus lib. 7. tradit de Europo, quem successorem reliquerat Macedonici Regnis Philippus Argei filius. Atrox agebatur bellum, & antiquę vigebant simultates Illyrios inter, & Macedones; mortuo verò Philippo, infantiam Europi contemnentes Illyrij, Macedones sunt aggressi, qui pręlio pulsi, nouum huiusmodi iniere consilium. B Rege sub infante in cunis posito, & pugnę ante aciem prolato, acrius repetiere certamen, tandemque magna cęde Illyrios fuderunt, ostenderuntque hostibus suis, priore bello Imperatorem Macedonibus nō virtutem defuisse. Quod si verum est, adumbrat mihi sortem seruorum Dei, quibus vix natis sine vllo militaris disciplinę tyrocinio, datur hostes acerrimos, atque infensissimos, primo pręlio fundere penitus, ac profligare. Forte id expressum fateberis in Sacris Litteris, recolens Imperatores populi Deo cari, diuino consilio non semel fuisse ado C lescentulos. Taceo Dauid, & Salomonem, quos iuuenes imperium suscepisse certum est. Azariam sexdecim annorum imperantem in Iuda, vt Reg. 4. Manassem annorum duodecim in Hierusalē 4 Reg. 21. Iosiam octo annorum, eius ex filio Nepotem imperare cepisse 4. Reg. 22. non possum non commemorare, vt certiorem faciam Lectorem meum tyrocinio non egere, qui militarem exercet disciplinam in castris Dei, quippequi ipso melioris vitę, primo in lumine dixerim, an in limine sese exhibent Imperatores, nullo facto militaris stipendio disciplinę; D ad conterenda fortissima Dœmonum propugnacula, ad debellandos inimicæ carnis conatus, ad diruendos aggeres impietatis, ad mendacis mundi cuniculos eludendos, elideudosque aptissimi solo nutu; vt nati planè, factique ad imperium videantur; cum sine Duce, ipsimet inferre norint hostibus vastitatem. Atque, ne magnificentius, quàm par est, de inclyta filiorum Dei stirpe verba facere videar, testem profero Apostolorum Principem, ex interpreta-

Iustinus.

Europus in cunis hostes fundit.

4. Reg. 4.
4. Reg. 21.
4. Reg. 22.
Qui adhuc pueri imperarint populo Dei.

A tione magni Leonis serm. 3. non multò post initium, vbi explicans illud 1. Petri cap. 2. num. 9. *Vos autem genus electum regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* ait: *omnes enim in Christo regeneratos, Crucis signum efficit Reges.* Regiæ enimuerò, ac Imperatorię stirpis, Heroas dixerim gloriosos, quibus vix natis datum est, Imperatoris partes agere, nequaquam militis subire labores, ipsis etiam, dum Dei gratia obstetricante primo lucem aspiciunt veritatis, puerilibus, vt ita dicam, blandimentis, quasi per iocum rectè rationi annuendo, prauis abnuendo suasionibus, Tartareum profligare valeant Principem, ac debellare.

S. Leo.
1. Pet. 2. Christi serui, Reg.

Probè scio, longè diuersam esse rationem humanæ militiæ, neque enim alio pacto, quàm diuturna exercitatione, & labore improbo, qui disciplinæ militari dant operam, paulatim se exercere debent, vt à minimis, atque leuissimis ad præstantissima, ac maxima faciant gradum; vt hinc etiam pateat quam præclarè agatur cum bellatoribus Dei. Sanè omnium sermonibus vsurpatur Incolas Insularum Balearium tam certos esse lapidum coniectores, vt nunquam non collineent. Huius nulla ratio est alia, quàm à pueritia assueuisse, & quidem lege durissima necessitatis adacti. Etenim de illis Diodorus Siculus lib. 6. scribit in hunc modum. *Ita rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus; quod eis continuò a pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis. Imponunt enim supra erectum lignum panem, signum quod ictu petant: neque ante cibum capiunt, quàm panem lapide eiectum pro cibo sumant permissu matris.* Durum enimverò militiæ genus, cuius tam dira, ac tam acerba florentis ætatis stipendia sunt etiam sub matris disciplina. Vnde mirum non est, si apud Cassiodor lib. ep. ep. 24. Theodoricus in hunc modum Gothos adhortetur. *Producite iuuenes vestros in martiam disciplinam, nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur.* Non id contingit militibus Christi, qui vbi primum tanto Duci dedere nomen, nullo exantlato tyrocinij labore, & profligare hostes, & proterere valeant aduersarias acies, animi fortitudine inuicta,

Baleari nunquam non collineant.

Diod. Sic.
Baleares qua lege sumant cibum.

Cassiodorus.
Omnis eruditio disciplinæ militaris in iuuentute percipitur.

ĉte;& inaudito exemplo magnanimitatis. Hinc Cant.6.nu.9. Anima illa, quæ tamquam imbellis virguncula fuerat descripta, non dum de facie nota cælestium exercituum ductoribus, ab eisdem dicitur *Terribilis, vt Castrorum acies ordinata*. Intelligis videlicet quemquam licet imbecillum, ac bellicis laboribus minimè assuetum referri in album Christi Ducis, & fieri inexpugnabilem; vt mirum videri non debeat, si statim, & ab aduersarijs timeatur, & quālibet queat inferre hostilibus copijs cladem, atque interneeionem.

Christi sponsa terribilis hostibus.

Consule P. Didacum de Baeza tom. 2. comment. moral. in Euang. histor. lib. 6. cap.1.§.28.& tom.4.lib.16.cap.3, §.5.





EVANGELIVM

Secundum Matthæum.



CAPVT QVINTVM.

1 VIDENS autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cum
2 sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os
3 suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam
4 ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi
5 possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi conso-
6 labuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quo-
7 niam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi
8 misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum vide-
9 bunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem
10 patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis
11 cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum
12 aduersum vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces
vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante
13 vos. Vos estis sal terræ Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum va-
14 let vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux
15 mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. neque accendunt lu-
cernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus,
16 qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera
17 vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quo-
18 niam veni soluere legem, aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen
quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex
19 non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis
istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui
20 autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Dico enim
vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Phari-
21 sæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum est antiquis:
22 Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia
omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, ra-
23 ca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo

offers

offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet ali-
24 *quid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius recon-*
25 *ciliari fratri tuo. & tunc veniens offeres munus tuum. Esto consentiens aduer-*
sario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, &
26 *iudex tradat te ministro. & in carcerem mittaris? Amen dico tibi, non exies in-*
27 *de, donec reddas nouissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis:*
28 *Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad*
29 *concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quòd si oculus tuus*
dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat
vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.
30 *Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & proijce abs te: expedit*
enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat
31 *in gehennam. Dictum est autem: Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei li-*
32 *bellum repudij. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit vxorem suam,*
excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adul-
33 *terat. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis: reddes autem*
34 *Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cæ-*
35 *lum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: ne-*
36 *que per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iurauc-*
37 *ris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo*
38 *vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. Audistis*
39 *quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis,*
non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe
40 *illi & alteram: & ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam*
41 *tollere, dimitte ei & pallium. & quicumque te angariauerit mille passus, vade*
42 *cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auerta-*
43 *ris. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimi-*
44 *cum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui*
45 *oderunt vos: & orate pro persequentibus vos, & calumniantibus vos: vt sitis*
filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & ma-
46 *los, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam*
47 *mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres*
48 *vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo*
vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.



IN CAPVT QVINTVM à num. I. ad III.

Videns autem Iesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens &c.

PARADOXVM I.

Dei seruis difficultates minimè difficiles.



IN iugo prærupti montis sedem figit Seruator doctutus, discipulosque arcana sapientiæ suæ. Mons arduus asperos Christianæ perfectionis saltus adumbrat, sedis opportunitas optatam tempestatem quietem: fortasse, vt intelligamus iter, quod aggredimur Christo Duce, minimè difficultatibus inuium esse, vel laboriosum, sed in ipso cæteroqui inaccesso ærumnarum cliuo maximè le ... abile.

Affero in medium satis dilucidam B. Petri Damiani auctoritatem desumptam ex opusculo 18. dissertatione 3. ad Adelaidem Subalpinorum Ducissam initio c. 1. vbi incly iam hortatur matronam, vt virili constantia Principatus administrandi subeat onus, quod vt suadeat facilius allato exemplo Deboræ, de qua Iud. 4. nu. 5. & 6. dicitur. *Iudicabat populum, ascendebantque ad eam filij Israel in omne iudicium.* Adelaidem compellat; *ad cuius exemplum tu quoque sine virili regis auxilio pondus sustines*; quod pondus paulò post comparat cruci. Tum concludit his verbis. *Et quia Debora interpretatur apis: tu quoque mellifica, & diuinæ laudis dulcedinem in tuis labijs iugiter versa. Quam dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Ita Sanct. loco cit compone, quam diuersa videtur paucis complecti; oneris impositi pondus, proh quam durum; mellis suauitas, ò quàm dulcis: sic se res habet, à quò pondus est grauius, eò dulciori nectare perfunduntur amici Dei.

Propterea crediderim, seruos Dei à S. Bernardo illis verbis fuisse monitos. *Delectationes non perdimus, sed mutamus, de corpore ad animam, à sensibus ad conscientiam.* Ita Sanct. de vita solitaria non multò ante med. quod ipsum examinate diligentius voluisse visus est magnus Leo, inquiens *Si se ipsum sibi rationalis homo compararet, omnesq. suorum actuū qualitates vera inspectione dijudicet, numquid in intimis sua conscientia hoc delectationis inueniet de iniquitate cōmissa, quod de æquitate seruata? Non sinit ratio, vt in cordibus non vsquequaque captiuis, ita placeat sanata ira, vt remissa vindicta, aut tantum generent gaudium mala quæsita de alieno, quantum bona expensa de proprio.* Ita Sanct. ser. 8. de Ieiun. sept. mens. paulò post med. aberrat profectò quā longissimè à veritate, qui à virtutis tramite pedem refert, difficultatis obiectæ timore perculsus, cum nulla planè durities sit viæ inuiæ gradiēti cū Christo. Quocirca aiebat S. Gregorius, *Vnaquaque sancta actio, quasi quædā nobis fit latitudo itineris, quæ prius erat angustia difficultatis.* Ita Sanct. hom. 18. in Ezech. lege apud Isidorū epist. 89. lib. 2. & disces, tantum pollere virtutem, vt inaccessa, & inuia plana reddatur, & obuia.

Interea quid hac in re sentiam, facilius explicabo, recitatis ijs, quæ de fonte Solis refert Plin. his verbis: *in Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, & circa meridiem maximè frigidus: mox paulatim tepescens ad noctis mediam feruore, & amaritudine infestatur.* hęc c. 103. lib. 2. nat. hist. circa med. Christianę doctrinę praxim fontē si dixero, habeo in prōptu oraculū Seruatoris Io. 4. n. 14. *fiet in eo fons aqua.* Vide nū dici queat fons Solis, est etiā iustitiæ Sol dator huiusmodi fontis, iā verò ne dixeris humanam excedere fidem eū, qui pronunciat difficultates Dei seruis minimè difficiles, nempe qui aquam haurit meridiano tempore feruidæ integritatis, dulcem sentit, & frigidā; væ autem ei, qui caliginosæ noctis tenebris errorum suorum consepultus viuit, hic enimuerò amaram experietur, & calidam. Porrò quærenti obuiam adeo esse virtutem, vt qui cæteroqui aspera esset, blanda videatur Hesiodi re- stan-

ſtantur carmina allata, & laudata à Magno Baſilio hom. de legendis lib. Gentilium paulo ante medium.

S. Baſil.

Virtus quærenti facilis.

Virtutis iter poſuere remotum.
Cælicolæ, durũq. prius, ſed vertice sũmo
Dũ fuerit, planũ ſe offert quærẽtib. illud

Cuius illuſtre, planèque ſydereum exẽplar intueri mihi videor in Euangelica ſtella, de qua Matth. 2. nu. 9. *ecce ſtella, quam viderant in Oriente antecedebat eos:* nimirum obtulit ſe conſpiciendam Religioſis Principibus, quia eam velis, remiſque quæſierant: nec me pœnitet ſtellam huiuſmodi virtutis nomine donauiſſe, cũ legerim apud S. Bernardum ſerm. 27. in Cant. paulo poſt med. *Ergo virtus eſt Sydus.* Vtique ſydus, quod quærenti præſtò ſit. At ſi fortè aliquis difficultatem obijciat, quam nexu pluſquam adamantino virtuti coniunctam, & experimento diſcimus, & auctoritate Philonis Iudæi docemur lib. enim de creat. Prin. aliquãto poſt initium ait: *contendentes ad virtutis faſtigium, rem pulcherrimam, ſed eamdem difficillimam, ac proinde a vulgo voluptati poſthabitam.* Viam hanc ſuis paſsibus terunt continuò ſerui Dei; quo igitur pacto fieri poteſt, vt nihil percipiant aſperitatis, difficultatis nihil? reſpondebo breuiſſimè; facit id, qui omnia impetrat, poteſt omnia Amor.

Matth. 2.

Virtus, ſtella.

Philo.

Virtutis difficultas.

Quod in præſenti nemo fæliciùs explicare poteſt, quàm ipſe Philo, qui lib. de ſomnijs poſt med. conſiderata Iacobi promiſſione, *erit mihi Dominus in Deum,* auream concludit ſententiam: mirum quippe non immeritò videri poteſt huiuſmodi promiſſionis genus. Numquid enim ante hac ſummam illam bonitatem, quam ea oratione cõpellabat, nequaquam, vt Deũ coluerat Iacob? abſit tanta, vel inſcitia, vel nequitia à viro ſanctiſſimo, ſed ad patefaciendum eximiæ vtilitatis arcanum identidem repetat; *erit mihi Dominus in Deum;* Audi Philonem loco cit. *precatur rem mirificam, vt ei Dominus fiat in Deum, volebat enim non amplius timere, vt Principem, ſed amanter honorare, vt benemeritum.* Neque amplior neque magnificentior promiſſio eſſe potuit. Amicus Dei, vt præclarè teſtetur, nihil aſperum deinceps futurum nihil durum, aſſerit fore, vt in poſterum amanter honoret. En ratio cur Dei ſeruis difficultates, minimè ſunt difficiles, quia ſupremum rerum Dominũ amanter honorant: Iuber id ex adamantino Euangelici Vatis ore percipere, qui cap. 12. per totum pugnantia videtur cõplecti, exaltat enim dulcedinem diuinarũ miſerationum, quia in ſe iratum ſenſerit Dominũ. Ita ſe res habet; miſeretur Deus, cum iraſcitur, & cum vrgere videtur aduerſitatibus amicos, eoſdem dulcedine replet, & leuiſſima ſuauitate complectitur.

Philo.

Iacob promiſſio plena amoris.

Iſa. 12.

Teſtis ſit Deo dilectus Dauid, qui ſuo doctus experimento canebat Pſal. 138. num. 11. *Et dixi forſitan tenebræ conculcabunt me.* En virum ſanctiſſimum calamitatum tenebris preſſum adeò, caligantemq; vt ſpe euadendi cadere videatur. Verũ admodum diuerſus eſt, euentus, & longè aliter ſe res habet, quàm in ſuum induxerat animum ſanctus Vates, ſtatim quippe ſubdit: *Et nox illuminatio mea in delicijs meis nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Percipis ipſas tenebras lumẽ eſſe, nec quicquã ingrati afferre terroris noctẽ calamitatũ, quæ iubẽte Deo leuamẽ parit potius, ac iucũditatẽ. Huiuſmodi noctẽ, fulgẽtiſſima luce micãtẽ prædices, & collimaſti. M. Aurel. Antoninus Heliogabalus (cui ob corruptelas muliebres Sardanapali cognomẽ fuiſſe teſtatur Eutropius lib. 8) cũ ſe tanquã rerũ dominũ magnificè circũſpiceret, molitus eſt nocturnas tenebras in diem vertere, crebriſq luminibus accenſis, quia Solis iubar æquare nõ potuit, eũ quẽ imitabatur, ſplẽdori lõgo proximus interuallo, luminũ patrẽ, tã diſparis cõparatione luminis fecit illuſtriorẽ: nihil tã apertè demõſtrás, quàm ſolius Dei elogiũ eſſe: *ſicut tenebræ eius, ita & lumẽ eius.* Noctẽ inducere videtur Deus, & aduerſitatũ quaſi tenebrarũ horrore cõcutere, quoties paupertate, infirmitatibus, angoribus iuſtos vexat: Tu ne cede malis pro certo habẽs, videri quidẽ primo aſpectu noctẽ, quæ nõ modò ſtatim euaneſcat; ſed dicto citius, inſtar nitidiſſimæ clareſcat lucis. Et denegabis, Dei ſeruis difficultates minimè difficiles? Negas adhuc? Audi Senecam lib. 2. ad Serenum cap. 6. initio ſic aientem: *Non eſt quod dubites, an tollere ſe homo natus, ſupra humana poſſit, an dolores, damna, vlcerationes, vulnera, magnos motus, rerum circa ſe frementium*

Pſal. 138.

Aduerſitates iustis proſperæ.

Heliogabalus cognomento Sardanapalus.

Eutrop.

Seneca.

Sapientiæ iuxta noxium.

tiam securus aspiciat. Quis porrò facilius

A

humanum supra fastigium attollet sese, quæuis incommoda non æquo modò, sed libenti animo ferens, quàm is, cui amico præsto sit patrocinio Deus.

In quam sententiam solida potissimum ratione inducor petita ex visceribus, vt ita dicam, siue ex ipsa natura seruitutis, quam probi viri exhibent rerum omnium parẽti optimo Deo. Huius siquidem germana origo, & Princeps veluti fundamẽtum, est amor, vt paulò superius innuebam, vnde dicebat Christus Dominus Io. 15. cap. 12. *hoc est praeceptum meum vt diligatis inuicem*; ea porrò vis est amoris, vt grata reddat, & facilia, quæ cæteroqui acciderent grauissima.

Io 15.

B

Testis mihi sit Principum decus Cosmus Magnus Hetruriæ Dux, qui vt refert Io. Boterus lib. 1. dictorũ memorab. viror. illust. paulò ante finem, cum semel colloqueretur cum quodam equite, vnum ex infantulis filijs pueriliioco hac, illàc excurrentem, recipientemque sese in Patris amplexus excepisse dicitur ea hilaritate, quæ parentem decebat humanissimum. Infantulus suæ ætatis licentia maximo Principi tradidit aptandã vocalẽ fistulam, & calamum, quem iam inflare nõ poterat, vtpote distortum, ac dissonũ.

Boter.

C

Accepit illico Cosmus, & calamum benè cõpositum pupulo reddidit adblãdienti, quo è paternis amplexibus sese proripiente, equiti, quẽ suo dignabatur alloquio, subridens dixit; præclarè hac occasione mecũ actum fuisse arbitror, cum non perierit adblandiens filiolus, vt calamum inflarẽ; significans eam vim esse paterni amoris, ac beneuolentissimæ charitatis, vt nihil non perficiat, licet cæteroqui arduum, atque indecorum, & quidem prono, ac lubenti animo, dũmodò faciendum ab amato proponatur.

Vis amoris mira.

D

Amor is est, cuius beneficio Dei seruus nihil asperum reputat, durum nihil. Apud Athenæum lib. 12. cap. 2. leges dies festos Amori dicatos appellari à Samijs consueuisse liberales, fortasse ob eam rationem, quia quid quid vel Amore exhibetur, vel ab amore ducit originem fieri nequit, nisi animo liberali, exultantique.

Sanè non aliam agnouit rationẽ S. Ambrosius, cur Dei seruis nihil vnquam accidat arduum adeò, vt eos deterreat; nisi vim amoris. Etenim Commentario in epist. ad Coloss. cap. 3. paulo post med. inuestigans, cur semper alacres, semper inuicti reperiantur, qui seruiunt Deo, ait. *Duce charitate iter ambulant legis; Tota enim mente operatur, qui de amore aliquid facit*. Verum quis vnquam, aut copiosius dixit ad vim amoris explicandam, aut impensius opere perfecit, quam olim D. Paulus, quemadmodum ipsemet testatur ad Romanos scribens cap. 8. à num. 35. vsque ad finem.

Ad Rom. 8. Amor aspera vincit.

Quod cum ita sit, puderet me vti argumento ab inductione petito, quo vsũ fuisse Senecam comperio, qui vt probet, nihili faciendum esse genus quoduis incommodi, viros proponit fortissimos, qui singula æquo animo tolerarunt. Scribens enim ad Lucilium epist. 99. paulo ante finem, ait; *dic tibi, ex istis, quæ terribilia videntur nihil est inuictum. Singula vicere iam multi, ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Fabricius diuitias Imperator reiecit, censor notauit, Tubero paupertatem, & se dignam, & capitolio iudicauit, cum fictilibus in publica cœna vsus, ostendit debere, bis hominem esse contentũ, quibus Dij etiamnũ vterentur. Nos quoque aliquid ex his faciamus.* Hæc ex Seneca; vtinam adessent, qui vt sæpe, ita immeritò conqueruntur de ijs, quæ se in Christiana vita offerunt, incommodis; enumerarem quippe centurias eorum, qui contemptis diuitijs, amata paupertate, delusis tormentis, spreto carcere, & quidquid dirum, vel durum horret humana infirmitas, peramanter excipientes apertissimè demonstrarunt, amanti nequaquam difficiles esse difficultates. Hisce autem attentius consideratis, æquissimè vti possem Senecæ verbis, singulos alloquens, *dic tibi ex istis, quæ terribilia videntur nihil est inuictum, aut certè; nos quoque aliquid ex his faciamus*.

Seneca. Nihil tam arduum quod nõ sit victum.

Monitum memorandum.

Quod si fortè facere prætermiserit, facilè conuinci poterit nullo hunc erga Deũ affici sensu amoris, conuincetur inquam sanctissimorum virorum testimonio fide dignissimo. Primus sit S. Bernardus, serm. 43. in Cantica paulò post initium, vbi explicans illud Canticorũ 1. *Fasciculus Myrrha dilectus meus mihi*, postea quã dixit, *Myrrha amara res, dura, & aspera*; subdit

S. Bern.

Cant. 1.

pau-

A paulò post: *propterea non fasciem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leue præ amore ipsius ducat, quid quid laboris immineat, & doloris.* Similiter magnus Gregorius, vt asserat nihil nobis suauius, aut optabilius contingere posse diuinis præceptis, quod dicitur Cant. 1. *osculetur me osculo oris sui.* interpretatur in hunc modum. *Sancta quippe Ecclesia quot præcepta ex eius prædicatione cognouit, quasi tot oris eius oscula accepit*: ita cap. 20. in fine lib. 14. in cap. 19. Iob. Nihil igitur durum, aut arduum videbitur vnquam amãti, ait enim idem S. Pontifex cap. 2. lib. 5. in 1. Reg. circa med. *quid enim leuius, aut vnquam gratius, quam amor fertur? quid præterea graue non leuiter tolerat, qui amat?* Deficit ab amore, qui de obiectarum difficultatum conqueritur asperitate.

S. Greg.

Can. 1.

Quot præcepta Dei tot oscula.

B

Dulcis amanti dolor.

Illustrabitur huius Paradoxi veritas sãctorum Innocentium considerata cæde, de qua sic loquitur Eusebius Emissenus Homil. de Epiphania Domini paulo ante medium. *Quam fœliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna vita obuiam venit*. Quam lapidè eorũ explicatur sors, quibus pro Deo, difficillima subire contingit, animaduertat præsertim, qui putat dignos cõmiseratione tenellos pupulos, vtpote militum insolentia abreptos ab vberibus matrum, ac miserrimo mortis genere trucidatos; is obsecro pendat, quanto cum lepore dicatur æterna vita obuiam venire Innocentibus pueris. Videlicet, sic se res habet, amicis Dei aspera tolerantibus, non modò non est aspera via conficienda, sed ipsa beatæ vitæ æternitas obuiam venit, adeo vt omni penitus labore Itineris leuentur. Quo circa mirum mihi non videtur, quod legi apud Aelienum lib. 9. caput 11. vbi scribit Parrhasium sine vlla molestia, ac labore in suo opificio versatum esse, in quo quæuis ardua licet, ac difficilia alacri, facilique animo conficiebat, quoniam cantu, & modulatione vocis submissa laborem artis mitigare, leuareque solebat, teste Theophrasto. Hæc mihi memori animo repetenti, venit in mẽtem Dei seruos non semel in sacris litteris ad canendum excitari. Sic Psal. 95. versu 1. & 2. *Cantate Domino canticum nouum: Cantate Domino, & benedicite nomini eius*, & Psal. 97. totidem verbis,

Emiss.

S. Innocentiũ fœlicitas.

C

Aelian.

Parrhasius cãtu leuat laborem.

D

Psal. 95.

Psal. 97.

Cantate Domino canticum nouum, & alibi passim. Fortasse sacrorum voluminum auctor Deus cantum suadet, eum nempe, quo resonante, nullus labor laboriosus est, nulla difficilis difficultas.

Iusti excitãtur ad canendum, & cur.

Multo ingeniosior est ea sententia, qua id ipsum arcano quodam loquendi modo explicat Ecclesiasticus cum cap. 27. n. 12. loquitur in hunc modum: *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol*. Equidem irrequieto cursu nunquam non mouetur Syderum Princeps, quo ergo pacto ad probi viri sapientiam commendandam manere dicitur sicut Sol? Dicatur potius Solis instar fulgere, qui suæ splendore sapientiæ, errorum tenebras expellere prędicetur. Verum si modus loquendi consideretur attentius, cœlesti plenus acumine deprehendetur. Sol enim mouetur ita vt annuo perficiat cursu cœlestium orbium Zonam notissimam, quam appellant Zodiacum, signis distinctam sidereis, omnium sermonibus decantatis. Quamuis autem bianti ore discerpere videatur Leo, Scorpius minari cauda, Aries inuadere cornu, (vt alia omittam) nusquam tamen metu perculsus, ne minimo quidem momento temporis, ab incæpto itinere destitit Sol, quasi verò teneat, nec discerpere posse Leonem, nec inficere Scorpium, & pede percurrenti innoffenso, superni spatia itineris blandimenta esse, quæ videntur meticulosis terriculamenta. Dicatur iam Homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol. Spectatus quippe probitate vir, Solis instar cœlestium orbium terit viam, hoc est, virtutum passibus supra mortalitatis graditur imbecillitatem, adeò vt neque detineatur, neque deterreatur à cursu, aut venenati aspectu Scorpij, aut efferati rabie Leonis, certo certius sciens, quæ vulgo nominantur horrida, nihil præter nomen habere horroris, & nil, excepto aspectu, inesse difficile difficultatibus.

Eccl. 27.

Iustus stat sicut Sol, & cur.

Cuius quidem aptissimum illud, ac notissimum inter naturalia simulacrum efformare voluisse visus est rerum auctor Deus, cuius mentionem facit Plinius lib. 21. Nat. Hist. cap. 6. ipso fine, de Croco inquiens: *Gaudet calcari, & atteri, pereundòque melius prouenit. Ideo iuxta semitas, ac fontes lætissimũ.* Hinc ego manu ducor, ad percipiendum, quid dicere voluerit Ieremias

Plin.

Crocus dum atteritur perficitur.

mias

Thren. 4. mias cum Thren. 4. numero 5. vt paucis complecteretur seruorum Dei fęlicitatem, pronunciauit illos in croceis folitis enutriri: *Qui nutriebantur in croceis*. Fortasse quia sicuti crocus calcari gaudet, & atteri, sicuti pereundo melius prouenit, ita certo veluti deprehenditur signo Dei amicum illum esse cui aduersi ictus, discrimina, aduersitates non nocent modò, sed prosunt, & ea, quibus perire videtur, miro quodam modo reficiunt. Vsque adeo suapte natura difficilia non modò nihil habent difficultatis, sed vtilitatis afferunt plurimum, ac voluptatis.

Iustus croci instar, attritus, melior.

B Gemina, eaque satis vsurpata à magistris benè viuendi, similitudine confirmat Sanctus Bernardus epist. 72. data ad Ramaldum Fusinacensem Abbatem circa medium scribens his verbis: *Libet admirari, quam leue sit onus veritatis. Nam verè leue est, quod portantem non grauat, sed leuat. Quid eo leuius onere, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui portandum imponitur. Huic exonerantis oneri simile occurrit mihi de pennis auium, mirum opus naturæ. Vnde grossescit materia, inde sarcina leuigatur, & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere. Hoc planè in pennis Christi oneris exprimit similitudinem, quod & ipsa ferunt, à quibus feruntur. Quid & de quadriga dicam? Hæc nimirum admota iumento sarcinā, qua ab ipso moueri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit. Onus oneri additur, & minus onerat: Sic, & oneri grauissimo legis, accedens quadriga Euangelij, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit.* Hæc copiosè Bernardus, ex quibus, quod initio percipi non posse videbatur, perspicuum fit, videlicet, Dei seruis minimè difficiles esse difficultates. C

S. Bernard.

Pennæ non grauant aues, sed leuant onere.

Quadriga dum onus addit, leuat onere.

D Videatur P. Didacus de Baeza tom. 3. commentar. moral. in Euang. hist. lib. 14. cap. 16. §. 3.

Videnda sunt quæ afferuntur à P. Didaco de Celada commentario in Iudith cap. 12. à versu 7. vsque ad 13. §. morali 14. cuius argumentum est. Totus ferè operis labor à coactione est: Non videtur laborare, qui spontè laborat, sed qui inuitus, & coactus. Reuocabis etiam ad præsens argumentum plura eorum quæ citatus auctor habet superius capit. 8. à versu 21. vsque ad 27. §. morali 39. vbi demonstrat oportere in ærumnis mentem diuertere à cogitationibus animum excruciantibus, & eam applicare ad sensus dolorem mitigantes.



IN

IN CAPVT QVINTVM
Num. III.

Beati pauperes quoniam ipsorum est Regnum Coelorum.

PARADOXVM II.

Nemo diues nisi Pauper.



Diuitiæ, pars magna humanæ fęlicitatis, & votorum sũma, si despiciuntur, beatum efficiunt. *Beati pauperes.* E contra verò communis hominum fert opinio, stare nullo pacto posse beatitudinem cum paupertate. Neque hæc vulgi solius sententia est, cum ipse met sapientium Coriphæus Aristoteles expressè docuerit lib. Ethicorum ad Nicomacum 1. cap. 8. asserens, *fælicitatem diuitijs indigere.* Cõmunem hunc hominum sensum, cum oraculo Seruatoris, si fortè conciliauero, & meo muneri, & legentium expectationi satis fecisse indicabor. Id porrò præstabo facillimè, si palam fiat, Neminem diuitem esse, nisi pauperem. Et quandoquidem fœlicitas sine diuitijs nequit cõsistere, vt Beatum merito dicamus pauperem, videamus nùm cohæreat veritati, pauperes solummodo vere diuites esse, & diuites inopia laborare.

Pauper, Beatus.

Arist. Nulla sine diuitijs fœlicitas.

Iudæus Philo rationem reddit tus, cur Moses in summo rerum dominatu argentum, & aurum, imo thesauros, vt ipse loquitur, non condiderit, lib. 1. de vita Mosis circa med. ait, *non opes sibi parauit, quamuis posset habere omnium rerum copiam: existimans anima pauperis iudicium esse mirari materiales diuitias.* Itaque omne paupertatis indicium à se amouet, qui diuitijs pessum ire iussis, tunc est maximè diues, cum minus cupit diuitiarum.

Philo.

Iudicium pauperis animi.

A Equidem si quid debet habere ponderis Varronis auctoritas: *diues à diuo dicitur,* vt ex eo aduertit eruditissimus Andreas Tiraquellus cap. 3. de Nobilitate num. 22. dicitur inquam à Diuo, quod, vt Deus (si dicere fas est) nihil indigere videatur; Quot sunt ea, quibus indiget cupidus diuitiarum, Deus immortalis? videlicet ijs omnibus opus habet, quibus inhiat æstu desiderij inflammatus. Quæris iam quale sit huiusmodi desiderium non multis aperiam. Recole, quæ Lucas Euangelista cap. 14. num. 2. & 3. de Hydropico scribit: *Et ecce homo quidam Hydropicus erat,* B *ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legis peritos, & Pharisæos dicens; si licet Sabato curare, at illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit.* De quo in hunc modũ Philosophatur Magnus Greg. *quid est, quod ante Pharisæos domũ Hydropicus curatur; nisi quòd per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis. Hydropicus quippe quo amplius biberit, amplius sitit, & omnis auarus ex potu sitim multiplicat, quia cũ ea quæ appetit, adeptus fuerit ad appetenda alia amplius & amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit.* C Ita lib. 14. in Iob c. 6. in fin. Eũ tu, qui sitim diuitiarum haurit, nouo semper æstu inflammatus Diuitem dices? Ego sanè à D. Bernardi sententia non recedam, apud quem ser. 22. in Cant. paulò post med. leges: *diuites huius sæculi, qui audiunt, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; Non eos æstiment sola cælestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione: possideant & terrena. Non mendicantes, vt miseri, sed vt Domini possidẽtes, eò pro certo magis Domini, quò minus cupidi. Ergo auarus terrena esurit, vt mendicus, fidelis contemnit vt Dominus.* D Vix quicquam congruẽtius dici posse existimo ad probandum cohærere sententiam Aristotelis cum oraculo Seruatoris. Sine diuitijs fęlicitas stare nequit, docebat ille, & simul vera beatitudo pauperum est, Diuinæ fuit effatum sapientiæ. Verum, cum diues mendicus sit, quemadmodum allata consideranti facilè patet, fœlix esse nõ poterit. Rursum Christi pauper, vtpote facultatum, bonorumque Dominus cum habendus sit Diues, vtique Beatus erit.

Varro. Diues vnde dictus.

Tiraquell. Cupidi diuitiarum veri pauperes.

Luca 14.

S. Greg. Diues Hydropico similis.

S. Bernard. Diuitiarũ Dominus Christi pau. est.

Certè

Chryſ.

Chriſti pauper verè diues.

Certe S. Petrus Chryſologus ſer. 54. qui eſt de Zacchæo, finem imponet his verbis: *ſe ipſum ſic dedit Dominum, vt fraudulentas ſæculi diuitias derelinquens, in paupertate Chriſti veras ſæculi diuitias inueniret.* Quo loco cēſeo animaduerſione dignum, nequaquam dixiſſe in paupertate Chriſti veras Cœli, ſed ſæculi diuitias reperiri: fortaſſe vt ſibi conſtare videatur: eodem enim ſermone ſub initium dixerat: *diuitiarum ſeruus, non Dominus eſt auarus: at miſericors tot ſeruos ſe probat habere, quot nummos.* Tu propterea caue, ne cenſeas Chriſti paupertatem indigentia laborare; ſtare nequit cum inopia fœlicitas. Veriſſimè prænunciatum, cui conſentit Philo lib. 1. de vita Moſis aliquanto poſt med. inquiens: *nullam calamitatem eſſe grauiorem inopia.* Porrò nemo, me iudice, qui ſapiat, inopem dicet opum contemptorem. Verum ſi cui fortè, quę dicuntur, ſupra imbecillitatis humanæ captum eſſe videātur, ſi quis percipere ſe nequaquam poſſe tam abdita Chriſtianæ arcana ſapientiæ fateatur; adſit obſecro, & bibulis hauriat auribus quid in hac re Cinicus ſenſerit Philoſophus, de quo mentionem facit Seneca lib. 5. de Beneficijs cap. 4. in fine his verbis *Diogenes per medias Macedonum Gazas nudus inceſſit, calcatis regijs opibus. Non ne ille tunc meritò, & ſibi, & cæteris, quibus ad adipiſcendam veritatem non erat offuſa caligo, ſupra eum eminere viſus eſt, infra quem omnia iacebant? multò potentior, multò locupletior fuit, omnia tunc poſſidente Alexandro. Plus enim erat, quod hic nollet accipere, quàm quod ille poßet dare.* Incorruptum ſanè mentis iudicium, in quo animaduertas velim, quàm verè locupletior Alexandro nūcupetur egenus Diogenes. Simile eſt iudicium quod de Epaminonda fert Aelianus lib. 5. cap. 5. vbi inquit. Epaminondas vnam ſolum habebat veſtem, eamque ſordidam, ſi quando verò eam miſiſſet ad fullonem, ipſe ſe domi continere ob indigentiam alterius cogebatur: In tanta igitur bonorum inopia, cum ei Rex Perſarum magnam vim auri dono miſiſſet, non accepit, ſed reſpuit, & vt mea quidem fert opinio, ditior animo fuit is, qui aurum reiecit, quàm qui dono dedit. His autem in hūc modum conſtitutis, non eſt, cur verborum laborem

Auarus pecuniæ ſeruus.

Philo.

Inopia calamitas maxima.

Seneca.

Diogenes Alexandro ditior.

Aelian.

Epaminondæ paupertas.

A ambagibus ad euincendum, neminem eſſe diuitem, niſi pauperem; eum ſcilicet, qui contemnit opes ſua contentus paupertate.

Porrò cum diues ſit Chriſtiana paupertas, ne latum quidem vnguem aberrabis à veritate, ſi dixeris fœlicitatem diuitijs indigere, & ſimul etiam Chriſti pauperes eſſe beatos. Etenim pro comperto ſemper habebo pauperis nomen cupidis conuenire diuitiarum, nequaquam verò Chriſtianę amatoribus paupertatis. Scribit, vt reliquos in præſentia mittam Cornelius Tacitus lib. 1. Neronem Valerio Meſſallæ Conſuli, qui Coruini Oratoris pronepos B fuit, obtuliſſe in ſingulos annos quingenta ſextertia, quibus paupertatem, & inopiam ſuſtentaret. Quæ ſumma ex computatione Budei in libris de Aſſe, noſtræ pecuniæ eſt duodecim millium, & quingentorum aureorum. Quam ſi qui fortè noſtra ætate poſſiderent, cenſerentur ditiſſimi, & tamen priſcis temporibus Meſſalla paupertate laborare exiſtimabatur. Nimirum, & ea ducti cupiditate, dum in diuitiarum abundantia ſe ſe fatētur inopes, nos inſtruunt, vel inuiti veriſsimè, omnique dubitatione amota, diuitiarum ſectatores, & habendos & prædicandos eſſe C pauperes. Itaque diues eſt Chriſtiana paupertas, pauper cenſus ditiſsimus auarorum. Ex quibus inferre licet, ſi in Chriſti paupertate veræ ſunt diuitiæ, ſi copioſæ facultates, par eſſe, vt ſimus cupidi diuitiarum, dummodò hiſce veris facultatibus inhiemus. Neque verò cum dicimus conuenire maximè oraculum Seruatoris cum cupiditate diuitiarum, pugnantia loqui videbimur ei, qui legerit illud Senecæ lib. de Vita Beata cap. 26. ante med. dicentis: *Sapiens tunc paupertatem præcipuè meditatur, cum in medijs diuitijs conſiſtit.* Li- D cebit igitur, vt reor, dicere, Seruatoris oraculum diuites nominatim alloqui, atque compellare, quia cum decernit beatos eſſe pauperes ſpiritu, videtur velle affectu, votis, deſiderijs in primis colendam eſſe paupertatem, ſeu potius dummodò meditemur ex animo paupertatem, diuitię nobis abijciendæ non ſunt. Meditemur paupertatem, vt noſtra leuentur liberalitate inopes, meditemur paupertatem, vt Deo diuitiarum largitori munificētiſsimo ad grati ſignificationem animi partem facul-

Tacit.

Neronis liberalitas.

Seneca.

Paupertas pendenda ab affectu, non ab inopia rerum.

culta

cultatum præcipuam rependamus. Non itaque renunciare cogimur diuitias sed si congesserimus, laudamur, dummodò simus mente pauperes, siue vt cum Seneca loquar, dummodo *meditemur paupertatẽ*. Vel certè, ne ab eiusdẽ Philosophi auctoritate recedamus: Simus memores eumdem scripsisse: *magnæ diuitiæ sunt lege naturæ composita paupertas*. Quam Epistolam concludit his verbis: *qui cum paupertate benè conuenit, diues est*. Quibus sui muneris admonebat Lucilium.

Pauper, est Diues.

Qui verò adhuc arbitratur affluentem opibus, & facultatibus abundantem, diuitem esse, euoluat cap. 21. lib. 3. Reg. ibique, eo, quod Samariæ Rex cum Nabuthe Israelita fecerit paululum cõsiderato, adeat S. Ambrosium lib. de Nabuthe c. 2. cuius initium est: *quid arbitraris, dum abundas omnibus. O diues nescis quam pauper sis, quàm inops tibi ipsi videaris, qui te diuitem dicis*. Legendum moneo totum caput, cuius ego perbreuem solummodo sententiolam hoc loco attexam, quæ est huiusmodi paulò ante med. *Quis tibi pauper videtur, qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum?* Porrò dum responsum interrogationi tanti viri consentiens meditaris, subijcio Diogenẽ Cinicum facem sapientiæ suæ præferentem. Hunc cum aspexisset Alexander, videris mihi, inquit, indigens rerum quamplurimarum, pete illas à me, & vltrò concedam. At respondit Cinicus extemplo; cui plura deesse videtur ò Imperator tibi, cui ne omnes quidem mundi thesauri satis esse possunt, an mihi, qui nil expeto, nil exopto? Quod eò libentius recito, quò disertius inuenio commemoratum à S. Basilio hom. 24. non multò ante finem his verbis. *Diogenem admirari magnoperè, ac laudare soleo rerum humanarum omnium contemptorem, qui se Rege Alexandro ditiorem paruo contentus ostendit, cum ille proculdubio ad suũ statũ sustinendum pluribus indigeret. Nobis autem si non Bithiæ Misij adsint talenta, & iugera tot terræ, pascuaque, ac greges innumerabiles, nulla satietas est*. Et quod videtur necessariò consequi, si nulla satietas, igitur summa paupertas; siquidem verè, æquè, ac eleganter S. Ambrosius circa med. citati capitis dicebat: *affectus diues egere non nouit. Ideoque diues cupidus in paupertatis querela est*. Non itaque qui opibus abundat, sed cui contingit, vt canebat ille, viuere paruo benè, hic locuples, hic diues censendus est. Quod paulò ante laudatus, laudandus semper Basilius cõfirmat hom. 6. in illud Lucæ cap. 12. paulò post init. ait enim, *Horrea fructuum multitudine granata dirumpebantur, cor autem eius paruum, ac tenax minimè exsaturatum est. Antiquis noua superaddens in hanc inextricabilem incidit mentis inopiã*, Et paulò post *Perque, ac egestate pressus miser affligitur, & eiulat. An non talis inopis edit vocem, qui angustia pressus mendicat? quid faciam? alimenta vnde? vnde indumenta?* Vides inter opes inopem, quod vtinam rarò contingeret. Tandem cum eodem Basilio paulò ante fin. citat. hom. conclude in hos diuites singulos huius sæculi locupletes compellans: *Vnam tantum nosti vocem, non habeo, non dabo. Nam & pauper ego quoque sum. Pauper es profectò pauper, & omnium egẽs bonorum*. Quæ omnia vt dicuntur verissimè, ita sanè mirum non est, si à viro Sanctissimo proferantur.

3. Reg. 21.

S. Ambros. Diuites affluẽs paupertate laborat.

S. Basil. Diogenes quia nullius cupidus, ditior Alexandro.

S. Ambros. Diues de paupertate cõqueritur.

S. Basil. Mentis inopia pauperẽ facit.

Inops inter opes.

Diuites sæculi quomodo se inopes manifestent.

Illud autem meam, vt verum fatear, admirationem sibi vendicat, quod Ethnicus Homo Seneca lib. 1. epist. epist. 2. in fine scribit his verbis. *Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, & fæneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat*. Miror elegans illud plenum acuminis responsum Platonis (cuius fit mentio à Cælio Rhodig. lib. 20. lection. antiq. cap. 24. paulò post init.) volenti nescio cui se dici diuitem; *verum non opulentiæ, inquit, adijciendum, sed cupiditati inexpletæ detrahendum*. Itaque opes opibus congestę nõ faciunt diuitem, sed qui modico contentus viuit, hic verè opulentus est. Quod innuere voluisse visus est Epicurus, vt mox citatus auctor ibidem refert, dum diceret, *si ad naturam viues nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam diues*: Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Igitur exiguum est, quod diuitem facit, non autem redundans bonorum copia. Aristophanes in ea comędia, quæ Plutus inscribitur, facit, eumdem Plutonem diuitiarum Deũ,

Seneca. Diues qui ponit cupiditati modum.

Cælius Rhodig.

Acutum Platonis monitum.

Qui pauper qui diues ex Epicuro.

& qui-

& quidem cæcum; addiderunt huic Aristophanis inuento Spartani, apud quos, & Plutarcus auctor est, seruabatur Pluton Diuitiarum Deus non modò cæcus, sed iacens, immò in modum picturæ inanimatę, atque immobilis; hic enimuerò, si liceret aliquid de meo proferre in medium affirmare minimè dubitarem, cordatum fuisse supra quam dici, aut excogitari queat cōsilium Spartanorum, apud quos non oculatus, sed cæcus, non agilis, & in omnem partem volubilis, sed iacens, atque immobilis visebatur Deus diuitiarum. fortasse, vt intelligentes comprehendamus diuites eos esse, non qui cupidi omnem ditescēdi viam perlustrant, ad lucra semper Argo perspicaciores; sed potius qui omni omnino orbati luce ijs solummodò, quibus donati, & ditati sunt, cupiditate postbabita, perfruuntur vno verbo cæci ad aurum aspiciendum. De auro enim ingeniosè canebat Pindarus.

Plutarc. Pluto Deus olim diuitiarum.

Cur cæcus, & iacens.

A

B

Splendicat perinde, ac noctu ignis.

Pindar. Aurum splendet.

Igitur non modò cæcus esse debebis, vt diues sis, sed præterea iaceas immobilis, hoc est nequaquam anxius hac, illac excurras ad comparandas, augendasque facultates; secus qui faxit ab albo diuitum est expungendus: in hanc sententiam iuisse reperio Manilium lib. 4. Astronomiconscribentem.

C

Manil.

Victuros agimus semper, nec viuimus vnquam,

Pauperiorque bonis quisque est, qui plura requirit,

Nec quod habet numerat tantum, quod non habet optat.

Statuamus itaque, vt ditescas, nequaquā cogere debere, quidquid multi possident locupletes, neque vltra priuatum pecuniæ modum debere te prouehi, non auro tegi, non vestiri purpura, non eò deliciarum, apumque perduci, vt terram marmoribus tegas, sed diues fies, si tantum polleas virtute, vt diuitias calces. Sanè verissimè magnus eloquio, maior imperio S. Leo dicebat, *Semper diues est Christiana Paupertas, nec pauet indigentia laborare, cui donatum est in omnibus rerum dominio omnia possidere.* Possem ex S. Io. Chrysost. inferere quę habet hom. 80. in 17. cap. Io. paulò post med. præcipuè ab illis verbis *pecunias concupiscis, non diuitias*. Et in Psal. 43. aliquantò post init. præcipuè ab illis verbis. *Et ideò dicit Paulus: qui diues est in omnes.*

D

Quibus omissis, antequam finem dicendi faciam, inexhaustum diuitiarum indico thesaurum, vt sine crimine ditescamus. Hunc mihi intra sapientiæ penetralia abditum aperit morum magister optimus VRBANVS PP. VIII. qui & verissimè cecinit, & sapientissimè imperandi maiestatem temperans vrbanitate scribendi.

Sat suo censu sibi diues, extra
Se nihil virtus cupit.

Virtus diues censu suo.

Fiet porrò perspicuum de paupertate peculiari ratione dici posse, quod de virtute generatim pronunciatur, cum dicitur, suo censu diues. Cum enim paupertas parens quædam sit, à qua virtutes reliquæ ducunt originem; asserere non dubitabo, virtutis nomine paupertatem quasi antonumasticè nominari. Sanè Ambrosius rationem redditurus, propter quam tam à S. Matthæo, quàm à S. Luca in censu virtutum primus paupertati locus tribuatur sic loquitur. *Primam benedictionem hanc vterque Euangelista posuit. ordine enim prima est, & parens quadam, generatioque virtutum.* Ita Ambrosius lib. 5. in Lucam cap. 6. statuamus ergo, quod proposuimus illustrandum; Neminem diuitem esse nisi pauperem, quoniam eleganusimè dicitur, & accomodatissimè.

S. Ambros. Virtutum parens paupertas.

Sat suo censu sibi diues, extra
Se nihil virtus cupit.

Videatur P. Franciscus de Mendoza to. 2. in lib. Reg. cap. 8. num. 3. sect. 2. & præsertim num. 6. vbi cupidus diuitiarum, quolibet paupere pauperior demonstratur, & eadem sect. num. 14. circa finem.

Videatur P. Io. Antonius Velasq. to. 2. in epist. ad Philipp. cap. 2. vers. 27. adnot. mor. 1. num. 1.

Insuper videri potest P. Didacus de Baeza tom. 1. comment. in Euang hist. lib. 3. cap. 2. S. 21. & tom. 2. lib. 10. cap. 11. S. 1. eodem tom. lib. 12. cap. 1. S. 5. Nechon sequenti tom. lib. 14. cap. 15. S. 14. & eodem lib. cap. 16. S. 14. eod. tom. lib. 15. c. 9. S. 7.

Præterea videatur P. Cornelius à lapide in epist. ad Timotheum c. 6. ad vers. 6. Est autem quęstus magnus pietas cum sufficientia.

IN-

IN CAPVT QVINTVM Num. X. XI. XII.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: Beati estis cũ maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

PARADOXVM III.

Apprimè intolerabile vnicè amabile.





NIQVA æquo animo ferre arduum plus nimiò, ac perdifficile censet humana imbecilliras. Monet siquidem Sapientium Magister Aristot. lib. mor. 10. cap. 1. sub initium, *quot quot viuunt suopte ingenio iucunda eligunt, fugiunt ea, quæ dolorem afferunt.* Quis igitur non iniucunda modò, sed aspera, sed ærumnosa, sed hostilia iniquo illata animo modestè ferat? quod cum ita sit oportunum pertractandum mihi se præbet argumentum, quod si cedat ex animi sententia, fateri cogemur apprimè intolerabile, vnicè amabile esse iudicandũ. Enimuerò nihil tã acerbum tàm asperum, tàm repugnans est, quod si sapis nõ mitescere possit. Mitescere in quam? Hoc parum est. Dicamus; nil tàm horridum, atque contrarium inueniri potest, quod delectare, & plurimum afferre nequeat iucunditatis.

Aristoteles. Natura refugit iniucunda.

De Anu Atheniensi, testatur Galenus tertio Simpl. 28. longo vsu fecisse sibi cicutæ venenum familiare adeò,

Galen.

A vt paulatim magnam eius copiam sine vllo penitus detrimento hauriret; imò quod videtur admirabilius, eodem veneno vescebatur. Maiorem sine dubio vindicabit sibi admirationem, quod restatum reliquit Auicenna de Napello scribens. Asserit enim, puellam nescio quam à teneris annis venena sine vlla noxa haurire paulatim primum consueuisse, tùm ijsdem quasi delicatis vti cibis frequentius, & copiosiùs longa consuetudine fecisse sibi familiare. Quæ quidem venena fuisse testatur adeò virulenta, ac noxia, vt eius saliua necaret, quam naturæ

Venenis assueti ijsdem vescuntur.

B instinctu bruta animantia attingere refugiebant. Leges hæc apud Andream Cęsalpinum lib. 3 artis Medicæ cap. 6. circa med. ex quibus, sine dementię nota, quis vnquam denegabit gratię, quod cogitur naturę concedere? Certè cap. 11. Act. Apostol. celeberrimum illud è cœlo spectaculum Petro commoráte Ioppe exhibitum, videtur hisce consonare. Venenata quippe, & immunda animantia iubetur Petrus manducare, vt palam fiat seruis Dei contingere, vt quod natura sua apprimè intolerabile esset, vnicè amabile reperiatur. *Ego eram*, loquitur Pe-

Act. 11. Venenata animalia S. Petro commostrata.

C trus cit. cap. à num. 5. & deinceps; *in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs, summissi de cœlo, & venit vsque ad me in quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia. Audiui autem, & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & manduca. Hoc autem factum est per ter: Et recepta sunt omnia rursum in cœlum.* Quę refugisti adhuc, vtpote venenata, & abominanda, iam facilè intelligis obsonia esse sapidissima, & mensę plusquam Regię opipara

D fercula, cælesti manu condita.

Verùm non est cur pluribus petamus ab alijs confirmationem præsentis Paradoxi, cum à nobis ipsis veritatis tam certæ non leuem, minimèque obscuram possimus petere coniecturam. Quot quot in hac eremo mortalitatis, vagamur palantes viatores sumus, iuxta illud Apostoli secunda ad Corinthios cap. 5. n. 6. *scientes quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino.* Præruptum iter, & longum

2. ad Cor. 5.

Vita præsens, via dicitur.

nobis conficiendum est, vt propterea mirum non sit (quod sæpenumerò iter habentibus accidit) si non rarò celsa montium cacumina se præbent eminus spectanda; sed ludibrio oculorum non iugi asperitate. Etenim si propius accesseris, Ita sensim, cliuo fallente, consurges, vt cum minimè putas, senseris ascendisse. Quid stas attonitus, cum cælo minitantia saxa, iter susceptum impedire velle videntur? Accede propius, & quod incutiebat timorem, afferet voluptatem. Propterea fortasse Psal. 118. nu. 1. dicitur *Beati qui ambulant in lege tua Domine*. Si sistis; & desistis ab incæpto itinere, timore correptus, actum est de te, progredi enim non poteris viæ asperitate, (quæ re vera nulla est) deterritus. Vt vitam beatam ducas, nō modò ab omni tristitia alienā, sed quouis bonorum genere abundantem, refertamque delicijs; ambulare satis est. Nisi dicere malis, cum eodem Israelitico Rege, & Vate sāctissimo: illas quibus deterreris angustias, quippe quę tolerari non posse videātur, timores esse nocturnos. *Scuto circundabit te veritas eius non timebis à timore nocturno*, canebat Diuino tactus æstro, & Deo plenus Dauid Psal. 90. nu. 5. Perpendo mirum promissum, quo dicitur, scuto veritatis defendendus esse carus Deo: cur non potius scuto potentiæ, cuius videtur esse proprium munus aduersantium inimicorum timores longiùs propellere, ac propulsare? Verum tribuatur hoc decus veritati potius, quàm potentiæ. Nimirum quibus angimur timores, nocturni sunt, vanæ vmbræ, & puerilia terriculamenta. Non est opus potētia, sed veritate; accede propius, experire quę sint, quæ pertimescis, & quàm non modò aspera, ac difficilia, sed inania penitus, ac nullius momenti sint experientia comprobabit.

Psal. 118.

Psal. 90. Dei patrocinium, scutum veritatis.

Sapiens Telecli responsum.

Propterea Teleclus Rex ad Fratrem, ciues criminantem, quòd asperiùs secum, quàm cum illo se gererent, dixisse perhibetur. *Tu namque iniurias pati nescis.* Ita memoriæ prodidit Plutarcus in apoph. Regum, & Imp. circa med. hinc lacrimæ, hinc angores, & animi cruciatus, non quia aduersa nequeant tolerari, sed quia ea nos pati nescimus: subeamus forti animo, aduersitatem, & sentiemus, non tam asperā esse, quā mens præposterus cōminiscitur.

Plut.

A Ne dè nobis dici queat, quod Prouer. 26. num. 13. de Pigro illo, qui somnia sibi fingebat difficultatum, quemadmodum illis verbis palam fit, *dicit piger, Leo est in via, & Leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo:* Huiusmodi homines pudere deberet memoria repetentes, quod apud Senecam in hunc modum scribentem, legisse me recolo. *Præbeo me non aliter, quàm rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt vndecumque moti sunt, verberare, nec ideo aut loco eam mouent, aut per tot ætates crebro incursu suo consu*B*munt. Assilite, facite impetum ferendo vos, vincam.* Ita libro de vita Beata cap. 27. circa finem. Nobile profectò vincendi genus, ferre æquo animo, quæ non ferenda iudicantur ab imperito vulgo. Vnde Bion Bonysthenites, vt Laertius in eius vita paulo ante med. lib. 4. de vita Philosophorum, dicebat, *magnum malum esse ferre non posse malum.* Feras itaque quod se offert incommodum, & magnum malum desinit esse; imò vero maximum fit bonum.

Prouer. 26.

Palmaris inertia.

Seneca.

Aduersa superantur constantia.

Laer. Mala quo modo non mala.

Neque verò prætermittere debeo, etiā C indicio Ethnicorum, bona facere, & mala pati magni animi esse, ac propterea exoptari maximè debere ab eo, qui sensum aliquem habeat magnanimitatis. *Themistocles, cum ab Atheniensibus vituperaretur, quos sæpius beneficijs, ijsque ingentibus cumularat, tranquillo animo gloriabatur, se Platanis esse persimilem, ad quas tempestate deprehensi confugiunt, sed aduenientente serenitate, illas prætereuntes vellicant, atque discerpunt, ne dum conuitijs prosequntur.* Ita Plutarcus in apoph. Reg. & Imp. paulo ante med. Iniquè ab aduersarijs exciperis, de te passim obloquuntur D ij, quos affecisti muneribus, fac animo forti, magnoque sis, hoc quippe est mentis magnæ. Triobolaris hominis est, aduersam accusare calamitatem, quam subire si noueris, lenem senties, & deridendam, vt Themistocles asserebat, cuius sentētia generosus quisque immoto debet esse animo, adeò vt vellicantibus, ac discerpentibus, non modò iurgijs non respondeat, ac querimonijs; sed etiam præstò sit. Quasi verò vices gratiarū pro accepto munere rependere debeāt ijs, à quibus fue-

Plut. Themistoclis magnanimitas.

fuerunt asperè excepti. Hoc parum est. Errani. Increpantem audio Iacobum Apostolum, cuius sententia si quid voluptatis, ac gaudij percipi potest in ærumnoso hoc exilio mortalitatis, si quid blandum, atque amicum contingere potest, certissimum est id esse; frangi vndatum impetu recurrentium, & vndequaque concuti fluctibus calamitatum. Vnde epist. Iacobi cap. 1. num. 2. legitur. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Pudet me recolentem, qualem se præbuit Aristides, vt mox cit. Plutarcus paulo post commemorat. Cũ enim Athenienses in ipsum testaceis suffragijs, ex Vrbe pellendum esse laborarent, factum lepidè, vt illitteratus homo plenèque rudis testam gerens ad ipsum accesserit, rogans enixè, vt nomen Aristidis in testa ipse describeret; Nouerat vir prudentissimus, quid consilij caperent, quidue in ipsum aduersatij molirentur, ac proinde sereno vultu: *cognoscis nempe Aristidem*, inquit, & cum ignauum caput dixisset, se quidem non cognoscere, sed iusti cognomen molestè ferre; Tacens nomen testæ inscripsit, ac reddidit. O memorandum facinus: nil sanè tam triste, atque acerbum quam bona facere & mala pati; & tamen seruantissimus æqui Aristides, vbi deprehẽdit, se odio haberi, quod benè factis, iusti nomen adeptus erat suis inuisus, causa tam præclara ab Vrbe exterminari, duxit meritò gloriosum. Iam, non quia iniqua sunt, quæ te premunt conqueri debes, imò quia iniqua, æquo animo ferre, & libenti animo tolerare.

Iacob. 1. Secunda proborum aduersitates.

Plu.

Aristidis memoranda moderatio.

Legi apud Ludouicum Viues comentario, in librum 12. de Ciuitate Dei cap. 20. circa finem, Sirenes per tempestatem cantare suauiter cõsueuisse: contra verò lamẽtari sereno Cęlo, ac quieto mari conqueri, quòd nũc immutationem in peius metuerent, tunc verò tranquillitatem sperarent. Ignoro penitus, vtrum hæc respõdeant veritati, illud apud me certissimum est, cum seruis Dei, adeo præclarè agi, cum susquedeque aduersa conflictantur tẽpestate, calamitatibus, & infortunijs huius vitæ iactati, vt suauissimis gratiarum actionũ vocibus, & decãtatis Deo laudibus aëra mulceant. Ex ijs, quę Seneca ad hoc argumentum, de M. Catone disserens aptissimè cõgerit epist. 105. post med. vnum illud accipio paulo ante finem, vbi ait; *eodem, quo repulsus est die in comitio, pila lusit.* Vsque adeo intolerabile qui putãt publicis reijci votis, & conquerũtur de iusta iniurię nota. Discant ludere, & deludere aduersantis impetum calamitatis. Absit, absit longissimè perturbata mens inter hæc aduersa, sed hilari planèque ludenti animo sis. Credo equidem id complexum fuisse Christum Dominum arcanis veluti notis, cum Matthæi 10. num. 16. seruos suos serpentibus iussit esse quàm simillimos. Mirabitur rerum diuinatũ cõtemplator attentius cõsiderans, à serpẽtibus seruorum Dei formam esse sumẽdam. Quid habet virulentum animal & humanę salutis, nõ modò suopte ingenio, sed Dei etiam imperio maximè inimicum, vt legitur Gen. 3. n. 15. quod imitari debeant pij homines, hoc est, Diuinæ deliciæ bonitatis. Vnum ego inueni quod vnicè satisfacere possit huiusmodi dubitationi petitum ab eruditissimo Cælio Rhodigino lib. 15. cap. 25. circa med. vbi asserit Serpẽtem, si semel calamo percutiatur, interire, atque emori. Si iterum repetitis ictibus verberetur reuiuiscere, ac cõfirmari. *Estote sicut Serpentes*, Diuinæ Sapientiæ mortales Cælesti Philosophia imbuentis, oraculum fuit, eritque semper verissimum illud quidem, ac Sapientissimũ, quia non ferenda calamitatũ verbera, quò plura fuerint, quò acerbiora, quò grauiora, atque truculentiora, eò felicius confirmabunt, & vires suppeditabunt potiores, vitamque ipsam gratiæ alacriorem tribuent, atque perenniorem. Quinimò sicuti subita cœli tonitrua, quibus tremefactus resonat aër, frigore concretos Serpentes reuocant in vitam, ita quæ videntur irato Deo, minacia è Cęlo discrimina cõcutere, ac deterrere; frigore noxio torpescentes excitant, & vitalem caritatis calorem penè sopitum, fugientemque fouent, ac reuocant. Igitur Serpentibus meritò conferuntur, ac repræsentantur amici Dei, quibus refugienda cęteroqui, ac reformidanda; gratissima debeant esse, & in primis amanda.

Lud. Viues.

Serenum cãtus aduerso mari.

Seneca.

Catonis lusus in maxima calamitate.

Match. 10.

Iustus Serpẽti similis.

Gen. 3. Serpens homini inimicus.

Cal. Rhod.

Verbera, & tonitrua in vitã reuocant Serpentes.

Patebit id manifestiùs, considerata paululum calamitate omnium, quot quot accidere possunt grauissima, & acerbissima, Morte scilicet, quam supra modum reformidac

midat humana imbecillitas. Hanc etiam, & amabilem reddidit bonitas summi Dei. Moneo legendum cap. 4. lib. 13. S. Augustini de Ciuitate Dei. Vbi quærit, quare absoluti à peccato non eximantur etiam mortis imperio. Sanè mortem peccati pęnam esse nemo nescit. Cur igitur qui peccato absoluitur, peccati pœna tenetur? Quem nodum, non nisi alio proposito nodo soluit Augustinus. Discamus, & nos à viro tãti ingenij, quo pacto clauus clauũ trudat. Verba ipsa subijcio sancti Doctoris cit. cap. post med. *dictum est homini Gen. 2. morieris, si peccaueris. Nunc dicitur Martyri, morere, ne pecces. Quod tunc timendum fuerat, vt non peccaretur; nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei misericordiam, & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit iusti meritum, supplicium peccatoris.* Audi: quod fuerat supplicium, meritum fit. Igitur qui iure supplicium formidabas, & intolerabile arbitrabaris, nunc debes tibi pro merito gratulari: parum est; quã extimescebas veluti inimicam, amplexeris in posterum tanquam beneuolam. Concludit tandem caput, & absoluit quæstionem Augustinus, reddens huius rationem, dum inquit. *Non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit. Sed tantam Deus præstitit gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.* Quod non martyribus solum, sed omnibus Dei amicis contingere certum est; quibus ex animo gratulamur dicentes, præclarè vobiscum agitur, quibus apprimè intolerabile, fit vnicè amabile.

S. August. — Gen. 2. Mors olim supplicium, nunc meritum. — Mors instrumentum vitę.

Notum est, quod de Theodosio Imperatore accepimus. Delectabat hunc Principem mirum in modum, suos amicos aureis, & argenteis confodere iaculis. In eos enim; quos vnicè habebat in amoribus huiusmodi tela iaculabatur. Vnde eo sæculo prouerbio circumferebatur ò quàm bonum, quàm exoptandum, quàm carum est imperatorijs confici sagittis. Imperator sanè nunquam suis fauet impensius, quàm cum vulnera infligit. In hanc sententiam ire videtur Sponsa sanctissima dum in sacro amoris epithalamio de se non tàm cõquæritur, quàm concinit, dicens cap. 5. num. 7. & 9. *vulnerauerunt me: adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectũ meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Amore quid suauius, aut amabilius? vulnere quid intolerabilius? Coniungitur ab amantissima sponsa amor, & vulnus, vt intelligamus, solemne esse supremo cœli terrarumque Imperatori ita cum suis agere, vt cum illis aliquid contingit, quod arduum, atque intolerabile videatur, re ipsa gratum in primis esse comperiatur, & maximè amabile; propterea sancti viri mihi semper visi sunt simillimi Alcinoo, aui notissimæ. Hic summa hyeme, ac tempestate perfrigida, cum bacchantibus ventis quatitur mare, & circumquaque conuoluitur, construit Alcinous sibi nidum, oua virali calore fouet, & pullos suos educit in lucem, obstetricante vt ita dixerim tempestate, quibus pro cuna sunt decumani fluctus insana conspiratione præcipites. Sed quid? mirum dictu est, quo pacto reddita cęlo serenitate, mare placidè cõquiescat, etenim statim atque Alcinous in suũ se recipit nidum, abeunt venti, & cõposito tumultu, coheũt mutuo fędere paulo ante inimicę vndarũ acies: Verius longè, & melius religiosus animus mille tẽpestatibus actus, dum curis conficitur, & angoribus, si voluat cogitationes pias, & consilia coquat secundum cor Dei, cõiunget sine dubio, vt quæ cruciabant animã, leuent solatio; & tempestate in malaciam permutata, fœcunditate bonorum operum fiat amica quies, & gratissima statio, atque tutissima, quæ inimica, & non ferenda cõcussio videbatur. Quis ignoret genus quoddã balsami reperiri, quod ab arbore non educitur, nisi cortex perfodiatur, ac laceretur. Quantò magis molestijs discerpitur, qui plantatus in domo Domini, gratiarum aquis cęlo delapsis vberrimè reuirescit; vt longè, latèque odorem spargat suauitatis, discerpatur curis, & angoribus dilaceretur, necesse est. Vt hinc pateat mutas etiam arbores certissimo comprobare suffragio, nihil tam amabile esse, quàm quod videtur maximè intolerabile.

Theodosius aureas iaciebat sagittas. — Can. 5. — Sponsa vulnera alanguet amore. — Pius inter ad. ... Alcinoo simulis. — Arbor balsami lacerata odorem edit.

Sanè pertinaci, diuturnoque labore, hominis animus fatigatur adeò, vt lassescat. Quis autem labor excogitari potest asperior eo, quo frangimur; dum in comparanda virtute operam collocamus.

Virtutem posuere Dij sudore parandam,

in

Gen. 2. In ore omnium est, etiam eorum qui ne- A nesciunt probo viro ad defatigationē vsque laborandum esse, vt deliciarum hortum, hoc est virtutum semper vernantium seruet amœnitatem Deo suo; iuxta illud Genesis cap. 2. num. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Si Paradisus voluptatis est, cur eius incola destinatur ad opus. Quo pacto conueniunt eum labore deliciæ? Crediderim hoc loco tamquā in tabula poni ob oculos, vitam Iustorum, vel quia eorum labor deliciosus, vel quia deliciæ laboriosæ. Rectius: vt intelligamus, omnem amicorum B Dei laborem quanrumuis arduum, atque molestum, longè maiori compensari iucūditate. neque me pœniter horti fecisse mētionem, cum legam apud S. Gregorium lib. 5. in 1. Reg. cap. vlt. paulo ante finem.

S. Greg.

Corda sanctorum Horti Dei. *Qui enim sunt horti superni Sponsi, nisi corda sanctorum?* Planè horti, quorum cultura nil habet laboris, nisi plenissimum voluptatis, vt hinc pateat huiusmodi hominibus nihil contingere asperum, & intolerabile, quod apprimè amabile non experiantur. Vidit id Seneca moralium Philosophorum Sapientissimus lib. de vita Beata cap. 9. circa med. scribens his verbis: C

Seneca.

Voluptas virtutis accessio. *Sicut in aruo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum operis insumptum est: aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit; Sic voluptas, non est merces, nec causa virtutis, sed accessio. Nec quia delectat, placet, sed quia placet, delectat;* Esto sudoribus comparanda sit virtus, sit quærenda laboribus, apprimè tamen amabilis est, quæ semper secum habet voluptatis accessionem.

Ergo si ipsis aluntur venenis, si scuto veritatis propugnantur, si verberibus & D tonitruis reuocantur in vitam, si viæ asperitatibus recreantur, si fœcundi sunt bonis operibus, si percussi diffundunt odorem eximij probitate viri; imò si istis dulcem laborem, si mortem ipsam non supplicium, sed meritum esse, atque instrumētum vitæ cognoscimus liquidò, an non verissimè dictum est? Apprimè intolerabile, vnicè amabile.

Vide P. Didacum de Celada commentatio in Iudith cap. 16. à versu 9. vsque ad 18. §. morali 11. cuius argumentum est: In acerbiore calamitate deliciatur Iustus lętitia Beatitudinis æmula. Imò superius eodem capite S. morali 8. demonstrauerat, functas Iustorum calamitates præ gloriæ fœlicitate penè beatis cælitum glorijs esse pares.

Leuitas, & breuitas tribulationum huius vitæ declaratur à P. Cornelio à Lapide comment. in 2. epist. ad Corint. cap. 4. in expositione versus 17. Id enim quod in præsenti est momentaneum, leue tribulationis nostræ.

Consulat præterea qui vult P. Benedictum Fernandinum tom. 1. in Gen. cap. 14. sect. 7. num. 3. & eundem tom. 2. in Gen. cap. 31. sect. 1. num. 10.

Hoc idem argumentum illustrabis copiosius lectis ijs, quæ afferuntur à P. Didaco de Baeza tom. 3. comment. moral. in Euang. historiam lib. 14. c. 21. §. 2. cuius argumentum est: Si mundi ęrumnę, earumque fines penderentur, non tristitiam, sed gaudium parient. Et §. 4. eiusdem cap. vbi dicitur. Viro Iusto nulla tribulatio non vtilis, & conueniens est.



IN CAPVT QVINTVM à Num. III. ad XII.

Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniã ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiã: quoniã ipsi saturabuntur. Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deũ videbunt. Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cũ maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersũ vos mentientes propter me: gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in coelis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

PARADOXVM IV.

Pictoris partes agit qui Sanctus est.

Nissen. Christus pingẽdi magister.



INGENDI magistrum se exhibet hoc loco Christus Dominus sãctissimus idem, ac sapiẽtissimus humanæ salutis reparator, si S. Gregorio Nisseno credimus; qui lib. 1. de Beatitudinibus cap. 1. ait *Quasi pingendo singula, quæ pertinent* A *ad beatitudinem sermone describit*, & ait; *Beati pauperes spiritu, Beati qui lugent, &c.* Quod cum ita se habeat, & earum partium futurum intelligo, & spondeo me lectorum expectationi facturum satis, in præsentia demonstrando præstantis virtute viri esse in excolendo animo non modò pictoris artificium imitari, sed planè neminem omnino sanctum esse, qui pictoris partes non agat, aut quod idem est, non gerat personam pictoris. ita autem vagabitur oratio, vt duos intra limites circumscribatur. Siuè enim opus consideres; siuè spectes perfectionem operis, quod præ B manibus habent, qui virtutibus dant operam; fateberis pictoris personam, & partes agere eum, qui morum integritate præcellit.

Et sanè si à consideratione operis sumere libeat exordium dicendi (vt primo loco de eo verba faciamus, quod primo loco propositum est) patebit apertè opus, quod præ manibus habet vir probus, dum pietatem impensè colit, opus esse pictoris. Hoc eò libentius affirmo, quò certius manu ducor ab ingeniosissimo Philone, à quo Mosis virtutem hoc planè elogio legimus cõmendatam lib. 1. de vita Mosis circa med. C vbi hæc habet. *Se ipsum quoque suamque quasi tabulam elegantissimè pictam proposuit spectandam, Diuinum opus imitandũque posteris: felices qui has figuras suis animis imprimunt, aut certè student exprimere.* En summa laus, qua par est præcellere hominem pium, quem decet esse tanquam tabulam elegantissimè pictam. planè fœlices, qui has figuras suis animis imprimunt, aut certè student exprimere. Opportunum erit, ni fallor, hoc loco memorare ad exornandos homines vitæ sanctimonia præcelientes, breue quidem, sed accomodatum elogium S. Pet. Chrysologi D à Telmanno relatum in allegorijs ad c. 31. prouerbiorũ vbi dicitur: *Innocentia radiat, castitate fulget, pingitur moribus, micat sanctitatis incessu.* Intellige quid dicere velim, cum aio sanctum virũ pictoris partes agere. Honesti mores pigmenta sunt, quibus innocentis animæ tabula elegantissimè decorãtur. Ergo vt pingas moribus animum, radios innocẽtiæ exprime, ac benè compto niteas fulgore castitatis. Et hęc fortasse fuit Pauli sententia scribentis in hunc modum ad Rom. 8. nu. 29 *Quos præsciuit,*

Philo.

Mosis virtus, quasi picta tabula.

Telman. Morum picturæ.

Ad Rom. 8.

Propositā imitatur imaginē qui sanctus est.

sciuit, & prædestinauit conformes fieri ima- A *gini filij sui*. Nota, quæ sint partes eorum, quorum lans à sanctitate petenda est. Nēpe debent in primis conformare se imagini filij Dei; Porrò expressum exēplar propositæ sibi imagini conformari pictoris opus est, vt nemo non videt.

Hæc autem adeò expressa sunt, ac manifesta ad firmandum propositum, vt ethnicorum hominum testimonia non egeam. Possem siquidem proferre pro me Romanę Pıncipem eloquentię M. Tulium Ciceronem, qui, vt animaduertit S. Augustinus lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 21. circa med. nō alia ratione explicare nouit proborum cōditionem hominum, quàm petita à pingendi magistris similitudine; sic enim habet lib. 5. de Republica non longè ab initio

Cicero. S. August.

Respublica Romana instar picturæ.

Nostra verò ætas, cum Rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescētem vetustate, non modò eam coloribus ijsdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne quidem curauit, vt forma saltem eius, & extrema tanquàm lineamenta seruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit, (ille, nempe Ennius Poëta, cuius versum paulo superius citauerat

Moribus antiquis res stat Romana virisque) C

rem stare, sequuntur verba Augustini, *romanam, quos ita obliuione obsoletos videmus, vt non modò non colantur, sed etiam ignorentur.* Hęc ex Augustino. Haberem pręterea in promptu quod scribit Plutarcus in vita Arati non multo ante finē, vbi vt explicet Philippum (cui Aratus eximię vir solertię à consilijs erat) vt explicet, inquam, Philippum Macèdonię Regem filio magno nō minorem, principem ab Achęis omniū omnino suffragijs delectū, summa cū laude imperiū administrasse, sic habet. *Videbatur Aratus Regij imperij bonus esse* D *magister, cuius ingenium, & consilia tāquā color quidam in actionibus Regis elucescebant.* Eximius profectò virtutis color, & benè facti elucescat pigmentum, vt non oculos modò breui voluptate, sed animos sincera veritate detineat. Cura propterea, vt in tuis moribus Christianæ pietatis nitor resplendeat, atque vt in te ipso omnibus absolutam numeris imaginem exprimas sanctitatis; nullus planè sit, quod aiebat ille, sine linea dies. Quod eò confiden-

Plut. Philippus electus Princeps ab Achæis.

Principis summa laus, sequi consilia.

A tius moneo, quò certius scio in hanc luisse sententiam, & loquendi modo fere eodē vsum fuisse S. Bernardum serm. 83. in Cāt. non multò post initium, vbi leges. *Curet naturæ ingenuitatem*, virum alloquitur Christianæ perfectionis studiosum, *vitæ honestate seruare, imò cæleste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum, affectuumque venustare, & decorare coloribus.* Breuius quidem, sed fortasse non minus accomodatè Ennodius primùm Diaconus, tum Episcopus Ticinensis, vt Epiphanij laudes in arctum colligeret scribens eius vitam inquit: *Pinge-* B *bat actibus paginam, quam legisset.*

S. Ber.

Colores sanctitatis.

Ennod.

Patebit porrò clarius quod præ manibus est, studium videlicet sanctioris vitæ opus esse pictoris, si eiusdem operis originem retraxamus. Scio Scriptores antiquitatis ambigere de picturæ origine, quibus quis auctor pingendi fuerit non liquet. Vnde Plinius lib. 7. natural. histor. cap. 56. paulo ante finem hæc habet. *Gyges Lydius picturam in Aegypto:* (subaudi inchoauit) *in Græcia verò Euchir Dædali cognatus, vt Aristoteli placet: vt Theophrasto, Polignotus Athenienfis*. huc vsque Plinius. C Ex quo patet incertum esse, quis nam artem pingendi primus inuenerit. Hanc nobis dubitationem adimit in re præsenti melicus Ambrosius, cui si credimus, pingendi saculratis, quam proponimus, Deus ipse auctor, & magister, imò si fas est dicere, faber est. *Virtutibus imago Dei acquiritur* (sic loquitur Ambrosius lib. de bo mortis cap. 5. paulo post Initium) *ideo qui nos pinxit quasi auctor, pinxit virtutum coloribus. Ecce, inquit ad Ierusalem, pinxi muros tuos. Isa. 49. Non detergamus penicillo negligentiæ depicta anima nostra muralia*. Et ne quis arbitretur obiter id à D Sancto Antistite dictum, consulat eundem lib. 6. Hexameron cap. 7. non multò ante finem, vbi eodem Isaiæ loco allato subdit: *Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum, gratiam renitentem, splendoremque pietatis*. Iam autem sensim fine sensu venimus ad illud, quod secundo loco proposuimus examinandum, nimirum quantæ perfectionis sit opus de quo loquimur; erit namq; absolutissimæ, ac præstantissimæ opus illud, cuius Deus ipse auctor est. Id igitur primo loco statuendum

Plin. Auctor picturæ ignoratur.

S. Ambros. Virtutibus quasi coloribus pingitur mens.

Isa. 49.

sectatorem virtutis habere præ manibus opus dignũ auctore Deo. Neque hic possum silentio premere, quod plurimum addet luminis argumento proposito, prolatũ à sapientissimo Socrate apud Platonem lib. 6 de Repub. vbi eximios viros Reipublicæ Principes, ac moderatores ait diuinos esse pictores, qui pulcherrimam integritatis imaginem suis moribus continẽter expoliant. De quo argumento copiosè disserit Plato docens hominum esse eximiorum, probarum virtutum coloribus pulchrè illuminare tabulam mentis, adeo vt simulacrum vitæ efficiant apprimè insigne, ac nitidissimum. Quæ cum exciperet attentus is, qui cum Socrate introducitur interlocutor, Adimantus nomine, exclamat verissimè nisi fallor; *O speciosissimam, nobilissimamque picturam*. Quę speciosè de prophanæ Reipublicæ Principibus prędicantur, longè accomodatius dicenda sunt de præcipuis in omni Christianę laudis, & pietatis religiosę viris, quorum est viuis diuinarum virtutum coloribus simulacrum in suis mentibus exprimere probitatis. Vlterius ne progrediaris nisi seriò statuas sanctioris vitæ opus, quod perficiunt serui Dei, dum mente concipitur, nihil mediocre cogitandum esse, sed eximium nescio quid, pręstans, homine maius, vno verbo diuinum.

Plato.

Integritas pictura nobilissima.

Socratis, & Platonis de probitate iudiciũ.

Apud Thebanos, si Aelianum lib. 4. cap. 4. legere libuerit, comperies fuisse lege sancitum, vt pictores imaginum formas quàm elegantissimè exprimerent, atque ad viuum repręsentarent desumpta ad vnguẽ similitudine; adeo vt ij, qui deterius pinxissent pœna certa, eaque graui iudicum sentẽtia mulctarentur. Quasi verò non sine crimine, eoque palmari ab imperitis ea exerceretur ars, cuius opus necessariò debeat egregium esse, & humana conditione præcelsius. licebit interea intelligere, quo consilio diuinarum in terris legumlator sapientissimus Christus Dominus mandauerit fidelibus. *Estote perfecti sicut, & pater vester cœlestis perfectus est*; vt habetur Matthæi cap 5. n. 48. Arduum quippe, & supra humanas vires iudicabit non nemo, hominem suis moribus ad viuum exprimere perfectionem Dei. Verum meminerit is Christianam perfectionem pictoris opus esse, hoc est A eius artificis, qui vel optimè exprimat necesse est quidquid coloribus repræsentandum suscipit, vel pœna mulctatus desistat ab opere. Quod mihi quidem eò magis arridet, quò expressius in præsenti capite, vt dicebam initio ex Nisseno Gregorio pingendi magistrum se præbet Christus Dominus. Par igitur fuit vt caput absolueret monito pictoribus accommodato. Quod cum ita se habeat quis non intelligat quantum laboris, diligentiæ, conatus requiratur vt opus huiusmodi Deo auctore dignum planè diuinum cum laude absoluatur. Id cursim attingere & leuiter B indicare mens est, nequaquam declarare per partes, allata Magni Basilij similitudine, quæ licet nequaquam petatur à pingendi magistris; ducitur tamen ab officina tinctorum. Sic autem habet hom. de legẽdis libris Gentilium: aliquantò post initium. *Velut enim fullones, ac tinctores, qui medicamentis quibusdam rem tingendam præparant, atque ita demum colorem quẽ cupiunt, siue purpureum, siue aliquem alium inducunt, sic & nos si gloria pulchritudinis vitæ huius, quam tantopere laudamus illita nobis mansura sit, nisi prius pur*-C*gati*. Aureum monitum. Infectoris partes agis, quisquis melioris vitæ percipiendis rudimentis operam ponis. Id porrò non vnius, alteriusue diei est opus, sed multorum annorum & laboris improbi. Vt caritatis induas purpuram, vel alium cuiusuis colorem virtutis purgandus animus est, atque assiduo pertinacique studio præparandus.

Aelian.

Thebanorum de pictoribus plectendis lex.

Matth. 5.

Damnata in pictura mediocritas.

S. Basil.

Nouus color magno cum labore inducitur.

Verum non video cur egredi debeamus ab officina pictorũ, vt cognoscamus quantam requirit in Artifice diligentiam opus, quod adumbramus, & cõmendamus. Itaque vt eodem reuertatur oratio, si tamen D digressa est; compone simul dictum Magni Basilij cum historia, quam recitat M. Tullius, vt clarius mea in re præsenti sententia pateat. Effatum autem S. Basilij erit omnino idem, atque illud S. Antonij Abbatis, qui, vt eius vitæ Scriptores asserunt, dicere solebat, Dei seruum non secus ac apes ad conficiendum mel, è pluribus libant humorem floribus eadem inquam ratione Dei seruum quàmplurium habere debere præ oculis exempla, quæ imitetur; adeo vt ab vno demissionem,

Apem in Ecclesia.

esti-

catitatem ab alio, in ferendis aduersia cōstantiam ab isto, ab illo percipiat mentia integritatem: vno verbo quæ sparguntur in omnes diuisa, nullam non prætermittat diligentiam vt teneat collecta. S. Basilij sermone de abdicatione, siue renunciatione sæculi istiua, & spirituali perfectione paulo ante finem ea suot verba. *Eorum, quos rectè, atque ex virtute videris viuere, æmulator esto, & institutorum vitæ, actionum exempla descripta in animum tuum transferto.* Hoc monito memoriæ mandato, excipe iam quid de Zeusi scriptum reliquerit M. Tullius lib. 2. Rhetoricæ oouæ, siuè de inuentione ipso præfationis initio. Crotoniatæ Zeusim, qui tum longè cæteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio adhibuerunt conductum, ij autem templum Iunonis picturis locupletari volebant; Zeusia Helenæ se pingere velle simulacrum dixit, & illicò quæsiuit ab his quasnam Virgines formosas baberent, rogauitque vt ex istis formosissimæ præferrentur dum pingeret. Tū Crotoniatæ publico de consilio Virgioea locum in vnū conduxerunt, & pictori quaa vellet eligendi potestatē dederunt. ille autem quinque Virgines delegit quòd eius essent iudicio probatæ, qui pulchritudinis habere verissimum iudicium debuisset. Neque enim putauit etiam quæ quæreret ad venustatem vno in corpore se reperire posse. Idem omnino ab eodem Zeusi factum fuisse, cum Agrigentinis tabulā depinxit, quam in templo Iunonis Laciniæ publicè dicarent, testis est Plinius in fine cap. 9. lib. 35. Non est, me iudice, cur pluribus vtar in præsentia: me quippe dicentem lectorum ingenia præcurrunt, cum longè fœlitiùs percipiant, quàm ego oratione prosequi possim, pingendi magistrū in eam gratiam à me Dei seruum hoc loco nuocupari; quia intelligere debet fieri nequaquam posse, vt vltimam imponat manum suę mentis tabulę ęternitatis tēplo inferendę, nisi in eo laboret vt viria multiplici virtutum genere pręcellentibus, tanquam pro exemplari propositis, à singulis optima quęque diligentissimo studio percepta perpoliat. Adeò vt cęlestis sponsus non immeritò dicere possit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* vt habetur Cant. 4. n. 7. Porrò absoluta numeris omnibus pulchritudo quęnam sit à Seneca declaratur, cum lepidissimè, & accomodatissimè more suo scribena epistola 33. circa medium inquit: *Non est formosa mulier, cuius brachium, aut crus laudatur; sed illa, cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit.* Non poterat pulchriua pulchritudo describi: vt hinc discere possis suo muneri oequaquam facere satis eum, qui vnius aut alterius virtutis obducto colore pulchritudinis, quę germaoa sit, comendationem affectet. Colorentur verecundia genę; modestia oculi sint spectabiles; caritatis rosę honestatis lilijs emicent iunctę; singularum, oe longum faciam, virtutum emineat decus, vt sua cuique sit laua, eaque talia, quę spectaculo venustatis defixos detineat spectatores. Atque vt cęleste resonet meios: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Memori tene pectore: *Non est formosa, cuius brachium, aut crus laudatur, sed illa, cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit.*

Et quando diligentia, quę requiritur ad conficiendum opua, ipsius operia declarat perfectionem; videamus quanto studio sit opus, quantaque diligentia requiratur in eo, quem rudibus saltem rudimentis adumbramus pingendi magistro. Apud Plinium lib. 35. cap. 10. aliquantò post initium leges, Apellem, cum Protogenis opua immensi laboris, ac curę, supra modum anxiè, admirationis magnitudine detentus contemplaretur, dixisse, omoia sibi cum illo paria esse, aut illo meliora; sed voo à Protogene superari Apellem, quod maoum ille è tabula nesciret tollere. Ergo pręstantem faciunt, & extra controuersiá comendandum in hac facultate, assidua diligentia, cura sollicita, labor immensus. Vide quę tuę sint partes, cum certò scias te lōgè verius dicere posse, quàm olim ille, *æternitati pingo.* Viuet, vigebitque quandiu vitam babebunt Sapientium monumenta litterarum, quod de Theodosio iuniore Arcadij, & Eudoxiæ filio oon tam Imperio Orientis quadraginta annorum spatio fœliciter administrato, quàm Christianæ Religionis, ac veræ studio pietatis celeberrimo, à veterū annalibus traditum legi apud P. Nicolaū

Cau-

S. Basil.
Plurium imitāda virtus.
M. Tull.
Helenæ figuū.
Zeusis industria.
Plinius.
Absolutæ norma perfectionis.
Cant. 4.
Quæ debeat haberi pulchra.
Iusti anima tota pulchra.
Plinius.
Apellis de Protogene sententia.

Caussin. Caussinum eruditione & eloquentia præstantem virum, in ea narratione, quæ inscribitur: Pietas fortunata, aliquanto ante medium. Tantus Princeps certum sibi seponebat tempus diebus singulis, quo ad vitam sanctissimè, ac religiosissimè tradu. cendam, pingendi facultatem exercebat, exprimebatque penniciıllo, è sacris voluminibus peritas historias. Insuper cum domesticis repetebat crebrò, videri sibi pingendi facultatem conferre plurimum ad virtutum fastigium obtinendum. I nunc & nega idem fermè esse tractare colores, & formare mores. Mihi certè cultura morum, pictura est animarum, & quantum animo complector, immortalê ornat imaginem, qui mentem virtutum coloribus exornat. Vt propterea eleganter non minus, quàm verè proborum hominum conatus quibus in via Dei nituntur proficere, nuncupare debeamus eum Eusebio Emisseno hom. de S. Maximo paulo post initium. *Pigmenta virtutum*. Pigmentis hisce diebus singulis adhibitis, nunquam intermisso studio effinges, proposito diuinarum scripturarum exemplari, non peritoris in tabula coloribus, vt Theodosius, sed ductis immortalibus in animo lineamentis quidquid sacra volumina complectuntur, quidquid supernè è cœlis delapsum in terras, vel oraculo Prophetarum, vel Euangelistarum historijs, vel concionibus Apostolorum, vel voce Filij Dei ad imbuẽdos pietate mortalium animos hactenus est declaratum, feliciter assequeris.

Theodosius pingendi studiosus.

Emiss. Virtutes pigmenta.

Sequor ego interea enucleatius demonstrare quod proposui illustrandum. Id inuenio adumbratum libro Esther cap. 1. vbi vt declarẽtur Assuero Rege ditissimo lautitiæ ac diuitiæ dignę; dicitur Assuerus proceribus, ac principibus viris epulas præbuisse omni deliciarum genere abundantes. Et ne quid desiderari posset, describuntur aurei, & argentei lectuli, quibus discumbebant conuiuę: pauimentum insuper describitur smaragdino, & pario stratum lapide, sed quod præcipuè notandum moneo, leges his verbis num. 6. eiusdem capitis: *Quod mira varietate pictura decorabat.* Quasi verò parùm fuisset argenti, auri, pretiosorum lapidum fecisse mentionem ad exagerandam Regis opulentissimi magnificentiam, nisi etiam collatum à pi-

Esther. 1. Assueri deliciæ.

Expressa pictura mentio.

A ctura ornamentum memoraretur. Celeberrimo hoc Assueri conuiuio lautitias adumbrari, quibus à Deo Rege summo excipiuntur Iusti, vel cum cęlestis gratię pascũtur nectare in hac heremo mortalitatis, vel cum beatitatis in sinu Diuum accumbunt epulis, certius est, quàm à me dici queat. Sanè quid præ cęteris consequantur amici Dei, Deus ipse aperit Apocalypsis 3. num. 20. inquiens: *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Perpendo quid requirat tanti Regis conui-

Quid adumbretur hisce deliciis.

Iustorum cum Deo cœna.

B uium. Non exigit modò pauimentum pario stratum lapide, hoc est solidas virtutes, non solum aureos, & argenteos lectulos, hoc est, caritatem, & puritatem, sed prętetea picturę decor desideratur. Ergo demissio animi vmbras adumbret huius picturę, rubrum repræsentet verecundia, candorem mentis integritas assequatur, pompam colorum explicent probitatis exempla vbique exhibita: demum sandaracham inducat moderata quędam circumscriptio affectionum. Quod apud me eò est certiùs, quò manifestius recogno-

C sco in templo illo Ierosolymitano Deo architectanse fabrefacto. Etenim inter illa, quę de eo ad miraculum vsque suspiciẽda narrautur, picturę sunt, quæ non memorantur modò, sed dicuntur etiam prominentes, perindeacsi inter cęteras domus Dei ornamenta incurrere prius in oculos, principem obtinere locum, vno verbo prominere debeant picturæ. Vnde cap. 6. lib. 3. Reg. num. 29. leges: *Et fecit picturas varias, quasi prominentes de pariete*. Templum Dei Iustus est, iuxta Apostolum 2. ad Cor. 6. num. 16. *Vos enim estis templum Dei viui: sicut dicit Deus: Quoniam inha-*

Præcipuũ Domus Dei ornamentum.

3. Reg. 6.

2. ad Cor. 6. Iustus templũ Dei.

D *bitabo in illis; & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*. Pat est igitur vt picturis vndique niteat elegantissimis.

Vnum mihi superesse video quod prætermittere non debeo, videlicet vt ijs, quę generatim dicta sunt hactenus apertiùs, & disertiùs declaratis, quasi digito commostretur quanti operis hoc opus sit, & quantæ perfectionis ea perfectio, quam in virtutis germanæ sectatore desideramus. Hoc vt libenter, ita expeditè faciam, allato

in

in medium quod habetur Ieremiæ cap. 4. num. 30. vbi Dominus sub figura mulieris adulteræ refellendam à se, ac reijciendam esse Ierusalem profitetur. Interea verò, quæ nominatim recenset, frustra omnino, ac penitus sine fructu à destitura, ac derelicta Ierusalem facienda, vnum est pingere oculos. sic enim leges citato cap. 4. num. 30. *Tu autem vastata quid facies? Cum vestieris te coccino, & ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris*. Dicet aliquis, quare frustra? quare oleum, & operam perdere dicenda est ea anima, quæ summam adhibet diligentiam, vt se exornet, ac placeat Deo suo? Dabit responsum sacrarum litterarum peritissimus Hieronymus, qui in hunc Ieremiæ locum sic habet. *Pinxeris oculos stibio, id est, habueris studium mysteriorum, & Dei secreta noscendi; frustra componeris*. Hactenus Hieronymus. Quasi verò irritus sit labor, & omnino sine fructu conatus eorum, qui putant picturam, de qua loquimur efformare solo studio, ac notione mysteriorum Dei; requiritur insuper opus ipsum, & profectò inania sunt vota, & pro nihilo habentur cogitationes, & desideria, audite viri desideriorum, nisi re ipsa cogitata perficiantur. Vide quæso quid sit, pictorem agere: Id proculdubio non assequeris si oculos tantummodò stibio linias; Etenim par, imò necesse est vt non oculos modò colores, sed totam perficias tabulam, à qua manum subducere nefas ducas christianus Apelles. Vnde apud Ecclesiasticum cap. 38. n. 28. vt pateat, quę sint partes huius pingendi magistri, de quo verba facimus, Dei ipsius iudicio comendandi, dicitur: *Cor suum dabit in similitudinem picturæ*. Quod genus laudis istud sit, si percontersa, respondebo laudem huiusmodi præstantissimam omnino esse, si mox laudato, laudando nunquam satis S. Hieronymo autes præbeamus dicenti: *Cor in Scripturis sanctis pro sensu, & anima debemus accipere*. Ita citato capite circa medium. Habes qui probentur Deo laudatore pingendi magistri; videlicet non ij, qui probitatem forinsecus mentiuntur oculis stibio illitis, vt Ieremias lamentabatur; sed qui cor suum dant in similitudinem picturæ: illi scilicet qui sensum omnem, & animæ facultates singulas virtutum pigmentis concinnant, & ornant.

Ierem. 4. Dei inimicus frustra laborat.

S. Hieronym.

Frustra laborat qui solum oculos pingit.

Ecclesiast. 38.

S. Hieron.

Cor quid significet.

Cum ergo quæ sint sanctorum hominũ partes, qui virtutum studio dant operam, doceant pingendi magistri, siue opus istorum, siue perfectionem ac diligentiam, quam in absoluendis operibus consideremus; patebit luce clarius salutare monitum esse, & consentaneum veritati cum initio dicebamus: Pictoris partes agit, qui Sanctus est.

Videat, qui vult P. Didacum de Baeza tom. 3. comment. moralium in Euangelicam historiam lib. 14. cap. 2. §. 8. euius titulus est: Christus Dominus non perfectè habetur nisi per plurium Sanctorum imitationem. Videat etiam eodem tomo libri sequentis cap. 1. §. 17. vbi dicitur iustus homo multiplici virtutum studere debere veritati.

Insuper videatur Isidorus Pelusiota lib. epist. epist. 403.



IN

IN CAPVT QVINTVM Num. XIII.

Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

PARADOXVM V.

Nemo improbus amicus.



Nouum profert è sinu Patris in terram delapsa diuina Sapientia amicitiæ emblema, cum videatur sibi velle ad repræsentandam amicorum necessitudinem, sal esse depingendum. Probè teneo, quod ex Democrito scribit Pierius Valerianus lib. 54. Hieroglyphicorum ipso fine, vbi tradit, amicitiæ signum describere qui voluerit omnium aptissimum; debere coronam myrteam malis punicis intextam subijcere oculis intuentium. Amant enim se inuicem, & myrtus, & punica tantoperè, vt etiam aliquantò procul positæ radices, mutuò se complicare dicantur. Hæc, inquam, probè teneo, verumtamen obmutescat humana, vbi diuina loquitur Sapientia, dicamusque denuo: sal amicitiæ symbolum esse quemadmodum, & sacrarum litterarum monumenta testantur, & ratio ipsa suadet *Sal fœderis*, dicitur diuino oraculo cap. 2. Leuitici num. 13. vel quia sicuti sale diutius corpora conseruãtur, ita fœdere mutuo amici animi perseuerant, atque cõiunctissimi, vel quia quemadmodum ex aquis multis, & fusilibus in vnum quoddam, ac solidum cöit sal, ita ex diuerso conuenientes in vnum animi coalescunt. Vnde apud antiquos in more positum fuisse mox citatus Pierius lib. 31. Hieroglyphicorũ aliquantò ante finem ait hospitibus, ante alios cibos opponere sal, quo amicitiæ firmitas, A ac perseuerantia significabatur, vnde etiã ominosum ducebant, si fortè sal in mensa profundi contigisset.

Pier. Val. Symbolũ amicitiæ myrtus cum malis punicis.

Sal amicitiæ symbolum.

Leuitic. 2.

Pier. Val. Sal ante cibos hospitibus apponebatur.

Sed ista missa fiant, & in Seruatoris oraculo persistamus, suos alloquentis discipulos, dicentisque: *vos estis sal terræ*. Quod dum attentiùs meditor in eam facilè venio sententiam, indicari nobis, hoc loco Dei seruos solummodò esse veræ, ac germanæ amicitiæ spirantia simulacra: qualia scilicet expressit Hieronymus epist. ad Paulinum data his verbis initio: *vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non* B *subdola, & palpans adulatio, sed Dei timor conciliat*. Ita est, neque alio consistit glutino, quàm Christi vera amicitia, nec eam conciliat, nisi timor Dei. Quod si in præsenti probauero, consequetur necessariò, improbos ab amicorum numero eradendos.

S. Hier. Vera amicitia ex timore Dei.

Atque vt ab ipsis hostibus Dei, & quod inde consequens est veritatis, quod propono comprobetur; audite loquentes apud Philonem Arabes, seu Madianæas in hunc modum. *Videtis immensam Hebræorum multitudinem, eamque munitam egregiè consensu, atque concordia, vt autem* C *sint vnanimes, facit communis vnius Dei religio, à qua ceu fonte nascitur indissolubilis amicitia*. Ita lib. de fortitudine non multo ante finem: veri Dei tollatur religio, omnia necessitudinia iura pessundari, necesse est. *Non habet mundus*, audi magnum Leonem Vaticano è solio declamantem, *amicitias veras, & multos facit peruersos amore concordes. Sunt enim in vitijs pares animi, & similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum*. Ita ser. 6. de Nat. Domini circa finem: notatu dignum, quod licet videantur concordes, D licet pares animo, non tamen amici censendi sunt. Cuius rei ratio aptissima mihi videtur, quæ affertur à S. Cypriano. *Amici enim habendi, qui*, vt ipse loquitur, *copulati sacramento vnanimitatis fuerint*. Ita lib. 1. epist. epist. 3. non multo post initium: Sacramento vnanimitatis; vt insinuet coniunctionem animarum, amicitiam nequaquam esse, nisi sacro vinculo colligatur. Quod ipsum explanatum inuenio à Beato Petro Damiano huiusmodi similitudine. *Quo pacto amare credantur*, qui

Philo. Indissolubilis amicitia, quæ.

S. Leo. Mundus caret veris amicis.

S. Cypr. Amicitia Sacramentum vnanimitatis.

B. Petr. Damian.

qui capsas, vt ita loquar, corporum diligunt, sed animarum aurum, quod in eis reconditur non attendunt? habemus quippe iuxta Apostolum thesaurum in vasis fictilibus. Nimirum hoc dumtaxat amplectuntur, quod vermes deuorant in sepulchris, illud vesanè despiciunt, cui immarcescibilis gloria seruatur in cælis. Ita epist. 9. lib. 7. epist. quæ est ad Reginam Galliæ circa medium.

Improborum amicitia quare falsa.

Hunc amicitiæ amorem inter probos tantummodò stare posse fatebitur, quisquis Aristotelis Principis Peripateticorũ euoluerit attenta consideratione cap. 3. lib. 7. moral. Eudemiorum, vbi inuestigat. Quænam amicitia sit, & in hunc modum decernit, circa med. cap. *multæ amicitiæ species sunt, cum alia ob virtutem, alia ob vtilitatem, alia ob iucunditatem oriri dicatur*: harum primam asserit esse inter probos; secundam verò, & tertiam improborum; has tamen ab amicorum albo expungendas probat hoc pacto: mali malos, cum ob vtilitatem, tum ob iucunditatem amant, neque tamen amicos fatemur, quippe quòd prauus iniuriam grauem inferat; quod amicitiæ legibus repugnat, & in fine cap. concludit. *Superest igitur, vt prima tantum amicitia vocetur*: mihi Aristotelica ratio rem liquidò demonstrat; quo enim pacto datam fidem amico seruabit infidus Deo. Quapropter cum improbi amici nomen affectant deludendi sunt cum S. Bernardo, dicendumque de illis. *Conciliant inter se inimicissimas amicitias, & parum consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes, & Pilatus.* Ita serm. 24. in Cant. paulò ante med. quisquis illatis Deo iniurijs amici vsurpas appellationem, moribus nimium discrepas ab amicitiæ legibus sacrosanctis.

Arist. — Diuersa amicitiarum genera. — Vera amicitia. — S. Bern. — Impiorũ amicitiæ inimicissimæ.

Non me piget hic inserere viros sapientissimos, & antiquis temporibus maxima veneratione habitos iniuisse inter se arctissimæ fœdus necessitudinis, non ex alio capite, nisi quia studio compari ad virtutis fastigium contendebant. Fuit id Platonicæ scholæ axioma non relatum modò, sed illustratum exemplis ab eruditissimo viro Cælio Rhodigino lib. 23. lectionum antiq. cap. 4. à medio ad finem in hunc ferè modum. *De amicitia verò hic illud ex Platonicis subijciamus scholis: amicos censeri eos, qui studio compari ad virtutem contendant, studioque mutuo festinent ad animi cultum. Proinde sic collige, cultum animi, Dei ipsius esse cultum: amicitiam verò, cum duorum consensu ad capessendum animi cultum connitatur, nil esse aliud omnino, quàm duorum animorum summam, euigilatamque in Deo colendo concordiam. Vnde trium cooritur beneuolentia, quando hominibus duobus ita affectis tertius accedit amator Deus, qui amicitiæ indissolubilis est nodus, custosque perpetuus. Qua sanè ratio admiranda Zoroastro veterum Theologorum Principi Arimaspum conciliauit, Aesculapinum Mercurio. Orpheo Musæum, Pythagoræ Aglaophemum, Platoni Dionem prius, mox & Xenocratem.* Hucusque Rhodiginus ex Platone, cui si subiunxeris Aristotelem, hoc est, magistro, cognomento diuino, discipulum non imparem, firmioris sine dubio ponderis habebitur ratiocinatio, præsertim composita Aristotelis sententia cum oraculo Ieremiæ. Ille lib. 8. mor. Nichomac. cap. 3. post med. vt statuat quod sit amicitiæ genus probatissimum, ait esse illud, quod firmum, ac stabile diutissimè permanet; neque alio nomine (vt patet citatum caput legenti) videtur Philosophus veram à ficta amicitia secernere, quàm à constantia, ac firmitate. Iam audi Ieremiam s. Thren. num. 8. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*: Impij peccato seruiunt, & quod hinc consequitur, necessariò instabiles sũt: igitur inter istos nullo pacto potest intercedere necessitudo.

Cæl. Rhodig. — Qui iniere amicitiam studio virtutis. — Nota germanæ amicitiæ, constantia. — Thren. 1. — Peccatores inconstantes.

Inflicta, Deo iudice, pœna Serpenti explicatur Gen. 5. his verbis. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*: videlicet, qui captauerat sibi blandis promissis mulieris beneuolentiam, supplicio illo ante omnia damnari debuit, quo scelesti amicitiæ vtilitatibus spoliati, subeunt incommoda, simultatum. Ecce pro affectata amicitia falsa, vera inimicitia, eo planè loquendi modo, quo vtebatur S. Augustinus cum diceret; *eadem tecum*

Gen. 5.

iniquitatis catena ligatus amicus tuus, potius inimicus tuus, & suus. Ita ser. 16. in Matth. non multò post med. Huiusmodi ego fictitios amicos, seu potius cadauera amicitiæ si alloquerer, B. Petri Damiani verba vsurparē, quàm libentissimè opusc. 18. disertat. 2. c. 7. paulò post med. contra clericos intemperantes dicentis. *Veniat inter vos sancta discordia, qua suscitet, & accendat in vobis salutaris odij fomitem & odiosam Deo violet caritatem.* Inter Philosophos sapientissimus Seneca lib. 7. de beneficijs cap. 11. exponit præclarum illud responsum, datum à Demetrio, Cæsari. Amplum miserat donatium Imperator Demetrio, quod vbi primum is inspexit, despexit magnanimo contemptu. *Si tentare*, inquiens, *me constituerat, toto illi fui experiendus Imperio.* Quo in hunc modum narrato statim sequenti cap. 12. ipso initio proponit num aliquid Sapienti donare liceat. Enimuerò cum Demetrius sapientis personam referens non modò despicere, sed egrè ferre videatur oblatū munus, dubitari non immeritò potest, nū æquum sit munera sapienti offerre. Decernit tamen Seneca, & prudentissimè à Demetrio Cæsaris munera fuisse reiecta, tum quia sapiens omnia possidet, tum quia incorruptus eius animus nullo pacto debet diuitijs violari: & simul etiam statuit, munera sapienti non nisi à sapiente offerri posse, quia communia omnia facit lex amicitię, quæ solum inter sapientes intercedere potest. Verba Senecæ: *Sapienti ergo donari aliquid potest, etiamsi sapientis omnia sunt. Nihil probibet, cum omnia amicis dicamus esse communia, aliquid amico donari. Primum omnium iam efficiam, vt quisquis est iste, qui me in societatem vocat, sciat se nihil mecum habere commune. Quare? quia hoc consortium solùm inter Sapientes est, inter quos amicitia est.* Retineant mente Senecæ monitum, & doctrinam, qui amicitias affectant. Si fortè quispiam insinuare se in beneuolentiam munusculis quęrat, si fortè timore Dei, qui vera sapientia est, careat: respuatur constanti animo, ac refellatur, eaque vsurpemus, mox ex Seneca recitata: *sciat se nihil mecum habere commune. Quare? quia hoc consortium solùm inter Sapientes est, inter quos amicitia est.*

B. Pet. Dam.

Quæ caritas Deo odiosa.

Dona Cæsaris a Demetrio reijciuntur.

Seneca.

Quæ dona reijcere debeat sapiens, & cur.

Confer obsecro S. Ambrosij sentētiam, quam lib. 3. de officijs cap. vltimo paulò post medium pronunciauit, inquiens: *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus.* Cum eo, quod scribit Io. Boterus libro 2. dictor. memor. viror. illust. initio, & concludes, non posse improbum amicum esse, neque inter improbos amicitiam reperiri. Ariadenus diuturno, & acri bello, nihil non molitus fuerat, vt arcem debellaret à Ferdinando Hispaniarum Rege extructam munificentissimè. Verùm cum oleum & operam perdere se animaduerteret, eum à Martino de Varga mira fortitudine defenderetur, meditabatur iam pedem ab acie referre, & receptui canere Turcharum Imperator; cum nescio quis Christianæ desertor fidei criminosissimus clanculum, & per insidias Martinum prodidit, & arcem tradidit Ariadeno, qui insperata tumidus victoria statim atque arcem tenuit, ante omnia sententiam capitis tulit in proditorem, pronuncians amicum esse non posse eum, qui Deo suo esset infidus. Adeò certum est destrui amicitiam ab impietate. Propterea dicamus cum Augustino serm. 256. de tempore, qui habetur tom. 10. cap. 2. initio. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut vt sit in illo. Hæc est vera dilectio: propter aliud si nos diligimus, oderimus potius quàm diligimus.* Aut certè dicamus cum D. Ambrosio Commentario in cap. 21. Apocalypsis, non multo ante finem, qui habetur tom. 5. vbi sic habet; *sunt multi fingentes se esse amicos, suis callidis suasionibus ad quadam flagitia perpetranda pertrahunt. Quos cum in aliquod scelus, veluti in foueam alicuius peccati præcipitauerint, contra eos versi atrociùs, quàm cæteri persequuntur; & qui videbantur amici, quod fuerint pessimi inimici comprobatur.* Aut certè cum eodem Comment. in c. 2. Apocalipsis paulò post init. exclamemus; *ò infelix amicitia, quæ illum, quem diligit diabolo tradit.*

S. Ambros.

Infidus Deo, nulli amicus.

Boter.

Ariadeni sententia in proditorem.

Impietas destruit amicitiā.

S. August.

Ficta dilectio verum est odiū.

S. Ambros.

Scęlesti amici sunt pessimi inimici.

Vnū è multis, quæ in hanc sententiam scripsit verissimè, & elegantissimè M. Tullius

Cicero. lius Cicero, non possum non attingere saltem cursim. *Omnium*, inquit ille lib. 1. de finibus bonorum, & malorum, *rerum, quas ad beatè viuendum sapientia comparauit, nihil est maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius*. Quanto in errore versantur, qui ita viuunt, vt videantur sibi persuadere amicitiam, nequaquam à sapientia, sed à nequitia comparari. Audiant isti oraculum Dei, ore Ecclesiastici cap. 6. num. 16. ita loquentis: *amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis*. Fortasse à medicamento ducitur metaphora, vt intelligatur germanæ oumeros amicitiæ expleri solum ab eo, qui se præbeat probis moribus, & pia institutione viuendi contra tabificam scelerum contagionem anthidotum, atque medicamentum.

Sapientia, origo amicitiæ.

Eccles. 6.

Ingeniosa dubitatio est, quam proponit, & soluit D. Io. Chrysostomus tom. 5. hom. 1. de incompræhensibili Dei natura contra Anomoeos paulò ante finem, vbi examinat mandatum illud Christi Domini dicentis Matth. 5. num. 29. *quod si oculus tuus dexter scandelizat te, erue eum, & proijce abs te*. Interrogat Chrysostomus, cur oculus dexter nominatim, non verò sinister dicitur eruendus, & abijciendus? certè, & sinister oculus animum potest inficere, mentemque inanibus, ac noxijs imaginibus deprauare. *Si sinister relinquetur*, loquitur Chrysostomus, *non minus scandelizare te poterit, sed adiungit dexterum: quo ostendat præstare, si quem amicum habeas, etiam carum, perinde ac tuum oculum, eum quoque reijcere, & à tua præcidere familiaritate, si modò animæ noceat. Ergo si detrimentosa sint amicitiæ, resiliamus, & fugiamus*.

D. Io. Chrys.

Matth. 5.

Cur oculus dexter dicitur eruendus.

Plura ad id confirmandum videri possunt apud P. Ioannem Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philippenses c. 1. vers. 8. adnot. 1. per totam.

Alia paris elegantiæ, & ingenij affert P. Didacus de Baeza tom. 3. comment. moral. in Euang. histor. lib. 14. c. 20. §. 17. cuius argumentum est. Dei amicitiam vt consequaris, proximorum te debes præbere amicum, videatur P. Franciscus de Mendoza tom. 2. in lib. primum Regum c. 6. Annotat. 21. circa litteram sect. 2. n. 9.

Nonnulla etiam ad hoc argumentum accomodata leges apud P. Benedictum Fernandium tom. 3. in Genesim cap. 33. sect. 8 num. 12. necnon cap. 49. eiusdem tomi sect. 6. num. 4.

Præterea multa inuenies ad rem propositam firmandam apud P. Paulum Shetlogum in Cant. Canticorum Salomonis Vestigatione 17. in c. primum vers. 14. in illa verba. *Ecce tu pulchra es amica mea*, sect. 3. cuius argumentum est: Infida amicitiæ ratio est, quæ sodalis præsentiam tantum obseruat: ad profanas dissoluendas amicitias optimum remedium separatio.

Scire qui velit, quæ sint germanæ amicitiæ partes consulat P. Ludouicum Cresolium in suo mystag. lib. 4. cap. 24. sect. 1.



IN CAPVT QVINTVM à num. XIV. ad XVII.

Vos estis lux mundi. Non potest Ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

PARADOXVM VI.

Amica societas lucis, & tenebrarum.





ADVERSATVR apertissimè proposito à nobis Paradoxo Doctoris gentiū auctoritas disertissima, dū 2. ad Corinth. c. 6. nu. 14. scribit, *qua enim participatio Iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Igitur tanta inter lucem, & tenebras pugna est, quanta inter Sanctitatis patrem, & principem improbitatis. Hæc equidem noui dudum; veruntamen, bona cum lectorum venia, contendā demonstrare, amicam adeò lucis, & tenebrarum societatem, vt tenebræ ipsæ luci beneficium afferant singulare. Hęc porro licet à communi hominū sensu abhorrens assertio videatur, non mea tamen, sed Philonis Iudæi sententia est. Commemorans enim, quod habetur Exodi 3. nu. 2. de Rubo igne correpto, non tamen consumpto,

2. ad Cor. 6.

Exodi 3.

A docet repræsentari Rubo Dei amicos, oppressos iniuria, flamma verò exprimi oppressores, tum subdit hæc verba. *Nec absumitur ignis voracis natura, imò conseruatur etiam; adeò nihil amittens, vt nitesceret etiam.* Ita lib. 1. de vita Mosis ali. quantò post init. Vt vides inter obscuras aduersitatis tenebras non modò non obruitur iustus, sed potius illustri nitore splēdescit. In quo liceat meum animi sensum afferre in medium; proferam autem, si interrogare licuerit, cur iusti splendor lumine micantis flammæ repręsentetur? An non satius fuisset mutuato à solo lumine B illum repręsentare, cuius animus ex Gregorio Nazianzeno orat. 19. lux est, & quidem splendentissima? imò S. Dionysius Areopagita epist. 10. Dei amicos appellaret Euangelij soles, & quidem radijs clarissima luce fulgentibus. Cur igitur nobis trahimur ab ingeniosissimo Philone micanti flammę comparari? crediderim, quia ea flāmę cōditio est, vt micet clariùs beneficio tenebrarū. Ea quippe, quę bono Solis in lumine euanescit, ac propemodū oculos fugit, circūfusis vndique tenebrarum voluminibus enitescit. Propterea C istos ego, vt eiusdem Philonis loco citato verbis vtar, in hunc modum compellabo. *Cum maximè vastare videbimini, tunc maximè enitebit vestra gloria.* Irrumpite itaque aduersantiū calamitatum tenebrę in hominem piū, inuadite nocturni ęrumnarum horrores; vndequaque Iustum obducite, vt is nitidior oculos alliciat intuentium, flammę instar.

Rubus Mosis emblema iusti viri.

Nazian.

Iustus Sol. Areopag.

Iustus flammæ potius, quàm Soli comparandus, & cur.

Philo.

Iustus splendidior inter tenebras aduersitatum.

Detur mihi obsecro locus in rē meam interpretandi quod de Pericle memorat Magnus Basil. hom. de legēdis lib. Gentilium circa med. his verbis. *Homo quidā in foro Periclem probris omnibus incessebat: is D autē minimè curare visus, toto ferè die sustinuit. Deinde vesperi eum discedentem cū lumine comitatus est.* Hucusque Basilius. In quo gesto perpēdo officij genus è multis, quibus inimici animum rabidū, atque efferatum sibi deuincire potuisset Pericles, memoratū potissimum à Basilio fuisse delectum. Mea quidem sententia, vt ignato homini, planèque rudi, naturam virtutis palam faceret; cuius est inter aduersa, lucis instar micare, & ita quidē, vt ingruentibus tenebris, & elucescat clariùs, & eius splen-

S. Basil.

Pericles facem præfert inimico.

splendor accidat opportunior. Placuit mihi semper, quod Thomas Morus, fidei vir incorruptæ lib. 2. Vtopiensium testatum reliquit. Apud hos, ait, in more positum fuisse portare ante Episcopos loco baculi pastoralis cereum, adeò vt quàcumque Antistes incesserit, solemni pompa Cereus præeat. Symbolum profectò fatebitur ingeniosissimum, qui secum animo voluat præstantem virtute virum (qualem sine dubio decet esse Antistitem) par esse, vt alijs luceat, ea tamē ratione, qua Cereus, cuius lumen, vt meridiana luce hebescit, ita tenebrarum adminiculo videtur splendidius coruscare. Huc reuocari iubeo in præsentia, quod scripsit Pierius Valerianus lib. 44. Hieroglyphycor. aliquâtò post init. de Persis, quos asserit indicare consueuisse Solis symbolo eum, penès quem summa esset maiestas Imperij. Nos verò rectiùs sine dubio, & sapientiùs summos viros, hoc est probitate præstantes, nequaquam Principis luminum thesauro lucis, sed Cerei lumine; cum eam esse contendamus conditionem virtutis, vt non solum luceat, verùm etiam, vt ita dicam, ad augumentum splendoris tenebrarum confluentium adminiculum, & quasi subsidium adamare quodammodò videatur.

Thom. Morus.

Qu. Antistites pro pastorali, cereo vtantur, &c.

Pier. Valer.

Sol Principem repræsentat.

In ore omnium est plenissimum illud diuinæ promissum beneuolentiæ, quo bonorum largitor Deus pollicetur fore, vt tali complectatur patrocinio iustos, vt eos foueat, atque tueatur pupillæ instar. Vnde de Zachariæ cap. 2. num. 8. legimus, *qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.* Ampla profectò sponsio, & me iudice, arcanum nescio quid, & memorabile complectens. Etenim perbellè sine dubio, siue ad stellarum decus augendum, siue ad diuinorum ornatum oculorum dixisse compertio Stobęum lib. 1. Eglogarum Physicarum: stellas esse Deorum oculos. Huiusmodi autem tam ingenioso dicendi genere manu ducor ad exaggerandum, & diuinæ ingenium bonitatis, & ad Iustorum decus exornandum, meritò diuini pupillā oculi nuncupari eos, quos stellarum fulgore & perspicimus, & suspicimus splendescentes. Sanè non alio commendationis genere exornata fuit virtute præstantissima Agnes Imperatrix à B. Petro Damiano in hunc modum scribente, vt de-

Zachar. 2. Iusti pupillæ Dei.

Stobæus. Stellæ oculi Deorum.

B. Petr. Dam.

A clararet, quantum Agnes Roma absens detrimentum afferret profectui Christianę pietatis. *In vestri planè recessus absentia, maret Roma. B. Petri luget Ecclesia, & tota per Sanctos viros, ac mulieres lamentatur Italia. Tu siquidem, velut aureum sydus terrenam quærentium videbaris illustrare caliginem; atque ad Deum prouocans, micantis exempli refundebas, te sequentibus claritatem*, ita epist. 8. lib. 7. epist. circa med. consentit, & in eandem sententiam venit libētissimè S. Gregorius lib. 17. moral. cap. 10. non longè ab initio, inquiens; *quid per stellas nisi singulorum* B *benè viuentium anima designatur, qui inter prauorum hominum conuersationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent. Vnde per Paulum quoque discipulis dicitur: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Similia habet lib. 32. moral. cap. 12. paulo post med. vt intereà omittam, neque eloquentia, neque dignitate, aut sanctitate minorem Magnum Leonem ser. 3. de Epiphania in fine, Sanctos viros syderibus comparantem, cum sit in promptu oraculum Danielis cap. 12. nu. 3. qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas C æternitates.

Iustus terreni sydus.

S. Gregor.

Iusti stellæ, & cur.

S. Leo. *Daniel 12.*

Splendida sunt hæc, & sine dubio ampla satis ad bonarum mentium patefaciendam prærogatiuam, quæ, vt melius percipiatur, explicari nequit disertiùs, quam auctoritate Sancti Bernardi serm. 27. in Cantica paulò post medium dicentis. *Stellas dixisse virtutes non me panitet, considerantem congruentiam similitudinis. quomodo nempe stella nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, qua sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Ergo virtus est sydus.* Verissima, & ingeniosissima illa- D tio, ex qua percipere debemus Iustos appellatione syderum, & diuinorum pupillæ oculorum similitudine exornari, vt pateat iustorum, non quemcumque nitorem esse, sed sydereum, hoc est illum, cui, vt perspiciatur necessariæ sint tenebræ, & nisi faueat nocturnus horror, nulla ratione videri possunt; quod cum ita sit, vsurpabo Bernardi verba: *Stellas dixisse virtutes non me pænitet.* Equidem stella-

S. Bern.

Virtutes sydera micantia.

rum instac voluntariæ demissiones tenebras amant aduersantium infortuniorum, & pec obscuram noctem, amicam veluti consortem, illustrant adeò, vt sine illa non luceant.

Dicam iterū, non me piget homines virtutibus exornatos sYderibus comparasse, non modò, quia sicuti sydera quædam errantia dicuntur; quædam verò fixa; ita etiam totidem, & omnino his respondentia sunt vitæ genera, quibus amici Dei commendantur. Actiuam alteram, alteram contemplatiuam dicunt, in hac, qui Deo vacant fixis sYderibus comparandi, in illa quę actuosa est, qui continenter laborant syderibus, quæ vocant errantia, quam simillimi, quia semper infracti hàc, illàc sapienter errant; vel certè alienam salutem, & gloriam summi Dei suis sine errore erroribus moderantur terra, marique. At quis nesciat stellas facem proferre solummodò, cum obducto noctis indumento quiescit Sol. Prætetquamquod homines sanctimonia spectabiles stellis simillimos, eo potissimum capite dixerim, quia cum magni sint mole virtutis, videntur minimi demissione animi, atque humilitate. Nam, & stellæ, si de fixis loquamur, quæ sextæ, & omnium extremæ vocantur, magnitudinis octies supra decem terræ continent magnitudinem, similiter si de errantibus, terræ molem superant omnes, si Venetem, Lunam, atque Mercurium demas, vt eum alijs notāt Conimbricenses lib. 2. de Cælo quæst. 1. art. 3. Conjungo hæc duo. stellę maximę sunt, & distissimę lucis ex vno capite, ex alio tam modicę magnitudinis apparent, vt stellæ, stillæ lucis imperitorum oculis videantur. Pugnant primo aspectu hæc duo, magnitudo, & splendor eum paruitate, quę vix micat, quia hęc stellarum, de quibus est sermo, conditio est, vt semper magnitudinem, & claritatem, cum paruitate, & obscuritate coniungant; adeò vt syderum instar amico tenebrarum fœdere clarius micent, & pulchrius enitescant.

Vita actiua errantibus, contemplatiua fixis syderibus comparatur.

Stellarum magnitudo.

Conimbr.

Obuium satis huius symbolum veritatis, præbet mihi solare horologium, quo inuento humanum ingenium assequutus est fœdus, & amicitiam lucem inter, ac tenebras. Vmbra quippe index est lucis, neque alio pacto fontis luminum cursus, ac recursus fit humanis obtutibus aspectabilis, nisi ductu tenebrarum. Tenebræ sunt, & vmbrarum opacitates, quę nobis, vt ita dicam, lucem illuminant, ac distingunt: quasi verò tanta lucis, ac tenebrarum amicitia esset, vt nullus nobis ad Patrem luminum molles, si fas est dicere, sternere possit aditus, nisi tenebrę perobscuro vmbrarum pręmisso nuncio. Quāto veriùs est non alijs gressibus petere nos illustrem Patris luminū sedem, quàm præuia nostrę humilitatis obscuritate, huic solummodò aditum præbet, & aures, Sol sine occasu semper exoriens, cui huiusmodi tenebris nullus carior, coniunctior nullus. Porrò, omissis hisce, capite me, vt verum fatear, capitque admiratio voluentem animo stuporis magnitudinem, quo defixę beatę mentes cęlesti decantant melode Cantic. 6. num. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens*. Commendanius hoc Cantico, vt neminem latet, decora illius animę, cuius pulchritudine delectatur, Rex Regum cęlestis Ierusalem. Hinc autem fit vt negare nequaquam possim ancipiti me distrahi cogitatione carmen huiusmodi meditantem attentiùs; eum sanctarum animarum decora species, meridianę luci potius quàm crepusdijs, siue crepusculis vix natę diei, conferenda esse videatuc. Sanè in hunc modum decernitur Prouerbiorum cap. 4. num. 18. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem.* Perfecta itaque dies ęquiùs, quàm vix incboata debuit laudari. Cur igitur infantis lucis exordia tantoperè commendantur? aut quid habet sublustre Aurorę lumen, singulare adeò, vt debeat superis laudatoribus celebrari? fallor nisi ipso nocturnę opacitatis confinio, ipso circumfusarum tenebrarum vallo lux Aurorę exorientis spectabilior redditur, atque venustior. Ergo Auroræ lumen circumstantibus tenebris vndique septum meritò laudatuc, vel quia tenebrarum flagellum, vel quia venustas luminis gratioc, ac pulchrior longè est propinqui comparatione horroris; vel vt dicam manifestiùs, quia Aurora, noctis cognatæ, & iuxta positæ deformitate fit specta-

Lucis & vmbræ amicum fœdus in solari horologio.

Cant. 6. Cur Auroræ comparatur sponsa Dei.

Prouer. 4. Iustitia ... [illegible]

Aurora pulchrior ob vicinas tenebras.

spectabilior, sicuti par ideò fuit, vt extolleretur laudibus præconio Angelorũ, ita nobis in præsẽtia licebit statuere pulchriorem esse cælestibus oculis lucem illam virtutis, & sanctitatis, quę vel inter aduersitatũ tenebras fulget, vel è præterita peccatorum nocte micat, vel inter abiectæ humilitatis horrores lucet, vt hinc etiam fiat perspicua ea, quam indagamus, Amica Societas lucis ac tenebrarum.

Videri potest P. Didacus de Baeza tom. 2. comment. allegotic. & moral. de Christo figurato in veteri testamẽto c. 32. §. 10. cuius argumentum est. Expiata per pœnitentiam peccata præcipuum decorem afferunt.

Huc reuoca quæ leges apud P. Paulum Theologum commentatio in Cant. Canticorum Vestigatione 6. cap. 1. vers. 4. ad illa verba: Nigra sum sed formosa: sect. 4. cuius argumentum est. Iustorum emolumentis etiam inimicos famulari euentus: vel ex peccatis lucra consurgere.

Fortasse etiam accomodabis ad præsens institutum quæ inuenies apud P. Didacum de Cælada comment. in Iudith cap. 7. versu 18. vsque ad 25. §. 19. vbi dicuntur, Hominum grauiora peccata ex occasione, opulentiores sunt Dei thesauri.

Consule insuper P. Franciscum de Mendoza tom. 1. in cap. 1. Regum num. 8. Annotatione 8 circa litteram sect. 3. à num. 9. & tom. 2. in cap. 8. num. 7. in expositione litteræ à num. 10. & deinceps plura inuenies, quæ huc reuocari facilè poterunt.



A IN CAPVT QVINTVM à Num. XVII. ad XX.

Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum, & terram, iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege donec omnia fiant.
B *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum, qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Coelorum.*

PARADOXVM VII.

C Factus ad imperium solus non imperiosus.





NEMINEM Sacrarum litterarum rudem adeò arbitror, atque imperitum, qui nesciat, cæli terrarumque imperium esse penes sanctissimum Seruatorem; quis enim non legit Apocalipsis cap. 19. Apoc. 19.
D num. 16. *& habet in vestimento, & in foemore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Quis non calleat oraculum Danielis cap 7. num. 27. vaticinantis; *Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne cælum detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum, regnum Sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient.* Quis non legit Psal. 85. num. 16. *da imperium tuum puero tuo*, & alia huiusmodi sexcenta in Sacris litteris. Quæ non leuem ingererent menti Daniel. 7. Psal. 85.

menti meæ difficultatem, dum loquentem A audio de se ipso Christum Dominum profitentemque, se fore semper legum decretis, etiam minimis addictissimum; ingererent inquam dubitationem, nisi certò scirem, factum ad imperium, solum non imperiosum. Quocirca dum se Imperator summus subiectum, obedientemque legum declarat apicibus, se simul ad imperium vnicè factum esse demonstrat, id ego, vt fœlicibus auspicijs palam faciam.

Coriphœum sequor eloquentem inter purpuratos, & inter disertos purpura exornatum B. Petrum Damiani in illud, quod de Roboam habemus, & 3. Reg. 12. à n. 7. B & 2. Paral. 10. à num. 7. sic fantem *Si Roboam senum cōsilijs acquiescens populo mitia respenderet, totum Israel sui iuris imperio subdidisset; sed quia coæuorum suorum superbiæ credidit, dimissis à se decem tribubus sublimem regni potentiam humilem fecit*. Ita epist. 16. lib. 1. epist. in fine. Vtinam nostra ætas, quamplurimos haberet Pericles, quem scimus iamiam moriturum affirmauisse censeri se planè beatum, quòd in summo dominatu nemo Atheniensium sua causa pullam vestem induisset, ita Plut. in apoph. Reg. & Imp paulò ante med. ò mansuetudinem, si non vnicam; C præcipuam certè principum commendationem. Videlicet is inter Principes locum obtinet principem, qui non vi regnat, sed mitis ingenij suauitate parcit, & amat. Non desunt qui sibi suadeant, Principes viros nō posse sine iactura auctoritatis gerere se mitiùs; quasi verò imbecillitatis argumentum sit, imperium sine imperio exercere.

Istos ego attentiùs considerare vellem, quæ describuntur cap. 5. Apoc. à num. 1. ad 12, vbi cum sermo sit de Principe regū terræ Christo Domino, duplici depingitur D symbolo, & dicitur simul agnus & Leo, quid sibi vult connexio tam dissimilis, quid cum Leone agnus? audi S. Bernardum. *Leonem Io. audierat, & agnum vidit. Agnus occisus est; Agnus accepit librum. Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus est, aiunt seniores, Agnus qui occisus est accipere fortitudinem, vt Agnus maneat, & Leo sit*. Ita ser. 1. in Die Paschæ circa medium. Vt vides tunc Leo apparet, cum se exhibet Agnū, Tunc à fortitudine commendatur, imò donatur fortitudine, cum mansuetudine spectandum se præbet. Habetis ò Dinasthæ in eo, qui Rex Regum est, tanquam in exemplari propositum; Principem vel debere esse fortitudine mansuetum, vel fieri mansuetudine fortem.

Compone obsecro Isaiæ oraculum cum sententia Senecæ Isa. 3. num. 7. dicitur. *Non sum medicus*, nolite constituere me Principem populi. Nibil videtur afferri ad rem; quid nam habet comune cum Principe Medicus? audi Senecam. *Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera*, ita cap. 24. lib. 1. de clem. sicuti nil tam medico indignum, quàm frequentes mortes, ita nihil à principe tàm alienum, quàm subditos vexare supplicijs: videlicèt facilitate, non asperitate, humanitate, non seritete reipublicæ statum componere dignæ imperio mentis est; sic ab eodem didici dicente. *constituit bonos mores ciuitati Princeps, & vitia eius compescit, si patiens eorum est, non tanquam probet, sed tanquam inuitus cum magno tormento ad castigandum venit. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis*. Ita cap. 22. lib. 1. de clem. post med. quod etiam prosequitur seq. cap.

Venit in mentem, quod Maximilianus primus huius nominis Imperator dictitabat. si Io. Bot. lib. 1. dict. memor. vir. illust. circa med audiamus. Ducem illum ad imperandum militibus deligēdum aiebat Maximilianus, vtpotè omniū aptissimum, & vnicè ad imperium factum, qui suadela quadam ad imperia capessenda potius alliciat blandè, quàm minas asperè impellat, potius suadela flexanima mentes subiectorum circumducat, quàm cogat imperio: vno verbo, tanti Principis sententia, is solum ad imperandum est natus, qui minimè est imperiosus, quod egregiè præstitum fuisse à Federico Comite Vrbinate, idem ibidem auctor est, qui milites non solum amicorum donabat nomine, sed nuncupabat etiam fratres, & quidē maximo in honore habendos, vt tunc maximè imperaret cum sese ab imperando cohibere videretur.

Dicicerat id, ni fallor, ab Octauio Cęsare Augusto, qui, vt scribit Suetonius in vita

3. Reg. 12. 2. Paral. 10. Dam. Superbi Roboā iactura.

Digna Principe laus.

Plut.

Apoc. 5.

S. Bernard.

Idem Agnus, & Leo.

Isa. 3.

Princeps fit medicus, & cur. Seneca.

Clementia imperanti coluber scelera.

Botet.

Comitas maius imperandi...

Suet.

Octauius Augustus noluit Dominus nuncupari.

vita circa med. Domini appellationem, vt A maledictum, & opprobrium semper exhorruit, imò cum spectante eo ludos, fortè pronunciatum esset. *O Dominii æquum, & bonum*; quod cum vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, & statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumque se post hàc appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis vel seriò, vel iocò passus est, atque huiusmodi blanditias etiã inter ipsos prohibuit. En cur dignus imperio habebatur ab omnibus, quia tantùm aberat, vt se præberet imperiosum, vt ne appellatio- B nem quidem Dominij ferre posset, & quia rem tanti momenti, & ab opinione hominum adeò alienam solis docere verbis,

Octauius recusat dictaturam.

parum visum est optimo Imperatori; quã topere à dominandi libidine abhorreret, re ipsa confirmauit. Etenim (vt idem Auctor loco cit. refert) dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga nudo pectore deprecatus est. Nunquam enimuero imperio dignior, quàm cum imperium recusauit.

1. Reg. cap. 2.

Innuit id & quidem perbellè sãcta mulier Anna 1. Reg. 2. num. 8. cum ait. *Domini enim sunt cardines terræ*. Quem lo- C cum vt cum laude exponas, dices cum magno Gregorio in 1. Reg. cap. 2. aliquantò ante finẽ, vbi posteaquàm dixerat eos, qui præsunt cardinum nomine nuncupari, subdit. *Videant quia super eos orbis ponitur, non subeis*. Non nihil huic simile sensisse videtur Seneca, qui lib. 7. de beneficijs cap. 9. initio sic habet. *Demetrio, si res nostras alijs Deorum possidendas velit tradere sub lege certa, ne liceat, donare, affirmauerim repudiaturum, dicturumque. Ego verò ad istud inextricabile pondus non allige*. Qui nequit humeros oneri suppo- D nere, is ad tractanda scepetra minimè est aptus, quod meridiana Luce clariùs patebit ex ea consuetudine, quæ apud Indos celebris est, vt scribit Lipsius in mon. polit, lib. 2. cap. 3. Populi quidam Cilenses dicti non alia ratione Principem constituunt (quod etiam accepi à viro fide dignissimo, qui per multos annos in illis regionibus vitam traduxit) quàm imperij canditatis conuenientibus lignum magni ponderis imponentes singulis, inter quos

Seneca. Imperium pondus graue.

A ille renunciatur Princeps; qui diutiùs oneri ferendo se præstat parem; hi sanè percipiunt, neminem imperare debere, qui subesse non norit.

S. Greg. Iob 9.

Probaret quod dico, paulò ante allatus S. Gregorius, quoniam lib. 9. in Iob cap. 9. initio exponens illud; *sub quo curuantur, qui portant orbem*: ait. *Ipsi etenim orbem portant, qui curam præsentis sæculi tolerant. Tantorum quippe pondera vnusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur*. Si sustinere põdus nequis, si subesse oneri non potes; præesse ne præsumpseris, nunquam im- B memor eius, quod de Tiberio scribit Suetonius in eius vita ante medium n. 27. non modò enim, cum Dominus à quodam fuisset appellatus; seriò, ac grauissimè denunciauit, ne se ampliùs contumeliæ causa nominaret; imò quoties quis eum alloquens genibus flexis exorare conatus ad impetrandum, quod proponebat tantopere abhorruisse dicitur, vt caderet supinus: Quid tàm indignum imperatoria purpura, quam se pronum prosternere: verùm sapis Tiberi, vt eo magis imperio dignus habearis te minimè præbes imperiosum, C & tãtopere oblatos honores, tanquã principi, & appellationes Domini abhorres, vt te te prosternas, quasi profitearis non modò non imperiosum, sed maximè subiectum; perge porro, nam hoc imperantis indicium est, & nota peculiaris.

Suet.

Tiberij modestia singularis.

Id quidem quemadmodum condebat pectore, ita etiam nobis expressit Euangelicus Centurio dum Matth. 8. num. 9. ad aperiendam suam conditionem, dicebat: *homo sum sub potestate constitutus, & dico huic, fac hoc, & facit*. Egregia sanè notio ad informandos, imbuendosque illorum animos, qui alijs præsunt imperio. D Sciant isti ante omnia ad ipsos pertinere subijcere se se alieno imperio, adeò vt nulli conueniat imperare, nisi qui priùs subesse didicerit. Neque enim par est, vt vsurpes imperium, iuxta illud, fac hoc, nisi priùs, & verbis profitearis hominem te esse sub potestate constitutum. Quod cum pro certò habeas ita esse, mirari desines, legens apud Homerum Illiad. 8. Iouem non iniquo tulisse animo, neque fuisse indignatione commotum, cum audiret loquentem Mineruam, cum tamen ipse Iu-

Matth. 8.

Nouit imperare qui nouit obtemperare.

Homer.

piter

A piret disertissimo mandasset & imperio, vt sileret. Nimirum dicere voluit ingenioso acumine Poeta Princeps; cœlestis animi esse planèque Diuini summa imperij auctoritate moderatè adeo vti, vt nunquam exardescat in iras in ipso imperio minimè imperiosus, licet verbis violatus, & lacessitus iniurijs qui moderatur imperia.

Præstantissimum in hac re, vt in omni imperatoria laude se præstitit semper, ita semel præbuit Carolus V. vt leges apud Io.

Boter.

Boterum lib. 1. dictor. memor. viror. illust. non multò antè finem: Etenim cum è liguria discessurus Hispaniam versus, qua B solebat comitate; atque clementia Petrum Aretinum perhumaniter alloquens interrogasset, vt exponeret, quid haberet in votis; quid responderit dicacissimum caput facilè intelliget, qui scit, fuisse illum omnium vocibus appellatum, notissimum maledicentiæ monstrum. Igitur, vt iuxta

Aretini dicacitas.

suum stilum verba faceret Aretinus, respondisse fertur, exopto solummodo, vt excellentia vestra imperet Maiestati Marchionis de Vasto, vt soluat mihi annuos redditus, quos pro sua beneficentia excellentia vestra Mediolani mihi concessit. Quo loquendi modo, & præpostero, C inuersoque titulorum ordine dum carpere voluit Imperatorem, quasi plus nimio deferentem Marchioni, simul aperuit Imperatori aditum ad demonstrandum, quàm moderato debeat esse animo, qui in summo rerum fastigio amplissimi habenas Imperij moderatur, vt hoc pacto Imperator sapientissimus re ipsa comprobaret factum se vnicè ad Imperium,

Caroli 5. Moderatio.

quod minimè esset imperiosus, quemadmodum & illud ipsum, quod à Petro Aretino fuerat obiectum, & hominis imprudentissimi loquacitas æquo animo tolerata rem totam attentiùs considerandi luculentissimè demonstrabunt. D

Animaduerti apud antiquos sapientes pro symbolo imperij, ac dominatus vsurpatam fuisse columbam. Vnde apud Pie-

Pier. Valer.

rium Valer. lib. 22. Hierogliph. inuenies portendisse Cæsari dominatum, columbas illas, quæ palmam nidis frequentarant, iuxta quam Romanus imperator locauerat castra.

Columba portendit imperiú.

Similiter eadem die, quâ natus Diadumenus Macrini filius, aquila ei palumbulum attulit, & in cunis posuit dormienti, quæ res futurum eum imperatorem indicauit. Eodem modò dixerunt Aruspices, Alexandrum Seuerum futurum Imperatorem, quia, quo die natus est, anicula quædam matri eius obtulit columbam. Hæc apud Pierium, quibus adde, quod scribit Apollonius lib. 3. de Iasone, cui in Colchide columba auspicium prætulit dominantis fœlicitatis. Oportunè sanè Imperantium decus præmonstret auis illa, quæ inter cæteras omnes aptissimè, & mores adumbrat, & repræsentat ingenium imperantis. Hic quippe non maiestate tumidum, aut superbia elatum, aut ferocitate præferuidum, aut fastu insolens præseferat pectus, sed placidum, mite, tranquillum, & vno verbo, columbæ instar minimè imperiosum.

Videndum moueo P. Io. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. ad c. 2. vers. 7. Adnotat. mor. 6.

Videatur etiam P. Didacus de Baeza tom. 1. comment. moral. in Euang. histor. lib. 5. cap. 4. §. 11. & cap. 2. eiusdem lib. §. 9. Nec non tom. 2. lib. 9. cap. 3. §. 9.

Videri potest P. Io. Antonius Velasquez in Psal. 100. lib. 2. Adnot. moral. 16. cuius argumentum est. Principi arrogantiam turpem, inuidiosam, atque lethalem esse. Præsertim videatur nu. 4. & 5. cit. Adnot. Apud eundem tom. cit. lib. 4. ad illa verba Misericordiam cantabo tibi Domine. Adnotatione morali 9. quæ euincit Principem Dei similem clementia fieri. Et Adnotatione sequenti 10. vbi probatur clementiam Principis esse debere iustitia duplo maiorem, & eodem tom. de hac re sæpius.

Insuper legatur P. Didacus de Baeza tom. 1. de Christo figurato lib. 1. cap. 1. §. 4. vbi monet, vt erga brutos & effetatos homines sese quasi Deum debeat Princeps ostendere, & erga bonos quasi vnus ex illis esse debeat. Idem auctor tom. cit. lib. 2. cap. 5. §. 35. demonstrat Christiani imperij propriam vtilitatem, esse suauitatem in subditos.

IN

IN CAPVT QVINTVM à Num. XX. ad XXIII.

Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquã Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in Regnum Coelorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit Iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca: reus erit cõcilio, qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis.

PARADOXVM VIII.

Nulla culpa leuis.



ANTIQVIS præcipiebatur, ne quemquam è medio tollerent, nobis ne succenseamus. Imò prçterea, ne minimum quidem argumentum inflammatæ iracundia mentis edamus, cur istiusmodi antiquam inter, & nostratem moderationem collatio? dicam quod sentio, vt intelligamus, illam esse Christianæ perfectionis perfectionem, vt in ea Nulla culpa leuis sit. Vix in medium protuli argumentum, cum Theologi rerum diuinarum contemplatores ingeniosi causa me cecidisse decernunt. Quo enim pacto potest quis in animũ suum inducere, Nullam culpam leuem esse. Sanè tàm leuis noxç, veniale peccatum existimatur, vt quàm plurimi Theologi, ijque primi nominis, senserint, remissionem venialis peccati, nequaquam esse opus gratiæ, sed naturæ. Ita Duran-

Quo pacto venialia peccata remittantur. *Durand*.

A dus in 4. dist. 16. quæst. 2. & dist. 20. q. 1. Ita Gabriel, Maior, alijque Nominales, quibus assentiri visus est Scotus dist. 21. siue id fiat per naturalem actum illi contrarium, vt si fuit mendacium, per voluntatem non mentiendi, quemadmodum docet Durandus, siue id contingat, vt Gabriel, & cæteri cit. sustinendo pœnam proportionatam veniali culpæ commissæ, putant enim post veniale peccatum nil manere, nisi reatum pœnæ cum nequaquam sit æterna, sed finita, sustineri potest sine speciali gratia Dei, hæc pluribus habes apud Frãciscum Suarium tom. 4. in 3. B part. disp. 11. sect. 1. Ijs tamen non obstantibus in spem adducor, fore vt paululum discussis illis, quæ à me in prçsenti proponuntur, si sapis, dicere debeas non tàm splendidè, quam verè pronunciari. Nulla culpa leuis. Quo autem pacto quod leue communiter perhibetur, minime leue habendum sit à sapientibus, indicare videtur quod sapienter Aristoteles lib. 5. c. 1. de gener. animal. protulit. *In veste candida, atque munda, vel minima macula perspicua est*. Non candidam modò, sed nuptialem induunt vestem, quot quot Dei C sunt iuxta illud Matthçi cap. 22. num. 11. quanta igitur diligentia caueant necesse est labeculam quamlibet, quç cum perspicua sit, licet exigua, minima esse non potest, quippe cum minimè lateat, & intuentium offendat lumina, & dedeceat maximè candorem illum, qui proprius est seruorum Dei. Videatur eiusdem Aristotelis lib. 5. polit. cap. 5. & 8. nos interea rem propositam pluribus prosequamur.

Gabriel. Maior. Nominales. Scotus.

Suarez.

Arist. Minima macula cãdidam vestem maximè fœdat.

Vestis nuptialis iustorum.

Non semel ceruis componuntur, qui prçcellenti virtutum ornamento vitç prçseferunt honestatem. *Perfecit pedes meos, tãquam ceruorum*. canebat Dauid Psal. 17. D num. 34. & Isaias vaticinabatur cap. 35. num. 6. *Saliet, sicut ceruus, claudus, & alibi* passim, quç dum animo voluerem, venit in mentem, quod de Ceruo scribit Plinius, asserens eum agi prçcipitem, & dari pessum ab aduersaria Aquila iniecto puluere, & agitatione pennarum. Verba Plinij sunt: *Puluerem volatu collectum insidens ipsorum cornibus excutit in oculos eius, ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet*. Ita cap. 4. lib. 10. post med. prçpeti cursu, vt ceruum decet, superas

Psal. 17. Isaias 35. Iusti ceruo comparati.

Plinius. Cerui quomodo ab Aquila profligentur.

ardua

A ardua difficultatum iuga, robusto cornu hostem inuadis intrepidus ad discrimina. Bene est, sed vt prosternaris ab inimica aquila (hoc est à malo Dęmone iuxta oraculum Iob 30.n.27.& Ieremiæ 4. n.13. & alibi) non obrueris lapidibus, & vnguibus dilaceraberis, si peonarum verbera, si pulueris tolerauetis iactum pro comperto habeas de te omnino actum esse. Nolo silentio inuoluere disertissimum S. Cypriani testimonium huiusmodi. *Dominus prudentes esse nos iussit, & tauta sollicitudint vigilare praecepit, ne aduersarius vigilans semper, & semper insidians, quando in pectus obrepat, de scintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret, & dum remissis, & incautis leniori aura, & flatu molliore blandiatur, procellas, ac turbinibus excitatis, minas fidei, & salutis, ac vitæ naufragia moliatur*, ita ser. 2. de Telo, & liuore initio. Propono considerandum in quo consistere debeat, Christiana prudentia, certè non in alio, quàm vt in scintilla, incendia recognoscamus. Quid nobis maximè cauendum, quid inimicus moliatur attende, hoc est minas fidei, & naufragia salutis. Porrò horum omnium initia sunt, lenis aura, & flatus mollior.

Iob 30. Ierem. Aquila Dęmonem adūbrat.

S. Cyprian. Leuissima exordia malorum maximorum.

Quæ cum ita se habeant, mecum ipse statuo monuisse verissimè S. Bernardum ser. 1. in Conuersione S. Pauli post med. enim inquit: *nemo dicat in corde suo; leuia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hac est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.* Nec minus grauiter Eusebius Emissenus hom. 6. ad Monacos initio dicens: *Quid prodest, quod nos preciosis vigilijs, laboribusque conficimus, & ea, quæ maximè Deus noster desiderat, non habemus? hoc est cor mundum, & liberum ab istis minutijs negligentiarum.* Derideri posset vtpotè hyperbolica locutio, si hæc nostro marte diceremus, Verùm examines velim quanti facias iudicium virorum sanctissimorum, æque, ac sapientissimorum. Prodeat in medium eloquentissimus Hieronymus, cuius epist. 48. ad Sabinianum Diaconum perlegatur. In cœnum fœdissimę libidinis impegerat Sabinianus, de quo epist. cit. circa med. ait Hieron. *plures Virgines stuprasse narraris, per te violata nobilium matrimonia, impurus, & belluæ per lupanaria cucurristi.* Ita Hieron. tam miseri planèque lacrymis potius, quam vocibus enarrandi lapsus, si causam quæras, triplicem afferet Hieronymus, *nimirum Virginem in Ecclesia videras, sudariolum acceptisti, & per fenestras palatij tantùm fuerat facultas colloquendi.* Quid hoc portenti est scelus tantum, quale est iuratam Deo publica sponsione fidem frangere, Virginem per summam iniuriam violare, nulla sanctitate loci, nulla publici muneris dignitate coerceri, Diuina atque humana Iura permiscere omnia, totum hoc, inquam, quantum quantum est, quod certè est grauissimum; ducit originem ab vnico intuitu, ab exiguo munusculo, à perbreui è fenestra colloquio.

S. Bernard.

Blasphemus qui leuia peccata contēnit.

Emiss.

Minores defectus vitare maximè gratum Deo.

S. Hieron.

Sabiniani nefanda flagitia.

Vnde duxerint exordium.

B

Exemplum non omnino absimile in fastis inuenio Romanorum; Tiberius quippe Imperator, vt Suetonius in vita narrat circa med. à num. 50. ad 58. vbi vsque adeò fœdus cōsanguineorum funeribus describitur, vt non modò in amicos, & magistros, non modò in Natam, & Nepotes, sed etiam, in matrem ipsam, & quod aures perhorrescunt, in filios immitis, monstruosæ crudelitatis ediderit monumenta. Nempè è viginti amicis, quos sibi è numero Principum Ciuitatis depoposcerat, veluti consiliarios in negotijs publicis vix duos, aut tres incolumes præstitit. cæteros perculit omnes. Inter quos Aelius Seianus eò grauiore lapsu è culmine fœlicitatis deturbatus, quò ad summam potentiam altiùs fuerat euectus. Neronem, & Drusum ex Germanico Nepotes fame necauit. Illum in Insula Pontia, huoc in ima parte Palatij. Ille manus sibi consciscere conatus est, cum ei carnifex, quasi ex Senatus auctoritate missus laqueos, & vncos ostentaret. Huic adeò alimenta subducta, vt tomentum è culcitra tentauerit mandere. Quid crudelius? sed adhuc peiora supersunt. Mirum, Agrippinam non relegauit modò, sed oculum eidem per Centurionem verberibus excussit; sed absumi iussit inter angores arctissimi carceris. Iuliam vxorem non modò præbitis fraudauit annois, sed coniecit in vincula. Liuiam Matrem triennio semel

C

D

Suetonius. Execranda Tiberij impietas.

Seiani calamitas

Neronis, & Drusi miseranda mors.

Fera Tiberij immanitas.

Dirum Agrippinæ supplicium.

vidit,

Liuia etiā mortua vexata à filio.

vidit, morboque laborantem, quo excessit è viuis non solum aduentus sui spe delusit, verùm etiam honore funeris carere voluit. Drusi naturalis filij morte lætatus dicitur, Germanico filio adoptiuo vsque adeò infensus, vt gloriosissimas victorias, ceu damnosas Reipublicæ increpauerit. Imo preterea per Cn. Pisonem eidem Germanico necem intulisse perhibetur. Quæ crudelitas maior excogitari potest, quæ immanitas ferior, quæ feritas truculentior? Perpende à quo duxerit exordium tam dira sanguinis libido, quam carpsit Poeta illius temporis notis illis, ac decantatis carminibus.

Germanicum per Pisonem necatus,

A bibacitate Tiberij flagitium.

Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem,
Iam bibit hunc auide, qui bibit ante merum.

E potatore vini, potator fit sanguinis, & quam vino immoderatè indulgens non abstulit, sed auxit sitim, ne sanguine quidem potuit restinguere. Certè vt ab eodem Suetonio cit. num. 42. dicitur adhuc in castris, cum tiro esset Tiberius, propter nimiam vini auiditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur, Quis credat: è temulento carnifex, ab haustu vini ad cruoris auiditatem. Sic se res habet, quæ minima iudicantur, vt grauissima sunt vitanda; quādoquidem vitia tàm nefanda, scelera tàm palmaria, crimina tàm turpia secum ducant: Id quidem, quod de Tiberio comprobauit euentus, non latuit Theodorum Gaderum, Rethoricæ præceptorem. Hic cum obseruaret in Tiberio puero puериles quosdam animi motus ad impetum, atque iracundiam concitatiores, tamquam è specula precognoscens futuram feritatem tàm diram, cum increpare solebat, appellans lutum sanguine permixtum. Vtinam non contingeret sępius, vt quę puerilia, quasi deridentur per iocum, sępenumerò non afferent, & extremam perniciem, & notam dedecoris sempiternam.

Tiberius vulgo dictus, & cur.

Theodori de Tiberio iudicium.

Puerilis indoles futu... præiudicat.

Est in promptu exemplum grauius à sacris petitum litteris, quod B. Petrus Damianus epist. 20. lib. 1. initio his verbis prosequitur. *Adonias filius Agith dum in superbia fastum proteruus erigitur, vt* habetur 3. Reg. cap. 1. *dum conniuente*

B. Petr. Dam.

3 Reg. cap. 1.

A *patre, paratis equis, & curribus, Regnum sibimet pollicetur, ad hoc quandoque progreditur, vt Abisag Sunamitem in coniugium quærat, nè paternos incestare thalamos concupiscat.* Nibili faciendum, immo ne erratum quidem censendum esse contendent sapientes sęculi; inclito genere editum, conniuente patre, multo stipatum famulatu incedere, & in spem Regni erigi. Hoc, quod iudicatur minimum; quò progrediatur attende, & examina paulò diligentiùs; Dum ad alia facio gradum; Peccata spinis conferri notius est, quam à me debeat explicari.

Fastus Adoniæ

Adoniæ lapsus nefandus.

B Vnde Sanctus Gregorius exponens ex Psalm. 31. num. 4. *dum configitur spina*, ait, *per spinam, omne peccatum ideo accipitur, quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.* Bene est; sed illud videtur pensiculatius expendendum ab eodem Regio vate, non spina quacumque peccatum adumbrari; sed rhamno, vt patet Psal. 57. num. 10. in quem locum audi Augustinum dicentem. *Quid est rhamnus? Spinarum genus est. Densissimæ quadam spinæ esse dicuntur. Primo herba est, mollis, & pulchra est, ibi sunt tamen spinæ postea*
C *processuræ.* Non poterat melius. Nosce, oro, vim sceleris. Primo quasi herba tenuis delectat potiùs, quàm discerpat quippe quę videtur, & auelli, & attrectari posse blandè; sed mox obdurescit adeò, vt vulneret, atque dilaceret. Caue à mollibus herbis; rigescent enim rhamni in morem, aut si mauis in mortem animæ rigescent rhamni flagitiorum. En à minimis, ad grauissima processus. Atheniensium seruitutem, & Pisistrati dolum deplorat Sapientissimus Solon in fine eius epist. quam Epimenidi scribit, &
D est apud Diogenem Laertium in vita Philosophorum lib. 1. ante med. ipsissima verba sunt: *cæpit blande plebem allicere; deinde sibi etiam volnera inflixit, ac progressus in publicum, eaque se ab hostibus accepisse vociferans; orabat quadringentos robustissimos iuuenes sibi custodes darent. At illi acquieuerunt. Erant autem hi armati validis fustibus. His itaque stipatus statum Respublica, euertit. Omnes vna sub iugum missi sunt, vnique seruiunt Pisistrato.* Huc vsque Solon.

Psal. 31. S. Greg. Spina pecc...

Psal. 57. S. Aug.

Rhamnus symbolum peccati & cur.

Diog. Laert.

Decepti à Pisistr... Athenienses.

Fraudolenta Pisistrati Tyrannis.

ita planè se gerit nobiscum Tyrannus Tartareus non modò paulatim, & blandè ipso initio, verùm etiam specie quadam fictitiæ necessitatis, rerum nostrarum potitur. Huiusmodi necessitati si seruire volueris, actum est de tua libertate. Quoties quædam à sensibus, & ab inimica semper rationi, & legi Dei carne, petuntur colore necessitatis, quæ si concesseris, aleam iecisti. Durum seruies seruitutem, & iugum subibis maximè onerosum. Quandoque bonus dormitat Homerus, & semel in anno licet insanire omnium vsurpatur sermonibus. Tu, si sapis, nil modicum, nil leue duxeris.

S. Bernard.

Audita sæpius S. Bernardi lib. 2. de consideratione ad Eugenium Papam admonitio, si fœliciter in hanc sententiam desinetur, noster fortasse in hoc Paradoxo labor nõ omnino improbabitur: Est autem huiusmodi: *Inter sæculares, nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemia. Verbum scurrile, quod faceti vrbaniue nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul ab aure relegandum est.* Aspera videtur non nemini loquendi ratio. Quo enim pacto credi potest, vt quæ nugæ sunt, blasphemiç habeantur? Id ego si liceat, aperiam, exposito breuiter eo, quod de Rege Almanzor scribit Io. Boterus lib. 1. dict. memor. vir. illust. aliquantò post init. Expugnato Rodericio Hispaniam in suam redegerat ditionem Almanzor, Regni præstātissimi rebus compositis fœliciter, Principem virum, sibique carissimum delegit, cui onus ditionis amplissimæ inuisendæ imposuit. Nomen huic fuisse dicitur Abraham Mahauias, qui vt sui Regis iussa capesseret, sese in Hispaniam contulit. Fortè autem iter faciēs per quamdam siluam, puellā offendit eximię pulchritudinis, quæ sola per loca inuia obambulabat. Captus admiratione Mahauias, suarum partium esse duxit adolescentulam reprehendere, quòd sine vllo custode pulchritudinis suç, sola incedere non dubitaret. At puella, qua erat mentis integritate, & ingenij solertia prędita, statim respondisse fertur. Reor equidem vel inter remotas oras, & inaccessa nemora fore tutum iter, quamdiù Regis nostri æquissimi Iacobi Almanzor Imperio perfruemur. Risum cohibere non potuit Mahauias, nec se continere, quin diceret. Bene est. violata pudicitia, Regis opem hic prestolaberis. Ad finem perductis Regni negotijs, Arabiam repetijt, vbi Iacobum Regem certiorem factu tus eorum, quę in Hispania gesserat, sui Principis vt caperet beneuolentiam exponit quod per risum cum puella fuerat collocutus. Id ęgrè adeò tulisse dicitur Rex, vt statim negotium simulans grauissimum, eundem Mahauiam ad Hispaniæ Proregem miserit, datis Epistolis, quibus imperabatur, vt ibi è medio tolleretur vitæ, & lesç maiestatis reus Mahauias, vbi per iocum, Regis contempserat integritatem. Adeò nulla culpa leuis est, quę summum Principem lędit, adeò verbum scurrile vitandum diligenter est. Deum lędis, ne leue ducas, & iocosum verbum nefas est, si præpotentem respiciat, imò potius despiciat molitorem.

Seruus Dei nugator blasphemus.

Boter.

Iacobus Almāzor Hispaniam occupat.

Securitas subditorum Laus Principum.

Deridenda, securitas imprudens.

Mahauias extremo damnatus supplicio.

Nil leue quod Deum lędit.

A

B

C

D

Legisse me recolo, quod scribit Iustinus Historicus lib. 15. non longè ab initio de Abderitis. Redibat ab Appollonia Cassander, celebris ille Alexandri interfector, cum ecce tibi offendit Abderitas, qui propter ranarum, muriumque multitudinem, relicto patrię solo, sedes quęrebant: ridenda ne, an deploranda sit calamitas tot hominum, dequibus, non immeritò veritus Cassander, ne Macedoniā occuparent, facta pactione, in societatem eos recepit, agrosque ijs quos colerent, & in quibus vitam degerent, propè vltimos Macedonię fines assignauit. Vbinam id sępenumerò non contingeret, vt viri, cęteroquì fortes, & metuendi viribus, animalculorum multitudine cogerentur palantes incertis vagari sedibus per abiecta sęculi huius, & vtinam patrio solo, hoc est beatorum sede non expellerentur. Verissimè scilicet de domicilio Beatorum verba faciens Augustinus concione 2. in Psal. 32. non multò ante med. inquit, *ibi est enim patria nostra, quam longa fortasse peregrinatione obliti sumus.* Coniunge cum eo, quod de Abderitis nuper dictum est, magni Basilij monitum serm. de abdicatione rerum paulò post med. dicentis. *nullum omninò sit erratum, quod paruipendat esto quamuis illud tenuissima bestiola minutius sit.* Iocosum Verbum, exiguu is aurę temporis, fugax, & velocissima elatio mentis, si murium ac ranarum instar

Iustin.

Abderitæ ranis & muribus fugati.

Psal. 32. S. August.

Cœlum nostra patria.

S. Basil.

Leuia errata, ne contemna animalcula.

Hominis cum Tiberij somnii.

instat certatim, atque centuriatim confluunt, te, te proculdubio à patrijs Cœli finibus deturbabunt. Tandem quid plura. Ipsum Tiberij Imperatoris somnium sicut illum veritatis certiorem fecit, ita aliquid luminis, rel cæteroqui haud obscuræ præbebit. Semel Romam petere conatus Tiberius, Appia via vsque ad septimum lapidem se contulit, sed prospectis tantummodò nec aditis Vrbis mænibus rediјt ostento territus. Erat ei in oblectamentis serpens Draco, quem ex cõsuetudine manu sua cibaturus, blandè attrectabat, cum consumptum à formicis inuenisset, monitus est, vt vim multitudinis caueret. Itaque pedem retulit, rediјtque properè Campaniam, vbi Asturæ in languorem incidit, quemadmodum Suetonius scribit in eius vita num. 72. Inania sunt hæc, & ridicula terriculamenta vanissimi capitis, hominisque insanissimi. Illud tamen sapientissimum esse monitum inficiabitur nemo, refugere velocissimè, & timorè concuti, perspecta nequaquam per somnium, sed verissima, & religiosissima consideratione, examinata hostium versutia, quæ in eo sæpenumerò laborat, vt multitudine nos obruat formicarum. Caue si tui compos es, certo certiùs intelligens, rebus nullum firmum adeò, atque robustum, quod non minui ac labefactari possit à minimis, quandoquidem, & Draco à formicis absumitur, ac trucidatur.

Draco à formicis interéptus Tiberium terret.

Boetius.

Tandem Poetico sapientissimi Boetij Lepore lib. 3. de Consolatione metro sept. dicta hactenus conuenusto, & dixisse me satis autumo, si quod ille de voluptate, nos de culpa quanis affirmemus.

Apicula lethaliter vulnerat.

Habet omnis hoc voluptas.
Apiumque peruolantum
Fugit, & nimis tenaci
Stimulis agit furentes
Vbi grata mella fudit
Ferit icta corda morsu.

Heu deploranda calamitas, non trisulco Plutonis telo confodiuntur, non venenata furiarum tbeda incenduntur hominũ corda: sed tenuissimo apium aculeo terebratæ & furore æstuant mentes, & abalienati à pietatis sensu animi aguntur præcipites. Cor petit, & mentem inuadit, qui tenuissimus existimabatur prætervolantis apiculæ morsus, mortis est telum nimis penetra-

A bile. Ad solatium, & leuamen curarũ pulcherrimę, & venustissimę formę obuersãtur oculis: facetis, & nequiter iocosis confabulationibus patent aures: nulla vi lensus corporis cohibentur: Hęc, si contempseris actum est. Conde memori pectore. Nulla culpa leuis. Etenim in hac re euenit quod cum Theofrasto de Vent. referunt Physici, quorum sententia, Fauonius mollis, placidusque ventus, cum sit moderatissimis anni tempestatibus vere, & autumno spirans, sicubi hiemalis fit flatu vehementi, & horrifico perflans fragore omnia circumquaque eiet, atque perturbat, adeò

Fauonius vere, & autumno placidus.

B vt grauiter spirãs a Poeta Principe nuncupetur. Te ipsum appello testem, qui legis, quoties subit in mentem animi motus, accepta iniuria euẽtilantur pręcordia tumescentis flabellu superbię, Fauonium credis (sed vtinam fallar) illicò ecce tibi turbidus idem ac tumultuosus sinè lege erumpit, omnisque animi statum, susque deque euertit, atque commiscet. Vtar idcirco eius oratione, qui odiss. 11. Calypso suasurus, vt nauem seruaret incolumem, canebat.

Idem hyeme horrificus.

Homer.

Afumo procul, & fluctu prohibete carinã.

Ne in scopulum inpingas, ne scylleis ab-

C sorbearis vorticibus, à lenissima, fumi suspicione cauere debes diligentissimè, imò nisi ab agitatione fluctus parumper commoti nauim subduxeris, peristi. Quæ leuis videtur Zephiri illudentis concussio, ac blanda aurarum, vndarumque commotio, tempestas est, procella est, naufragium est.

Leuia & remã ta pericula vitanda.

Geminos profero testes, eiusdem in hac re sententię, moribus tamen maximè dissentientes. Socrates, vt à spurco, & impudico exordiar, eum se libidinis seruitute subduxisset, & monita proferret in medium sapientissimi Xenophontis, vt leges

D apud eumdem Xenophontem lib. 1. de dictis Socratis, docebat philosophię cupidos, inquiens. *Fieri nequit, vt qui formosos attingit modestus sit, & continens.* Loquatur Hieronymus de eodem argumento, & dicet vitam Hilarionis scribens: *tactum, & iocos esse moritura virginitatis principia.* Naufragio, aut lebo virginitatis, quid deterius, aut calamitosius? Quid iocoso tactu Leuius? Recole quod Gregorius lib. 4. Dialog cap. 11. scribit de Vrsino Presbitero. Vxoris suę

Xenoph.

S. Hieron. Castitas diligẽtissime custodienda.

S. Greg.

Vrsini integritas. omni familiaritate annos iam quadraginta abstinuerat, quod tempus in Ecclesiæ ministerijs, & rerum diuinarum consideratione collocauerat summa cũ laude castitatis, & asperitatia. In morbum incidit, qui fuit illi lethalis, languescebat æger, omni penè calore, ac motu destitutus; aderat vxor, quæ inter longos emorientis mariti gemitus anceps, num viueret adhuc exploratura vestigium animæ semimortua, vix ore summi hominis, nisi potiùs spirantis cadaueris vultum terigit inter lacertos lethi dilaniantis iamiam disſecti. Vrsinus mulieris summis ferè labijs allambentis anhelitum sentiens, viribus corpusculi deficientis collectis: *recede*, inquit, *mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle*. Audite derisores stolidi, quibus solemne est de minimis non curare, ego sanè nil minimum, nil iocosum, nil leue ducã; Præsertim cum auctoritate eloquentissimi Chrysostomi erudiar hom. 87. in cap. 27. Matth paulo post med. in hunc modum dicentis: *mirabile quidem atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse vitanda, quanto parua, & vilia*. Igitur, quæ tanto studio, tantaque diligentia vitanda sunt leuia arbitrari ridiculum esset. Vndè verè D. Hieronymus, nisi potiùs Paulinus Nolanus Episcopus epist. 14. ad Celantiam matronam de institutione matris familias scribebat in hũc modum *Stoicorum quidem est, peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare, nec vllum inter scelus; & erratum discrimen facere. Nos vero, & si multum inter peccata distare credimus: tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere; Et sanè nescio, an possimus leue aliquod peccatum dicere. Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quam illum, qui iusserit, nec quantitatem Imperij, sed imperantis cogitat dignitatem*. Sic tibi continentrer præ oculis dignitas imperantis, vt nequaquam Stoico errore, sed Christianæ disciplinæ institutione imburus nil leue ducas, quo læditur Deus.

Vrsinus moriens tactum pertimescit vxoris.

Chrys.

Maiori diligẽtia minora peccata vitanda.

S. Paulinus.

Stoicis omnia peccata paria videbantur.

Cur leuia vt grauia vitanda.

Semper equidem feci permagni sententiam illam à Domitiano latam in Romanum Senatorem (cuius ex maiorum annalibus depromptæ, mentionem facit P. Horatius Tursellinus lib. 4. epitome hist. in Domitiano, paulo post medium) acceperat Imperator nescio quem ordinis Senatorij mirum in modum saltãdi studio teneri, & non rarò choreas ducere ad animi relaxationem. Visum est Principi maximo, cæteroqui nequaquam probato satis, vtpote non modo vario virtutibus vitijsque, sed turpissima immanitatis, superbiæ, perfidiæ, inertiæ, vno verbo scelerum omnium contagione fœdato, Visum est inquam, senatoria dignitate indignum, tantopere saltubus, ac numerosa pedũ glomeratione delectari; vt propterea huiusmodi hominem, licet honesto loco natum, & maiorum titulis nobilem, è Senatorum albo, nulla penitus mora postposita duxerit eradendum. Videlicet nil leue, nil modicum, nil parui faciendum est, quod motum non dicam integritatem ledere, sed grauitatem solum minima etiam ex parte minuere videatur.

Tursel.

Domitiani sententia in Senatorem saltantem.

Consule P. Io. Antonium Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. ad c. 1. ver. 10. Adnotat. moral. 3. 4. 5. & 6. vbi nil parui faciendum prosequitur copiosè.

Videatur etiam P. Didacus de Baeza, tom. 2. commentar. moral. in Euang. histor. lib. 11. cap. 7. §. 9.

Hoc argumentum illustrabis ijs, quæ inuenies apud P. Franciscum de Mendoza tom. 1. in cap. 1. Reg. Annotatione 10. circa litteram sect. 1. num. 15. sub titulo: Prima lex de non bibendo vino. Et apud eundem tomo citato in cap. 2. num. 26. Annotatione 21. circa litteram sect. 2. sub titulo. Primus admonitionis de sectus lege nu. 4.

Rem quoque propositam firmabit quod habet idem P. Franciscus de Mendoza, tom. 2. in cap. 3. Regnm num. 10. Annot. 2. circa litteram sect. 1. num. 21. & vltimo.



IN

IN CAPVT QVINTVM à Num. XXI. ad XXVII.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cũ eo: ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, nõ exies inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem.

PARADOXVM IX.

Sui carnifex vltor iniuriarum.



VSQVE adeò arduũ eſt acceptaũ ab hoſtili animo iniuriarum nõ vlciſci modò, ſed obliuiſci, & quod humanas quodãmodo ſupra vires eſſe videtur, muneribus reſpondere, & inimicis vices repẽdere humaniſſimas beneficiorũ. Id, inquàm, vſque adeò per difficilè eſt, vt licet Deus A ipſe ſua ad id impetrandum auctoritate vtatur, inquiens: *Ego autem dico vobis*; vix tamen efferata humanarum mentium rabies continere ſe poteſt, quin vlciſcatur.

Enimuerò quanti apud nos deberet eſſe momenti authoritas Dei proprio nominè id expetentis, viderent etiam diuinæ ſapientiæ lumine orbati gentiles; quemadmodum meridiana luce clariùs patet exẽplo perbreui Epiſtolæ comendatitiæ ab Ageſilao ad amicum in hunc modum conſcriptæ. *Nicias ſi te iniuria non affecit, dimitte; ſi iniuſtè agit mihi dimitte, omnino autem dimitte*: Ita Plutarchus in apoph. B Reg. & Imp. circa med. tãti ponderis ſuam auctoritatẽ eſſe debere arbitrabatur Ageſilaus, vt Niciam, quauis illata iniuria, duceret dimittendum. *Si iniuſtè agit mihi dimitte*. Eſto per ſummã iniuriam fas omne perturbauerit improbus hoſtis tuus: audi tamen quis dicat: *Mihi dimitte*. *Ego autem dico vobis: Omnino omnino, ſcribebat Ageſilaus, dimitte*. Simili vtitur fundamẽto ratiocinatio Annibalis Scipionem alloquentis apud Liuium lib. ſecundi belli punici decimo, vbi ait. *Veſtri quoque, vt audio, patres non nihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem, Annibal peto pacem*. C Attende quid ſit præ oculis habendũ, nempè dignitas eius, qui pacẽ petit. Vnde apud Homerum lib. Iliad. 9. Phœnix monet Achillem ne conditionem Agamemnonis ab Vliſſe, & Diomede in eam rem legatis oblatã renuat, nominatim ob huiuſmodi legatos ex omni cœtu Grȩcorum nobiliſſimos. Tanti ſemper, vel ſola interpoſitȩ auctoritas perſonæ eſt facienda. Qui pacem petit, qui ignoſcẽdum poſtulat, qui conciliatoris Prouinciã ſuſtinet Deus eſt. *Ego autẽ dico vobis* Quidquid ſit iniquum, acerbum, impium, D quod toleraſti, examinãda eſt petentis cõditio. Vera ſunt hæc, quia tamen rerum noſtrarum amore mouemur ſæpenumero vehemẽtiùs, quàm rationibus, vel auctoritate operepretium erit videre, quo pacto noſtra potiùs quàm inimicorum interſit, ſi ignoſcamus. Quandoquidem ſui carnifex vltor iniuriarum non immeritò prædicandus eſt. *Si contra tua precepta*, hiſce verbis Deum ſuum alloquitur S. Auguſtinus, *hominem oderis, cum ſit homo, quaſi verò quemlibet inimicum hominem*

Niciæ parcendum quia Ageſilaus iubet. *Plut.*

Liuius. Pax dãda, quia Anibal petit.

Homer. Interpoſitæ perſonȩ dignitas ſpectanda.

S. Auguſt.

Infestus sibi, qui hostem persequitur.

perniciosius sentiat, quàm ipsum odium, quo in eum irritatur, aut vastet quisquam persequendo alium grauius, quàm cor suum vastat inimicando. Ita lib. 1. Confess. c. 18. grauiùs tibi noces, quam hosti, quicumque alium odio prosequeris; quod ne videatur alicui percipi nõ posse, perspicuum adeò est, vt sapiens Seneca, solo naturæ lumine id perspexerit, vt enim Neroni mites suadeat mores huiusmodi vtitur ratiocinatione: *Animus reipublicæ tu es, ille corpus tuum: vides, vt puto, quam necessaria clementia sit. Tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam improbis ciuibus, non aliter quàm membris languentibus.* Ita cap. 5. lib. 1. de Clementia initio: magnificè videri possent, & splendide, minùs fortasse verè dicta, nisi Apostoli moneremur oraculo ad Rom. cap. 12. num. 5. *Multi vnum corpus sumus, singuli autem alter alterius membra.* Quàm verè: inimico qui parcit, parcit sibi.

Seneca.

Sibi parcit, qui delinquẽti parcit.

B

Ad Rom. 12. Fideles, vnum corpus.

Sui hostem huiusmodi hominem, qui odio inflammatur in proximum, declarat S. Cyprianus dum ait: *Nullius magis, quàm tuæ salutis inimicus es. Quis quis ille est quem telo persequeris, subterfugere, & vitare te poterit: tu te fugere non potes vbicumque fugeris, aduersarius tuus tecum est, hostis sẽper in pectore tuo est.* Ita ser. 2. de telo, & liuore paulo ante med. Charilli sapiens pronunciatum refertur à Plutarco in apopb. Reg. & Imp. circa med. Audaculum nescio quem, cũ Heleto asperè se, & iniuriosè gerentem, sic allocutus est. *Per Deos te interfecissem, nisi iratus essem*: quasi diceret nequaquam tibi parco, æquum enim esset, vt tuam plecterem temeritatem, sed mihi parco; quia perniciosum, & iniquum est impotentis iræ æstibus agitari. *Pulchrum valde est*, loquitur S. Leo, *& diutina beneuolentia cõparandum sui quemque in altero meminisse, & amare propriam etiam in hoste naturam.* Ita ser. 8. de Quadra. circa med. Tui memineris: tui miserearis cum in aduersarium odij facibus inflammaris. Ex quo tandem percipio cur feris ferior sit habendus, qui inimico non parcit ex sententia eloquentissimi Cypriani, videlicet, fera nulla adeò fera est, vt sæuiat, Deo prohibente, *Danieli*, verba S. Cypriani, *in Leo-*

S. Cypr. Cor sui hostis, qui hosti non parcit.

C

Plut. Charillus parcit quia iratus.

D

S. Leo. Suam in hoste amare naturã, diuinum.

S. Cypr.

A

num lacu iussu regis incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes et parcentes homo Dei pascitur. O humanæ malitiæ detestanda crudelitas, feræ parcũt, homines insidiantur, & sæuiunt. Ita ser. 6. de orat. Domin. paulo post med. continere me non possum, quin dicam, si non vis hosti parcere, parce tibi.

Feris ferior, qui non parcit Deo iubẽte.

Recolendum Ludouici XII. Galliarum Regis responsum refert Io. Boterus lib. 1. dict. memor. aliquantò ante med. Hic antequam ad Regium eueheretur fastigium, Aurelianensis Princeps grauissimas gessit inimicitias cum dinastis non nullis, à quibus vt sæpiùs, ita magni momenti iniurijs affectus, dicitur tandem imperij susceptis habenis, rogatus, vt vlcisceretur acceptarum iniuriarum, respõdisse: Vlciscerer sine dubio, nisi mihi parcere satiùs ducerem, quàm poenas ab hostibus repetere, & quia Regem dedecet vltorem se præbere; non tàm mihi infensis, quàm mihi vt ignoscam volens obliuiscor iniuriarum. Non poterat sanè opportunius respondere etiam ex eorum sententia, qui maximè efferato sunt animo, & vindictæ percupidi. Sapientissimum, inquam, Ludouici responsum, & omnino iuxta mẽtem Bernardi apud quem cap. 43. de interiori domo legisse visus est percelebre illud. *Nobile vindictæ genus est, ignoscere victo.* Discamus & nos, & tanti exemplo Regis, & tàm sancti documento Abbatis, piæ genus vindictæ, quo dum innoxiè vlciscimur, non tam hosti parcimus, quam nobis ipsis. Lubet hoc loco obiter, & quasi per transennam respondere ijs, qui forrè fortuna dicerent: acquiescimus libenti animo consilijs hominis adeò religiosi, verum lubet interea persequi inimicum, quẽ vbi redegerimus in angustias, in quibus in nostra potestate constitutus (quod præstantissimo Galliarum Regi contigisse paulò ante dicebatur) facilè fateri cogatur se victum, tunc enimuerò ignoscemus ex animo. Hisce ego vt respondeam non multum laborare debeo, cum sit in promptu aurea Senecæ sententia lib. 1. de Clementia cap. 11. circa med. sic scribentis: *Ego verò clementiam non voco lassam crudelitatem. Hæc est Clementia vera, quæ non sæuitiæ pœnitentia cœpit.* Pudeat Christianum hominem lassam potius quęritare crude-

Boter.

Ludouicus iniuriarum oblitus, vt parceret sibi.

S. Bernard. Vindicta laudabilis.

Seneca.

Citò parcendũ inimico.

crudelitatem, quam inimicum suum, imò se ipsum clementi charitate prosequi, atque complecti.

Perbellè sanè, non Romana tantum purpura, sed eloquentia, ac sanctitate Eminentissimus B. Petrus Damianus, vt aperiat, quid vltrici inflammato iracundia animo, & insano acto furore contingat, similitudinem mutuatur, ex cap. 7. Exodi num. 20. vbi inter reliqua portenta, ad procacem Pharaonis mentem perterrefaciendam, cęlesti virtute exhibita, dicitur in sanguinem versa fluminis aqua. Sic autem habet citatus auctor opusc. 23. quod est de breuitate vitę Pontificum Romanorum cap. 4. circa medium: *Cum ad instar Aegyptiorum fluminum homicidialis animus in odij sanguinem vertitur.* Nil potuit breuius, nil accommodatius proferri; quia furore percitus animus & ad vlciscendum pronus, non secus ac fluuius Aegyptiorum, se se miserandum in modum perfundit sanguine, imò totus in sanguinē vertitur horrifico planè portento: cum inimicum confodere vulneribus arbitratur, se ipsū cruore fœdat, se diris lancinat retibus, & dum manus alieno machinatur abluere cruore, execrandus profectò carnifex scelerat suo.

Exod. 7. Dam.

Vltoris anima sanguinolēta.

Funesto prodigio simile est, quod de Herode, Innocentium cęde, infami monstro crudelitatis, suis scriptis memoriæ mandauit Iosephus lib. 17. de Antiquit. Iud. cap. 8. in hunc ferè modum. *Eò immanitatis pro lapsus est, vt facinus animo conciperet longè atrocissimum. Nam cum è tota ditione nobiliores Iudaeorum ad eum conuenissent, euocati minaci edicto, pœnam capitis intentante non parentibus, infensus ex æquo siue sontibus, siue innoxijs, vniuersos conclusit in circo: accita deinde Salome sorore, maritoque eius Alexa, ait, instare sibi terminum vitæ succumbenti tantis doloribus: quod quidem ferendum esse; quando iuxta communem mortalium sortem accidat. Illud permolestum esse, si carendum sit extremo honore luctus, qui debeatur Regibus: non enim ignotam sibi Iudaeorum mentem esse, quòd optatam suam mortem latis accepturi sint animis, sed illorum esse officij leuamen aliquod præsentis huius doloris decernere: nam si assensum consilio suo præbeant, fore funus longè, quā aliorum Regum honoratius, & manibus*

Ioseph. Iudæi nobiliores edicto acciti.

Barbarum Herodis consiliū.

A *suis gratiam, omnibus per totam ditionem non fictè lugentibus. Ergo quàmprimum viderint se exhalasse animam, debere eos, clausam circo nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiam nunc suum obitum, non prius vulgandum, quàm mandatum executi sint: iubere deinde, vt circumacti vna omnes iaculis configerent. Quibus hoc modo cæsis, duplicem se eis habiturum gratiam, vel quòd mandatorum fuerint memores, vel quòd obitum suum publico luctu honorauerint. Hæc ille cum lacrymis lamentabundus rogatos per mutuam fidem, & beneuolentiam, perque* B *omnia sacra obtestabatur, ne se extremo hoc honore fraudatum vellent: eis contra pollicentibus daturos se operam, vt cuncta iuxta eius mandatum fierent.* Quis hic non admiretur insanam vindictæ sitim? quis non execretur inexplebilem vlciscendæ iniurię nequaquam acceptæ, sed vesana mente conceptæ, auiditatem. Verùm Herodes non multò post miserrimè exclamans præ indignatione, & caput sibi met verberans, morti proximus, animo, quàm corpore infirmior, vita fungitur. Igitur Herodes eo supplicio, quo vindex Deus plectere consueuit vltores iniuriarum, quibus solemne C est in ipsos suis met manibus sæuire; tàm atrocis flagitij pœnas dedit. Disce tandem, mortem sibi consciscere, qui iratus vlciscitur, vt saltem à tanto facinore, tui & quidem omnium extremi, atque grauissimi metu supplicij coercearis.

Miserrima mors Herodis.

Qua in re, vt in rebus omnibus, maximi semper apud me ponderis est futura auctoritas Augustini quem cum nomino, validissimū nomino malleū hæreticorum, vt verbis vtar S. Bernard. ser. 80. in Cant. nō multo ante finem, Augustinus siquidem arbitratur eum iniuriam pati. non qui ac- D cipit, sed qui infert, adeo vt qui malum aliquod inimico molitur, non tam inimico, quàm sibi noxius iure merito habeatur. Consule Homil. 61. in cap. 18. Matth. vbi explicans illud Deut. 19. num. 15. *Assume tecum vnum, aut duos: vt in ore duarum, aut trium testium stet omne verbum* ait: *Nam & medicus cum grauiorem viderit morbum, non desistit, nec molestia oppressus desinit; sed ad ferenda remedia diligentiùs se accingit, quod nos quoque facere iubet, quoniam enim solus imbecillior visus*

Augustin. malleus hæreticorum. S. Bernard.

Deut. 19. S Aug.

visus es, adiectione duorum fortior factus, argue delinquentem. Perpende quia non solùm eius, qui lacessitus iniuria est, verùm etiam lacessentis vtilitatem quarit. *Nam verè passus iniuriam is certè est, qui passione victus succumbit: is, inquam, est, qui morbo captus laborat.* Igitur vt assentiar Augustino, monebo in hunc modum: O cupidi vindictæ, si minus vestris hostibus vultis parcere, parcite vobis, & desinite, obsecro, in alios sæuire, quandoquidem hoc pacto sæuiendo in vos ipsos euaditis efferatiores.

Patitur iniuriam, qui infert

Peracutè Seneca quasi vitæ longius producendæ remedium allaturus, monet satiùs esse dissimulare iniurias, quàm vlcisci, sic autem scribit lib. 2. de Ira cap. 33. sub initium. *Notissima vox est eius, qui in cultu Regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret, quo modo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem, iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.* Capiat te iniuriarum obliuio, vt Nestoris ætate perennes; cruentus quippe sui carnifex; & plusquam parricida, vitæ sibi rescindit stamina, vltor iniuriarum. Rem illustrabit exemplo idem Philosophus, qui Magni Macedonis gesta describens, disserit in hunc modum: *Multi sunt, qui ante se agant agmina, & tergis hostium graues instent, & ad mare magnum perfusi cæde gentium veniant: sed hi quoque, vt vincerent hostem, cupiditate victi sunt. Nemo illis venientibus restitit, sed nec ipsi ambitioni, crudelitatique restiterant. Tunc cum agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena deuastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanum qui à Græciæ primum cladibus, in qua eruditus est, incipit, qui, quod cuique optimum est, eripuit? Lacedæmoniam seruire iubet, Athenas tacere. Non contentus tot Ciuitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco proijcit, & toto orbe arma circumfert: nec subsistit vnquam lassa crudelitas immanium ferarum modo, quæ plusquam exigit fames, mordent. Iam in vnum regnum multa regna coniecit. Iam Græci Persæque eundem timent, iam etiam à Dario liberationes iugum accipiunt: idē tamen vltra Oceanum Solemq. indignatur ab Herculis, Liberique vestigijs victoriam flectere. Ipsi natura vim parat. Non ille ire vult; sed non potest stare: non aliter, quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse.* Hæc vsque Seneca epist. 95. paulò ante finem, quo præceptore tàm disertè, tàm copiosè docente, beotico sit ingenio qui non perdiscat, inferre prius ipsum sibi manus, qui in hostes infesto furore sæuiat: neque enim vincere potest hostem, nisi vincatur ipse cupiditate, neque alios agere, nisi ipse præceps agatur, lassescit crudelitas, ac planè deficit debilitate, quæ inimico impetu insurgit, ac fertur, quæ solum tunc stare poterit, cum lassa iacebit. Præclarum enimuerò genus victoriæ, quo se perimit victor, dum hostem conatur perdere. Ergo ne iaceas, ne præceps ruas, ne te discerpas, atque dilanies, hostibus parce; quia semper sui carnifex est vltor iniuriarum.

Seneca.

Obliuiosi iniuriarum viuunt longius.

Alexander furijs actus in summo dominatu.

Sibi sæuit, qui sæuit in hostes.

His adde, quæ habet P. Didacus de Baeza 1. to. commentar. moral. in Euang. histor. lib. 4. cap. 5. §. 5. & tom. 3. lib. 14. cap. 7. §. 3.

Similia suppeditabit idem Auctor to. 3 comment. moral. In Euang. histor. lib. 16. cap. 8. §. 15. cuius argumentum est. Præiudicia proximis facta in iudicio Dei summum subeunt discrimen.

Hæc cum laude reuocabis quę inuenies apud P. Io. Antonium Velasquez in psal. 100. siue de optimo Principe lib 4. adnot. moral. 12. cuius argumentum est. Regiam clementiam veræ fortitudinis specimen esse, & quæ dignam Principe de hostibus victoriam referat. Videantur pręcipuè, quæ habentur num. 7. & 8. huius adnotationis.



IN CAPVT QVINTVM à Num XXVII ad XXXIII.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Nō moechaberis. Ego autē dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam moechatus eſt eam in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandelizat te, erue eum, & proijce abs te, expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandelizat te, abſcide eam, & proijce abs te: Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum eſt autem: Quicumque dimiſerit vxorem ſuam det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis. Quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam moechari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

PARADOXVM X.

Voluptas deuaſtat, non delectat.



TINAM, & ſæpiùs, & attentiùs prauorum amatores cupiditatum ſecum animo voluerent, ac ſedulò contemplarentur, quanto ſtudio Chriſtus Dominus, Sapientia Patris omnibus, ſi di-A cere fas eſt, & ingenij conatibus, & viribus eloquentiæ contendat abradere penitus ab hominum animis corruptæ carnis illecebras voluptuoſas: Illud in primis perpendendum eſt in hanc gratiam non modò rationum afferri momenta, ſed intentari minas, memorari inferni pœnas, decerni ſatius eſſe oculos eruere, ac membra reſcindere, quàm tàm fœda, & quidem ſolum animo conceptæ maculæ tàm turpi fœditate coinquinari. Enimuerò magna ſunt hæc, & ad hominum animos ad pudicæ ſtudium integritatis inflammandum maximè opportuna. Liceat tamē B mala tàm grauia, atque tàm pernicioſa incommoda ab vno quaſi fonte deriuare, dicamusque generatim voluptatem deuaſtare, non delectare; quaſi vero intelligamus Chriſtum Dominum dicere: voluiſse fœdam voluptatum contagionem ſecum trahere vulnera, membrorum reſciſsionem, oceiſorum lanienam, quidquid ferum, quidquid inhumanum, atque immite poteſt animo comprehendi, atque vno verbo miſerandam; ac lacrimabilem vaſtitatem.

Docet id ex D. Paulo ad Galatas 1. Magnus Leo ſerm. 1. de quadrageſima C paulò poſt initium in hunc modū: *Sunt intra noſmetipſos multa certamina, & aliud caro aduerſus ſpiritum, aliud aduerſus carnem ſpiritus concupiſcit, in qua diſſenſione ſi cupiditates corporis fuerint fortiores; turpiter animus amittet propriam dignitatem, & pernicioſum erit eum ſeruire, quem decuerat imperare.* Dominatus eximij, ac dignitatis præcelſæ non quomodocunque, ſed turpiter facere iacturam, quantum, ac quale malum ſit tecum obſecro paulisper reputa memor illius Senecæ apophtegmatis lib. 2. de be-D neficijs cap. 19. circa finem dicentis; *magna imperia, commune ſeruitutis aeruum*: Heu miſer, natus ad imperium, redactus à voluptate vaſtatrice in ſeruitutem, conſors fies eorum, à quibus odio haberis. Ergo ipſe tempore Imperator ſeruis inuiſus, ſeruus fies? Profectò, Natura duce, ſeruire refugit, & maximum ducit malum hominis animus ad præclara natus, ac ſumma factus. Miſeret me eorum, quos deuaſtant adeò carnis blanditiæ, vt in turpem etiam adducant ſeruitutem. Iſtis ego in memo-

Ad Galat 1. & Leo.

Spiritus ab inimica carne captiuus.

riam

tiam renoco ingenuum quemque, tantoperè à ſeruitute præſertim abiecta abhorrere conſueuiſſe, vt olim Perſæ, qui nullo pacto tulerunt, vt quiſquam exteris populis deſeruiret: Sicionij quot annis ſolemni titu eius diei memoriam recolebãt, quo ſeruitutis iugum excuſſerant, quemadmodum ſcribit Lampridius in Alexandro. Ne longum faciam auerſatur adeò humana mens dedecus ſeruitutis, vt nullum non ſubire genus infortunij malit, quàm in ſeruitutem adduci. Hinc Troianæ mulieres ſatiùs duxerunt filios in Zanto flumine natos demergere, quàm vaſtata ab hoſtibus Patria, captiua deprimi ſeruitute: ſimili magnanimitate eamdem ob cauſam Cantabricæ fœminæ proprijs manibus mortē filijs intulerunt, & quæ inſtar omnium eſſe poteſt Polixena Regiæ ſtirpis puella exclamat: en pectus, en cor hoſtilium ſcopus vulnerum, gratiùs mihi futurum eſt ferro collum, quam iugo ſubdere ſeruitutis. Videatur Strabo 3. Georg. nos interea intelligamus, quàm promptè refugere par ſit ab eo hoſte, qui delectare dicitur, ſed re vera deuaſtat immaniſſimè, dum ſeruitutis, & quidem turpiſſimę iugo deprimit, atque conculcat. Videlicet parum eſt carnis deprauari illecebris animũ, locupletiſſimis virtutum bonis mentem ſpoliari, corpus infici, hoſtilem in modum concuti, atque vexari, niſi ſuperbo pede deprimat, atque conculcet duriſſima, atque abiectiſſima ſeruitute vaſtatrix planè voluptas.

Troianæ filios necant, ne ſeruiant.

Similiter Cantabricæ.

Ingenui mori malunt, quam ſeruire.

Strabo.

Quorſum verò pluribus vtimur huiuſmodi noſtro marte prolatis; cum ſit in promptu ſummi Dei monitum, & quidem dilucidum, ac diſertiſſimum. Conſule cap. 28. Prouerbiorum num. 30. vbi liquidò cognoſces, quibus incommodis noſter animus afficiatur à diuerſo peccatorum genere, ſimilitudine ingenioſiſſima in hũc modum. *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Quid ſignificant vrticæ, niſi noxias cupiditates, quæ ab inerti otio ducunt originem. Quid ſpinæ, niſi diuitiarum ſollicitudinem, ſi Chriſtum Dominum audiamus Matth. 13. num 22. dicentem; *qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui ver-*

Prouer. 28.

Infelix improbi ſterilitas.

Matt. 13.

Vrticæ, & ſpinæ quid ſibi volunt.

A *bum audit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallaria diuitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Reſtat igitur, vt inueſtigemus, quodnam genus mali ſignificetur per maceriem lapidum, & tanti auctorem incõmodi perdiſcamus. Interpretem habeo B. Petrum Damianum lib. 6. epiſtolarum epiſtola 32. circa med. ad ſuos heremitas in hunc modum ſcribentem. *Lapidum maceria labeſactata diruitur; quia tota virtutum fabrica, velut impactis incontinentia arietibus diſſipatur.* Quam, obſecro, vaſtitatem miſerabiliorem, quod tam ærumnoſum excidium, quam adeò B calamitoſam ruinam poteſt quis cogitatione complecti? quam ſibi diuina ſapientia domum ædificauit non labeſactatur, non quatitur modò, non excinditur, ac deturbatur, ſed ſolo penitus æquatur, ac omnino diruitur arietibus validiſſimis incontinentiæ. Rem acu tetigiſſe viſus eſt D. Ambroſius lepidiſſimè dum lib. 1. de virginitate ait. *Caſtitas etiam Angelos facit. Qui eam ſeruauit Angelus eſt: qui perdidit Diabolus.* Parum ſibi dicere videbatur, ſi affirmaſſet inhoneſtis moribus detrudi animum in barathrum, in chaos, in C confuſionem rerum omnium; niſi dixiſſet, etiam Diabolum fieri.

Dam.

Incontinentia deſtruit ædificium ſpirituale.

S. Ambr.

Ob iacturam caſtitatis ex Angelo Diabolus.

Percelebrem Tarentini Architæ ſentētiam ſilentij tenebris diutiùs inuoluere nequaquam poſſum, præſertim cum aurea M. Tullij facundia lib. de ſenectute exornata circumferatur. *Nullam ſcilicet*, loquitur Cicero, *eſſe capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis hominibus à natura datam, cuius voluptatis auida libidines temerè, & effrenatè ad potiundum incitarentur; ſi ſemel rationis frena laxentur, animus à præcipiti in omnium vitiorum voraginē lapſu, qua ratione cohiberi queat?* D Quaſi verò quæ damna, crimina reliqua diuiſim inferunt; ſimul omnia ſecum ferat amor improbus cupiditatum, qui propterea apud Apollonium lib. 4. diris laceratur, ac maledictis, quippe qui hominem adducat in omnem miſeriam, exitium, odium, atque calamitatem: ex eo enim, vt apud citatum auctorem videre licet, contentiones, gemitus, luctus, dolores, ſolitudo, vaſtitas, tanquam ex officina malorum procedunt. Neque verò ob aliam cauſam ingenioſiſſimi Poetarum Amori tan-

M. Tull.

Libido omniũ origo malorũ.

Apollon.

tantum virium tribuerunt, nisi vt malum ineluctabile, ac perniciosissimum declararent. Hinc Anacreon cecinit de Amore mortales domare. Hinc Helena in Troadibus apud Euripidem asserebat.

Anacreon.

Vis Amoris.

Qui in alios Deos imperium habet
Huius est seruus.

Amoris dominatus.

Sophocles.

Amor Deorum tyrannus.

Hinc à Sophocle dicitur Dijs imperatrix: hinc ab Anacreonte Deorum Tyrannus nuncupatur, & ne longùm faciam nota illa inscriptione, quæ sub simulacrum amoris legebatur.

Sol calet igne meo, flagrat Neptunnus (in vndis
Pensa dedi Alcide, Bacchum seruire (coegi.

Hac, inquam, inscriptione quatuor præcipua cæcæ gentilitatis numina, Sol, Neptunnus, Hercules, Bacchus, superata dicuntur, vt intelligamus tantum esse amoris imperium, vt subijcere, ac pede superbo calcare nouerit etiam eos, qui dignitate cæteris præstant, ac sapientia antecellunt. Superbus amor est, & si semel tabernaculum fixerit, si redegerit in seruitutē, non faciet sibi satis, nisi ad abiectissima quæque compellat; hoc est proterat, conculcet, atque deuastet; hoc est imperio, vt dicebat Anacreon, Tyrannico dominetur.

Aristot.

Maioris sine dubio ponderis est futura auctoritas Aristotelis Principis Litteratorum, quem in hac re ingeniosissimum, & sapientissimum habebimus monitorem. Etenim lib. 2. Ethicorum cap. 9. circa med. concludit. Sapientium esse imitari Troianos Senes, qui Helena visa, admirati quidem eximiam elegantiam, ea tamen capti non sunt; imò potius incredibili moderatione animi, eam ad Argiuorum naues relegandam esse asserebant, ne diutius ærumnarum centurias, quibus affligebantur miserrimè in Troianam Vrbem importarent. Intendat hoc loco mentis aciem Christianus animus, & percipiat Troianæ vastitatis proposita specie, hanc nō alio fonte cadere, iudicio etiam Ethnicorum, quàm à formosæ mulierculæ venustate. Itaque blanda licèt arrideat, & speciosa carnis deprauatæ voluptas; eam tamen arcebis longè, vtpote maximarum originem calamitatum; eam, inquam, cuius gratia, animus non decennali modò, sed perpetua non tantò vexatur hostilitate. Hisce ego, vt verum fatear, præclaris licet monitis diutiùs non immorabor, quia pudet me Ethnicos habere morum institutores, ac veræ sapientiæ coriphæos.

Troiani senes imitandi.

Ab Helena troianum excidium.

S. Hieron.

Isa. 65.

Immolare in hortis quid significet.

Adest sacrorum voluminum Commentator egregius S. Hieronymus in illud Isaiæ 65. num. 3. *Populus, qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam semper, qui immolant in hortis*. Enimuerò longè deteriora expectabam ad exaggerandam improbę gentis, & Deo inuisæ impietatem; quam vt diceretur (*immolant in hortis*) Et quod, obsecro, flagitij genus tàm nefandum, tàm scelestum, tàm sacrilegum est, quod summam molitoris optimi bonitatem prouocet ad iracundiā? respondet Hieronymus; *ne quid verò deesset sacrilegio, immolabant in hortis, iungentes idolatriæ luxuriam. Hoc dictum sit iuxta litteram*. Hæc Commentario in caput citatum non longè ab initio. Perindè ac si verum sacrilegium minimè perpetrare credendus fuisset desertor populus, nisi Idolis sacrificando, luxuriæ obediuisset. Iam verò tenes, quid vallum diruat, aut aggeres destruat, quibus religiosus munitur animus, ne iracundia inflammati Dei proteratur penitus, ac conculcetur. Tenes inquam, solam luxuriam esse deuastatricem. Quare quis non exclamet, quale hoc mōstrum est, quàm portentosa luxus sacrilegio deterior, idololatria perniciosior. Vnde, nisi fallor, magno cum pondere, quod Nahum cap. 3. num. 4. legimus: *propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis*. Vertunt septuaginta Interpretes: *meretrix speciosa, & grata dux maleficiorum*. Videlicet anima titillantium voluptatum corrupta blāditijs, non modò pro vænalibus habet mācipijs sectatores suos, verùm etiam dux est maleficiorum. Examinanda est metaphora; quæ à re militari petitur. Crediderim equidem, ducem appellari maleficiorum, vt potissimum relinquatur testatum posteritati ita percitam in morem ducis in perniciem, ac vastitatem corporis, animæque voluptates furere, ac debacchari. Dux est maleficiorum impunis animus, vt pro comperto habeamus, nihil tàm impium, nihil tàm criminosum, nihil

Quàm Deo inuisa luxuria.

Nahum 3.

Luxuria bellico impetu proterit animum.

tàm

tàm fcelestum, nihiltantoperè probitari, ac religioni repugnans inueniri, ad quod perpetrandum chorum non ducat, & se ducem non præbeat; vt dici non immeritò queat, *Meretrix dux maleficiorum*. Igitur si nihil sanctum remanet, nihil innocens, aut impollutum, dirutum Dei templum flammis, atque incendio consumptũ domicilium sanctitatis, obortis lacrimis defleamus.

Val. Max.

Placuit mihi semper Valerij Maximi acumen ingeniosum, quod ipso initio c. 1. lib. 9. expressit his verbis: *blandum malum luxuria, quam accusare aliquantò faciliùs est, quam vitare.*

Luxuria accusatur non vitatur.

B Crediderim dicendum esse, quam accusare longè facilius est, quã vitare; ecquæ pernicies, Deus immortalis, eius criminis, cuius tanta labes est, vt licet ab omnibus vituperetur, ferè tamen ab omnibus adametur. Quàm noxium flagitium, quod eosdem habet vituperatores, quos sectatores, & nocet ijsdem, à quibus, vt noxium exsibilatur. Hoc equidem ingeniosum est apophtegma, sed non satis aperit, quod damnum inferat flagitium ab ipsis accusatoribus adamatum. Id porro potissimum est, vastitatem inferre luctuosissimam, quemadmodum, petito à M. Tullio exemplo gemino, patebit clariùs.

Cic.

C Quorum alterũ suppeditabit Orator in Rullum, vbi inuictum commemorat armis Annibalem, Amilcharis filium, quem licet magnanimitatis exemplar, arcem fortitudinis, viuum, ac spirans militaris roboris propugnaculum, Campana tamẽ luxuria, largis dapibus, vnguentorum fragrantia, lasciuientis Veneris blanditijs fregit penitus; illum scilicet, quem Romanus miles, neque armorum impetu, neque militaribus insidijs, neque ferro, neque igne, neque vi deterrere potuerat: alterum ex eodem, lib. Tusc. 5. petimus à Xerse, qui

Annibal voluptatibus fractus.

Xersem voluptates perdiderunt.

D inter lautitias, & diuitias opulentissimi regni eò vsque luxuria gauisus est; vt publico consueuerit edicto proponere præmia, eaque ingentia, cuicumque nouum voluptaria genus reperisset; quibus blanditijs non modò regni iacturam passus, sed suis etiam exosus, miserrimè fuit à domesticis interemptus. Igitur quid tàm perniciosum est, quam illud crimen, quo virtus arteritur, fortitudo labefactatur; dilabuntur imperia, animi pariter, & corporis

A amittuntur bona, expugnantur vires; nullus capitalior hostis, nullum dãnum grauius, nulla lues miserabilior; nulla denique vastitas calamitosior.

Quod, & Platonis institutum, & eiusdẽ instituti allata ab Augustino ratio pereleganter declarabit vberiùs. Nouimus omnes sanxisse Platonem Poetas Ciuitatibus expellendos. Huiusce legis rationem si nescis, disce à S. Augustino lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 13. paulò post medium sic fante. *Ille*, nempè Plato, *nec tàm malos timendos putat, sed suæ sententia robur constantissimè retinens, omnes Poetarum sacrilegas nugas, quibus illi per immunditiæ societatem oblectantur, à populo bene instituto remouere non dubitat.*

Platonis lege Poetæ expellendi.

S. Aug.

Plato, quem inter Semideos reponẽdum esse ob eximiæ cõmendationem sapientiæ censebat Labeo iure quidem arcendos sanxit Poetas potius, quàm scelestos, quia nulla maior est corruptela morum; quàm ea, quam blandè inferunt nugæ lasciuiẽtium voluptatum, mollissimæ conciliatriculæ; nulla adeò virulenta, ac adeò noxia pestis est, quæ ferri non possit, si conferatur cum animorum corruptela deprauatæ carnis blandimento, quod diruit, ac destruit miserandum in morẽ. Demur aures attentæ Senecæ epist. 105. in fine ad Lucullum scribenti: *Respuenda sunt: voluptates eneruant, & effœminant, & multum petunt.* Scitè dictum sed parum: benè est, non effœminant modò, sed subruunt, non eneruant, sed labefactant, sed perdunt.

Qualem perniciem afferant voluptates.

Seneca.

Venit in mẽtem quod scribit Dio orat. 70. de Græcis, & Troianis, quos diuturno, & grauissimo decem annorum prælio decertauisse notum est. Isti porrò decepti miserè, toto cœlo aberrauerunt à veritate. Siquidem tot funeribus, & periculis, tot incommodis, & ærumnis, non pro Helena, vt falsò arbitrabãtur, sed pro fallaci eiusdem simulacro decertauerunt. Etenim nequaquam Troiæ inter Priami nurus morabatur Helena, sed in Aegypto cum Polidamna viuebat. Idem fortasè miserãdo infortunio dicere possumus contingere ijs, qui delicias quęritant inter sensus, & carnis illecebras. Miseri pro inanissimo decertãt simulacro, & quẽadmodũ Troianis accidit, nanciscẽtur pro voluptate vastitatem. Quod cùm verissimum sit, profert

Dio.

Quæ causa Troiani belli.

ferre

ferre in medium non erit ab re Epicurum, quis credit, pro integritate, contra corruptelam carnis perorantem, ac parum abfuit, quin dicerem concionantem. Sanè apud Senecam lib. de vita beata cap. vltimo paulò ante finem, hæc leges: *Cum ipse dicat Epicurus, se recessurum à voluptate, dolorem etiam appetiturum, si aut voluptati imminebit pœnitentia, aut dolor minor pro grauiore sumetur.* fugienda itaque, & quidem citatissimo cursu voluptas, etiam persuadente Epicuro, quoniam non modò pœnitentia imminet, sed grauissimum infert malorum, extrema calamitatum illata vastitate. Tandem in nostram venit sententiam sapiens Romanorum procerū iudicio Manlius Consul, cuius celebris oratio est, apud Liuium lib. 38. vbi his alloquitur verbis milites suos. *Vobis, me hercule, Martis viris cauenda, ac fugienda, quàm primum amœnitas est Asia. Tantū ea peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum possunt. Tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet.* Disce quid valeant effœminatæ deliciæ, nimirum vigorem animi frangere, ac labefactare: Disce qua ratione etiā militaribus assuetos laboribus, voluptatum illecebræ perdere possint penitus, ac deuastare. ¶ Quod cum ita se habeat, quibus non prosequemur lacrymis insaniam hominū stultissimorum, qui nullum non mouēt lapidem, vt seruiant voluptati. Sanè Philo lib. de Agricultura, hæc habet. *Vulgus hominum adit varios tractus vsque ad extrema terræ, traijcit mare, sinus eius omnes penetrat, nullam partem huius vniuersitatis imperscrutatam relinquit, tantum vt illa colligat, quæ fatiunt ad cumulādam voluptatem.* Et post pauca. *Terra metalla perquirunt, vasta maria traijciunt, omnia bella, pacisque exercent negocia, parantes materiam copiosam voluptati, ceu Reginæ.* Pat profectò est, vt in posterum, si sapimus, à voluptate tanquam ab infensissima vastatrice abhorreamus.

Cuius quidem veritatis, quoniam plures sunt in promptu testes, ijq. locupletissimi, de Principe gentiū Romā nihil attinet dicere, de qua, post deletā à Scipione Carthaginē, sic scribit S. Aug. lib. 3. de Ciuit. Dei ad Marcellinū, c. 21. paulò ante med. *Tunc primum per Cn. Manlium Proconsulē de Gallograciis triumphantem, Asiatica luxuria Romam omni hoste prior irrepsit: tūc enim primùm lecti ærati, & pretiosa stragula visa perhibentur. Tunc inducta in conuiuia psaltriæ, & alia licentiosa nequitia.* Enimuerò L. Cornelius Scipio cognomento Asiaticus, qui transitu suo in Asiam, Antiocho Rege deuicto vno memorabili prœlio Asiam vberrimam prouinciam vectigalem populo Romano fecit, ac periculosissimo bello finem imposuit, hic, inquam, Scipio, maximum suo patriam beneficiū cōtulisse credendus esset, nisi miseriore lōgè vastitate à luxu, ac voluptate illata, florētissima olim Respublica fuisset afflicta. Silebo propterea Hannibalē ipsum tot cladibus inuictum, fractum, debellatum q. & cāpaniæ delicijs effœminatū. Silebo Tiberiū Neronem, delicijs confectum, ad Misenū extinctum, miserabili documento, princpē armis munitū, voluptatibus expugnari penitus, atque eneruari. Hæc, inquā, & his similia sexcenta silebo, quibus luculentiſ. simè euincitur voluptatem deliciarū amatores dilaniare miserrimè, dilacerare, cruētare, discerpere diro modo, omnino sine modo, planèq; impetu furiali. Illud solum innuere liceat paucissimis, quod de Attila Hunnorū Rege ex antiquorum annalibus refert noster Causinus in sua narratione, cui titulus est, Pietas fortunata, aliquāntò post med. Attila, inquam, Gallis, Gothis, Italis expugnatis, victorijs ferox, vniuersū penè terrarum orbē inualerat populabundus, sed ecce in patriā reuersus, is qui fuerat gentium fortissimarū expugnator, turpi amore, ac vastatrice voluptate concidit expugnatus. Etenim depraūatis corruptus voluptatibus, captua potissimū dicitur amore vehemētissimo fœminæ cuiusdā, cui nomen Hildicon. Hāc cum vxorem duxisset Attila, in ipso nuptiali conuiuio acerba morte peremptus, suo docuit funere, bello inuictum ducē, nullo hoste citiùs, aut miserabiliùs, quàm blanda voluptate necari. Quippe siue inter ipsas epulas, vt aliquibus placet, ingēti vi sanguinis emissa, suo cruore suffocatus interijt, siue, vt alij asserunt, maritali in lecto, inter amatæ cōiugis amplexus, è viuia excessit, meritò sanè, vel pro lautitijs regij cōuiuij, vel pro blanditijs thalami nuptialis pharetrum nactus, quia nusquā tutus est, quem non hostiles acies insectātur, sed deuastant mollissimæ voluptates. Cū itaque maneat, vel prima

Seneca. Et Epicuro suadēda voluptas. Liuius. Frangunt voluptates. Philo. Regina voluptas summo studio quæritur. S. Aug. Roma voluptate vastata. Hannibal delicijs debellatus. Nero delicijs expugnatus. Causin. Attila victor. Attila delicijs necatus.

nocte, vel inter primas maritalis tripudij epulas, diē obijsse Attilam, inglorium cupiditatū mancipium; vtinam in posterū non sint multi, quibus voluptatibus corruptis, idem sit accumbere, & occūbere: vtinam discant effœminati animi, atque corrupti, nunquā prædicari veriùs, somnum mortis esse germanum, quàm cum inter effrenatas obdormiscimus cupiditates.

Testis mihi sit populus Israel, cuius exercitus, cū neque vi, neque fraude bellatorū vinci posset, solo pulcherrimarū aspectu mulierū debellatus fuit, ac penitus deuastatus; quēadmodum Origenes scriptum reliquit. Vsque adeò cōlonat vesita ti, à mollibus depravatarum deliciarum blandimentis, vastitatē afferri potius, quā voluptatē. *Balaam*, loquitur Origenes, *posteaquàm Dei virtute constrictus, non est permissus maledicere Israel, volens tamen placere Regi Balach, ait ad eum, sicut scriptū est: Veni cōsilium do tibi: & quid consilij dederit, ibi nō apparuit: In posterioribus tamē ipsius libri Numerorū scriptū refertur. Sed pleniùs in reuelatione Ioannis: vbi ita continetur. Habes, inquit, ibi doctrinam Balaā, qui docuit Balach, vt mitteret scādalū in conspectu filiorū Israel, vt manducarent Idolis immolata, & fornicarentur. Ex hoc ergo apparet, quod nequitia vsus sit Balaā, & consiliū dederit Regi, talia quædā dicens ad eū; populus hic non proprijs viribus, sed Deū colendo vincit, & pudicitiā conseruando: si vis eum vincere, primò eorū pudicitiā deijce, & spōtè vincentur. Sed aduersum hæc nō virtute militū, sed mulierū decore pugnandū est: nec armorum vigore, sed mollitie fœminarum: procul hinc procul amoue armatorū manū, & electum congrega speciem puellarum: ludentes pedibus eāt, manibusq. plaudētes: forma vincit armatos: ferrum pulchritudo captiuat: vincentur specie, qui non vincuntur prælio; verū vbi senserint eos, mulieres Moabitæ, vel Madianitæ, manus dedisse libidini, & peccato inclinasse ceruices, non priùs semetipsas cupientibus præbeās, quàm de sacrificijs idolorum acquieuerint degustare, vt cogēte libidine consilijs obtemperent fœminarū, & consecrentur prius Beelphegor, quod est idolū turpitudinis. Hæc fuerunt cōsilia Balaā, quibus acceptis, Rex Balach parat cōtinuò exercitū non armis virilibus, sed fœmineo ... compositū: nō furore bellico, sed libidi-*

Origenes.

Balaam consilium noxium.

Forma vincit armatos.

A *nis flāma succensū: nullā refrænat pudor, nullā prohibet verecūdia. Amor patriæ, & virorū gentis conspirans pariter in lasciuiā, & ad decipiendū proba existit improbitas. Proh nefas! vix prohibetur libido legū minis, vix gladij terrore reprimitur. Quid sceleris nō perpetret, vbi facinore suo placiturā se mulier Regi credidit, & salutē patriæ quæsiturā. Captiuantur ergo Israelitæ non ferro, sed luxu, nec virtute, sed libidine.* Huc vsque Origenes to. 1. ho. 20. in c. 25. Num. ipso init. Hoc idem impium nefarij Balaā cōsilium, quo Balacis Regis animū,

Israelitæ inuicti ferro capiuntur luxu.

B cæteroqui etiā Hebræis infestum, stimulis odij acrioribus inflāmauit studio nocendi, paucioribus refert Philo in hunc modum lib. 1. de vita Mosis nō multò ante finem: *Sūt in tuo regno mulieres formosissimæ, nec alia re vir faciliùs capitur, quàm mulieris eximia specie, harū pulcherrimas, si permiseris ob quæstum vulgare sua corpora, hoc hamo capietur iuuētus hostiū.* & paulò post *Atque ita pertracti à suismet cōcupiscentijs, nihil non vel patientur, vel faciēt.* Vtinā Balaā dicta exitus non probasset; vtinā tam infœlici successu caruisset, malè adeò

Philo.

Nil non violant concupiscētiæ.

C præsaga vox. Nēpe Dei populus turpi prauæ cupiditatis seruituti addictus, nō integritati modò, sed pietati, sed religioni, sed sacris, sed Deo nunciū remisit. Verissimo sanè vaticinio prædicitur ijs, qui obscœnis depravantur voluptatibus. *Nihil non vel patientur, vel facient.* Nimirum nihil tàm sanctum, nihil tàm inuiolabile, nihil tam rationi consonum est, quod impudicitia delere penitus, ac violare non possit.

Propterea, vt scribit Tacitus lib. annal. 2 & Suetonius etiam refert in Tiberio c. 35. Iunio Silano, & Norbano Flacco Cons. iubente Tiberio, grauissimis Senatus decre-

Tacit.
Suet.

Lex lata contra impudicas.

D tis fœminarum libido est coercita, cautūq. ne quæstum corpore facerent. Enimuerò quia sanctam volebant, ac rectam Rempublicam, æquum fuit, vt hostem omnium capitalissimum, libidinem longissimè ab imperij florentissimi ceruicibus amouerēt. Vt stet dignitas, vt floreat Imperium, vt omnis absit metus vastitatis, cohibeatur libido, impudentia semoueatur. Profectò dispari sorte; sed pari ad nostram institutionem documento, didicerunt Nicanor Thebarum expugnator inuictus, & miles Macedo cæteroqui non inglorius reperiri sæpius inter fallaces delicias calamitates

miser-

miserrimas planèque vastatrices; inueniri A sæpius interitum pro voluptate. Audi Hieronymû lib. I. aduersus Iouinianû aliqnātò ante fin. his verbis scribētē. *Nicanor victis Thebis, atque subuersis, vnius virginis captiuæ amore superatus est: cuius coniugium expetens, & voluntarios amplexus, quod scilicet captiua optare debuerat; sensit pudicis mētibus plus virginitatem esse, quàm regnum; & interfectam propria manu flēs, & lugens amator tenuit. Narrant Scriptores Græci, & aliam Thebanam virginem, quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, & violatorem virginitatis suæ iugulasse postea dormientem, B seque interfecisse gladio, vt nec viuere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quàm sui vltrix existeret.* Itaque si voluptas inuictos duces redigit in seruitutem, si victoribus cruentas infert manus, si trucidat, si perimit; Voluptas ergo deuastat, non delectat.

A voluptatibus vers, & vasti...

Neque ego tacebo, quod scribit Florus lib. 2. cap. 8. de Antiocho Syriæ magno Rege. Duxerat hic cum ingenti strepitu, & tumultu concito exercitum militum ex Asia lectissimum, vt bellum gereret cum Romanis; verùm in Euboea positis aureis, C sericisque tentorijs, sub ipso freti murmure, cum inter recurrentium vndarum lusus tibijs, fidibusque concineret, collatis vndique rosarum sertis, quamuis tempestate perfrigida hyemis sæuiente, virginû, puerorumque choris adblandientibus lasciuiebat. Ridendus planè Princeps, nisi veriùs vile mācipium fœditatis. Ergo belli exitus ille fuit, vt spoliatus opibus, & honore redigeretur in seruitutem. Didicisti, Antioche, pugnari non posse, nisi indicto certamine voluptati. Didicisti inquam, & tuo periculo, & vtilitate posteritatis vincere; imò ne stare quidem posse in D acie, aliqua cum laude, victum affectionibus vitiosis. Nostrum hunc animi sensum fortasse habuere præ oculis primi mysticæ Theologiæ Parentes, cum voluptatem, veluti Amazoniam bellatricem repræsentarunt. Hinc Iacobi 4. num. 1. leges concupiscentiam *militare in membris nostris*, & Paulus ad Rom. 7. 23. disertè fatetur, eam à se fuisse visam non bellantem modò, sed triumphantem; experiebatur enim illam *captiuantem se*. Robur profectò ingens re-

Florus.

Antiochi in castris lasciuia.

Lasciuus inbellis.

Iacobi 4.

Ad Rom. 7.

Voluptas fortis.

bellantium, & debellantium voluptatum, quæ noxarum, vitiorumque legiones auspicijs suis ducūt in caput nostrum, atque perniciem. Equidem in membris omnibus in sensuum portis, in arce cordis, in propugnaculo pectoris collocant præsidium, suum, aciem instruunt, non ad turbandum modò imperium animæ, sed ad proterendum, ac pessumdandum. Itaque csptiuus effectus animus, & hunc in modum in miserandam, indignamque seruitutem adductus spem omnem victoriç abijciat, certo certiùs recessurus ab acie profligatus. Quapropter vt Christifidelem, hoc est lectissimæ legionis militem admoneam muneris sui, magnificam illam Tertulliani vocem de spect. cap. 28. vsurpabo *delicatus es, Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis, imò nimium stultus, si hoc existimas voluptatem*. Omnes voluptatis delicias abijciat, velut indignas ea, quam profitetur militaris vitæ asperitate, quisquis conserere audet cum hostibus manus, & vt fortem decet virum, in arenam descendere. Alioquin cadet inimicæ impetu voluptatis misetrimè profligatus, qui cæteroqui victoriam facilè consequi potuisset.

Voluptates sæculi non sunt voluptates.

Tertull.

Bellatori reijciendæ voluptates.

His longè selectiora sunt, quæ habes apud P. Didacum de Baeza tom. 3. Commentsr. moral. in Euang. histor. lib. 14 S. 1 eodem lib. c. 6. S. 1. & 3. Nec non sequenti lib. cap. 1. S. 9 & cap. 5. S. 5.

Idem Auctor pluta suppeditabit ad præsens argumentum firmandum tom. 2. de Christo figurato lib. 5. cap. 30 S. 10. vbi demonstrat luxuriæ turpitudinem, quantum est ex se, necem sine misericordia trahere.

Huc reuoca quæ leges apud P. Benedictum Fernandium tom. 1. in Gen. cap. 3. sect. 30. num. 4. eodem cap. sect. 39. num. 4. & cap. 7. sect. 1 num. 4. Apud eundem to. 2. in Gen. c. 15. sect. 6. nu. 3. & cap. 26. sect. 2. num. 4. & cap. 31. sect. 3. num. 6.

Illustrabunt insuper hoc argumentum ea, quæ leges apud P. Paulum Sherlogum in Cant. Canticorum Salomonis vestigatione 2. in cap. 1. vers. 1. ad illa verba; *meliora sunt vbera tua vino*. In explanatione historica de sponso humano sect. 4.

IN CAPVT QVINTVM

Num.XXIX. & XXX.

Quod si oculus tuus dexter scandeliZat te, erue eum, & proijce abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandelizat te, abscinde eam, & proijce abs te: Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

PARADOXVM XI.

Amara omnis dulcedo.





VIS iste mentium humanarum furor, quæ tanta dementia, Deus immortalis! vt vix cohiberi possint ab illecebris titillantium voluptatum non admonente modò, sed increpante acriter Christo Domino Seruatore? Eruendum per vim oculum præcipit, rescindendam imperat manum, ne sensuum illicio capti, D deceptique in molles impingamus delicias prauarum cupiditatum. Ego verò parcam oculo, parcam manui: procul este vulnera, procul laniena membrorum. Tantus quippe in ijs, quæ fucata alliciunt dulcedine, amaror est, vt eo vel primis, quod aiunt, labijs degustato fugias, auersatus huiusmodi amarorem, sola insanientis vulgi opinione perdulcem. Negas fortasse? quid moramur? Aio amaram omnem dulcedinem.

A Cæcus amor, quo Insani Senes in Susannam integerrimę pudicitiæ Heroinam exarserunt notus est adeò, vt sine Lectoris fastidio, nequeat pluribus enarrari. Quemadmodum habetur Danielis 13. quo cap.num.10. præstantissima, & ingeniosissima loquendi forma diuinum oraculum propositi veritatem argumentari cômonstrat luculentissimè. Dicitur enim: *Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicauerunt sibi vicissim dolorem suum.* Attento hoc loco vellem animo Lectores meos, vt irridere possint eos, qui melleam prædicant in amore dulcedinem reperiri.

Dan. 13.

Amoris vulnera, & dolor.

B Certè summi Dei effato, turpi qui inflammantur amore, truci cruciantur dolore. Ambo vulnerati dicuntur Amore, nec indicauerunt sibi dolorem suum. Itaque si Amoris iacula tela sunt doloris, felleam Amoris dulcedinem iure quidem optimo nuncupabo. Euolue, si per tempus licet epist.73.lib.10. Senecæ, vbi post medium leges: *Solebat Attalus hac imagine vti. Vidisti aliquando canem, missa à Domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem? quicquid excepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis quicquid expectantibus*

Seneca.

Bona temporalia famē acuūt, non auferunt.

Nulla in voluptate volupta[s]

C *fortuna proijcit, id sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attoniti.* Consideranda propono verba illa planè aurea: *sine vlla voluptate demittimus.* Voluptatem, quæ sine voluptate, hominis fidei lumine orbati iudicio, sit, tu dulcem dicis? Ego semper huiusmodi dulcedinem amaram existimabo. Igitur, si talia sunt, quæ dat blanda amatoribus suis deceptor mundus, dicant, qui huiusmodi, vt ipsi loquuntur, dulcibus oblectamentis inhiant cum Magno Gregorio hom. 36. paulò post init. *fastidio nostro*

S. Greg.

D *tabescimus, & longa inedia peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram.* Quòd planè consentit cum similitudine à Seneca allata canis famelici. Quem ego Philosophi sensum, vt verū fatear, non magni facerem, nisi à S. Dauid longè priùs allatum fuisse inuenirem Psal. 58. vbi num. 7. & nu. 15. de impijs loquēs, bis repetit, *famem patientur, vt canes.* En paucissimis descripta calamitas eorū, qui impotenti feruntur impetu, dulci volup-

Voluptati deditis famem amant.

Psal. 58.

Canina fame vexantur amatores deliciarū.

ta-

A tatum cupiditate illecti: famem patiuntur vt canes, ideſt quidquid euenerit iucundum ac blandum ſiue voluptate deglutiunt non deguſtant, ſemper fame laborantes, ſemper auidi, ſemper eſurientes. Enimuerò ſapidæ ſunt veſtrę deliciæ inſani voluptatum amatores.

Gazzæus.

Glaucus melle ſuffocatus.

Memini Glauci minoris filij, quem Aeneas Gazzæus, in Theophraſt. melle ſuffocatum fuiſſe ſcribit. Verùm iſthæc miſſa faciamus. Neque enim volo, vt cum Ioanne Chryſoſtomo homil. 1. in 1. cap. Matthæi circa medium loquar, *de mendacio adſtruere veritatem*. Ducatur ſimilitudo, quoniam in promptu eſt, è ſacrarum litterarum monumentis, ab eo, quod cap. 14. lib 1. Reg. de ſe Ionathas profitetur num. 43. inquiens; *guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior*. O mortem melleam: Dicam clariùs: ò amaram dulcedinem. Profectò vt melle nil dulciùs, ita nil amariùs excogitari poteſt ea, cuius vel memoria amara eſt, iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 41. num. 1. *O mors, quàm amara eſt memoria tua*. Vtinam non multis idem contingeret, ſed miſeriore lungè miſeria, quod Glauco; qui ſuo diſcunt periculo, quam amara ſit mellitæ oblectatio voluptatis. Cum autem aſſerimus dulcedinem amaram, dictu prorſus mirabilia, & planè ſuper fidem afferre videbimur ei, qui non legerit apud Plinium, quo ordine mellificent Apes. De quibus lib. 11. cap. 6. & 7. aſſeriti *ante omnia, aluearia non intus modò, ſed circumquaque, ſuccis amarioribus illinire, iiſdem deinde fores quoque latiores circumſtruere, præter hæc connebuntur*, vt citati verba Auctoris proferam, *Erithace, quam alij Sandaracham, alij Cerinthum vocant. Hic erit Apum, dum operantur, cibus, qui ſæpè inuenitur in fauorum inanitatibus ſepoſitus, & ipſe amari ſaporis*. Hactenus Plinius, vt vides, dulcedo mellis, qua nulla ſuauior, nõ modò plurimo amarore circumquaque extrinſecus, quaſi circumuallari, verùm etiam confici nũquam poſſe manifeſtum eſt, niſi amaro veſcantur ſucco mellificæ Apes, haud obſcuro magiſtræ naturæ documento, nullam haberi poſſe dulcedinem, quæ amara non ſit.

Chryſ.

Veritas non confirmanda mendacio.

B

1. Reg. 14

A melle mortis amantes.

Eccleſ.

Amara mortis memoria.

C

Plin.

Apes amaro paſtæ ſucco.

D

Nulla dulcedo non amara.

Quibus ſi adiunxeris quod Pierius Valerianus lib. 26. de ſacris Aegyptiorũ litteris reſtatum reliquit libri initio, nõ parũ dabitur ſplendoris propoſito Paradoxo, ait enim, Apes Regis eſſe Hieroglyficum, in cuius rei confirmandæ gratiam narrat, in Sicilia Hieroni, iuſſu Patris, expoſito, propterea quod ancilla natus eſſet, ne nobilitati paternæ dedecori foret; tamen ita humanę opis indigenti circumuolantes gregatim Apes in os mella congeſſerunt. Quo oſtento Pater ab aruſpicibus admonitus, filium imminentibus, imò præſentiſſimis eripiendum diſcriminibus iuſſit, curauitque Puellum moribus, & diſciplinis ijs erudiendum, per quas poſtmodum ad prę monſtratam ab Apibus Regni maieſtatem non facilè modò, ſed cum dignitate perueniret. Bene eſt. Mel, & Apes ſunt præſagia Principatus, vt dubitari nequeat in poſterum, maximarum dignitatum decus, quod hominibus tantopere arridet, quod tam blandum, tam iucundum exiſtimatur ab omnibus Imperium, mellis inſtar dulcedinis plurimum habere, ſed circumquaque felle liniri, & quidquid eſt melleum, vel infici, vel confici amarore. Vnde oblectatio cuiuſcumque voluptatis ex S. Baſilio amara eſt. De ea enim hom. in pſal. 33. circa med. ait, *Oblectatio namque corporeæ voluptatis plus doloris habet, quam iucunditatis. Nuptiæ enim ſæpe ſteriles ſunt, viduitates continẽs ſtupra; agricultura ſterilitatem; mercatura naufragia, diuitiæ inſidias patiuntur; ſed & deliciæ, & ſatietas, & continens voluptatem fruitio, multos, ac varios ſecum trahũt morbos, ac affectionũ varia genera.*

Pier. Valer.

Apis ſymbolum Regis.

Hieroni Apes portendũt imperium.

S. Baſil.

Amaræ, & dolore plenæ voluptates.

Luber petitis à teſte temporum hiſtoria auctoritatibus, propoſiti argumẽti aſſerere veritatem. An nõ Fabius Senator, ac Prætor in lactis hauſtu ſtrangulatus interijt? an nõ Anacreon dum gulæ parumper indulgeret, acino vuæ paſſæ necatus fuit, vt Plinius poſterorum memoriæ conſignauit li. 7. c. 7. Euripides, vt M. Tullius in 3. & 1. Tuſculanarũ, ab Archelai Regis cœna in Macedonia domũ hoſpitalem repetẽs, canũ morſibus laniatus obijt. Geminis Matribus, de quibus Liuius lib. 22. mentionem facit, ſubitum, & inſperatum gaudium vitam eripuit. Nunciata enim clade, quæ ad lacum Traſimenum incide-

Fabius lac hauriens moritur.

Anacreon vuã comedens.

Plin.

Cic.

Euripides lætitia (?) a canibus.

Liuius.

Matres gaudio necatæ.

est altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obuiam, in complexu eius expirauit. Altera, cum falso mortis filij nuncio domi mæsta sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Plura qui velit consulat Plinium lib. 7. cap. 53. per totum, vt intera omittam,

Plin.

Attilæ mors inter delicias.

Attilam notissimo cognomento flagellum Dei, dissectis visceribus vitæ metam attigisse inter delicias nuptiarum; vt silentio inuoluam,

Amurat bibēs moritur.

Amurat Turcarum Tyrannum vinum sorbillantem hausisse mortem aureo poculo, & inter propinatas ambrosias latitantem. Et exclamare quis prohibeat ò ferales delicias, ò tristia gaudia, ò amaras dulce-

B

dines. Id flebili admodum prosequitur Camena 43. suorum Poematum versu 20. Regius Vates inquiens. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis*: quæ verba ex Aquila legit Ambrosius, humiliasti nos in loco Sirenum: addit autem Ambrosius:

Psal. 43.

S. Ambr.

Pulchrè Aquila interpretatio, quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis, expressit dicendo, quoniam humiliasti nos in loco Sirenum. Sirenes, quarum

Suauitas falsa.

secundò, & tertiò mentionem facit Scriptura Diuina, quasdam fuisse puellas, gentilis tradit historia, quæ vocis suauitate, canendi illecebris, audiendique studio illectos nauigantes ad littus admoueri nauigia prouocabant: Eosque (eum gratiam vocis sequerentur) scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Eorum autem interpretatio hæc est, voluptas vocis: ita sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, vt decipiat.

Voluptas delectat, vt decipiat.

Magno cum acumine adulatio carnalis dicitur voluptas, vt intimè cognita adulatorum mentita dulcedine, quid de voluptate sentiendum sit intelligamus, quæ dū mulcet vulnerat, dum blanditur, enecat.

Fatebor quid sentiam, huiusmodi dulcedines videntur mihi simillimæ successui miserando Iulij Cæsaris Romani Imperatoris. Hunc domo digredientem amantissima mater honoris, ac beneuolentiæ causa osculata est, & maternis strinxit amplexibus eo ipso die, qui vltimus illi vitæ fuit, tam sæuis confosso vulneribus. Morem mundi, ac fallacem sensuum consuetudinem habes expressam. Equidem suauis dulcedo, quæ siue à carnis, & sensuum illecebris, si-

Cæsar eodem die maternis amplexibus, & inimicis vulneribus exceptus.

D

A

ne à diuitiarum, & cuiusuis generis bonorum oblectatione capitur, si mellitis stillulis illitum præbet os, felleum abscondit cor, quanto iure amara dicetur. Magna cum emphasi Moses, eo, quo, & Dei misericordiam, & rebellantis populi complectitur audaciam, amaram de qua loquimur, dulcedinem prosequutus est Deuteron. 32. num. 32. inquiens: *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi*. Miror huiusmodi nexum, quo vua dicitur fellis. Enimuerò fel amarissimum esse, & experimentum docet, & testatur Plinius lib. 11. cap. 36. ali-

Deut. 32.

Quid significet vua fellis.

Plin.

B

quantò post medium illis verbis: *Tantam habet amaritudinem, vt à canibus non attingatur*. Vua verò quid dulcius, aut palato suauiùs. Imò tam apud sacros, quàm apud prophanos Scriptores, symbolum semper lætitiæ fuit, ac felicitatis. Hinc Iudicum 9. requisita vitis ad aliarum arborum imperium respondit: Non posse se deserere vinum suum, quo Deus, atque homines læti redderentur. citato capite, num. 12. & 13. dicitur: *loquutaque sunt ligna ad vitem: veni, & impera nobis, quæ respondit eis: numquid possum deserere*

Fel amarum.

Iud. 9.

Vinum cordis lætitia.

C

vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter ligna cætera promoueri: similiter psalm. 103. num. 15. *Vinum lætificat cor hominis*; vt interea cætera omittam. Apud Ethnicos facilè occurret, vitem lætitiæ fontem habitam ab omnibus fuisse perennem. Socrates apud Xenophontem in Symphosio, vinum, ait, non aliter mœrori mederi, quàm Mandragora hominibus, lætitiamque non aliter excitare, quàm oleum inspersum igni flammam adauget. Eadem ratione apud Philostratum vinitor sub vite cōsidendū Phœnici suadet, quòd ex ea aspi-

Psal. 103.

Xenoph.

Vinum mœroris antidotū.

Philostr.

D

rare soleat lætitia. Videatur Artemidorus lib. 1. cap. 6. Manes interea, gaudiorum parentem habitam, omnium voce, & prædicatam fuisse vitem. Iam cur dicitur scelestorum voluptas, vua fellis, nisi ad declarandum, sic impijs contingere; vt ipsa, quibus frui se arbitrantur, oblectamenta, amarissima sint, planèque fellea.

Artemid.

Scribit Plinius lib. 35. cap. 10. paulò post init. inter præclara, quæ reliquit suæ artis monumēta, Parrhsius, nulli secundū

Plin.

illud

A

illud fuiſſe, quo pinxit Dæmonem Athenienſium, qui ſimul apparebat ſpectatoribus varius; ideſt exorabilis, & iracundus, clemens, & acerbus, miſericors, & iniuſtus, humilis, & glorioſus, mitis, & ferox. Qua id arte fuerit aſſequutus penitus ignoro. Certo ſcio, rem diligentius examinanti, iudicandum eſſe veritati maximè conſentaneum, eadem voluptuoſarũ fallaciarum oblectamenta ſuauia eſſe, & aſpera, dulcia, & amara, mellea, & fellea; Fellea animo, mellea sẽſibus, amara cordi, dulcia corpori, ſuauiſſima carni, aſpera ſpiritui. Vno verbo, rectę rationi acerbiſsima, atque iniucũdiſſima, licet aliquid ſecum ferant dulcedinis momentaneæ. Imò feliciori veritate, repreſentare amaram huiuſmodi dulcedinem, facilius nobis erit, quàm contigerit mox laudato pingendi magiſtro omni ſæculorum memoria celeberrimo. Sanè quidquid blanditur, quot ſuſpicionibus, quot curis, quot angoribus, quot vigilijs, q̃uot incommodis amareſcit. Illos ipſos appello teſtes, qui ijs ſe perfrui profitentur. Quibus niſi fallor contingit, quod Nicephorus lib. 12. cap. 43. ſcribit de Theodoſio Imperatore: inflãmabatur æſtu inſolẽtis victoriæ ad Antiochiam diripiendam, quàm victam atque direptam incendio abſumere, ac ſolo æquare meditabatur. Certa ſpe tantæ victoriæ lętabundus epulis accumbebat. Cum ecce tibi Flauianus Epiſcopus, qui diſpoſita lugubri cantilena inter epularum gaudia lamentabile carmen, quo Antiochię deplorabatur calamitas, canendũ curauit, modulis adeò flebilibus, vt omnem omninò Imperatorię cenę dulcedinem mętore conmacularit muſica luctuoſa. Quid expectatis? rem narro nouam. Imperator iuratam de delenda Antiochia fidem, reſcindere maluit, quàm diutius męſtitudinem ferre lamentabilis cantilenę. Vſque adeò ingrata eſt, dulcedinem inficiens, licet ſolo vocis ſono, amaritudo. Vtinam quot quot legunt amaram eſſe intelligant omnem prauę voluptatis dulcedinem, eamdẽque indignabundi refugiant, atque auerſantur.

Quomodo eadem voluptas amara, & dulcis.

Niceph. Theodoſius decernit vaſtare Antiochiam.

Theodoſius flebili cantu inter epulas mitescit.

Impouat coronidem eloquẽtiſſimus D. Io. Chryſoſtomus, quo auctore quid quid mellitum, ac dulce ſcelestorum hominum blanditur palato, adeò amarum eſt, vt ipſa amaritudo eſſe videatur. Ipſum audiamus oratione 31. in cap. 12. epiſt. ad Hebręos paulò poſt init. vbi ſic habet: *contemplantes ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat.* Hoc legitur in Deuteronomio cap. 29. quam ſententiam paulo poſt interpretatur his verbis. *meritò amarum vocauit peccatum. Re vera enim nihil eſt peccato amarius. Non dixit amara; ſed amaritudinis. Nam fieri quidem poteſt, vt radix amara dulces ferat fructus, ſed fieri non poteſt, vt amaritudinis radix dulcem vnquam fructum ferat. Omnia enim ſunt amara, nihil habent dulce.* Hactenus Chryſoſtomus, vbi etiam commemorato Eſau ex Geneſ. 25. commemorato Caino ex Geneſ. 4. alijſque ex ſacris litteris repetitis exemplis, euincit, eos, qui iniquitatibus ſeruiunt, nihil inuenire in ſcelere, quod cupiunt, & experunt, tanquàm ſapidum, ac dulce; pręter amaritiem, nauſeam, atque aſperitatem, quibus dicere cogimur, quemadmodum init. proponebamus: Heu quam amara eſt omnis dulcedo. Hactenus percipere non potui, quod relatũ inuenio à Pierio Val. lib. 26. Hieroglyphicorum non longè ab initio; vbi ex communi ſenſu, & ex Publij Ouidij verſibus canentis.

Chryſ.

Deut.

Peccatũ Amarum.

B

Gen. 25. Geneſ. 4.

Pier. Val.

C

Quam puto de longè collectam flore cicutæ
Melle ſub infami Corſica miſit Apis.

Vbi, inquam, decernit, Corſicum mel ſapere amaritudinem. Ego verò, qui amarorem in melle ſentiri nõ poſſe credebam; iam do manus, & vltrò fateor amariſſimum mellis genus, hiſce allatis à nobis vituperatum, ac reprehenſum, nunquam tamen ſatis ſuperque reprehendendum.

Corſicum mel amarum.

Vel certè, ne mellis naturam inuertere, atque corrumpere videamur: dicamus ſuauia voluptatum oblectamenta, & nomen, & ſuauitatem habere mellis, ſed eius, quod neceſſariò cum felle coniungitur, iuxta ſententiam Euſebij Emiſſeni hom. 3. de Epiph. paulò ante medium dicentis: *Mel eſt, quod aſcendit in labia, fel eſt, quod deſcendit in viſcera.* Quis non amaras appellet dulcedines, quæ tam disertè felleæ perhibentur. Senſerunt id, cenſueruntque ſapienter Virgines illæ, quibus ipſa morte amarior fuit praua voluptas, quemadmodum ſcribit S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum aliquantò ante finem his verbis: *Quo ore laudandæ ſunt Scedaſi filiæ*

D

Emiſſ. Mel non ſine felle. quod;

S. Hieron.

in

in leuctris Bæotiæ, quas traditum est, absente patre, duos iuuenes prætereuntes iure hospitij suscepisse? qui multum indulgentes vino, vim per noctem intulere virginibus, quæ, amissa pudicitia nolentes superuiuere, mutuis conciderunt vulneribus. Quis valeat silentio præterire septem Milesias Virgines? quæ Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curæ esse, quàm vitam. Hæc Hieronymus. Sanè si morte, quæ amarissima est, amarior voluptas, & corruptela perhibetur illecebrarum, quis neget omnem huiusmodi dulcedinem amarissimam.

Malè mori quàm fœdari honestum.

Dulcis amaror mortis præ amaritie voluptatis.

Ego sane id negare non possum, haud ignarus sapientissimè, & elegantissimè decantatum à Mapheo Card. Barberino nunc VRBANO PP. VIII. ode ad Io. Baptistam Strozzam his versibus

In rebus humanis, vel ipsa
Miscet amaritiem voluptas.

Ergò amaras dulcedines, voluptates iniucundas, non tàm splendidè, quam verè pronunciabimus eas, à quibus tristissimi ducunt originem amarores.

Videri potest P. Didacus de Baeza, tom. 4. commentar. moral in Euang. histor. lib. 16. cap. 16. §. 9. cuius argumentum est: Terrenæ, voluptuosæque vitæ labores horrori sunt illi, qui diuini iugi gustauit suauitatem.

Huc reuoca quæ habes apud P. Benedictum Fernandium tom. 1. in Genesim c. 3. sect. 19. nu. 1. in illa verba: Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Inferiùs eodem tom. cap. 12. sect. 9. num. 6. ad illa verba: flagellauit autē Dominus Pharaonem. Vide eundem 2. tom. in Gen. cap. 15. sect. 6. num. 3. in illa verba: Capram, & arietem; & alibi sæpius apud citatum Auctorem plura inuenies.

Illustrabis insuper propositum argumētum ijs, quæ afferuntur à P. Io. Antonio Velasquez tom. 2. in epist. ad Philippenses in cap. 3. versu 18. & 19. in expositione litteræ, ad illa verba: Quorum finis interitus, & sequentia: Quorum Deus venter est.

IN CAPVT QVINTVM à Num. XXXIII. ad XXXVIII.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis; Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester; est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.

PARADOXVM XII.

Seruorum Dei nullum opus, nisi Maximum.





INGENIA magna, nequaquam magni, minima quędam facere posse, suo docuerunt exemplo viri præstantissimi, & maximè spectabiles, heroicæ commendatione virtutis. Sic Iulius Cæsar, vt scribit Suetonius in vita paulò ante medium, hoc est, in fine num. 45. nunquam aliter incessisse, quàm fluxiore cinctura, vndè malè pręcincti pueri nota à Sulla carpebatur, sic Alexāder nobilissimus Imperator motus iræ habuit intemperantiores, quibus modum ponere semper neglexit. Sic Aemilianus Scipio, vt leges apud Cœlium Rhodiginum lib. 25. lect. antiq. cap. 17.

Cæsar malè præcinctus.

Alexander iracundus.

Cœl. Rhod.

Scipio somniculosus:

cap. 17. ipso fine, somno liberaliter indul- A fisse fertur, adeò vt per risum diceretur, ac prædicaretur vulgò somniculosus. Quæ licet ita sint, in hanc tamen sententiam venire nequeo, cum obseruem à Christo Domino hoc loco, non modo loquendi modum præscribi, non modò verba decerni, quibus vti debeamus, sed quodammodo sillabas etiam designari, cum dicitur sermo debere esse: *Est, est, non, non*. Id mihi persuadet, quod fauentibus superis aggredior illustrandum, nullum opus esse seruorum Dei, nisi maximum.

Atque ne videar afferre, quæ humanam superant fidem, meæ assertionis rationem inuenio apud Augustinum lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 22. paulo post med. vbi ait: *Deus autem ita est artifex magnus in magnis, vt minor non sit in paruis*. Neque breuiùs, neque clariùs Dei ingenium potuit adumbrare. Porrò eam esse Christianæ perfectionis summam, vt summi Dei perfectionem, quantum fieri potest, assequatur: iuxta illud Matth. 5. num. 48. *Estote ergo perfecti, sicut, & Pater vester cælestis perfectus est*; negabit nemo. Cum itaque, si summa rectè ducatur, hæc Dei perfectio absolutissima sit, vt sicut magnus in magnis, ita minor non sit in paruis; mirum nemini videatur, si hanc eandem esse asseramus prærogatiuam seruorum Dei, quorum illud peculiare est, vt omnis sanctitatis exemplar imitantes, quemadmodum in magnis perficiendis magni sunt, ita minores non sint in paruis.

S. August. Deus in paruis magnus.

Matth. 5.

Non parum fortasse in hac re afferet luminis, qui nihil non vidit, bono sapientiæ in lumine Aristoteles citatus à Ludouico Viues in comentario ad cap. 22. lib. 11. S. Augustini de Ciuitate Dei in fine, cuius sententia fuit, *Non minus esse naturam in minutissimis animalculis, velut formicis, culicibus, apibus, araneolis, quàm in maximis equis, bobus, cetis, elephantis admirabilem*. Quod confirmatur à Plinio lib. 11. cap. 2. initio, vbi contendit maioris artificij esse, & pluris facienda minora naturę opera, quàm quæ magnę sunt molis, ait enim, *in magnis siquidem corporibus, aut certè maioribus, facilis officina sequaci materia fuit, in his tàm paruis, atque tàm nullis, quæ ratio, quanta vis, inextricabilis perfectio:* Hanc ab auctore naturę Pa-

Arist.

Natura tam in minimis admirabilis, quàm in maximis.

Plin.

Natura in minimis mirabilior quam in magnis.

tenti naturæ concessam dotem, vt in minimis maxima prędicari queat, dicere non ausim, fuisse gratiæ denegatam, cuius beneficio, quę cęteroqui minima essent, maximi sunt facienda.

Non secus ac, Sinetę, homini Persę contigisse accepimus ab Aeliano lib. 1. cap. 32. Hic cum Artaxerxi aquam vtraque vola haustam è proximo Fluuio, nomine Cyro, obtulisset, donatus fuit Stola Persica, Phiala aurea, atque mille Doricis. Vide obsecro quanti fecerit Persarũ Imperator paululum aquę, audi ab eodem Artaxerse rationem, in hunc enim modum loquitur lo- B co citato. *Ego ò bome, grato animo munus tuum recipio, & in praetiosissimis numero, & illis aquale, ac par esse dico, quoniam Cyri nomen præsefert*. Quibus expositis nō erit ab re monere lectores, ne mirentur, si minima Deo exhibita maximi asseram facienda, & comparanda prętiosissimis, siquidem non Cyri nomen, vt inani obseruatione iactabat Artaxerses, sed Dei pręseferunt nomen, quod à Dei seruo fit, pręseferre debet nomen Dei, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. cap. 10. num. 31. *Siue ergo manducatis, siue bibitis siue aliud aliquid C facitis: omnia in gloriam Dei facite*. Dei pręseferant nomen ea, quę in dies perficitis, opera, vt non tam splendidè, quam vetè illud Nicostratis vsurpare possitis: Hic vt est apud citatum auctorem lib. 3. cap. 2. citharista nobilis, cum ob artem musicam discederet à Laodoco citharedo, dixisse fertur: illum in magna arte exiguum esse, se verò in exigua magnum. Egregia laudatio in exigua arte magnum esse, hęc est electorũ laus, qui comendando dissidio ab impijs discrepant, quos vt redarguant, rectè dicere possunt, in magno exiguos, quid tàm magnum, quàm Dei voluntas, quàm charitas, quàm innocentia: in his omnibus D parui sunt, quia nullam in his consequuntur comendationem, at iusti etiam in exiguis magni, nil enim tàm exiguum aggrediuntur, quo non cœlum petant, quo Deum non glorificent.

Aelian. Sinetas pro exigua aqua maxima munera reportat.

Artaxerxis munificentia.

Nicostratus in exiguo magnus.

Dignum semper animaduersione mihi visum est, quod legimus Lucæ 7. pręsertim à num. 44. & deinceps vbi cum Pharisei petulantissimi audaciam retundere vellet, mitissimus Dominus post debitorum parabolam, eundem arguit, quod neque pedibus

Luca 7.

dibus aquam dederit, neque terserit capillis, quod, quia præstitum fuisse à Magdalena, luce clarius perspiciebat, mirari minimè debebat, si ea tanta caritatis significatione excepta fuisset. Illud hoc loco dubium mihi venit in mentē, cur aquæ solum, & capillorum fecit mentionem Christus Dominus, vt facta comparatione Magdalenam inter, & Pharisæum, illam ab omni reprehensionis suspicione liberaret. Cur non potius ad cohibendam Pharisæi audaciam, non proposuit Alabastrum vnguenti pretiosi, quod allatum à Magdalena eiusdem pium animum, ac veniā dignam luculentiùs aperire poterat, quàm aquæ, & capillorum commemoratio. Verùm aqua, & capillis, hoc est, rebus vilissimis, communibusque omnibus, repræsentātur ea, quibus Dei gratiam possumus demereri. Pauculę guttę aquę, & capillorū extersio, hoc est, minima quæque in Dei honorem exhibita, maximi sunt pretij, & quidem tanti, vt Deum emant, si dicere fas est. Vel certè afferamus S. Ambrosij in hunc locum interpretationem, qui scribens ad Marcellinam sororem epist. 18. circa med. quæ habetur lib. 2. epist. siue lib. 10. epist. epist. 89. in hunc modum alloquitur Simonem. *Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis suis rigauit pedes meos, omnes vnum corpus Christi sumus, cuius caput Deus, membra autē nos sumus, alij fortasse oculi, vt Prophetæ: dentes, vt Apostoli, qui Euangelicæ prædicationis cibum nostris infundere pectoribus meritòque scriptum est; oculi eius hilares à vino, & dentes candidiores lacte. Sunt, & manus eius illi, qui videntur executores bonorum operum. Sunt, & venter eius, qui vires alimonia pauperibus largiuntur. Sūt ergo & pedes eius aliqui, atque vtinam merear eius esse calcaneum. Aquam igitur mittit in pedes Christi, qui etiam vltimis, quibusque peccata concedit, & dum plebeios liberat, Christi tamen lauat vestigium. Mittit & ille aquam in pedes Christi, qui peccatorum colluuione mundat conscientiam suam.* Poterat sine dubio nobiliorum partium mystici sui corporis facere mentionem, solos tamen nominat pedes, quæ pars cum, & ordine sit, & dignitate postrema, satis aptè insinuat, maximi po-

Mira Magdalenæ excusatio.

Cur aquæ & capillorum fit mentio ad excusandam Magdalenam.

S. Ambros. Membra corporis ecclesiæ.

Quo lauant aqua pedes Christi.

A tissimum fieri, iudicio Dei, quę vilia videntur esse, atque exigua. Itaque si pertingere nequis ad aureum Christi caput, hoc est si pretiosissima caritatis officia præstare nescis, non tamen animo cadas, certò sciens, non hæc præclara, atque præstantia requiri necessariò, vt Deo carus fias; satis enim est, vt vel modicis placeas ei, apud quem, vel minima maxima sunt.

Triplex, quam ad presens institutum, satis accōmodata similitudo, sum allaturus, non parum fortasse afferet luminis orationi meæ. Sanè satis appositè S. Basilius hom. de leg. lib. gent. paulò ante finem, B Hesiodi auctoritate probauit etiam minima, quęrenti virtutem maximi facienda, ait enim, *Studiosè ex singulis vtilia coaceruantur, velut magnis fluuijs, multum vndique accrescit incrementum. Paruum enim supra paruum imponere, iuxta Hesiodi sententiam, non magis ad argenti augmentum, quàm ad quamcumque scientiam facere credendum est.* Verè dicuntur ista, quibus manifestè docetur Christianæ perfectionis studiosi etiam minima maximè ęstimanda. Consentit petita à fluuijs similitudo cum Diuino oraculo Ecclesiast. 24. C num. 43. vbi Iustorum in virtutibus processus, fluuio exundanti, congestis paulatim riuulis comparatur, vt aquæ exuberēt, minimæ aquarum stillæ compendium afferunt maximum, vt discat minima maximi facere is, qui, in morem aucti paulatim fluminis, appropinquare debet ad mare; neque à proposito aberrat tramite recitata à Basilio sententia Hesiodi, quo docente, ea est scientiarum natura, vt quilibet accessus exiguus conferat plurimum, vt contingit gazas argenteas cogenti, etenim & à S. Bernardo Christiana perfectio *sublimior Philosophia* nuncupatur ser. 43. in cāt. paulò ante finem, & à Christo Domino dicitur Lucę 19. num. 13. *negotiamini dum venio*. Itaque triplici conflatur capite S. Basilij auctoritas, vt firmitas nostrę ratiocinationis appareat. Quemadmodum fluuio, Negotiatori, & scientię studioso minima conducunt maximè; Ita Dei seruis, qui & à fluuio, & à Negotiatore, & à scientię studioso aptissimè representantur.

Myrmicidem Milesium, & Callicratem Lacedemoniū, scribit Aelianus lib. 1. c. 17. hanc laudem fuisse adeptos, vt mole minima,

S. Basil.

Minimis maxima conficit.

Ecclesi. 24.

S. Bernard. Sublimior Philosophia quæ.

Cur fluuio, Negotiatori, & Philosopho comparetur seruus Dei.

Aelianus.

nima, & nullius magnitudinis, immò monstruosæ exiguitatis, rebus maximi pretij, & ditissimis thesauris fecerint pretiosiora; etenim quadrigas construxerunt mira arte, quæ sub musca possent abscondi; esto exiguę sint opes, quas pauperibus erogare potes, perbreue sit tempus, quo Deo vacare licet, hæc tàm nullius momenti, exigua, & modica exaggerati sunt pretij, & æstimationis eximię, fiant, vt par est. Norunt humaniorum studiosi litterarum, quod Athenęus lib. 1. obseruat. scribens induci ab Homero Vlissem manus lauantem, priusquam cibum capiat, hoc tamen in Odyssea, nusquam verò in Iliade. B Huius discriminis eam affert rationem Athenæus, quia in Odyssea otiosorum vita describitur, in Iliade Heroum, quos dedecet minima quędam plus ęquo meticulosa religione obseruare. Quasi verò Heroum sit magna perficere, parua despicere. Longè diuersum est viuendi genus, quod Dei amicos constituit, & exornat, quibus quia minima etiam Deo largitori oblata, maxima sunt, debent hęc ipsa in primis cordi esse, ac plurimi æstimari. Certè, si Diuina Sapientia suos erudiens commonefaciebat: *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est*: C vt habetur Lucę cap. 16. num. 10. satis dilucidè profiteri velle videtur, quanto sint habenda in pretio ea modica, quę, & conferuntur cum maximis, & eodem, quo magna, atque pręclara, donantur pręmio, à Patre luminum, à munerum largitore.

Athen. Vlisses modò dicitur lauare manus, modò non, & cur.

Luc. 16. Minima collata maximis.

Legatur P. Didacus de Baeza tom. 1. Commentar. moral in Euang. histor. lib. 4. cap. 5. §. 28. & tom. 2. lib. 6. cap. 1. §. 5. & lib. 8. eiusdem tom. cap. 3. §. 4.



IN CAPVT QVINTVM à Num. XXXVIII. ad XXXXI.

Audistis quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillā tuam, præbe illi, & alteram: & ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium, & quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo, & alia duo.

PARADOXVM XIII.

Nemo victor, nisi victus.



MIHI equidem gratularer, & sine dubio gratularer ex animo, si fortè examinatis rationum momētis, & diuinarum humanarūque litterarum allatis auctoritatibus comprobare possem, neminem esse victorem, nisi victum. Pugnat enim primo aspectu, & percipi id nequaquam posse faterer vltrò, nisi, nescio quo pacto, D insinuatam recognoscerem ab animaduersione Seruatoris. Etenim inclyta mente, & magno præditus animo esse debet, qui nomen dedit famulatui summi Dei, quemadmodum à nobis demonstratum est in cap. 1. Paradoxo 7. Nobiles solummodò Deo cari. Quod cum ita se habeat, quo pacto iubentur serui Dei, quoties in contentionem venire contigerit, toties manus dare? Auguror, sic se res habet; Dei amicum cedere, præcedere est; neque alia ratione

tione vincere potest, quàm si vincatur.

S. August.
Num lerais fit Lucretia, se interficiens.

Quæstionem mouet S. Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 19. Num Lucreria Romana marrona ob illatam sibi necem tanquam inuicta, & constans animo debeat perhiberi. Cui dubitationi postea cap. 22. eiusdem libri paulò post inirium, facir satis his verbis: *Si rationem diligentiùs consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo rectè nominatur, vbi quisque non valendo tolerare, vel queque aspera, vel aliena peccata, se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprebenditur, qua ferre non potest.* Igitur ex Augustino labores vincit, qui tolerat, non qui refellit, & duris se non posse subijcere, infirmæ menris est, minimèque generosæ. Ferat velim iudicium rerum æstimator æquus quid censeat

Magnanimitas a laborum tolerantia.

Dionysius è Rege ludi magister.

sentiendum de calamirate Dionysij Syracusarum Tyranni, quem non modo regno deturbatum fuisse certo scimus, verùm etiam compulsum, coactumque ad imbuendos puerorum animos primis grammaticæ rudimentis. Deplorabit fortasse quispiam luctuosam Principis calamiratem, is tamen consulat, obsecro, primum librum Polit. Aristotelis, apud quem cap. 3. inueniet, Dionysium optimè de republica meritum puerorum instirutione, non modò è Consule, sed è Rege Rethorem. Quasi

Arist.

Aristotelis de Dionysio sententia.

verò perspicacissimus Aristoteles dicere velit, Dionysium tunc maximè sui infortunij fuisse victorem, cum ab eo victus penitus, ac profligatus fuisse videbatur. Etenim in tam afflicta fortuna, dum prodesse non desijt; præesse profectò non destitit, & qui optimè de Republica mereri censendus est, is sine dubio credi, ac prędicari debet dignus imperio. Fœlix Dionysius, qui licet vituperetur ab omnibus, ab Aristotele, qui instar omnium esse potest, commendatur adeò, vt beneficentissimus patronus Imperij prędicetur. Disce quid significare velit, qui dicit; solum victum esse victorem. Si calamitate victus stare noueris, faciet te aliena victoria triumphantem. Et quis scit, an Poetarum Princeps Homerus id innuere voluerit Iliad. 32. vbi introducit Achillem, qui munera elargitus ijs omnibus, qui in funeralibus ludis, quibus amato Patroclo parentauerat, victoriam reportarunt, sed simul etiam victis coronas distribuit, & triumphantium honestamenta, hisce porrò cur victos decorari dicemus, nisi quia perspicacissimi cœcus acuminis perspiciebat victos, non minus insignibus victorię dignos esse, quā ipsos victores? Vnde à Mimo pronunciatum fuisse scimus: *Parere scire, par imperio gloria est.* Enimuerò moderationem animi in aduersis pręseferre, pręclarum aduersantis fortunę ludibrium est. Hanc, qui experitur iratam, & ęquo animo fert, an non victor est hostis immanissimi? Mox patebit, quid sentiam. Reuocare obsecro in memoriam, quod Photius cap. 186.

Victos cum victoribus remunerat Achilles.

Obedientia æquatur imperio.

testatur dè quibusdam populis, quos Lindos appellabant. Istis in more positum fuisse scribit laudatus auctor sacra facere Herculi, & eodem tempore, dum Sacrificium peragebatur, eumdem Herculem maledictis proscindere, ac blasphemijs execrari. Portentosum enimuerò Sacrificij dixerim, an sacrilegij genus. Blasphemi sacrificant, sacrificantes blasphemant, fortasse quia Herculi à fortitudine inter numina relato, vt falsa eorū ferebat opinio, non poterant non indignari simul, & sacrificare, quia ex vno capite victoriam exoptabant, ex alio victis inuidebant, quorum ea pręrogatiua est, vt victoribus gloriosiores, & pręcellentiores habeantur, si vti nouerint sorte sua.

Lindi Herculi sacrificant, & simul illum blasphemant.

In hisce, & similibus à profana sapientia peritis non hęrebo diutiùs, vt eius veritatis, quam modò suscipio, partes firmiùs tuear, cum animaduertam stare pro me melleę virum facūdię, & sanctitatis aureę Antistitem D. Ambrosium in expositione epist. 1. ad Corint. ad cap. 1. num. 25. in expositione illorum verborum, *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Sine dubio* (verba Ambrosij) *cœlestia vincunt terrena. Quamobrem infirmum Dei non est infirmum, quia infirmitas Christi magna victoria est. Vicit enim cum victus videtur, sicut ait, & vincas cum iudicaris. Victor enim existit, qui iniustè occiditur, reum constituens à quo occiditur.* Igitur si dixero eum, qui adversitatibus irrumpentibus, infirmatur, victoriam consequi, & quidem magnam, si pronunciauero subactum infirmitate Dei amore, non infirmum esse, sed infirmitatis triumphatorem: demum, si asseruero, Dei seruum tunc maximè vincere, cum victus est, reprehendi vti-

Infirmitas Christi est victoria.

que

A que non debebo, quia sanctissimi, & sapientissimi viri vsurpo sententiam. Adnotatione dignum moneo iudicium, quod refert D. Augustinus conferens Catonem, & Regulum, quod leges lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 24. paulò post initium in hunc modum, *Marco Catoni Marcum Regulum praferamus. Cato enim ne subijceretur à Cæsare, à se ipso elegit occidi: Regulus autem Pœnos iam vicerat, Imperioque Romano Romanus Imperator non ex ciuibus dolendam, sed ex hostibus laudandam victoriam reportauerat: ab eis tamen postea victus maluit eos ferre seruiendo, quam eis se auferre moriendo. Proinde seruauit, & sub Carthaginiensium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione constantiam, nec victum auferens corpus ab hostibus, nec inuictum animum à Ciuibus*, & paulò post his verbis decernit. *Inter omnes suos laudabiles illustres viros non proferunt Romani meliorem, quem nec infælicitas fregerit*. Placet mihi summoperè statui ab Augustino Marcum Regulum, vt Romanorum fortissimum, & mitis ad cœlum laudibus extollendum, quia victus ab hostibus, inuictum se, & victoribus gloriosiorem præbuit. Mirentur alij Catonem vtpotè vitæ contemptorem, victum ego Regulum Romani satis non potero demirari fortissimis Romani nominis ducibus, inter ipsa captiuitatis vincula fortiorem; cui si gloriosius fuit vinci, quam alijs decorum fuerit vincere, quis non videat, quantò æquius dicere possim, gloriosiores esse, verèque victores Christi milites, cum vincuntur. Etenim inuadunt infortunia, irrumpunt agmine facto calamitates, premunt labores, ærumnæ excruciant, & honestiores illorum coronæ fiunt, ac triumphi gloriosiores.

Regulus in tormentis maior Catone, qui se ipsũ interemit.

Regulus Romanorum fortissimus.

Legere poteris apud Aelianum lib. 12. cap. 9. quod de Timesio Clazzomenio scribitur. Imperabat Timesias Clazzomenijs non sine magna comẽdatione integritatis. Verùm, quod frequenter accidit, sua integritate in improborũ animis excitauit inuidiã, ideòque de eo nõ pauci obloquerẽtur. Percrebuit paulatim rumor, & omnium ferè sermonibus reprehendebatur eximiæ princeps integritatis: Cõtigit autem, vt semel per scholam nescio quam transiret Timesias, vbi forte pueri à præceptore dimissi ludis vacabant, cumque duobus de linea incidisset contentio, alter iure iurando se obstrinxit exclamans: Sic ego Timesię cerebrum discusserim. Hoc audito Timesias iudicãs se suis ciuibus esse inuisum, & abdicauit se imperio, & recessit à Patria, satius ducens, & gloriosius putans etiam viro Principi, puerili etiam cõcepto odio cedere, quàm Principis adhibita potestate rixari. Inuenio id breuissimè, sed aptissimè declaratum à Seneca lib. 3. de Ira cap. 8. in fine dicente; *alit seipsam contentio, demissos altiùs tenet*. Igitur, vt ab ipsa contentione altiùs quis extollatur, demittat sese B necesse est, & dum in speciem videtur cedere, re ipsa præcedere dignoscitur.

Timesias innocens suo abdicat se imperio.

Principi inuiso satius principatum dimittere.

Contentio extollit cedentem.

Præclarè profectò nobiscum ageretur si perciperemus aliquando, tũc maximè nos esse victores, cum ab insidijs hostium, ab inimicorum iniurijs, à multiplici calamitatum põdere deprimi videmur, ac vinci. Quod persuadet mihi in primis ratio ab Augustino allata. Neque enim nos alia ratione victoriam reportare debemus, quàm Christum Imperatorẽ nostrum vicisse sciamus. Vicit autem mortẽ morte, mũdum à mũdo delusus, vt hinc percipiamus, nostiũ esse, hostes, ac delusores cũ ab illis profli- C gari videmur, diuino quodam vincẽdi genere debellare. Vnde apud Augustinũ leges enarratione in psal. 123. cir. med. *manifestũ est, quia non vicisti tu, sed vicit ille, qui est in te. Imperatorẽ talẽ portas, et vinceris? non ne prior moriẽns vicit Diabolum? quare vicit, nisi vt te doceret cũ diabolo dimicare?* Similem sentẽtiam repetit tom. 8. ser. 44. in fine inquiens, *victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est, foris despecti, intus dilecti. Hinc est, quod Ecclesia in pressuris posita infirmiora membra sua cõfortat dicens; in mundo pressurã habetis: sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici* D *mundũ. sed quomodo vicit mundum? factus est obediens Patri vsque ad mortẽ. Quomodo vicit, Christus, vincere appetat Christianus*. O præclarum victorię genus subdere sese, non imperare, mortem sufferre non inferre. hoc eum decet, qui Christi militię adscriptus tanti ducis Imperio gubernatur. Teneo memoriter, quod legi nuper apud Pierium Valerianum lib. Hieroglyphicorum 53. non multò post initium de Xerse, qui, vt accepimus à maiorum

Christus vicit victus.

Victoria Christi nostrum exemplum.

Victoria intus est non foris.

annalibus in somnio deceptus fuit; ridendum planè in modum. Dormiens quippe sibi visus fuerat coronam oleaginam gestare ex arbore, cuius ramis vndequaque diffusis vniuersus terrarum ambitus occuparetur, id quod eum maximè impulit, vt tanto belli apparatu in Græciā traijceret, vbi postmodum magna victus clade, turpissimam fugam arripere coactus est. Scio vanissimi capitis, tali euentu, meritò derisam fuisse insaniam. Quid enim tàm stolidum, quàm inanibus somniorum ludificationibus præbere fidem? sed iubet cum homine leuissimo iocari parumper. Adeamus igitur Xersem fusis, fugatisque copijs, hàc illàc incertum vagantem, atque errabundum; dicamusque, an memori condis pectore spectaculum illud, quo non modò dormiens obiectabaris, sed vigil, & excusso sopore, captabas augurium victricis fœlicitatis? Hæccine est corona victoriæ, quam virens semper oliua, & victoribus fausta prænunciabat? proijce iam debellato è capite oleagineam coronam. Sed fallor, tua est, ò Xerses, inuicti animi trisiphalis corona. Libeat ex ipsis mendacissimis insomnij præstigijs aliquo modo delineatum rudiiter promere symbolum veritatis. Victo, non victori præmonstratur arbor, victoriæ nuncia, & corona porrigitur triũphantis, quia, si victus acceptæ cladis calamitatem moderato nouerit animo ferre, victus proculdubio ipso victore gloriosior est. Disce aduersis frangi, non deprimi, disce calamitatibus quati, non concuti, disce ærumnis vexari, non prosterni, genus esse victoriæ illustre adeò, vt cum hac nec ipsa quidem bellatorum, ac triumphātium gloria conferenda esse videatur.

Xerses somnijs credens decipitur.

Xersis somniũ de victoria, cum fuit victus, euentum habuit.

Sunt in promptu verissima sanctorum Patrum elogia, quibus, dum conantur Patientiam exornare, satis superque suadent mihi victum esse victore gloriosiorem. Hinc S. Ambrosius enarratione in Psal. 38. non multò post initium fortitudinem Dauid tribuisse asserit Patientiam, quam in ferendis aduersis exhibuit maximam: tunc igitur ex Ambrosio; quis se fortem demonstrat, cum gemere creditur sub pondere aduersitatum. Hinc D. Io. Chrysostomus hom. in Psal. 127. paulò post med. Patientiam appellat coronam: videlicet Chrysostomi iudicio, idem est pati, ac coronari. Hinc D. Augustinus serm. 3?. paulò post initium exclamat. *O Patiētia, tu omnia vincis aduersa, non colluctando, sed sufferendo.* Hinc apud Gugliermum Parisiensem lib. de Moribus cap. 2. non multò post initium de se ipsa sic loquitur Patientia. *Ego victrix gloriosa, quæ sine ictu, seu repercussione hostes deijcio, & prosterno.* Itaque si is, qui calamitatibus pressus cogitur aduersa ferre fortitudine præstans, si coronatus, si potens, ac pollens in prælio, si semper gloriosus spolijs aduersariorum, dicatur sinè vlla hæsitatione tunc gloriosissimè victor, cum miserè victus esse iudicatur ab imperitis.

Patientia Dauid tribuit fortitudinem.

Patiētia est corona.

Patientia vincit omnia sufferendo.

Feret pro nobis, hac in re, vt disertissimum, ita sapientissimum suffragium Seneca lib. 2. de Ira cap. 34. circa medium monens his verbis: *Irascetur aliquis, Tu contra, beneficijs prouoca. Cadit statim simultas ab altera parte deserta, nisi par non pugnat: Si vtrinque certabitur ira, concurritur: ille est melior, qui prior pedem retulit, victus est, qui vicit.* Hic morum magister Magnus Gregorius complectetur paucis, quid dicere velim, cum aio, solum victum esse victorem, eum nempe, qui se ipsum vincere nouerit, hoc modo honestissimè victum, esse verè victorem. Sic autem habet in explanatione secundi ex septem psal. Pœnit. ad vers. 2. *Beatus vir, quasi dicat: ad hoc opus nemo assurgere præualet; nisi qui sanctæ fortitudinis vires habet. Quid enim fortius, quàm omnes animi sui motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frænare, proprias voluntates abijcere, contemptis visibilibus ea, quæ non videntur amare? Vnde & Salomon ait: melior est patiens viro forti.* Disce ex Pontifice sanctissimo, qua ratione vincere te ipsum debeas, vt victor sis; Nemo quippè victor, nisi victus.

Contentio tollenda non resistendo.

Fortitudo vera se ipsum vincere.

Cuius quidem, vtpotè certissimæ veritatis vestigium aliquod, & quasi signum, eruta ab obliuione, prisce militiæ consuetudine reperiemus, militaris testudo, qua se milites operiebant crate perpetua clypeorum aduersus sagittas, & missilia omnia super se cadentia; celeberrima est apud antiquos scriptores. Huius, & Liuius lib. 44. & Plutarchus in Antonio, alijque passim faciunt mentionem. Duplicem por-

Duplex testudinis vsus in oppugnationibus.

tõ

rò fuiſſe huius teſtudinem apud Romanos, eſt omnino extra controuerſiam; vnam, qua vrbes, & regia obſidebantur, de qua Ammianus lib. 26. alteram, quæ formabatur in patētibus locis, vbi Romani pares eſſe non poterant hoſtium multitudini, de hac apertè Florus lib. 4. cap. 10. inquit *Deleta reliqua copia forent, niſi vrgentibus telis in modum grandinis, quadam ſorte, quaſi docti procubuiſſent in genua milites, & elatis ſupra capita ſcutis caſorum ſpeciem præbuiſſent. Tum Parthus arcus inhibuit.* Callidum enimuerò inuentum, victi in morem, & quaſi ſupplex prouolutus in genua iacet Romanus miles ne B vincatur. Cedit ne cædatur, atque vt victoriam reportet procumbit victus. Sic ſe res habet, vt illuſtrem conſequaris victoriam, ſubdere te diſcas, atque vt impetum hoſtium iaculantium vincas, victum te Chriſtiana demiſſione fatearis. Nullo te virium præſidio munitum prædices, & omninò imparem agnoſcas ad arma tractanda, quo nihil excogitari poterit efficacius ad hoſtium impetus cohibendos, retardandoſque, fietque, vt tunc vincas, cum victus exiſtimaberis.

In propugnatione capeſtri.

Simulata mors à morte liberat.

Conſule P. Io. Antonium Velaſquez tom. 2. in epiſt. ad Philipp. ad c. 2. verſ. 15. C Adnotat. moral. 8.



A IN CAPVT QVINTVM
Num. XXXXII.

Qui petit à te da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris.

PARADOXVM XIV.

Aliena calamitas ſemen Diuinitatis.



SI quis patet mortalibus aditus ad immortalitatem nominis, & honoris, hunc ſine dubio aliena ſternit calamitas. Nihil quippe tàm præcellens, nihil tàm illuſtre, nihil ſupra ſuam conditionem habet humanitas, vno verbo, nihil tàm diuinum excogitari poteſt, quàm opem ferre calamitoſis. Vt propterea non poſſim non maxima veneratione proſequi perbreue hoc ſupernæ ſapientiæ documentum, quo C præſidium ferre monemur indigentibus, vt noſtro leuentur ſubſidio, quandoquidem id præſtare, redolet diuinitatem. Summa igitur præſentis Paradoxi ea eſt, vt ſuadeam alienam calamitatem ſemen eſſe diuinitatis.

Vix id à Philone auditum fuit, & ſtatim noſtræ ſententię humaniſſimè aſſentitur, decernitque non alia ratione poſſe Principem Dei partes repræſentare, quàm obeundo maioris momenti negotia, vt ipſe loquitur. At ſi quæras, quę nam ſint huiuſmodi munia reliquis omnibus præferēda; reſpondebit, magnas cauſas eſſe perſo- D narum humiliorum, vt ſunt viduæ, pupilli, aduenę: quandoquidē auctore Moyſe credimus, ne Deum quidem rerum omnium regem grauari, cauſas talium cognoſcere, ſic enim vates. *Deus magnus, fortiſque, qui nullius perſonā reſpicit, qui ſine corruptelis iudicat.* moxque addit, quos iudicet, *Aduenā, Pupillum, viduā.* Ita de creat. Princ. alL quantò poſt init. ſumma Dei laus, cauſas decernere, non Regum terrae, marique imperantium, ſed afflictorum, ac milero-

Cauſę pauperū negotia magni ponderis apud Principem.

rum, ne quid patiantur incommodi. Summum Regem miseret miserorum, huiusmodi pietatis sensu ducaris, vt dum sequeris affectu, consequaris imitatione maximi rerum parentis præstantissimam maiestatem. Deridebitur, & quidem iure per omnem posteritatem Antoninus Caracalla inter Romanos Imperatores magicis artibus, quibus vnicè fuit addictus, infamis, qui cum Alexandri magni admiratorem se, imitatoremque profiteretur, vt Eutrop. testatur lib. 8. nihil eius, nisi ceruicem in læuum humerũ inflexam æmulabatur. Non sic illi, quorum studium in eo est, B in eo desudat labor, vt quid quid in Deo laudatissimũ, & maximè præcellens est, vitę probatissimę motibus ęmulentur: *misericordia eius super omnia opera eius*, miserando maximè prodit sese, qui Deus est misericordiarum, & nihil tàm dignum diuinitate ducit Deus, quam alienę miserię misereri,

Antoninus Caracalla infamis propter magiam.

Antoninus Caracalla imitari affectabat Alexandrum in gibbo.

Deus est, loquitur Plinius lib. 2. cap. 7, paulò ante med. *Iuuare mortalem*. Nullum non moueas lapidem, vt opem afflicto feras, vt in afflicta ingemiscentem fortuna, consilio, viribus, modis omnibus subleues, vlli non parcas labori, qua mente, quo fine; vt sis iuxta Græcorum adagium, *Homo homini Deus* quod explicabo eo, quod affert collector adagiorum ex Plutarcho in Commentario, quem inscripsit aduersus Principem indoctum, vbi negat, Deos esse fœlices hoc nomine, quod diutissimè viuant, sed quod virtutis sint Principes, & auctores, subdit Manutius; *fieri potest, vt huius adagij sit vsus, neque improbus, neque inconcinnus, si quis hoc modo dicat. Cum tantis malis premerer, vt nemo mortalium, aut vellet, aut posset opitulari, tu vnus mihi præter spem extitisti, tuoque beneficio me non seruasti modò periturum alioquin, verùm etiam ornatiorem aliquantò fecisti, quàm antea fuerim*; intelligis quid sit, Homini Hominẽ Deum esse, prostratum erigere, cadentem substinere, Hinc loco paulò superiùs allato Plinius deridet Deorum pluralitatem, sed ea fictitia multitudine insinuari contendit, patere mortalibus aditum ad immortalitatẽ, & fieri posse, vt homines referãtur in Deorum album, si satagant de afflictis benemereri. *Hac inquit ad æternam gloriam via*.

Deus est iuuare mortalem.

Homo homini Deus.

Beneficentia fecit pluralitatem Deorum.

A *Hac proceres iere Romani, hac nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subueniens. Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiã mos, vt tales numinibus adscribant*. Ita Plin. loco citato decipiebatur illa inani opinione diuinitatis. Nobis verò, si fuerimus miseris misericordes, promittitur Psal. 81. V. 6. *Dij estis, & filij excelsi omnes*.

Mihi sanè eriperet spiritũ admiratio perlegenti, quod Patriarcha Iacob nũcupauit votum, dum Genes. 28. num. 20. & 21. his verbis compellat Deum. *si fuerit Deus meum, & custodierit me in via: erit mihi Dominus in Deum*. caperer, inquam, admiratione, nisi eruerem in hoc loquendi modo sententiam plane diuinam. Quid enim vir sanctissimus ambigit adhucnum, vt Deum colere debeat Dominum vniuersitatis? absit, sed oportunè, quia extorris, quia omni ope destitutus, quia exul à Patria, opis maximè indignus certam hanc diuinæ naturę proponit notam: qui enim in abiecta fortuna iacẽti succurrit, Deus est. Perbeliè sanè D. Io. Chrysostomus hom. 53. in Matth. paulò post med. sic disserit; *quoniam de misericordia, & benignitate mentionem feci,* C *age iam sermonem illum suscipiamus, quem nudiustertius de humanitate, ac liberalitate facientes infectũ reliquimus. Quid igitur fuit exhortationis illius initium? quod ars quædã liberalis misericordia sit, in cælis habens officinam, & nõ hominem. sed Deum magistrum possideat*. Igitur si vestigijs tanti doctoris insistere liceat, si misericordia, & benignitas ad alienas calamitates subleuãdas ars est, quæ in cœlo officinam habet, si Deus huius artificij perhibetur esse magister; qui huic arti perdiscẽdæ dat operam, Deus quodãmodo fiet, sicuti contingit artificibus reliquis, D inductione facta per singula artium genera. Propterea, post multa loco citato, vt Chrysostomus in summã redigat, quid præstet huiusmodi ars, ait: *hæc erudire solet, quo pacto possis Deo similis esse, quod omnium bonorum caput, ac summa est*. Quod quia parum videbatur tãto doctori post aliqua subdit. *istud in primis homo discat. Istud enim est hominem esse. Et tu miraris, si hoc homo est, hoc Deus est*.

Iacobi votum quòd Dominũ agnoscat pro Deo.

Beneficentia nota diuinitatis.

Misericordia magist. Deus.

Misericordia ars diuinitatis adipiscendæ.

Misereri est hominem esse, imo Deum.

Quod quidem adeò peruiũ est, vt ipsis etiam Ethnicis apertum fuerit, & explora-

tum

cum. Etenim si Terentius in Eunuco interroget admiratione perfusus.

Dij immortales, homo homini quid praestat

Respondebit Poeta nõ ignobilis Papinius, hominem praestare homini praesidium instar Dei, vnde cecinit.

Vrbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deùm, mitis posuit clementia sedem,
Et miseri fecere sacram.

Ara misericordiae Athenis eo sacrata. Loquitur autem de Ara misericordiae, quã Athenis fuisse meminit Pausanias, hanc dicit Poëta nõ ignobilis, à miseris in Deorum numerum fuisse relatam, quia videlicet aliena miseria est, quae ferenti opem B occasionem tribuit, ac modum comparandae diuinitatis. Hinc crediderim, sumpsisse Democritum, quemadmodum refert Coelius Rhodiginus lib. 22. lect. antiq. circa medium, sumpsisse, inquam, ansam dicendi, duos tantum Deos esse, Poenam, videlicet, & Beneficium. erravit sanè Democritus, qui humani imbecillitate ingenij, suis nequit limitibus circumscribere diuinitatem. Verùm non omninò aberrauit, dum perspicere potuit lucẽ quamdam diuinae naturae in beneficio, quod quidem in alienum bonum collatum non modò Deum repraesentat, sed, si dicere fas est, C facit.

Beneficium & poena duo Dij, nec alij vltenùs.

Interpretatur Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum post med. Hippodami de amicitia sententiam in hunc modum. *Ac mihi quidem pulcherrimè Hippodamus Pittagoreus videtur describere amicitias. Vna quidem est ex sententia Deorum; altera verò ex hominum suppeditatione: tertia verò ex voluptate animantiũ. Est ergò vna quidem Philosophi amicitia, altera verò hominis, tertia autem animalis. Reuera enim Dei est imago homo benefaciens.* Hoc porrò nemini, neque mirum, neque nouum D videbitur, dummodò legerit cap. 6. lib. 2. de Clementia à Seneca conscripti, vbi decernitur succurrere alienis lacrymis, dare manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, donare lacrymis maternis filium, catenas solui iubere, ludo eximere, & cadauera etiam noxia sepelire, succurrere, prodesse, commune calamitosis auxilium ferre, publicum aerumnosis bonum parere, Deo digna opera esse. *Caeterùm omnibus proderit,* (verba Senecae) *& Deorum more calamitosos propitiùs respiciet.*

Hippodami de amicitia sententia.

Homo benefaciens imago Dei.

Porrò, si subiata miseria, auferatur quoque misericordia necesse est, consequitur hinc necessariò, vt hominibus diuinitatis origo, & veluti semen miseria fit. Legatur Augustinus enarratione in Psal. 83. paulò ante med. vbi inductione facta probat, misericordiam sine aliena miseria stare non posse, & idem repetit enarratione in Psal. 85. paulò ante finem, vbi pluribus enarratis incommodis huius vitae; quibus religiosus animus excitari debet ad auxilium afflicto ferendum, atque calamitoso, concludit tandem his verbis de beata patria loquens. *Nõ erunt opera misericordiae, quia transit miseria. Vbi necessitas non erit, nec miseria, opera necessitatis, ac misericordiae non erunt.* Iniquum igitur est alienas auersari calamitates, à quibus tanquam à perenni fonte maximi boni hauriri possumus speciem quamdam, tanto ab hominibus studio concupitae diuinitatis. Magnus Alexander meritò ab antiquioris, & nostrae aetatis aestimatoribus aequis reprehenditur, quòd Dario iam excusso, & Persarum Regno subacto, veluti foelicitate multa ebrius, sapere supra hominem cepit, ac sibimet videri Deus, adeò vt Dei nomine datis ad Graeciae ciuitates litteris, ridiculè satis institerit petere, vt decreto publico ipsum statuerent Deum. Profectò, vt dicebam, ridiculè. Maximè enim diuinae bonitatis ignarum se praebuit, existimans Dei imitatorem eum esse, qui cladem infert, & impetu debellat. Nescis Alexander, Dei esse, aduersa auferre, non inferre, & fauere patrocinio, non hostili violentia decertare.

Misericordia ab aliena miseria pendet.

In coelo nulla miseria, nulla misericordia.

Alexander haberi se iactat pro Deo.

Satis magnifico dicendi genere, visus est aliquibus Magnus Leo, non explicare modò, sed extollere praestantiam eorum, quos alienarum miseret calamitatum, cum sermone 6. de Quadrag. circa med. dixit: *Beatus efficitur quicumque miseria laborantibus caritate compatitur.* Ergo si tangat animum alienae commiseratio calamitatis Beatus efficeris. Quod si nimium id quispiam esse crediderit; audiat quid Iacob Patriarcha, vir antiquae probitatis sectator eximius, hac in re senserit; & fateri cogetur, impar pro re praesenti, esse praeconium, eum,

Beatus est qui compatitur.

quem aliena flectat miseria, nuncupare beatum. Irruperat Esau furore actus insano, familiam Iacob funditus deleturus, structaque quadrigentorum militum acie lectissimorum, ad cędem inermis fratris anhelabat. Cum ecce tibi Esau ignem ferentem oculis, rabiem spirãtem naribus, vomentemque fraternam toto corporis habitu lanienam, vt perspexit afflicta Iacob familia, eiulatibus, ac lacrymis extremum adesse diẽ lamentata est. Quis tunc Liæ fletus? Quę Rachel lacrymæ? Qui tenelli Ioseph vagitus? aut quibus modis mulieres pauidę lacerabant genas, ora vnguibus cruentabant, sparsis sine lege comis, ac sine modo discissis. Profectò circumadiectę siluæ, geminatis fletibus resonabant. Ipse Iacob virilis oblitus animi, cum spe penitus cecidisset, in genua prouolutus iam manus dabat, non magnanimo conatu propulsaturus, sed ignaua subiturus inertia præsentissimam necem, atque turpissimam. Quæ, obsecro, calamitas maior? aut quæ sors acerbior potest animo comprehendi? Verùm præter omnium spem, Esau, furoris oblitus, ruit in amplexus Iacob, quem fraterno fouit affectu humanissimæ caritatis. Tunc Iacob continere se non potuit, quin diuino veluti æstro tactus exclamaret, vt legitur cap 33. Gen. num. 10. *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Cordati sane hominis cutę, ac pleni donata cœlitus sapientia. Enimuero vultum Dei præseferre dicatur is, qui nulla vi, nullo impetu, sed aliena solummodò flectitur calamitate. Aberrauerit ab hac veritate, humana prędictus sapientia Seneca cum epist. 95. in fine scripsit: *Non est quod credas, quemquam fieri aliena infœlicitate fœlicem.* Imò verò donat aliena infœlicitas diuinitatem.

Esau armatur contra fratrẽ.

Iacob familia metu consternata.

Misericors gerit vultum Dei.

Infœlicitas aliena facit aliquando fœlicẽ.



A

IN CAPVT QVINTVM à Num. XXXXIII. ad vltimum.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus

B

vos, vt sitis Filij Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè, & publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonnè & Eth-

C

nici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, sicut, & Pater vester coelestis perfectus est.

PARADOXVM XV.

Amicus sibi, amicus nulli.



D

PROBE scio; quis autem nesciat? communem esse querelam, & omnium ferè sermonibus decantatã, nullam penitus superesse inter homines germanæ vestigium familiaritatis. Vtinam non erudiremur experimento, iam inane esse amicitiæ nomen, & non sine veritatis iniuria, quò sæpiùs, eò iniustiùs vsurpatum. Adest

Adest tanto malo delapsum è cælo remedium, quod vtilitate, ac bono omnium in præsenti aperire consilium est. Enimuerò cum mihi ob oculos pono quanta dicendi vi suadere conetur hominibus Christus Dominus, vt beneuolentissimis amici animi officijs vti debeant, etiam cũ ijs, à quibus pares vices minimè rependendas esse certò sciant; præsentit animus nescio quid arcanum, planèque diuinum, quod nihil aliud est, quàm nullius amicitia vti posse eum, qui quidquid molitur, quidquid cogitat, quidquid aggreditur, in proprium commodum, atque in suam perficit vtilitatem. Euellenda radicitùs est ab humanis pectoribus hæc amicitiæ pestis tabifica, & nocentissimum virus beneuolæ consuetudinis.

Gratularer mihi, si frequentes adessent huiusmodi homines suarum rerum amantes adeò, vt propterea eos ex amicorum albo expungendos esse censuerit sapientũ magister Aristoteles; eos appellans cap. 4. post med. lib. 7. moraliũ Eudem. *Non veros amicos ad vtilitatem comparatos.* Immò sanctioris Philosophiæ probatissimus magister S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum non multo ante finem, vt istos deludat: *sumptuosis*, ait, *familiaritatibus quæstuosas comparant amicitias.* Pudeat quæstum in amicitia quærere, cum amicus bonis omnibus sit præferendus. Sanè Pyrrhus Epirotarum Rex, quemadmodum Plutarchus scribit in apoph. Reg. & Imp. non multò ante medium, cum bis inito cum Romanis certamine, signis triumphalibus victoriam reportasset, sed quàmplurimis amicorum amissis, non sine magno doloris sensu dixisse fertur; *si vno prælio Romanos iterum vicerimus, peribimus.* Sapientissima profectò, & amantissima vox, quà apertissimè declarauit, malle se carere victoria, quàm amicis. Expleuisti tu quidem amicitiæ numeros omnes, Rex inclite, & quia nihil tibi tantoperè cordi esse, quàm amicos, & plures amicos facere, quàm tua commoda luculẽtissimè demonstrasti, teipsa meliùs, quàm verbis declarauerit Aristoteles loco paulò superiùs commemorato, vbi ait: *erit amicus amico, non quia musicus, vel medicus*, & paulò infra decernit amicum illum nequaquam esse, *qui res magis amici, quàm ipsum amat amicum.*

Arist.

Non est amicus, qui sua sectatur commoda.

S. Bern.

Quæstuosa amicitia quæ.

Plut.

Pyrrho amici cariores victoria.

Amicus bonis omnibus præferendus.

S. Ambr.

Vsurpabo libenter loquendi modum, quo vtitur S. Ambrosius lib. 3. de officijs c. vltimo paulò post med. inquiens. *Quid est enim amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas, atque applices, & ita misceas, vt vnum velis fieri ex duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui causa inhonestum petas? Non enim vectigalis amicitia, nõ quæstus, quia non pecunia quæritur, sed gratia, nec licitatione pretiorum, sed concertatione beneuolentiæ.* Memoriter sunt tenenda, & immortalibus inscribenda animo characteribus ea potissimum: *non vectigalis amicitia, non quæstus est*, vt omni amota controuersia fateamur, amicum consortem amoris esse, nequaquam mercatorem, aut nundinatorem. Ablegandas à tectis hirundines dictitabat Pithagoras, more suo obscuris verborum ambagibus, arcanum recondens Philosophiæ, Etenim dicere volebat, summo studio infidam ficti simulationem amici diligentissimè cauendam esse, atque vitandam. Hirundo quippe diutiùs, & familiariùs, quàm auis alia quælibet nostro vtitur contubernio; nunquam tamen mansuescit, aut sociabile induit ingenium. Immò tandiù solùm nobiscum est, quandiù prospicit sibi; quemadmodum apud Pierium Valerianum leges lib. 22. Hieroglyphicorum paulò ante finem: habemus tanquam in speculo cuiusmodi sint, qui personam mentiuntur, amici mores nusquam induũt. Abhorreas ab istorum consuetudine, si viro credas prædito sapientia singulari, cuius consilio nullum monstrum tanta sollicitudine à domesticis laribus est expellendum, quanto studio est ableganda hirundo.

Placuit mihi semper summoperè illa ratio, qua Guglielmus Parisiensis lib. de legibus cap. 24. paulò post med. inanes reicit cultores Deorum in hunc modum; *Sapientes, & iusti Dij non possunt non facere, & gloriam suam impartiri sibi similibus, hoc est Sapientibus, & iustis hominibus: non solum igitur placatos, atque propitios, necesse est eos esse bonis, & iustis hominibus, sed etiam amicissimos. Quia igitur amicitia vera potius confert amico, quàm ab eo recipere intendit, immò contra* in-

Amicus nihil facit sui commodi causa.

Amicus amoris consors nõ mercator.

Hirundines vitandæ Pythagoræ monitũ.

Pier. Valer.

Guglel.

Deorum inanitas.

Suum querere commodum est contra leges amicitiæ.

intentionem; & veritatem amicitiæ est, A *aliquid proprij commodi in ipsa quærere manifestum est Deos, nec velle, nec quærere munera, vel sacrificia istius insanissimæ culturæ.* Demonstrat sine dubio ratio Guglielmi; quia cum ex vno capite Deorum adoratores vanissimè vellent sacra facere in cultum Deorum; ex alia verò assererēt, hoc pacto conciliare sibi eorumdem amicitiam, in quorum honorem sacrificabant; si leges amicitiæ examinentur, nullus videtur relinqui dubitationi locus. Profectò venalia potius fateantur esse mancipia huiusmodi numina, quæ amicitiam pretio B vendunt, non ineunt beneuolentiam. Hæc dum asseto versatur mihi ob oculos Darius magnus ille Persarum Rex, non tàm ditissimo, & florentissimo Imperio, quàm Zopyri amicitia memorandus. Desciuerat ab Imperio ditissimi Principis Babylon, quod & Zopyro germanæ exemplar amicitiæ præbendi, nunquam obliterando facinore, & Dario veri notam amici commēdādi celeberrimo apophtegmate, præbuit occasionem. Zopyrus namque naso sibi, & auribus dissectis persuadere facilè potuit cruda ta vulnerum facundia, ad eos se confugisse tam diris affectum vulneribus à C Dario. Nec multis in re notissima, lectorē teneho. Creditam suæ fidei à Babylonijs Vrbem Regi reddidit Zopyrus exemplo tàm raro, quàm præclaro animi deuinctissimi perquàm arcto vinculo necessitudinis. Res tota Regi nunciatur, qui pro festis acclamationibus erupisse fertur in lacrymas, & crebra inter suspiria asseruisse, malle se amicū *Zopyrum*, vnicè dilectum illius expertem fœditatis, quàm centum Babylonias habere. Id refert ex Antiquis acceptum P. Horatius Tursellinus lib. 2. epitome historiarum in Tarquinio Superbo non longè ab initio. Amici nomine qui D gratulatur, amicitiam, qui summis extollit laudibus, comprehendat oro, quod sit amicitiæ munus, & quātoperè à suo commodo, atque vtilitate alienus esse debeat, qui amicitias fouet. Equidem amor, & Poetarum pigmentis, & Pictorum linea-mentis post hominum memoriam, nudus semper depictus fuit; quia quemadmodum interpretor, nunquam exercuit mercaturā, vel certè si exercere tentauit, tàm ignarus vsuræ fuit, vt decoxerit.

Darij memorabile dictum.

Singulare exēplum veræ amicitiæ.

Babylon à Zopyro recuperata.

Tursel.

Amor nudus docet veram amicitiam.

Plures noui, qui ad aucupandam amicitiæ opinionem beneficia fœnerantur, istos ego dati, & accepti egregios supputatores nuncuparem, amici nomine donarem nunquam, qui à S. Bernardo didici longè diuersum esse munus amicitiæ. Hoc porrò quale sit interrogas? dabit responsum S. Abbas, inquiens: *magnum huius vitæ solatium est, vt habeas cui pectus tuum aperias, cum quo arcana participes, cui cōmittas secreta cordis tui, vt ames, & sequaris eum, qui tibi paterna pietate in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, & in prosperis gratuletur, fœlix talis societas, talisque amicitia, qua nihil est in rebus humanis pulchrius.* Ita de ordine vitæ aliquantò post initium; alium, qui ab amico fructum expetit, quàm amoris, beneuolentiæ, humanitatis, iste profectò amicitiæ leges, ne à primo quidem, vt aiunt, limine salutauit. Nihil tanti facias, quanti amicum, eo consilio, quo paulò superiùs commemoratus Darius, qui cū ingens malum granarum aperuisset, rogāti cuidam, cuiusnam rei tantum habere vellet numerum, quanta granorum illorum esset multitudo? respōdit. Tot Zopyros, vt refert Plutarcus in apoph. Reg. & Imp. non longè ab initio. Nihil peculiare, nihil proprium; omnia inter amicos cōmunia amicitiam faciunt, quorsum recognosco imaginem pulcherrimam in ijs fratribus, quos ex Hipocrate refert S. Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei ipso initio, & bona, & aduersa valetudine vsos fuisse, ijsdem morbi incrementis affectos, eodemque temporis momento conualuisse, vt videretur peritissimi iudicio medici in ambobus nō similis, sed eadem planè temperies humorum: ò quicumque amici nomen affectatis, is inter vos debet esse consensus animorum, qualem fuisse audistis inter fratrum celebratissimorum corpora harmoniam. Exterminentur ab amicorum consortio, qui sua tantum commoda in amicitia quærunt, non amici consalutandi, sed quasi auarissimi mercatores exibilandi.

Apud Ciceronem in Cælio iure asserebat Scipio nullam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quàm eius, qui dixisset, ita amare oportere, vt aliquando esset osurus, nec verò se adduci posse in hoc, vt quemadmodum putabatur à Biante

S. Ber.

Amicus quantum bonum.

Amicitia nil pulchrius.

Nil amico desiderabilius.

Plut.

S. Aug.

Fratrum simillima tēperies.

Amici quales esse debeant.

Cic.

Amicitiæ inimicissima sententia.

te esse dictum crederet, qui habitus esset A sapiens,& vnus ex septem, sed impuri potius cuiusquam, & ambitiosi, & omnia ad suam potentiam, & vtilitatem reuocãtis esse sententiam. Oportunè nullus amicitiæ sensus inimicior eorum, qui sibi solummodò consulunt, & rebus suis; amicitiæ laruæ, amicorum prædatores, mendacia simulacra necessitudinis, & vt verbo concludam, istorum hominum fallacem,& personatam consuetudinem, & fictitiam familiaritatem, nuncupabo amicitiæ Magã, æquius fortasse, quàm à Plotino apud Cœlium Rhodiginum lib. t. lec. antiq. c. a. post med. Natura mundi maga nuncupe- B tur eo quòd imagines boni, veri, pulchri, vbique fingit, velut escas, quibus animas mancipatas fallit. Et tu corruptior amicitiæ blandis sermonibus, amplis pollicitationibus, velut escis mancipatas fictitio amicitiæ nomine animas fallis veræ amicitiæ magus. O monstrum; ò lues, ò corruptela necessitudinum, abi, abi in malam crucem: procul à tectis, procul à cætibus hominum amandandus, ex sententia D. Io. Chrysostomi hom. 49. in Matth. in fine monentis in hunc modum: *Non retineas* C *amicos mensa magis, quàm amicitia cupidos. Qui enim tales sunt, si delicias detraxeris, illi quoque amicitias dissoluent*: & quia id parum videri poterat ad declarandum, amicos esse non posse, qui in eam gratiam amicitias ineunt, vt consulant sibi, loco citato immediatè supra, sic decernit: *Ista amicitia omni capitali peiores inimicitia sunt. Nam multa ab inimicis lucrati sumus, ab istis verò semper nobis opprobria, semper nocumenta inuehuntur.* Non sine magno præcellẽtis ingenij acumine dictum fuisse scimus omnes ab Alexandro Macedoniæ Principe, qui laturus D iudicium (quemadmodum leges apud Cœlium Rhodiginum lib. 23. lectionum antiquarum cap. 4. ipso fine) laturus, inquam, iudicium de Cratero, & Hephestione, quorum vterque familiarissimus Alexandri existimabatur, dixisse fertur *Craterus amat Regem, Hephestion Alexandrum* quasi verò illustri nota hunc ab illo seiungeret, aperiens quamplurimos esse, qui in amico dignitates potius spectent, quibus ad amicitiam excitantur; isti profectò non Alexandrum amant, sed Regem.

Cœl. Rhod.

Natura mundi Maga.

Chrys.

Qui amici suis piscib.

Quæ amicitia peior inimicitia.

Cœl. Rhod.

Nota germanæ amicitiæ.

Verùm firmiori auctoritate, quod prosequimur, stabiliamus. Id porrò fiet, si Hieronymum, & Augustinum consulamus, apud quos inueniemus ità de amicitię munere verba fieri, vt nullus omnino locus remaneat inter amicos, quærendi sui commodi, & captandæ propriæ vtilitatis. Hieronymus quidem in cap. 7. Micheæ paulò ante med. sic scribit. *Amicitia pares, aut accipit, aut facit. Vnde, & alibi legimus: fit amicus eadem anima. Et lyricus pro amico precans: serues, inquit, animæ dimidium mea. Nolite ergo credere in amicis, qui de amicitijs sectantur lucra.* Et Augustinus lib. 4. confessionum cap. 6. circa med. commemorat nobile amicorum par Orestem, & Pyladem, de quibus ab antiquitate accepimus tàm arcto amicitiæ vinculo fuisse coniunctos, vt alterutri sine altero, & viuendi tædium esset, & moriendi metus; tum caput concludit exemplum proferens suæ amicitiæ his verbis; *Bene quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam & animam illius vnam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaueram.* Magnificum planè dicendi genus, sed adhuc integritati amicitiæ omnino impar. Vnde S. Hieronymus eidẽ Augustino scribens paulò post initium epist. 14. quæ habetur tom. 2. inter opera Augustini, sic habet: *De amicitia omnis tollenda suspicio est, & sic cum amico, quasi cum altero se, est loquendum.* quantam, obsecro, amicitiæ iniuriam inferre dicendi sunt, qui amici nomine immeritò vsurpato, incorruptam sanctæ necessitudinis beneuolentiam deprauant cupiditate auidissima propriæ, & heu, quam sordidæ, & abiectę, vilitatis dixerim an vtilitatis? rectiùs diceremus vilitatis; Non quia propria in amicitia vtilitas, vilitas est.

Non semel mecũ animo reputaui, quid dicere voluerint Gręci trito apud ipsos adagio *Amicus vt oleum plantis*; quo vituperare solebant mentitum, atque fictitiũ amicorum genus. Huius ego rationem sępius indagaui, neque potui oportuniorem inuenire ea, ad quam sternit aditum Cœlius Rhodiginus lib. 30. lect. antiq. cap. 24.

S. Hier.

Amicus vna cũ amico anima.

S. Aug.

Vna in duobus anima, vera amicitia.

S. Hier.

Amicus alter ego.

Cœl. Rhodig.

cap. 24. ipso initio, vbi ex Græcis tradit oleum esse plantis infestissimum, adeò vt planta quælibet oleo inuncta protinus demoriatur. Veritati quidem id consonum, & consentaneum est; sed quid habet hæc ab oleo ducta similitudo peculiare adeò, quod magno cum acumine illustrare queat præsentis Paradoxi argumentum? Dicā breuissimè; præpingue illud, ac oleosum, quo constat, & crassescit maximè inter liquores reliquos, oleum, an non symbolum est accommodatum eorum, qui fouent solùm, ac fauent pinguedini bonorū, ac incommodorum suorum? istis nihil magis inimicum habet amicitia, quę vt vera sit, sui obliuisci debet, conseruandæ necessitudinis gratia, quemadmodum P. Ouidiū præstitisse accepimus à maiorum annalibus. Etenim cum Nero in coniuratione Pisoniana Maximum Cesonium virum Consularem in exilium relegasset, amico exuli voluntarium sese addidit comitem Ouidius, vt præclaro testimonio palam faceret amico, se nequaquam Cęsonij fortunæ fuisse addictum. In quam gratiam recolere non erit ab re, quod inter Diogenis apophtegmata circumfertur. Cum enim Diogeni obijceretur à nescio quo dicente: Sinopenses te exilio damnarunt, & ego, inquit, illos mansione; significans multò æquiùs damnandos esse Sinopenses, quòd amicum inter aduersa laborantem deseruissent; meritò propterea damnandi mansionis, qui manere maluerant domi, quàm amico exuli (vt profectò par erat) socios se adiungere. O monitum verè aureū, & vsurpandum frequenter ab ijs, qui inanium amicorum deceptione falluntur. Debet, qui amicus est, vbique, & quauis imminente calamitate socium se præbere suo pernecessario; hunc si deserat, si sequi negligat, à Diogene meritò damnabitur mansionis: quæ sententia procul dubio, grauiter acerbior, atque exaggeratior haberi debet, quàm ipsa exilij pęna, vtpotè nota flagitiosissimi criminis, amicitiæ videlicet corruptę, ac conculcatę. Maneat igitur nostris impressum cordibus, expressum moribus, quod verè Nazianzenus Gregorius cecinit,

Fidis amicis nil puta præstantius,
Quos casus asper parturit, non pocula.

Pluta qui velit consulat P. Didacum de Baeza tom. 2. Commentar. moral. in Euangel. histor. lib. 8. cap. 3. §. 12.

Videatur etiam P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epistol. ad Philippen. ad cap. 2. vers. 4. Adnotat. moral. vnica; Nec non tom. 2. ad cap. 2. vers. 30. Adnotat. moral. 1.

Huc prętereа facilè reuocare poteris ea quę inuenies apud P. Paulum Sberlogum Commentario in Canticum Canticorum Salomonis vestigatione 1. in c. 1. vers. 1. ad illa verba: osculetur me osculo oris sui, sect. 6. num. 47.

Fallax amicus, vt oleum plantis, & cur.

Amici communes calamitates

Diogenis monitum.

Greg. Naz. Quis verus amicus.



EVAN.



EVANGELIVM

Secundum Matthæum.



CAPVT SEXTVM.

1 ATTENDITE ne iustitiam vestram faciatis coram homi-
nibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habe-
2 bitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cùm ergo fa-
cis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ fa-
ciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab homini-
3 bus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te au-
4 tem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit
eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
5 Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis
platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis, recepe-
6 runt mercedem suam. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, &
clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondi-
7 to, reddet tibi. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici. putant enim,
8 quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. scit enim Pater
9 vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater
10 noster, qui es in cælis. sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat
11 voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da
12 nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus no-
13 stris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. Si enim
14 dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cælestis de-
15 licta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vo-
16 bis peccata vestra. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes exter-
minant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis,
17 quia receperunt mercedem suam. Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, &
18 faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in ab-
19 scondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare
vobis thesauros in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt,
20 & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque
21 tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus

tuus

22 tuus, ibi & cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit
23 simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam:
totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ
24 tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum
odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.
25 Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ
vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima
26 plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli,
quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester
27 cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? quis autèm vestrum co-
28 gitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid
soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.
29 Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut
30 vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mitti-
31 tur, Deus sic vestit: quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicen-
32 tes. Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia
33 gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite er-
34 gò primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. No-
lite ergò soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. sufficit
diei malitia sua.



IN CAPVT SEXTVM à Num I. ad V.

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito. & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.

PARADOXVM I.

Omnis diues stultus, & improbus.





RIMO illo Christianæ pietatis sæculo verè aureo, quia aurum contemnebatur, mirum non est, diuitias tàm vili fuisse in pretio, quemadmodũ scribitur actuum Apostolorum cap. 4. nu. 34. agrorum pretia ponebantur, ante pedes Apostolorum, *tanquam*, inquit Augustinus, *pedibus conculcanda, quia ipsi Sancti Apostoli, & amici Dei indigna reputabant agrorum pretia manibus contrectari, vnde etiam Leuitis præcipiebatur lib. Num. cap. 18. nihil in terra corũ possidere*. Hæc Augustinus serm. 21. ad A fratres in Eremo paulò post initium, id, inquam, non est mirum, quia & ipso nati inter homines Dei exemplo didicerant paupertatem, & eiusdem Dei suo homines alloquentis oraculo audiuerant: *Beati pauperes spiritu*. Hisce verò temporibus, quibus ad insaniam vsque adamantur diuitiæ, erit fortassè peropportunum, ad cohibendos hominum animos, à tàm execrabili diuitiarum siti demonstrare: omnem diuitem, & stultum esse, & improbum. Quod eò libentius præsto, quò planiùs animaduerto Christum Dominum totum in eo esse, vt homines doceat ra- B tionem diuitijs vtendi cum laude, qui vtique stulti sunt, si mercedem à Patre cælesti promissam despiciant, si hæc Deo loquenti non credant, sine dubio improbi.

Sæculũ aureũ, vbi aurum cõtemnitur.

Aurum indignum tractari manibus.

Exordior à primo. Aues audire quàm mente captus censendus sit, qui diues est? Adi homiliam Eusebij Emisseni de SS. Ephipodio, & Alexandro martyribus, vbi paulò post medium de Diuite leges: *an tu illum fœlicem vocas? flagitijs inuoluitur, sceleribus inficitur, & inter hæc se beatissimum putat, ex hoc quoque infœlicior, quod se non intelligit in-* C *fœlicem*. Tam palmarem dementiam, quo ego, vel nostræ, vel antiquioris ætatis apophtegmate, meliùs explicem ignoro, quàm vrbano illo sale, quo Mediolanẽsis eques derisus fuit, quemadmodum scribit Io. Boterus lib. 1. dict. memor. viror. illust. non longè ab initio. Hic nuncij personam gerens, apud Florentinam Rempublicam, ditior sanè, quam sapientior, torques aureos diebus singulis permutabat, cumque id Nicolaus Nicolinus animaduertisset, eo quo pollebat ingenij acumine, cohibere se nõ potuit quin statim diceret, ad explodendã vanissimi capitis de- D mentiam; dementibus reliquis vna tantũ catena sufficit, vt in officio contineantur: hic eo vsque processit dementiæ, vt vix pluribus teneri possit. Mutato nomine, de te fabula narratur, quicumque vesano diuitiarum amore succenderis. Parum certè refert ferrea ne, an aurea catena vinciatis. In quo, fides S. Cypriano eloquentiæ, & sanctitatis commendatione clarissimo negari, nec potest, nec debet, dicenti lib. 2. epist. epist. 2. non multò ante finem. *Nos inter diuitias suas trepidos, cogitationis*

Diues infœlicior, quia se fœlicẽ putat.

Torques aurei catenæ dementium.

incerta sollicitudo discruciat, nec intelligit miser speciosa esse sibi supplicia, auro se alligatum teneri. Porrò teneri vinculis, nec intelligere, an sanus quispiam negauerit, mentis esse dementis? Quod si fortè non nullius iudicio possit id in controuersiam reuocari, audiat is Philonem Iudæum, qui vt non commemoret modò, sed commendet Moysem, eò quòd contempserit diuitias congerere, sic fatur lib. 1. de vita eiusdem circa med. *Solus hic omnium, qui vnquam Principatum gesserunt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulicia, non reditus, non alias opes sibi parauit, quamuis posset habere omnium harum rerum copiam: sed existimans animæ pauperis iudicium esse, mirari materiales diuitias; has quidem vt cæcas contempsit.* Cæcas planè, quæ mentis oculum luce orbant intelligẽtiæ; vt propterea dici queat, auri cupiditatẽ nihil ab insanissimo amore abesse: hinc à sapientissimis viris cæca diuitiarum cupiditas appellatur, eò quod mentis oculum eruat, & luce rationis animum spoliet. Testis mihi sit maximus oratorum M. Tullius 2. Philippica dicens: *Quam cæca auaritia est*. Et apertiùs oratione pro Quintio; *cæcus cupiditate, & auaritia*. Profectò aurum, & opes honorũ mentes auertunt, ac de statu rationis deturbãt, si Sophoclem in Antig. audiamus. Quod, vtporè satis perniciosum incommodum, magnam sine dubio habet vim ad auocandas hominum mẽtes ab insano diuitiarum amore, adhùc tamen superest lõgè maius detrimentum, nempe diuitiarum comitem esse improbitatem.

Moyses opum contemptor.

Sectari diuitias indicium animæ pauperis.

Auri cupido cæca.

Improbitas comes diuitiarũ.

Pro qua veritate vna instar omnium esse posset Beati Petri Damiani auctoritas opusc. 31. cap. 2. in fine dicentis. *Scriptum est Prouer. 28. qui quærit ditari non erit innocens: & alibi eccles. 10. dicitur: Auaro nihil est scelestius. Quid superbis terra, & cinis? Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Dura certè, & nimis formidolosa sententia. Si enim nihil est auaro scelestius, nihil iniquius, non ergò melior parricidis, non præfertur incestis, æquatur hæreticis, assimilatur idololatris. Vnde & Apostolus dicit Coloss. 3. Auaritia, quæ est idolorum seruitus. Sit ergò quilibet castus, sit sobrius,* **A** *sit indigentibus alendis intentus, hospitalitati deditus, ieiunet, vigilet, diẽ noctẽ psallendo continuet, si tamen auarus est, totum perdit; ita vt inter omnium criminum reos nequiorem se inuenire non possit: Nihil est enim, sicut dicitur, auaro scelestius, nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Quid ergò proderit non occidere? non mœchari? non rapere? non denique periurare? immunemq; te prorsus à cunctis criminibus custodire? dummodò si à te auaritia non expellitur, nihil te nequius, nihil scelestius reperitur.* Hæc inquam tam eloquenter explicata sententia instar omnium esse posset. **B** Verũ non desunt alia quamplurima, quę propositæ veritati multum afferant firmitatis. In primis autem id.

Auaritia vitiorum omnium princeps.

Auaritia virtutum omnium corruptela.

Testatur Plutarchus in Sylla statim post init. scribens in hũc modũ *Quod Sylla ipsi aliquãdo gloriãti post Africanã victoriã, & militiã magnificis vtenti verbis, quidã ex honestiori ordine dixisse fertur, quonã modo vir bonus esse potes, qui cũ nihil à Patre tibi sit relictũ, tot, ac tanta possideas?* Cõlentit M. Tullius ora. 2. de lege Agraria ad Quirites inquiens: *imò verò etiam hoc magis, quã illi veteres, germaniq. Cãpani,* **C** *quòd in vetere fortuna illos natos, & educatos, nimia tamẽ rerũ omniũ copia deprauabãt. Hi ex summa egestate in eamdẽ rerũ abundantiã traducti non solùm copia, verũ etiam insolentia cõmouebantur.* Ita Cicero. tantoperè semper probis moribus obfuere diuitię? Maioris proculdubio ponderis est futura auctoritas, Christiani Tullij dicerẽ, nisi me facturũ iniuriã arbitrarer eius nomini, quod etiã ab eloquẽtię cõmendatione habetur illustrius, nẽpè Io. Chrysostomi, cuius ea sentẽtia fuit hom. 23 in 6. c. Gen. paulò post init. cum explicaret illud Psal. 48. *ne timueris, cum diues factus fuerit homo, & cũ multiplicata fuerit gloria domus* **D** *eius; cum interierit, non sumet omnia: Diuites enim*, loquitur Chrysostomus, *his omnibus relictis nudi hinc migrant, tantùm malitia vestiti, & peccatorum oneribus inde collectis*. O execrandas diuitiarum exuuias. Vides, ni fallor, quid tibi reliquum sit, post opes Attalicas. Et continere te, qua ratione poteris, quin mille diris diuitias, vt potè scelerum fontes infelici perennitate manãtes iustissimè execreris? Aegyptij

Syllæ obijcitur multarum diuitiarum possessio.

Campani vbertate rerum deprauati.

Diuites nihil nisi sua peccata deferunt.

Scri-

Scriptorum monumentis singularis fama sapientiæ memorandi ex eo potissimum capite; quòd, vt Plutarchus de Iside scribit, Thebes in magnificentissimo templo erexerunt columnam ad posteritatem erudiendam, in qua diræ, & execrationea legebantur expressè, contra Minim Regem, qui sublata, quam fœlicissimè ducebant, frugi vita, luxum, & opulentiam, inuexisset: quo simul, & semel morum candorem fuisse sublatum luculentissimè testabantur; fœdatam vitæ innocentiam, conculeata humana, atque diuina iura, perfidiam inter homines, omniumque dedecus viguisse vitiorum. Adeò verum semper fuit nequaquam seiungi posse à diuitijs improbitatem. Vnde Martialis Neruam comendaturus, ingeniosum scripsit Epigramma, quod est quintum, vel iuxta alias impressiones sextum libri vndecimi.

Aegyptij execrantur Regẽ luxus inductorem.

Tanta tibi est recti reuerentia, Cæsar, (& æquis
Quanta Numa fuerat, sed Numa (pauper erat.
Ardua res est hæc, opibus non tradere (mores;
Et cum tot Crasos viceris, esse Nu- (mam.

Nerua Imperator in magnis diuitijs Numæ pauperi collatus.

Abundare opibus, & ijsdem non abuti ad fastum, non efferri ad superbiam; aliorum oppressioni, & iniuriæ non inhiare, præclarum quidem, sed oppidò rarum est. Ab his tam longè absuit is, qui cõmendatur à Martiali Nerua, vt sicuti Eutropius scribit lib. 8. actis Domitiani rescissis, atque abrogatis, adempta per iniuriam bona priscis Dominis restituerit. Quod etiam de Scipione scribit Titus Liuius Decade 3. lib. 10. & notat B. Petrus Damiani lib. 7. epist. epist. 18. paulò ante finem his verbis: *Antiquus ille Romanorum Dux, Scipio, cum Carthaginem victor obtinuisset, cuncta vrbibus Italiæ, Africæ, atque Siciliæ spolia reddidit, quæ scilicet illis à Carthaginiensibus olim sublata cognouit. Et quod à suis cultoribus Euangelium nunc extorquere vix sufficit, Euangelio nec dum coruscante, vir gentilis impleuit.* Nimirum Ducum fortissime, intelligentia comprehendebas, diuitias exaggeraras, sicuti docuit Apuleius, veluti ingentia,

Interopes probum esse summa laus.

Scipio relicta Carthagine antiquis Dominis reddidit spolia.

A & enormia gubernacula, faciliùs ad ima demergere, ac præcipitea agere, quàm regere posse incolumes, inter saxa, & scopulos flagitiorum.

Sapienter profectò Rupellæ Marchio dictitabat, vt Io. Boterus lib. 1. dictor. memor. viror. illust. paulò ante finem testis est, quò pluris sit aurum, eò minoris æstimari virtutem; Adeò vt pari passu, & pretium auri, & virtutis vilitas procedere videantur. Vnde opportunè monebo, si dixero: caue, ne tuos mores diuitijs tradas, memor dicti Senecæ epist. 5 ad Lucilium paulò post medium, scribentis; *infirmi est animi pati non posse diuitias.* Pulcherrimè sanè Phocion Atheniẽsis, cum Alexandri nomine centum ei talenta dono offerrentur, eos, qui attulerant interrogauit, cur obsecro, cum tam multi sint Athenienses, mihi soli hæc donat Alexander? illis verò respondentibus, quòd solum te bonum esse probumque existimat. *Igitur me*, inquit, *talem, & videri, & esse permittat.* Quod apud Plutarchum inuenies in apophreg. Reg. & Imp. circa medium, quasi verò non esse modò, sed ne videri quidẽ possit probus exaggeratæ vir opulentiæ. Dicamus cum Psal. 72. n. 12. *Ecce peccatores obtinuerunt diuitias:* animaduertentes tàm infœlici, quàm arcto nexu iungi simul peccata, & diuitias, vt idem sit obtinere diuitias, & fieri peccatorem. Peracutè S. Bernardus lib. sent. sent. 27. initio appellat diuitias, satellites voluptatum. Aptum enim verò nomen: Diuitijs quippè, quasi per vim, & satellitum manu, adducimur ad corruptelas quasque nequissimas animorum.

Quò pluris aurũ, eò minoris fit virtus.

Phocion repudiat Alexandri munus.

Diuitiæ satellites voluptatũ.

Accomodatè fortasse licebit hoc loco facere mentionem eius quod testatur Io. Boterus lib. cit. non multò ante medium. Ferdinandus Neapolitanorum Rex arduam rerum difficillimarum prouinciam, Ioanni Pontano imposuit, abnuente Alphonso filio Magnæ Græciæ Duce, quod onus, quia ægrè subibat Pontanus, Regem alloquens liberè professus est, capere se iussa, inuito, sed magno animo, neque enim deterreri se aiebat, aut indignatione Alphonsi, aut amore, quo idem Ferdinandus carissimum filium prosequebatur. Habere enim se disertè pronun-

Io. Põtanus multis muneribus perfunctus non auxit censum.

Paupertas innocentiæ aduocatus.

ciabat, contra vtrumque adversarium patronum optimum. Hæsit his auditis admirabundus Rex; neque se potuit continere, quin extemplò percontaretur, ecquisnam aduocatus posset causam suscipere, infestis principibus? respondit Pontanus, is futurus est pauper census, quem mihi superesse constabit post tantam negotiorum molem. Enimuerò in administratione rerum plurimarum, Regis imperio, & auctoritate, opibus mores non tradidisse, satis superque meam innocentiam comprobabit. Itaque si probat probitatem paupertas, à contrario improbum declarant diuitiæ. Vnde verissimè Diogenes Alexandrum monebat, data ad eumdem epistola, *si te*, inquiens, *ad bonam frugem recipere cupis, & probis induere moribus, regijs copijs, & honoribus diadematis, ac bonorum affluentijs nuncium remittas necesse est*. Similiter Aristoteles in Ethicis affirmat, plerosque diuitum vitam ducere omnium sermonibus improbati, & improbandi Sardanapali, vt hinc pateat, quantoperè cum diuitijs pugnet morum probitas, ac vitæ ratio penitus incorrupta. Quod licet maximum videri queat nonnemini, minimum tamen non immeritò iudicabitur, si conferatur cum eo, quod S. Cyprianus sentire se hac in re profitetur serm. 5. de lapsis non multò post initium his verbis: *Decepit multos patrimonij amor cæcus; nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa.* Hoc nimirum desiderabatur ad exaggeranda, quæ secum fecerunt incommoda diuitiæ, vt etiam earum amore plures à fide desciuerint. Profectò scelera, quæ mnis palmaria, peccantis animum fœdant, fidem non extinguunt, sola pecuniæ mancipia etiam à fide coguntur deficere.

Diogenis ad Alexandrum consilium.

Diuitum fama plerumque mala.

Diuitiæ sunt vincula ne procedamus ad virtutem.

Diuitiæ fidem extinguunt.

Pudeat iam diuitem talem seruire seruitutem; Memores illius, quod de Tamerlano memoriæ proditum esse testatur Boterus lib. cit. longè ab initio in hunc ferè modum. Cum iter haberet per Syriam, colonus nescio quis ei obtulisse dicitur vas ingens aureis plenum nummis. Quot A quot aderant aulicorum in morem, vt Domino blandirentur, certo certiùs asserebant, illum esse thesaurum Principis. Tamerlanus autem veritatis indagator probatissimus interrogat suos quam nummi illi imaginem præseferrent, maiorum suorum, an alterius cuiuslibet? & cum fuisset responsum, Romanorum Imperatorum expressa videri in aureis insignia; decerno itaque subdidit illicò Tamerlanus, aureos hosce à rustico auferri non posse, me quippè dedecet cuiquam seruire, licet autem homini sortis infimæ. Aurea de auro sententia, cui qui seruit seruiles induat mores B necesse est. Habemus in homine etiã barbaro exemplar moderationis eximiũ: Habemus rarum in rerum affluentia modum, quem imitemur omnes, vt liberi simus, vt omnem omninò aditũ intercludamus improbitati. Græciæ Sapientes idipsum sensisse testatur Aelianus lib. 2. cap. 43. apud eos siquidem ij optimi habebãtur, qui vitam in summa egestate traducerent. Talis fuisse dicitur Aristides, talis Phocion, talis Epaminondas, talis Pelopidas, Socrates, alijque, vt idem omninò apud ipsos censeretur, & diuitijs, & vitijs carere.

Tamerlanus auro contemnendo magnanimitas.

Pauperes in Græcia ijdem optimi.

C Horresco referens, quæ ac quãta à viris sapientia præstantibus enumerentur mala, quæ à diuitijs, tanquã à scelerũ hydra, infelici germinant fœcũditate. Cædes, ac bella à diuitijs originẽ ducere, Anacreon auctor est. Iniusta, & impia à diuitijs manare, Plat. 3. de Republica disertè testatur. Aurũ ad perniciẽ vitæ repertũ asserere nõ dubitauit Plin. li. 33. c. 1. nihil illo nocẽtius, aut perniciosius pronũciauit Terent: fidẽ auro pulsã, atque exterminatã cecinit Propert. Malo hominum excogitatum munus scripsit Valer. Maximus li. 4. c. 3. Dicamus dolosos nũmos cum Persio, malorũ Fabrica- D tores, cũ Tullio, fraudũ, & impietatis magistros cum Sophocle in Antigono, malorũ principes, & corruptores vitæ cũ Phocilide: Euersores Imperiorum cum Catone, apud Liuium lib. 44. omnium parentes maleficiorũ, cũ Auctore ad Herenniũ li. 2. Dicamus demũ cũ Bione diuitiarũ copiã, Metropolim, & matrẽ totius improbitatis, & cũ Cassiodoro lib. 12. Var. ep. 1. vitiorũ reginam. O exterminandã ab humanis pectoribus pestem, o luẽ longissimè amandãdam. Verissimè nempe Plato li. 5. de legib.

Diuitiæ malorum omnium origo.

Diuitiarum probrosa epitheta.

sta.

statuit fieri nequaquam posse, vt qui diues est, simul etiam probus sit. Hinc sapientissimi in omni antiquitate viri diuitias tantoperè sunt auersati. Brutus in Philippia 2. bello ciuili Tribunia fibulas aureas, vt probrum obiectauit: Fabritius Censor tàm castigatæ disciplinæ fuit, quemadmodum legi apud Alexandrum ab Alexandro lib. 2. Gen. dierum cap. 29. in fine, vt summos Duces plusquàm patetam, & salinum ex argento in castris habere edicto inhibuerit. Quid de Spartaco, quid de Pescennio Nigro dicam? Ille quidem dum contra Romanos molitur arma, omnem omnino auri, argentique vsum militi interdicit, hic omni summoto argento, in vasis ligneis milites vesci iubet. Militaria disciplina, si amore auri corrumpantur animæ, stare nullo pacto potest. Igitur imposterum inficietur nemo diuitias, & dementare sapientes, & probos corrumpere consueuisse.

Apophtegmata contra diuitias.

Atque, vt ab eodem altera hæc Paradoxi pars absoluatur, à quo duxit exordium, iterum prodeat in medium inter purpuratos Sanctus, inter Sanctos purpuratus Beatus Petrus Damianus in hunc modum differens ipso initio cap. 4. cit. opusc. 31. *Quid ergo mirum, quod superiùs diximus, auaro nihil esse sceleſtiùs; cum dicatur omnium malorum radix esse cupiditas? In quo enim radix est omnium malorum, ille consequenter omnium malorum reus esse conuincitur: quia quorum habet in sui pectoris agro radicem, non potest venenatam vitare propaginem.* Vt propterea nemini sanæ mentis, mirum videri debeat, si Sanctus Leo serm. 9. de Passione Domini paulò post medium pronunciet: *Nullum est, in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Porrò vtrumque simul explicatum inuenio fœlicissimè à Seneca epist. 95. aliquantò ante finem: vbi & dementiam, & improbitatem eorum, qui auaritia excæcati tenentur cupiditate diuitiarum, prosequitur in hunc modum: *Nulli nos vitio natura conciliat. Nihil quidem, quod auaritiam nostram irritaret, posuit in aperto. Pedibus aurum, & argentum subiecit, calcandumque, ac premendum*

1. ad Tim. 6.

Auaritia omnium malorum radix.

Vbi auaritia, ibi nulla iustitia.

Aurum causam & ferrum instrumentum belli natura abscondit.

A *dedit, & quidquid est, propter quod calcamur, ac premimur. Aurum, & argentum, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit. Nos in lucem propter quæ pugnaremus extulimus. Nos & causas periculorum nostrorum, & instrumenta disiecto terrarum pondere eruimus. Nos fortuna mala nostra tradidimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum.* Non procedamus vlteriùs, nisi animaduerterimus stultissimum esse, & per cælum obstans repugnantemque B naturam è latebris educere, & summo studio querere sibi causas, & instrumenta malorum, & quod caput est, ea ipsa, quæ minimi facienda essent natura magistra, maximo pretio æstimare. Vis scire, iterum verba laudati Philosophi, *quam falsus oculos tuos decipit fulgor? Nihil est istis, quandiu mersa, & inuoluta cano suo iacent, fædiùs, nihil obscuriùs: quid ni? quando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil est illis, dum fiunt, & à fece sua separantur, informius. Deni-* C *que ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus, & informe perpurgatur, videbis quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quàm corpora, & in possessore eorum, quàm in artifice plus est sordidum.* Dicuntur hæc paulò fusiùs, sed vtinam satis ad persuadendum auaris; quàm horridam, quàm sordidam, quàm deformem superinducat ipsorum animis laruam, cupiditas diuitiarum.

Videatur Pater Ludouicus Cressolius lib. 4. Mystagogi cap. 31. sect. 1. paulò post initium. P. Io. Antonius Velasquez D tom. 2. in epist. ad Philipp. cap. 2. vers. 27. adnot. morali 1. num. 3. P. Franciscus de Mendoza in lib. Reg. tom. 1. adnotat. 3. procemiali sect. 6. num. 7. & tom. 2. in cap. 3. num. 10. adnotat. 2. circa litteram sect. 2. num 8. & in cap 8. num. 5. in expositione litteræ num. 7. & eodem cap. adnotat. 31. circa litteram sect. 2. num. 16. circa med. similiter videri potest P. Didacus de Baeza tom. 4. in Euang. Histor. lib. 16. cap. 10. §. 4. iterum P. Io. Antonius Velasquez tom. 2. in epist. ad Phi-

lipp. cap. 3. vers. 8. adnot. moral. 8. num. 5. similia nu. 11. & alibi in ead. adnotat. Iterum moneo legendum P. Didacum de Baeza tom. 3. cap. 3. lib. 14. §. 2. & 3. & cap. 8. §. 15. & cap. 9. §. 20. & eod. lib. c. 13. §. 7. necnon tom. 4. lib. 16. cap. 1. §. 22. & 23.



A IN CAPVT SEXTVM
à Num. I. ad VII.

Attendite, ne iustitiam vestrã faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrũ, qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis,
B *& in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum*
C *stãtes orare, vt videantur ab hominibus, amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

PARADOXVM II.

D

Vnicum Superbiæ remedium, Superbia.



VOVSQVE tandem hominum haud illitteratorum vigebit opinio, asserentium inualuisse iam, vt Superbia pro nobilitate, superbi pro nobilibus dicantur. Vnde Silius Italicus Poeta non

Superbiam nobilitatem esse vulgi error.

non infimus loquens de Annulis detractis A in Cannensi clade nobilibus Romanis, canebat.

Testes hi stragis, quos signum illustre, (superbis
Mos leua gestare viris.

Et Hecuba apud Senecam in Troa deplorabat.

Non vnquam tulit.
Documenta sors maiora, quam fragili (loco
Starent superbi.

Et alibi passim latinæ linguæ periti superbiam pro nobilitate vsurpant. Verùm, me B iudice: longè grauiùs errãt, qui superbiam inclytam autumant, aut generosam. Ignobilem ego atque omnino ingloriam elationem si demonstrauero, sequar fortasse mentem sanctissimi Seruatoris, qui longa sermocinatione, pluribusq. congestis persuadens, indignum probo viro censendum esse, humanam aucupari auram, & inanem captare gloriolam, insinuare velle videtur, abiecti animi esse pro tantula mercede nostrorum operum thesauros vendere, & in eam gratiam operari, vt hominibus placeamus. *Stultissimum superbia malum*, exclamare libet cum Seneca lib. 2. de Be- C neficijs cap. 13. ipso initio. laudes hominum, & magnam nominis existimationem si affectas, te ipsum parui facis, æstimator iniustus tuorum bonorum, quandoquidem dum ea proijcis, vt magni fias ab hominibus, vili pretio vendis ea, quibus, & cœlum, & Deus ipse emeretur. Verùm ne longiùs euagemur verborum ambagibus; polliceor me probaturum, ignobile vitium, & inglorium esse superbiam, vt saltem superbiam, superbia refugiamus.

Abiecti est animi pro gloria operari.

Superbia vitiũ ignobile.

Peracutè S. Augustinus, vt redarguat eos, qui dedignantur sese ad pauperum pedes abijcere iuxta exemplum Seruato- D ris Ioannis 13. num. 4. & 5. quia cum clara glorientur stirpe, hoc natalitiorum prærogatiua non patitur. Audiant Augustinum dicentem: *mala nobilitas, quę se per superbiam apud Deum reddit ignobilem*. Ita fer. 1. in feria 5. in Cæna Domini inter sermones de tempore paulò post initium. Vnde meritò Codolaum, vt admoneat B. Petrus Damiani alloquitur in hunc modum epist. 20. lib. 1. epist. aliquantò ante med. *cunctis subiectus obtemperas, vt cunctis in dignitate precellas: & ambitio dominationis, iuri se mancipas seruitutis.* Vides quam se abijciat, ac demittat superbia; atque, vt in ore duorum, vel trium stare appareat absque controuersia, eius quod modò asserimus veritatem. Accedat tertius S. Bernardus tractatu de gradibus humilitatis paulò ante finem inquiens: *gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat*. Igitur se ipsa vsqueadeò vilescit superbia, vt tantillum honestatis emendicare cogatur ab insensissima humilitate.

Superbia apud Deum ignobilis.

Superbia se maximè demittit.

Superbia humilitate se palliat ne vilescat.

Pręclarè id testatur, quod primo parenti contigisse, & scribitur Genesis tertio, & scitur ab omnibus, in quem locum S. Ambrosius lib. de Elia, & Ieiu. cap. 4. post med. considerans verba Dei dicentis: *Ecce Adam factus est, quasi vnus ex nobis*: inquit, *irridens vtique Deus, non approbans dicit. Hoc est putabas, te similem fore nostri, sed quia voluisti esse, quod non eras, desijsti esse quod eras: intra te eras, sed dum supra te esse affectas, infra te esse cepisti. Denique vestiuit eum tunica pellicea, & ait: Ecce Adam; quasi dicat, ecce amictus suus, ecce dignum te indumentum. Hic te vestitus decet.* Indumenta conditionem indicant, & sicut Reges, & Imperatores purpura decet ad ornatum dignitatis, ita argumẽtum est vilitatis, adsutum Dei manibus è pellibus animalium rusticum indumentum. Vides quàm demisse se deicijat mentis elatio. Huc reuocari possunt quæ dicuntur Paradoxo in cap. 4. à nu. 3. ad 11. Mali Demonis perspicacia stolida, ab eo. quod de Alphonso Neapolitanorũ Rege memoratur, & deinceps. Interea id, quod præmanibus est vberiùs explicare libet, neque enim, meo iudicio, coniectura, quæ petitur ab indumentis, contemnenda esse videtur. Quãdoquidem memini me legere apud Ioannẽ Bot. lib. 1. dictor. memo. vir. illust. paulò ante med. de Petro Sabaudiæ Comite, quem scribit, contulisse sese ad Othonem Quartum Imperatorem, cum eo de rebus suæ ditionis grauissimis acturum. Illud in eo congressu mirum accidit, & posterorum memoriæ commendandum. Coraes nouo quodam indumenti genere indutus adiuit Imperatorem; dexteram enim vestis acu Phrygia, opere elegantissimo depicta tegebat; sinistram autem

Adã cur indutus tunicam pelliceam.

Petrus Sabaudiæ comes alteram manum armis alteram preciosè vestis.

aurem armarissimam chalybe, ferroque ostentabar. Id cum primo aspectu admirabundus Imperator inrueretur, Comes non lepidè modò, sed supra quàm comprehendi animo queat, quid sibi veller aperuit, Indumenta, inquiens, quò minus cohærere videntur, eò magis meum indicant animum, ac sensum patefaciunt. Cum enim & bellatoris, & Principis mentem gerem, æquum profectò fuit, vt simul pulcherrima exornarer veste, & tutissimo armorum genere munirer. Ex quo iam licet intelligere, quàm abiecta sit ea mens, quam humile, atque ignobile, Deo iudice, cor illud, cui conuenit indumentum tàm vile, ac vestis adeò ignobilis.

Indumenta cõditioni personæ conuenientia.

Hanc superborum obscuram adeò sortem, & sordidam conditionem, depictam graphicè intueri licebit, apud Tertullianũ lib. de Pœnitent. cap. 11. post medium his verbis; *Illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet contumelijs omnibus eniti in causa votorum fucrum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes. Nullis cõuiuijs celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis, &* C *lætitiæ fœlicitate. Idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Perpende num viliores fingi possint labores, num abiectiores demissiones animo concipi queant? hos subire cogebantur, qui affectabant Consularum; hos, immò deteriores tolerãt, qui sese, vt paululum supra pauculos tollant, infra plurimos, sese demittere turpissimè compelluntur. Et quis negabit imposterum, turpem, abiectam, ignobilem esse elationem, vt propterea continere me non possim, quin dicam: vtinam altiùs de se sentirent homines, animoque essent elato, D planequè superbo. Quid si id ipsum, quod nonnemini videbitur arduum, adumbratum à Pythagora inuenerimus, sed more suo symbolis quibusdam ingeniosis quidem, sed subobscuris. Certè sapientissimus ille Philosophus, non in Luna modò, sed etiam inter sydera vallium constituit humilitatem, vt scribit Cœlius Rhodiginus lib. 1. lect. antiq. cap. 4. paulò post med. quo loco si Philosophi mentem liceat interpretari, dicam voluisse sibi, demissio-

Ambitiosorum deploranda sors.

In sydetibus valles inesse existimauit Pythagoras.

Humilitas ad sydera euehit homines,

A nem illam esse, quæ supra sordes mortalitatis euehit, & syderibus infert; nihil igitur viri sapientissimi iudicio tàm inclytũ, aut tàm præcellens est, quod queat cum humilitate conferri. Porrò quàm præstans humilitas dignoscitur, tàm necesse est abiectam, infimam, ingloriam, & ignobilem esse eius aduersariam elationem, si perita à contrario ratiocinatio quidquam probat; extollit demissio ad sydera, consequitur igitur, vt deprimat in tartara superbia, & infra terræ sordes deijciat, atque detrudat.

B Memini me legere apud Ioannẽ Chrysostomum, virum inter eloquentes Sanctissimum, inter Sanctos eloquentissimum hom. 66. in cap. 20. Matth. paulò ante finem, auream illam sententiam, qua de superbo ferens Iudicium sic decernit. *Mirabile est, contrarium semper, quàm optat, ei euenit. Nam, cum cæteros contemnat, vt maiori dignus honore videatur, maximè omnium ipse despicitur. Ridiculi enim sunt.* Vere contemnendus, verè inglorius, vere risu excipiendus, & exsibilandus, qui supra cæteros, elato tumore animi sese effert. Accedit sua auctoritate Diogenes, cuius inter apophtegmata, illud mihi maximoperè semper arrisit, quo & adolescentulos Rhodios reprehendit, & posteris sanæ mentis documenta suggessit. Etenim cum Diogenes adolescentulos Rhodios conspexisset, sumptuosè admodum conuestitos, sese magnifice circumspicientes, despicientesque reliquos, ridens dixit; *superbiæ prorsum indicia sunt hæc.* Quo & declarauit, ridendum esse superbum, vt dicebat Chrysostomus, & insinuauit, nil aptius dici potuisse, vt adolescentuli pudore suffunderentur, quàm eos censoria notare virgula, quasi superbiæ præseferrent indicia, quo nihil magis abiectum, aut magis non inglorium, vel magis indecorum excogitari potest. Enimuerò iure monebat mox allatus Archiepiscopus Cõstantinopolitanus, superbiam, esse non posse sine abiectione animi, & pusillanimitate, libero homine maximè indigna. Dicebat enim hom. 70. in cap. 13. Ioannis paulò ante med. *qui præsentibus rebus, & magnis inhiat, is vilis est, & abiecti animi. Itaque nunquam humilitas est, sine magnitudine animi, neque superbia*

Superbia nunquam assequitur intentum suum.

Diogenes irridet superbos.

Superbia coniungitur pusillanimitati.

sine

Superbi pueris conferuntur.

fine pufillanimitate. Quemadmodum pueri vilium rerum spectacula admirantur, & obstupescunt pilis, trochis, & talis iubiaus, magnas autem res, ne cognitione quidem capere possunt: ita & hic. Hæc Chrysostomus, quibus nil potuit aptius afferri in medium ad aperiendam abiectam superbiæ fortem, quapropter à Socrate reprehendi non debuit Antisthenes, cum pannosa veste, ac lacera toga incederet tumidus: Scimus enim, vt est apud mox citatum Rhodiginum lib. 13. cap. 13. cum Antisthenes, ad captandam præcelsi animi commendationem, detritam, ac laceram, qua induebatur, vestem intuentium oculis ingerere satageret perquàm frequentissimè, scimus, inquam, graui à Socrate supercilio reprehensum illis verbis: *Non desines amplius te nobis, curiosiùsque eruare?* conquereris, sapientissime Socrates è patere Antisthenem pannoso habitu suam iactare superbiam: Equ dem nulla indumenti ratio, nullum vestimentorum genus, tantoperè superbum decet, quam lacera, detrita vestis, atque ignobilis, quia iam abiecta fuit, eritque semper conditio superborum, vt vel facere consueuerit, vel inuenire pannosos. O viles superborum animæ, ò mentes infimæ clarorum. Vilescunt in sordibus, dum nominis existimationem expetunt, & exoptant.

Antisthenes pannosus ira cedit tumidu.

Superbiam decet habitus pannosus.

Vanam esse superbiæ magnitudinē, scribebat Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 13. ipso fine, *& qua in odium etiam amanda perducat.* Quantò equiùs nos affirmare poterimus, gloriam ingloriam, & inhonorum honorem esse superborum. Quod cognouerunt etiam luce veritatis orbati, vt ex citato lib. Senecæ cap. 12. satis manifestum est. Vbi dicitur, Cæsar vitam dedisse Pompeio Penno, cui deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculandum finistrum pedem, quod gestum amici Cæsaris excusare conabantur, quia optimè intelligebant, maximum ex hoc detrimentum capere posse Imperatoris dignitatē, atque existimationē, quę supra quàm dici queat, vt ipsi arbitrabantur, viluisset, tàm turpi superbiæ ostentio dehonestata. *Qui excusant eum,* verba Senecæ, *negant id insolentia causa factum; aiunt enim socculum auratum, imo aureum, margaritis distinctum ostendere eum voluisse.* Vsque adeò inglo-

Superbia dignitatem deterit.

Cæsar socculū aureum cum margaritis gestabat.

A ria est, & indigna præcellenti viro superbia. Mihi semper visa fuit adnotatione digna ratio, qua D. Chrysostomus ingeniosissimè docet, eximiam, planeque singularem fuisse Apostolorum humilitatem. Sic enim habet hom. 30. in cap. 3. Ioannis paulò post med. *& quid mirum, dixerit fortasse quispiam, si humiles erant piscatores, & tentoriorum opifices? Erant sanè, verùm repente ad ipsum Cœlum euolarunt, & cunctis Regibus clariores euaserunt, digni habiti, qui vniuersi orbis Domini familiaritate fruerentur, & eum vbique admirabilem sectarentur. Illud præterea* B *non ignoratis, Quod quantò quis humiliori gradu, ad dignitates assumitur, faciliùs in superbia insaniam effertur, vtpotè, qui expers fit repentini, & insperati honoris. In hac eos humilitate Christus continuit.* Enimuerò magni æstimari non deberet Apostolorum humilitas, nisi ex infima plebe, ad rarum decus Deo iubente euocati fuissent, quia tanta est superbiæ, & vilitatis affinitas, vt supra vires humanas existimari debeat, vili loco, & infima sorte natum ad ingenium non redire, si dignitatibus efferatur. Disce tandem superbiam abhorrere, si minus affectu humilitatis, saltem amore C superbiæ. Prodis etenim te vilem, indicas te abiectum, quicumque in superbiam elatus intumescis. Pulchrè sanè scribebat Bernardus ad Episcopos Aquitaniæ epistol. 126. non multò ante med. dicens: *Quid tàm inglorium, quàm gloria cupidum deprehendi?*

Ex humili gradu euecti magnum superbię incitamentum.

Gloriæ cupiditas ingloria.

Vellem equidem, vt virtutis amatores, tales, se gererent, qualem gessisse se inclytum ducem nominis inter Romanos proceres, Fabricium, refert ex Eutropij lib. 2. Rom. hist. B. Petrus Damiani opusc. 31. c. 5. post medium his verbis: *Egregiè præcauit* D *insignis ille Fabricius, quem dum Pyrrhus Epirotarum Rex, aduersus Imperium Romana Republica dimicans, esse pauperem comperisset, solicitare cepit; quartam regni sui partem sibi, si ad se transfugeret, compromisit. Quod ille dedignatus abhorruit, & quouis gloriosior Rege, in sua paupertate permansit. Hoc itaque Christianus audiat, sicque gentilitatem suam, & Gentilis hominis euangelium erubescat.* Præcipuè animaduertendum est honoratiorem, ac ditiorē perhiberi Fabricium, quia ad regni fasti-

Fabricius Pyrrhi promissis non corrumpitur.

fastigium euocatus non modò dedignatus abhorruit, verùm etiam tanto cum hono re oblata munera, magnanimo nouit contemptu renunciare. Et tu,si sapis, honoratior vt sis,superbo cõtemnas fastu quidquid tribuere videtur honoris quidquid præbere creditur dignitatis,mendacis mũdi contemnenda fallacia, cuius existimatio, ac dignitas, non alio pactò refellitur meliùs, quàm si elato fastidio respuatur. Id fortasse & habebat præ oculis, & insinuabat Rex Dauid cum Psal. 21. num. 21. deprecabatur dicens: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*. Vbi ex interpretatione Eusebij Emisseni declarat, se nihili facere omnia, animã solummodò habere in pretio.ipsum audi hom.10. ad monachos paulò ante finem sic loquentem: *Quare vnicam dixit, Quia tanquam vnica diligenda est*. Profectò si noueris solam æstimare animam tuam,eamque,tamquàm vnicam,singulari habere in pretio, ac permagni ducere; simulque reliqua omnia contemnere,despicere,ac pro nihilo reputare, quidquid gloriosum, atque eximium censetur ab hominibus,tuę existimatione animę prę oculis habita,flocci facies,fies sine dubio,vna, eaque probatissima superbia, minimè superbus.

Dauid animam supra cœtera plurimi faciebat.

Anima vt vnica diligenda.

Quod quia magna dignum animaduersione eloquentissimo Eusebio videbatur; quasi verò sibi facere satis nesciat, id ipsũ & frequenter repetit, & eleganter, vt eo firmiùs mẽtibus hæreat hominum religiosorum. Hinc hom. 2. de Symbolo circa medium ait: *Quàm pretiosus sis, si factori fortè non credis, interroga Redemptorem*. Et ne videretũr potiùs attigisse cursim, quàm pro dignitate aperuisse, quid in re tanti momenti censeret esse sentiendum hom. 2. in Pascha paulò ante finem hæc habet. *Perspice, ò Homo, quantum vaLeas, & perpende quid debeas. Perspice quantum valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas vt vel per hoc erubescendo subiacere vitijs dedigneris,dum generositatẽ tuam de creatoris, ac reparatoris dignitate metiris*. Perutile profectò monitum, quippe quod Christianæ sanctitatis summam breuissimè,atque elegantissimè complectatur. Vt tui partes muneris omnes expleas, sis memor præstantiæ tuæ. Volue continuo

Hominis dignitas metienda ex creatore,& redemptore.

A præcellentiam conditionis tuæ, desine tibi vilescere, te dignos cõcipe spiritus ingentes,inclytos,generosos. Sit tibi tàm rarum tui pretium in pretio, vt qui Deo magnus es, à te ipso nullo vnquam pactò, iniusta sanè æstimatione, minimi fias.

Pauonem superbię hieroglyphicum esse ita rudes, & imperiti communiter asserũt vt asseuerent etiam eruditi. Sane Pauo, vt experiẽtia docet,&Plinius lib. 10.c.20. monet, pretiosam illam colorum supellectilem, tum plurimum ostentat, cum frequentes ad se spectandum aduenisse conspexerit: quod si nullum adesse spectatorem, admiratoremue cognouerit, animatam recondit iridem,veluti indignus bũdus. Vnde Ouidius lib. 13.Metamor. valde placentem sibi describturus, cecinit: *laudadata Pauone superbior*. Vera sunt hæc: verùm si dixero Pauonem magistrum esse humilitatis, an non manifestum fiet, vnicum superbiæ remedium else superbiam? Auctorem habeo B. Petrũ Damiani lib. 2. epist. epist. 11. ad Desiderium Abbatem, & S.R.E. Cardinalem paulò post initium in hunc modum scribentem: *Age igitur, noli frater,quod plerique faciunt, tantummodo si quid est in te virtutis attendere,vt C vitia,quasi post tergum posita, negligas iudicare. Imitare naturalis in Pauone diuersitatis exemplum. Qui nimirum pullinos, & velut ignobiles pedes præ oculis semper habet,insignem verò caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet. Videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod cum mirabilem reddat, in prõptu est,vnde se debeat in humilitate deprimere,post tergũ gerit vnde valeat,quasi præ cæteris auibus superbire. Te quoque quodammodò,quod in te virtutis est,lateat; si quid verò vitiosum,& correctionis est dignum, ab aspectus tui iudicio non recedas*. D Habes quo pactò à superbiæ magistris discas humilitatem. Enimuerò ipsi gloriosi homines,& vanissima capita contemnendum honorem docent, quem miseri quæritant auidissimè. Vix enim concupitum tenent dignitatis gradum,cum illum fastidientes, despicientesque alium expetunt, quem putant altiorem. Cæci, qui non videant parui faciendum honorem illum, quem ipsimet honorum cupidissimi autumant contemnendum.

Pauo non explicat caudam nisi circumspiciatur.

Pauo humilitatis magister.

Ante oculos habenda humilitas,post tergum superbiæ argumenta.

Superbi honorem adeptum contemnunt.

Id

Id ipsum & sua auctoritate, & magni A Pompeij illustrat exemplo sapientissimus Seneca his verbis: *Nec Cneo quidem Pompeio externa intre bella, aut domestica virtus, aut ratio suadebat: sed insanus amore magnitudinis falsæ, modò in Hispaniam: & Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur causæ, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi vni parùm magnus videretur.* Hæc Philosophus epist. 95. paulò ante finem; B Vt autem vim deprehendas huius auctoritatis perpendendum propono, quanto cum acumine dicatur Pompeius *Insanus amore magnitudinis falsæ*. Profectò falsa est ea magnitudo, quam tanto amore homines prosequuntur. Insuper attentè considero, tot, ac tanta molitum fuisse Pompeium, *quia sibi vni parum magnus videretur*. Sic se res habet, gloriæ cupidis nulla dignitas satis est, semper noua appetunt inexhausta crescendi, dominandique libidine, quia sibi ipsis parum magni videtur. Itaque si tuam magni feceris magnitudinem, superbiæ impetum cohibuisti: te itaque magnifice circumspice, vt ea, qua polles, præstantia considerata, sola superbia, afferas superbiæ medicamentum. C

Pompeium superbia laboribus continuis fatigauit.

Dignitatis humanæ cognitio superbiæ remedium.



IN CAPVT SEXTVM
à Num. VII. ad XIV.

Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici. putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum: sic ergò vos orabitis: Pater noster qui es in Cælis: Sanctificetur Nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

PARADOXVM III.

Oratio Iusti, laboriosissima simul, & suauissima.



D ARCANVM, planeque diuinum orandi genus hoc est, quod supernæ docentis homines sapientiæ oraculo promitur in præsentia. In quo ego, vt verum fatear, mirum quemdã recognosco nexum piorũ hominũ, nisi fallor, animaduersione dignissimum. Etenim geminis veluti partibus, vt obseruari facilè potest, constat Oratio Dominica. Altera quidem laudes complectitur opificis summi, ducit enim

Oratio Dominica duas habet partes.

exor.

exordium ab appellatione patris, quæ primum rerum omnium consalutat auctorem, cuius sedes cœlum esse perhibetur ad commendationem amplissimam diuinitatis. Altera verò, & potior orationis huiusce pars complectitur ea, quæ ad benè beatéque viuendum, à datore munerum postulamus. Porrò sicuti canere Deo laudes, iucundissimum melos est: vnde c. 14. Apoc. num. 2. testatur dilectus Deo Ioannes dicens: *vocem quam audiui, sicut citharedorum citharizãtium, in citharis suis.* Loquitur autem de sacris, quę in Dei laudem decantantur carminibus: quo sicuti

Canere Dei laudes iucundissimum.

B nihil, vt dicebam excogitari potest suauius, ita exorare, & supplicis in morem suam exponere indigentiam, maximè arduum censetur, ac perdifficile: adeò vt ingenuæ mentes nihil tàm caro emi pretio arbitrentur, quam quod prece emitur. Propterea sapientissimus Seneca lib. 2. de Beneficijs cap. 1. post medium in hunc modum scriptum reliquit: *optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi, illud melius occupare antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus su-*

Deprecari aliquid res maximè ardua.

C *um. Non tulit gratis, qui cum rogasset accepit. Quoniam quidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est, nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est.* Quibus quia nondum fecerat sibi satis cordatus Philosophus, sequenti cap. 2. ipso initio sic scribit: *molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, rogo.* In hoc itaque exemplari absolutissimę orationis, quod nobis proponitur auctore Deo, coniungi duo animaduerto, quasi pugnantia: nimirum diuinarum laudum concentum, quo nil suauius, & supplicis

D postulationes, quibus nil molestius, acerbius, aut onerosius contingere potest: vt hinc rem attentius perpendenti decernere non sit admodum difficile, eam demum omnibus absolutam numeris, & Deo Præceptore dignam orationem futuram, quę simul, & laboriosissima sit, & iucundissima. Hæc si cui fortè videantur esse pugnantia, beneuolo legat animo, quæ mox in medium sum allaturus.

Placet autem primo loco rei notissimæ & à vulgo passim decantatæ, palam, &

A sine vlla dubitatione cõtra dicere, vt dum insanum vulgus, more suo semper decipi, & à veritate aberrare liquidò constat, eo certiùs propositi veritas argumenti, omni remota controuersia, statuatur. Cygnos suauissimis modulis decantare senio confectos, & sacræ, & prophanæ litteraturæ eruditi testantur apertè. Hinc S. Hieronymus epist. 2 ad Nepotianum data, sic scribit: *ad Poëtas venio, Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, qui grandes natu Cygneum nescio quid, & solito dulcius vicina morte cecinerunt.* In hunc sensũ apud Apuleium libro de Dogmate Plato-

Cygnum morti proximum canere haud verum.

B nis, Plato comparatur cum Cygno mulcente Deorum, hominumque auditus canore musico, appellaturque à Socrate Cygnus cupidinis. Consentiunt verba Hori Apollinis, qui in capite, quomodo Aegyptij pingerent senem musicum, ita ait: *musicum senem, cum volunt significare, Cygnum pingunt, hic enim senescens canit quam suauissimè.* Verùm quorsum ista? profectò maximè rerum ignarus censeretur, qui nesciret, vocis suauissimæ auem Cygnum esse, eò dulciùs concinentem, quo morti propinquiorem. At si ego af-

C firmauerim, cõtra communem hominum, etiam haud illitteratorũ sensum, Cygnos à nemine cantantes fuisse vnquam auditos, neque dum moriuntur, aut consenescunt: ecquid erit præmij, ob erutam ex ignorantiæ tenebris veritatem? Nullum planè, nisi simul & semel demonstrauero, communẽ hanc de Cygneo cãtu sententiã, vel penitus reijciendam esse, vel eximiam quãdam, ac prorsus admirabilem canendi rationem Cygno esse tribuendam. Leges apud Gregorium Nazianzenum Orat. 34. Vbi cum Dei celebret laudes, sic habet. *Quis cantum illum, cum Cygno contexit,*

D *quo tempore, alis in aurã expansis, eiusmodi sibilum edit, qui sit instar carminis.* Audis alarum complosione, non autem glomeratione vocis resultare sibilum illum tantoperè celebratum consensu omnium, cantilenæ nomine. Quod apud eundem clariùs explicant Cygni ad loquendum inducti, dum his vtuntur verbis epist. ad Celusium: *cũ Zephyro pẽnas nostras inflandas permittimus, vt suauè quiddam, & concinnum inspiret.* Accedit quoque sua auctoritate D. Chrysostomus orat. 33. a-

Cygnus alarũ complosione canorus.

pertè

pertè pronuncians: *an vmquam quoddam hominum genus apparuit, quod naribus benè caneret, quemadmodum Cycnos facere aiunt alij.* Hic ego obseruo, cantum Cycni, hoc est omnium suauissimum, ac celeberrimum, non sono vocis, sed alarum labore, ac conatu totius corporis fieri: vt percipiamus canendi dulcedinem suauè, periucundam, vno verbo Cycneam, sine magna cõmotione pectoris, atque agitatione vitiũ exaudiri non posse. Talis, meo iudicio, ea cantilena censenda est, cui Sanctorum orationem comparandam esse contendunt sacrarum oracula litterarum. Nimirum, quam ad Deum fundimus deprecatio, cantilena quidem est, sed quæ solummodò labore magno, & conatu virium vsque ad defatigationem, ac penè extremum spiritum, anhelantium efformatur. Magno nisu edomanda est caro, impetu præferuido cohibendi sunt motus rebellantium cupiditatum, nõ sine magna vi inimici Deo corporis sensus sunt in officio continendi, ei qui velit patrem luminum suis precibus exorare.

Musica Deo placita magno cum labore efformatur.

Iam verò non erit admodum difficile, percipere sententiam Regij Vatis, cui, vt omnes norunt, erat in votis, eximium quoddam orationis genus, cũ summo studio deprecaretur psal. 104. num. 2. *dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* quam petitionem non fine causa tàm crebrò repetunt pij conuentus hominum religiosorum. Quid, obsecro, habet incensum præcellens adeò, ac singulare, vt præ omnibus, quæ sub aspectum cadunt eligatur, tanquam perfectissimum symbolum orationis? legi apud Cœlium Rhodiginũ lib. 24. lectionum antiquarum c. 24. paulò ante medium, illud quod de natura odorum testatum reliquit his verbis, *quòd verò amplius agitata odoramenta pleniùs afficiant ratio euidens: quoniam mota plus aëris, quam quiescentia replent.* Porrò per odoramẽta significari Sanctorum orationes, satis profectò reor esse perspicuum ex cap. 5. Apoc. num. 8. Vbi de beatis Cęli mentibus dicitur: *habentes singuli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Orationes, inquam, comparantur odoramentis, hæc autem agitentur necesse est, vt spirent suauiùs. Nimirum non otiosa

Oratio incenso comparatur

Odoramenta agitata magis redolent.

A quies oratio est, aut dulcis, omni remota perturbatione, tranquillitas, sed odoris instat, concutiatur, agitetur, hac, & illac impellatur, quandoquidem odoris fragrãtia, qua nil suauiùs, aut iucundiùs cum molesta concussione coniuncta, conflat orationem, quæ nisi simul, & laboriosissima sit, & iucundissima, nequit esse perfecta. Hæc, vt dicebam, probè teneo, immò censeo hisce veluti indicibus commonstrari facilè posse quid dicere velit plenus Deo Dauid, cum identidem repetit: *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Incensum quippe non attrectatur modò; non tunditur, aut concutitur solum; sed igne absumitur, vt plena suauitatis aura templa redoleant. Igne durissima quæque, & acerbissima, quæ perferunrur, significari in sacris litteris testantur apertè voces illæ amicorum Dei, qui, vt pœanem in beata patria concinant, post exanthlatos huius vitæ labores vsurpant Dauidicum illud psalm. 65. num. 2. *transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Igitur comparatur incenso oratio amici Dei, quia absumatur igne repugnantium aduersitatum, C is, qui Deo preces fundit, hoc est grauissima, & acerbissima perferat, necesse est amore summi boni; nec alioquin deficiat illa precãdi ratio, quippe quæ non sit suauissima simul, & laboriosissima. Hanc visus est habuisse præ oculis petitam ab aromatibus similitudinem S. Gregorius, cum lib. 23. moral. cap. 1. initio scripsit: *Beatus Iob tactus est verbere, vt odorem suarum virium, tantò latiùs spargeret, quantò, more aromatum meliùs ex incensione fragraret.* fragret ex incensione eius vita, cuius oratio, sicut incensum in conspectu Domini est dirigenda.

Oratio non est res quieta, sed laboriosa.

B

D ·Non me latet à Patre Ioanne Lorino, viro in primis erudito, impetitis tribui versionem illam in illud psal. 101. num. 8. vbi ex vulgara lectione recitatur: *respexit in orationem humilium*: legitur à nonnullis: *respexit in orationem cicadæ*. Scio, inquam, imperitiæ nota taxati huiusmodi versionem, fortasse quia ab aliquibus Ammonio tribuitur, cum potius eius Auctor Anonimus habendus sit. Siuè potius Symmacus, vt alij fine

vlla planè formidine asseuerant. Sed quidquid sit de hoc, ea mihi in præsenti vti fas sit ad palam faciendam sententiam fortè fortunâ non penitus respuendam. Hanc, vt in medium proferam, percontabor, quanam ex causa cicadæ oratio, vsque adeò supremo rerum molitori arridere dicatur, vt solummodò qui cicadæ vtitur cantu, summum artificem orare simul credi debeat, & exorare? Cicada sanè potius inconditè, quàm suauiter canit, si Plinium audias cap. 51. lib. 11. quo Auctore, strepitu potius infestant, quàm cantilena demulcent. Similiter ex Apuleio 2. florid. perdisces querulis vociferationibus aërem permiscere cicadam, nequaquam blando recreare sono animos audientium. Vnde apud Latinum Homerum 3. Georgicorum leges.

Oratio cicadæ cantui confertur.

Inde vbi quarta simul Cæli collegerit (hora,
Et cantu querula rumpent arbusta (cicadæ.

Cicada canit insuaue.

Similiter ab Hesiodo cicada nuncupatur clamosa, & à Politiano rauca, dum in Maor. sic ait.

Nigraq. dum raucum tremulis euibrat (ab alis.
Carmen, & epoto canit ebria rore (cicada.

Cur igitur oratio, quæ suauissimo potius cantui ad eius dulcedinem explicandā comparari debuerat, confertur cum cātu cicadæ? Verùm sapientissimè sine dubio, quia à Pierio Valeriano lib. 36. Hieroglyphicorum paulò ante finem accepi, ab Aegyptijs æquis rerum æstimatoribus, non aliud expositum fuisse suauissimę musicæ symbolum, quam cicadam: hanc in citharedi statua insidentem depingebant, vt ponerēt ob oculos, quasi viuum suauissimæ cantilenæ simulacrum. Quod mihi quidē probatur, nequaquam ex fabuloso illo cōmento Græcorum, quo cōminiscebantur, Eunomo Citharedo cicadā quondā præsto fuisse: cum enim is, Pythijs in contētione cū Aristone Rhegino venisset, chorda vna citharę fractâ recessisset à musico certamine prorsus inglorius, nisi superuolans cicada, vocis amissæ vices suppleuisset peropportunè. Hæc ego vtpotè fabulosa reijcio: alia me cōpellit ratio ad dicendum, cicadā suauissimi, ac dulcissimi

Cicada musicæ symbolum.

Cicada Eunomum Citharedum iuuat.

Cicada laboriosissimè canit

A cantus hieroglyphicū dedicādam. Et porrò potissimum est, quia longè dissimilis inuenitur esse cicadæ ab alijs animantibus canendi ratio: cuius siue tēpus, siue modū, siue organū, siue aliud quodcūque consideres, fateberis opus esse laboriosissimū; vt propterea mirari non debeas, si perhibeatur huiusmodi cantilena, etiam suauissima, vtpotè Deo digna. Ea namque solummodò, in Dei auribus accommodatissima resonat, ac iucondissima, quæ labore improbo, ac cantu conficitur vehementissimo.

B Id quod patebit manifestiùs, allatis ijs, quæ eruditissimi Scriptores, ac probatissimi de cantu cicadæ tradiderunt. Et primo quidem, si tempus spectemus, cogemur asserere, non sine magno incommodo cantare cicadam. de ea Nazianzenus Gregorius orat. 34. dilucidè pronunciat, illam incitari ad cantum, meridiano tempore, idest ardentissimo Sole, teste eodem, oratione prima contra Iulianum, dicente: *die media ardentissimo Sole lucente*. Et Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. secunda ait: *cicadas meridie concrepantes*. Immo, si Hesiodo credamus, non modò meridiano æstu, sed sine vlla mora, aut quiete, tota die resonat. Sic enim habet in scuto: *clamosa cicada, etiam toto die, & ab Aurora fundit cantilenam, calore in grauissimo, quando corpus Sirius siccat.* Quod licet satis abundè patefaciat, quanto cum labore resonet ille cantus, qui summo æstu, & irrequieto fit strepitu, cum omnia languescunt animantia, & defessa omnino quiescere compelluntur: Tamen supersunt adhuc quamplurima, quibus idipsum meridiana luce clarius fiat. Sanè Apuleius lib. 2. florid. videtur singulis auibus, proprium tribuere, & quasi secernere tempus ad canendum, dum ait: *Natura quibusdam auibus breuem, & temporarium cantum commodauit: Hirundinibus matutinum, Cicadis meridianum, Noctuis serum, Vlulis vespertinum, Bubonibus nocturnum, Gallis antelucanum*. Facta autem horum temporum collatione, mente quisque comprehendet quid dicere velim. Enim verò matutino, aut vespertino cantu Zephiris alludere periucundum est; ac

C

Cicada canit in summo æstu.

D

meri-

meridiani Solis vehementi æstu canendo insuper defatigari, quis non intelligat, quã sit arduum, atque laboriosum? Vera sunt hæc, sed nihilominus potiora supersunt, ad illustrandam nostram sententiam. Cicadam quippe non ore, & aëris ad asperã arteriam illisione, sed commotione viscerum, & hiatu pectoris decantare norunt quotquot Plinium cap.3 1.lib.1 1. legerũt scribentem in hunc modum: *alia cum tractu stridorem,* (subintellige edere) *vt cicadas. Recepto enim, vt duobus sub pectore cauis, spiritu mobili occursante membrana intus, attritu eius sonare viscera, sat notũ est.* Consentit paulò ante citatus Nazianzenus, eleganter tribuens cicadæ, vt eius vtar loquendi modo, *lyram sub pectore*. Itaque proh quanrus cicadæ canentis labor est, quæ cogitur, sonoro, viscerum boatu, alarum, ac pectoris commotione vehementi carmen edere dicam, an potius vires consumere, ac miserandum plãnè in modum spiritum profundere. Profectò Sanctus Basilius homil. 8. in Hexameron rationem docturus, qua fieri putat cantum cicadæ, *elicitur sonus tractione aeris, qua fit cum pectus expanditur.* Tantus, tàm dirus, ac tàm durus concinentis cicadæ labor; vel me silente, declarat, cur dicatur in delicijs esse Deo, oratio cicadę, cui vtpotè omnium gratissimę respiciendo respondeat. Videlicet carmen constu magno editum, & sonus vi laboriosissima emissus, ea cantilena est, quę Dei demulcet aures, & nihil non impetrat ab eo, qui dator munerum est beneficentissimus. Dicamus iam, & discamus, quid sit: *Respexit in orationem cicadæ.*

Cicadæ cantus ex visceribus.

Quando autem à Sanctissimo Rege, ac vate sapientissimo didicimus tàm pręcellens orandi genus, eundem idipsum, non sine lepore, repetentem audire, quantum animo complector, iniucundum esse non poterit. Is psalm. 115. num. 13. profitebatur dicens: *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Duo simul spondet, & se calicem hausturum, & preces ad prępotẽtem cęli, terrarumq. Principem effusurum. Scire desideras quo spectet huiusmodi promissio? declarabit Sanctus Paschasius lib. 8. in Matthęum inquiens: *quia nec crux, aut calix passionis, sine inuocatione Domini; nec inuocatio Dei, sine cruce, quæ tollenda est ad salutem, aliquid valet.* Igitur vero veriùs communi consensu statuamus nequaquam exorandum Deum esse sine afflictationibus, quandoquidem inanis est, & nullius plane pretij ea oratio, quę sine crucis fulcimento stabilitur.

Oratio nihil valet sine cruce.

His in hanc sententiam expositis, facilè quisque suo marte percipiet, quid sibi voluerit integerrimus, atque sapientissimus animarum sponsus, cum Cant. 2. n. 12. in hunc modum dilectæ suę laudes prosequebatur: *tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra.* Turtures pudicitię symbolum fuisse apud Hebręos, refert ex S. Basilio Pierius Valerianus lib. 22. Hieroglyph. circa medium his verbis: *Apud Hebræos ipsos reperies Turturum par pudicitiam significare, siquidem vt apud Basilium habetur, in Circumcisione par Turturum offerre mos erat, quod indicium esset pudicitiæ, ac vitæ continentis exemplum.* Igitur turture repręsentata anima placet illa quidem integritate morũ, & incorrupta probitate probatur Deo sponso sponsa dignissima; eius tamen vox resonat nunquam, nunquam grata dicitur accidere ad aures Dei, nisi cum tempus putationis aduenit. eo nimirum tempore, quo exercendæ sunt vires, & exanthiandi labores, tunc solummodò vocis suauitas commendatur. Itaque ferrum ni tractes, ui ad defatigationẽ vsque rescindere, ac resecare noueris, luxuriantis in morem vitis, repubescentes in dies, deprauatas noxiarum cupiditatum affectiones, Dei auribus gratum sonum edere non poteris, licet cæteroqui vitæ integer, & sceleris purus; Quia nulla Christiani melodia suauitas est, nisi laboris asperitate temperata.

Turtures pudicitiæ symbolũ.

Oratio suauissima tempore laborum.



IN CAPVT SEXTVM à Num. XIX. ad XXII.

Nolite thesauriZare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. ThesauriZate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus; ibi est & cor tuum.

PARADOXVM IV.

Dulcis omnis amaror.



AELESTIVM bonorum compendium, thesauro in eam gratiam comparari crediderim ab eo, in quo ex sententia Pauli cap. 2. ad Coloss. num. 3. *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*; vt intelligamus arduam quidem, & plenam laboribus, sed vndequaque refertam, redundantemque dulcoribus rem esse, desudare in hoc miseræ mortalitatis exilio, pro comparanda sibi perenni beatorum mentium fœlicitate. Ea planè ratione, qua thesauros effodere laboriosissimum simul est, ac iucundissimum. Sanè ingeniosus Philo lib. de Abraham sapienter protulit, *nunc pecuniæ causa scrutamur intima quæque, aperimus terræ venas duras, & refractarias*. Pulchrè sine dubio insinuat, nullam repugnantem adeò duritiem satis esse posse, ad retardandam ab amore eruendorum ab ipsis magnę matris visceribus thesaurorum, flagrantem semper, æstuantemque mortalium

Pecuniæ amor superat omnes difficultates.

A cupiditatem. Vnde Horatius non absimili admodum sententia canebat epist. 1. lib. primi.

Impiger extremos curris mercator ad (Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, (per ignes.

asperitatibus horridum, & amaritudinibus refertum quidquid deterrere potest ab amore thesaurorum, superatur spe, & cupiditate vincitur obtinendarum diuitiarum. Itaque decernamus, thesaurum quærere eum, qui nullum non mouet lapidem, vt immortalitatis vitæ coronam

Thesaurum quærere qui pro Deo laborat.

B obtineat, quia nil tàm amarum est, quod non dulcescat spe sola tantæ beatitatis, vt propterea fœlici nuncio patefacere queã illis, qui dolorũ premuntur pondere, vt caput aliquando sideribus inferant, omnem huiusmodi amarorem esse perdulcem.

Non ignorant eruditi consuetudinum antiquarum, fuisse olim in more positum, filios sibi adoptare traditione armorum. Vnde apud Cassiodorum lib. 8. Iustinianus quempiam sic adoptat. Ea sunt verba Auctoris: *desiderio concordiæ factus est per arma filius*. Et ibidem hæc leges. *Gensimundus ille, toto orbe cantabilis, solum ar-*

[illegible] filiorum per armorum traditionem.

C *mis factus est filius*. Quorsum, oro, armorum traditione filiorum adoptionem fieri consueuisse dicemus? amplexibus potius, aut quauis maiorum amantissimarum significatione volũtatum, ea negotiatio absoluenda esse videbatur, quæ plena amoris erat, ac beneuolentiæ redundantissima. Cur igitur traditione armorum? Dicerem, si integrum esset aperire, quid sentiam, meritò arma tradenda fuisse ei, qui filius ab altero adoptabatur; vt ea ratione fieret manifestum, nil fore vmquam tàm arduum, ac plenum discriminibus, quod

D filius non subire deberet pro eo, quem non naturæ debito, sed amoris prærogatiua venerabatur, vt patrem. Quotquot gratiæ cælestis donamur munere, à summo patre filij adoptamur, quod fieri non potest; nisi traditis armis. Quia negocium, quod perficiendum aggreditur, qui Deo seruit, quod suapte natura asperum est, & non sine armis tractandum; sed dulcescit amore, qui filium decet, eum videlicet, qui summi cælorum Regni, exacto mortalitatis curricu-

Dei seruitus, & filiatio opus asperum.

riculo, potiturus, adhuc viuens amantissima adoptione, inter Dei filios collocatur.

Tradit Aelianus, apud Indos Regionem quãdam reperiri, in qua Cęlo vsqueadeo amico perfruuntur incolæ, vt decidente pluuia madidum semper mellitum, vndequaque rorem diffundat; cuius illapsu nullum tàm amarum terræ pullulat germen, quod pro natiuo amarore, mutuatum à superis dulcorem non sapiat. Sit id, vt plures autumant, fabulosum beneficę condimentum naturę: Illud sanè mel, quod in præsenti libandum proponimus, planè cœleste donum, & superis annuentibus prędulce amarissimarum mortalitatis nostrę fruticum condimentum. Conqueritur Plinius lib. 11. cap. 12. & fortasse non immerito, quòd mel multum suauitatis amittat, atque dulcedinis in terras delabens. Verba Plinij loco citato sunt, *siue ille est cæli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aeris succus: vtinamque esset, & purus, ac liquidus, & suæ naturæ, qualis defluit primò: nunc verò è tanta cadens altitudine, multùmque dum venit sordescens, & obuio terræ halitu infectus, præterea è fronde, ac pabulis potus, & in vtriculos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus, & alueis maceratus, totiesque mutatus, magnam tamen cælestis naturæ voluptatem affert*. Hucusque Plinius, quo Auctore mel licet Cæli sudor, saliua syderum, succus aeris, vix quidquam retinet cælestis naturæ penè amaritudine extranea, atque aduentitia corruptum. Longè præstantioris conditionis est noster de quo loquimur ros, quo flores licet amari, inspersi cælitus, dulcissimam contrahunt suauitatem. Verùm ne generatim differendo, hàc illàc vagari videar, accedo propiùs ad perpendendum, qua ratione, nil asperum, nil horridum, nil insuaue diligentibus Deum contingere queat.

Indiæ Regio mellei roris vberrima.

Mel multum amittere natiui saporis.

Matthæi cap. 16. à num. 24. ad finem Seruator humani generis Christus Dominus, totus in eo est, vt asperam vitæ suadeat rationem hominibus ineundam. In quem locum eleganter San-

A ctus Leo. *exhortatio*, inquit, *Saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum leuissimum ducerent temporalium detrimentum*. Ita sermone de transfiguratione Domini paulò post initium. Vt vides, sola spes æternorum leuamen est, quo Dei amici non modò recreari debeant, verùm etiam quiduis cæteroqui graue nimis, veluti leuissimum arbitrari. Quod si qui fortè minimè se percipere posse profiteantur, audiant simile nescio quid ab homine ethnico fuisse indicatum. Sanè B Marcus Tullius, cum in Rullum verba faceret ad Quirites ait: *ita iucundum est otium, vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate*. Quod si rectæ rationi consonum iudicatur, & veritati respondens, quid nos sentire debemus edocti diuinæ institutione sapientiæ? Quid inquam nobiscum animo reputabimus, cum res quæuis proponitur ardua. Turpis Dei amore subeunda egestas, amicorum rescindendus amor C diuinæ legi repugnans, vel quid simile, quod humana refugit imbecillitas, ad virtutis fastigium contendentem ne retardent, ne ardua videantur, atque perpessu aspera, voluamus animo otium beatæ patriæ, immò non otium modò, sed imperium, ac dignitatem: siquidem electis dicitur Imperatoris summi decreto Matthæi cap. 25. num. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi*.

Spes æternorū leuamentum laborum.

Pro otio multi suscipiuntur labores.

Vtinam pronunciare possemus cum D castissima cælestis sponsi dilecta Canticorum 2. num. 6. *læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Quo loco, per leuam, metum significat pœnæ, sicuti per dexteram spem præmij intelligit: dextera sponsi cælestis illum amplexatur, qui metum omnem erecto capite calcat, & infra se habet. Hic sensus, cum Sancto Bernardo placeat, mihi non potest non probari summoperè. *Videtur mihi*, sic

 loqui-

autem armatissimam chalybe, ferroque ostentabat. Id cum primo aspectu admirabundus Imperator intueretur, Comes non lepidè modò, sed supra quàm comprehendi animo queat, quid sibi vellet aperuit, Indumenta, inquiens, quò minus cohærere videntur, eò magis meum indicant animum, ac sensum patefaciunt. Cum enim & bellatoris, & Principis mentem geram, æquum prorsùs fuit, vt simul pulcherrima exornarer veste, & tutissimo armorum genere munirer. Ex quo iam licet intelligere, quàm abiecta sit ea mens, quam humile, atque ignobile, Deo iudice, cor illud, cui conuenit indumentum tàm vile, ac vestis adeò ignobilis.

Indumenta cõditioni personæ conuenientia.

Hanc superborum obscuram adeò sortem, & sordidam conditionem, depictam graphicè intueri licebit, apud Tertullianũ lib. de Pœnitent. cap. 11. post medium, his verbis; *Illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet contumelijs omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes. Nullis cõuiuijs celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis, & lætitiæ fœlicitate. Idque totum propter vnius anni volatieum gaudium*. Perpende num viliores fingi possint labores, num abiectiores demissiones animo concipi queant? hos subire cogebantur, qui affectabant Consulatum; hos, immò deteriores tolerãt, qui sese, vt paululum supra pauculos tollant, infra plurimos, sese demittere turpissimè compelluntur. Et quis negabit impostorum, turpem, abiectam, ignobilem esse elationem, vt propterea continere me non possim, quin dicam: vtinam altiùs de se sentirent homines, animoque essent elato, planequè superbo. Quid si id ipsum, quod nonnemini videbitur arduum, adumbratum à Pythagora inuenerimus, sed more suo symbolis quibusdam ingeniosis quidem, sed subobscuris. Certè sapientissimus ille Philosophus, non in Luna modò, sed etiam inter sydera vallium constituit humilitatem, vt scribit Cœlius Rhodiginus lib. 1. lect. antiq. cap. 4. paulò post med. quo loco si Philosophi mentem liceat interpretari, dicam voluisse sibi, demissionem illam esse, quæ supra sordes mortalitatis enehit, & syderibus infert; nihil igitur viri sapientissimi iudicio tàm inclytũ, aut tàm præcellens est, quod queat cum humilitate conferri. Porrò quàm præstans humilitas dignoscitur, tàm necesse est abiectam, infimam, ingloriam, & ignobilem esse eius aduersariam elationem, si petita à contrario ratiocinatio quidquam probat; extollit demissio ad sydera, consequitur igitur, vt deprimat in tartara superbia, & infra terræ sordes deijciat, atque detrudat.

Ambitiosorum deploranda sors.

In syderibus valles esse existimauit Pythagoras.

Humilitas ad sydera euehit homines.

A

Memini me legere apud Ioannẽ Chrysostomum, virum inter eloquentes Sanctissimum, inter Sanctos eloquentissimum, hom. 66. in cap. 20. Matth. paulò ante finem, auream illam sententiam, qua de superbo ferens Iudicium sic decernit. *Mirabile est, contrarium semper, quàm optat, ei euenit. Nam, cum cæteros contemnat, vt maiori dignus honore videatur, maximè omnium ipse despicitur. Ridiculi enim sunt*. Vere contemnendus, verè inglorius, vere risu excipiendus, & exsibilandus, qui supra cæteros, elato tumore animi sese effert. Accedit sua auctoritate Diogenes, cuius inter apophtegmata, illud mihi maximopere semper arrisit, quo & adolescentulos Rhodios reprehendit, & posteris sanæ mentis documenta suggessit. Etenim cum Diogenes adolescentulos Rhodios conspexisset, sumptuosè admodum conuestitos, sese magnifice circumspicientes, despicientesque reliquos, ridens dixit; *superbia prorsum indicia sunt hæc*. Quo & declarauit, ridendum esse superbum, vt dicebat Chrysostomus, & insinuauit, nil aptius dici potuisse, vt adolescentuli pudore suffunderentur, quàm eos censoria notare virgula, quasi superbiæ præseferrent indicia, quo nihil magis abiectum, aut magis non inglorium, vel magis indecorum excogitari potest. Enimuerò iure monebat mox allatus Archiepiscopus Cõstantinopolitanus, superbiam, esse non posse fine abiectione animi, & pusillanimitate, libero homine maximè indigna. Dicebat enim hom. 70. in cap. 13. Ioannis paulò ante med. *qui præsentibus rebus, & magnis inhiat, is vilis est, & abiecti animi. Itaque nunquam humilitas est, sine magnitudine animi, neque superbia, fine*

B

Superbia nunquam assequitur intentum suum.

C

Diogenes irridet superbos.

D

Superbia coniungitur pusillanimitati.

Superbi pueris conferuntur.

fine pusillanimitate. Quemadmodum pueri vilium rerum spectacula admirantur, & obstupescunt pilis, trochis, & talis inhiant, magnas autem res, ne cognitione quidem capere possunt: ita & hic. Hæc Chrysostomus, quibus nil potuit aptius afferri in medium ad aperiendam abiectam superbiæ sortem, quapropter à Socrate reprehendi non debuit Antisthenes, cum pannosa veste, ac lacera toga incederet tumidus: Scimus enim, vt est apud mox citatum Rhodiginum lib. 13. cap. 13. cum Antisthenes, ad captandam præcelsi animi commendationem, detritam, ac laceram, qua induebatur, vestem intuentium oculis ingerere satageret perquàm frequentissimè, scimus, inquam, graui à Socrate supercilio reprehensum illis verbis: *Non desines ampliùs te nobis, curiosiùsque ornare?* conqueteris, sapientissime Socrates è patere Antisthenem pannoso habitu suam iactare superbiam: Equidem nulla indumenti ratio, nullum vestimentorum genus, tantoperè superbum decet, quam lacera, detrita vestis, atque ignobilis, quia tàm abiecta fuit, eritque semper conditio superborum, vt vel facere coniucuerit, vel inuenire pannosos. O viles superborum animæ, ò mentes infimæ elatorum. Vilescunt in sordibus, dum nominis existimationem expetunt, & exoptant.

Antisthenes pannosus incedit tumidus.

Superbiam decet habitus pannosus.

Vanam esse superbiæ magnitudinē, scribebat Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 13. Ipso fine, *& quæ in odium etiam amanda perducat.* Quantò ęquiùs nos affirmare poterimus, gloriam ingloriam, & inhonorum honorem esse superborum. Quod cognouerunt etiam luce veritatis orbati, vt ex citato lib. Senecæ cap. 12. satis manifestum est. Vbi dicitur, Cæsar vitam dedisse Pompeio Penno, cui deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem, quod gestum amici Cæsaris excusare conabantur, quia optimè intelligebant, maximum ex hoc detrimentum capere posse Imperatoris dignitatē, atque existimationē, quę supra quàm dici queat, vt ipsi arbitrabantur, viluisset, tàm turpi superbiæ ostentio dehonestata. *Qui excusant eum,* verba Senecæ, *negant id insolentia causa factum; aiunt enim socculum auratum, imo aureum, margaritis distinctum ostendere cum voluisse.* Vsque adeò ingloria est, & indigna præcellenti viro superbia. Mihi semper visa fuit adnotatione digna ratio, qua D. Chrysostomus ingeniosissimè docet, eximiam, planeque singularem fuisse Apostolorum humilitatem. Sic enim habet hom. 30. in cap. 3. Ioannis paulò post med. *& quid mirum, dixerit fortasse quispiam, si humiles erant piscatores, & tentoriorum opifices? Erant sanè, verùm repente ad ipsum Cælum euolarunt, & cunctis Regibus clariores euaserunt, digni habiti, qui vniuersi orbis Domini familiaritate fruerentur, & eum vbique admirabilem iactarentur. Illud præterea non ignoratis, Quod quantò quis humiliori gradu, ad dignitates assumitur, faciliùs in superbia insaniam effertur, vtpotè, qui expers sit repentini, & insperati honoris. In hac eos humilitate Christus continuit.* Enimuerò magni æstimari non deberet Apostolorum humilitas, nisi ex infima plebe, ad rārum decus Deo iubente euocati fuissent, quia tanta est superbiæ, & vilitatis affinitas, vt supra vires humanas existimari debeat, vili loco, & infima sorte natum ad ingenium non redire, si dignitatibus efferatur. Disce tandem superbiam abhorrere, si minus affectu humilitatis, saltem amore superbiæ. Prodis etenim te vilem, indicas te abiectum, quicumque in superbiam elatus intumescis. Pulchrè sanè scribebat Bernardus ad Episcopos Aquitaniæ epist. 126. non multò ante med. dicens: *Quid tàm inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi?*

Superbia dignitatem deterit.

Cæsar socculū aureum cum margaritis gestabat.

Ex humili gradu euecti magnum superbię incitamentum.

Gloriæ cupiditas ingloria.

Vellem equidem, vt virtutis amatores, tales, se gererent, qualem gessisse se inclyti ducem nominis inter Romanos proceres, Fabricium, refert ex Eutropij lib. 2. Rom. hist. B. Petrus Damiani opusc. 31. c. 5. post medium his verbis: *Egregiè præcauit insignis ille Fabricius, quem dum Pyrrhus Epirotarum Rex, aduersus Imperium Romana Republica dimicans, esse pauperem comperisset, solicitare cepit; quartam regni sui partem sibi, si ad se transfugeret, compromisit. Quod ille dedignatus abhorruit, & quouis gloriosior Rege, in sua paupertate permansit. Hoc itaque Christianus audiat, sicque gentilitatem suam, & Gentilis hominis euangelium erubescat.* Præcipuè animaduertendum est honoratiorem, ac ditiorē perhiberi Fabricium, quia ad regni fasti-

Fabricius regni promissis Pyrrhi nō corrumpitur.

fastigium euocatus non modò dedignatus abhorruit, verùm etiam tanto cum honore oblata munera, magnanimo nouit contemptu renunciare. Et tu, si sapis, honoratior vt sis, superbo cõtemnas fastu quidquid tribuere videtur honoris quidquid præbere creditur dignitatis, mendacis mũdi contemnenda fallacia, cuius existimatio, ac dignitas, non alio pacto refellitur meliùs, quàm si elato fastidio respuatur. Id fortasse & habebat præ oculis, & insinuabat Rex Dauid eum Psal. 21. num. 21. deprecabatur dicens: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*. Vbi ex interpretatione Eusebij Emisseni declarat, se nihili facere omnia, animã solummodò habere in pretio. ipsum audi hom. 10. ad monachos paulò ante finem sic loquentem: *Quare vnicam dixit, Quia tanquam vnica diligenda est*. Profectò si noueris solam æstimare animam tuam, eamque, tamquàm vnicam, singulari habere in pretio, ac permagni ducere; simulque reliqua omnia contemnere, despicere, ac pro nihilo reputare, quidquid gloriosum, atque eximium censetur ab hominibus, tuę existimatione animę prę oculis habita, flocci facies, fies sine dubio, vna, eaque probatissima superbia, minimè superbus.

Dauid animam supra cœtera plurimi faciebat.

Anima vt vnica diligenda.

Quod quia magna dignum animaduersione eloquentissimo Eusebio videbatur; quasi verò sibi facere satis nesciat, id ipsũ & frequenter repetit, & eleganter, vt eo firmiùs mẽtibus hæreat hominum religiosorum. Hinc hom. 2. de Symbolo circa medium ait: *Quàm pretiosus sis, si factori fortè non credis, interroga Redemptorem*. Et ne videretũr potiùs attigisse cursim, quàm pro dignitate aperuisse, quid in re tanti momenti censeret esse sentiendum hom. 2. in Pascha paulò ante finem hæc habet. *Perspice, ò Homo, quantum valeas, & perpende quid debeas. Perspice quantum valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas vt vel per hoc erubescendo subiacere vitijs dedigneris, dum generositatẽ tuam de creatoris, ac reparatoris dignitate metiris*. Perutile profectò monitum, quippe quod Christianæ sanctitatis summam breuissimè, atque elegantissimè complectatur. Vt tui partes muneris omnes expleas, sis memor præstantiæ tuæ. Volue continuo

Hominis dignitas metienda, ex creatore, & redemptore.

A præcellentiam conditionis tuæ, desine tibi vilescere, te dignos cõcipe spiritus ingentes, inclytos, generosos. Sit tibi tàm rarum tui pretium in pretio, vt qui Deo magnus es, à teipso nullo vnquam pactò, iniusta sanè æstimatione, minimi fias.

Pauonem superbię hierogliphycum esse ita rudes, & imperiti communiter asserũt vt asseuerent etiam eruditi. Sane Pauo, vt experiẽtia docet, & Plinius lib. 20. c. 20. monet, pretiosam illam colorum supellectilem, tum plurimum ostentat, cum frequentes ad se spectandum aduenisse conspexerit: quod si nullum adesse spectatorem, admiratoremue cognouerit, animatam recondit iridem, veluti indignabũdus. Vnde Ouidius lib. 13. Metamor. valde placentem sibi descripturus, cecinit: *laudadata Pauone superbior*. Vera sunt hæc: verùm si dixero Pauonem magistrum esse humilitatis, an non manifestum fiet, vnicum superbiæ remedium esse superbiam: Auctorem habeo B. Petrũ Damiani lib. 2. epist. epist. 11. ad Desiderium Abbatem, & S.R.E. Cardinalem paulò post initium in hunc modum scribentem: *Age igitur, noli frater, quod plerique faciunt, tantummodo si quid est in te virtutis attendere, vt vitia, quasi post tergum posita, negligas iudicare. Imitare naturalis in Pauone diuersitatis exemplum. Qui nimirum pullinos, & velut ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem verò caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet. Videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod cum mirabilem reddat, In prõptu est, vnde se debeat in humilitate deprimere, post tergũ gerit vnde valeat, quasi præ cæteris auibus superbire. Te quoque quodammodò, quod in te virtutis est, lateat; si quid verò vitiosum, & correctionis est dignum, ab aspectus tui iudicio non recedat.* Habes quo pacto à superbiæ magistris discas humilitatem. Enimuerò ipsi gloriosi homines, & vanissima capita contemnendum honorem docent, quem miseri quæritant auidissimè. Vix enim concupitum tenent dignitatis gradum, cum illum fastidientes, despicientesque alium expetunt, quem putant altiorem. Cæci, qui non videant parui faciendum honorem illum, quem ipsimet honorum cupidissimi autumant contemnendum.

Pauo non explicat caudam nisi circumspiciatur.

Pauo humilitatis magister.

Ante oculos habenda humilitatis, post tergum superbiæ argumenta.

Superbi honorem adeptum contemnunt.

Id

Id ipsum & ſua auctoritate, & magni A
Pompeij illuſtrat exemplo ſapientiſſimus Seneca his verbis: *Nec Cneo quidem Pompeio externa intre bella, aut domeſtica virtus, aut ratio ſuadebat: ſed inſanus amore magnitudinis falſa, modò in Hiſpaniam: & Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Ha pratexebantur cauſa, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Aſia angulos traxit? infinita ſcilicet cupido creſcendi, cum ſibi vni parùm magnus videretur.* Hæc Philoſophus epiſt 95. paulò ante finem; B
Vt autem vim deprehendas huius auctoritatis perpendendum propono, quanto cum acumine dicatur Pompeius *Inſanus amore magnitudinis falſa*. Profectò falſa eſt ea magnitudo, quam tanto amore homines proſequuntur. Inſuper attentè conſidero, tot, ac tanta molitum fuiſſe Pompeium, *quia ſibi vni parum magnus videretur*. Sic ſe res habet, gloriæ cupidis nulla dignitas ſatis eſt, ſemper noua apperunt inexhauſta creſcendi, dominandique libidine, quia ſibi ipſis parum magni videtur.
Itaque ſi tuam magni feceris magnitudinem, ſuperbiæ imperium cohibuiſti: te itaque magnifice circumſpice, vt ea, qua polles, præſtantia conſiderata, ſola ſuperbia, afferas ſuperbiæ medicamentum. C

Pompeium ſuperbia laboribus continuis fatigauit.

Dignitatis humanæ cognitio ſuperbiæ remedium.



IN CAPVT SEXTVM
à Num. VII. ad XIV.

Orantes autem, nolite multum loqui, ſicut ethnici. putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis antequam petatis eum: ſic ergò vos orabitis: Pater noſter qui es in Cælis: Sanctificetur Nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in terra. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodiè. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

PARADOXVM III.

Oratio Iuſti, laborioſiſſima ſimul, & ſuauiſſima.



D RCANVM, planeque diuinum orandi genus hoc eſt, quod ſupernæ docentis homines ſapientiæ oraculo promitur in præſentia. In quo ego, vt verum fatear, mirum quemdā recognoſco nexum pioru hominū, niſi fallor, animaduerſione digniſſimum. Etenim geminis veluti partibus, vt obſeruari facilè poteſt, conſtat Oratio Dominica. Altera quidem laudes complectitur opificis ſummi, ducit enim

Oratio Dominica duas habet partes.

exor.

exordium ab appellatione patris, quæ primum rerum omnium conditorem, cuius sedes cœlum esse perhibetur ad commendationem amplissimam diuinitatis. Altera verò, & potior orationis huiusce pars complectitur ea, quæ ad benè beatèque viuendum, à datore munerum postulamus. Porrò sicuti canere Deo laudes, iucundissimum melos est: vnde c. 14. Apoc. num. 2. testatur dilectus Deo Ioannes dicens: *vocem quam audiui, sicut citharedorum citharizantium, in citharis suis.* Loquitur autem de factis, quę in Dei laudem decantantur carminibus: quo sicuti nihil, vt dicebam excogitari potest suauius, ita exorare, & supplicis in morem suam exponere indigentiam, maximè arduum censetur, ac perdifficile: adeò vt ingenuæ mentes nihil tàm caro emi pretio arbitrentur, quam quod prece emitur. Propterea sapientissimus Seneca lib. 2. de Beneficijs cap. 1. post medium in hunc modum scriptum reliquit: *optimum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi, illud melius occupare antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cum rogasset accepit. Quoniam quidem, vt maioribus nostris grauissimis viris visum est, nulla res cariùs constat, quam quæ precibus empta est.* Quibus quia nondum fecerat sibi satis cordatus Philosophus, sequenti cap. 2. ipso initio sic scribit: *molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, rogo.* In hoc itaque exemplari absolutissimę orationis, quod nobis proponitur auctore Deo, coniungi duo animaduerto, quasi pugnantia: nimirum diuinarum laudum concentum, quo nil suauius, & supplicis postulationes, quibus nil molestius, acerbius, aut onerosius contingere potest: vt hinc rem attentius perpendenti decernere non sit admodum difficile, eam demum omnibus absolutam numeris, & Deo Præceptore dignam orationem futuram, quę simul, & laboriosissima sit, & iucundissima. Hæc si cui fortè videantur esse pugnantia, beneuolo legat animo, quæ mox in medium sum allaturus.

Canere Dei laudes iucundissimum.

Deprecari aliquid res maximè ardua.

Placet autem primo loco rei notissimæ & à vulgo passim decantatæ, palam, & sine vlla dubitatione cōtra dicere, vt dum insanum vulgus, more suo semper decipi, & à veritate aberrare liquidò constat, eo certiùs propositi veritas argumenti, omni remota controuersia, statuatur. Cygnos suauissimis modulis decantare senio confectos, & sacræ, & prophanæ litteraturæ eruditi testantur apertè. Hinc S. Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum data, sic scribit: *ad Poëtas venio, Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, qui grandes natu Cygneum nescio quid, & solito dulcius vicina morte cecinerunt.* In hunc sensū apud Apuleium libro de Dogmate Platonis, Plato comparatur cum Cygno mulcente Deorum, hominumque auditus canore musico, appellaturque à Socrate Cygnus cupidinis. Consentiunt verba Hori Apollinis, qui in capite, quomodo Aegyptij pingerent senem musicum, ita ait: *musicum senem, cum volunt significare, Cygnum pingunt, bic enim senescens canit quam suauissimè.* Verùm quorsum ista? profectò maximè rerum ignarus censeretur, qui nesciret, vocis suauissimæ auem Cygnum esse, eò dulciùs concinentem, quo morti propinquiorem. At si ego affirmauerim, cōtra communem hominum, etiam haud illitteratorū sensum, Cygnos à nemine cantantes fuisse vnquam auditos, neque dum moriuntur, aut consenescunt: ecquid erit præmij, ob erutam ex ignorantiæ tenebris veritatem? Nullum planè, nisi simul & semel demonstrauero, communē hanc de Cygneo cātu sententiā, vel penitus reijciendam esse, vel eximiam quādam, ac prorsus admirabilem canendi rationem Cygno esse tribuendam. Leges apud Gregorium Nazianzenum Orat. 34. Vbi cum Dei celebret laudes, sic habet. *Quis cantum illum, cum Cygno contexit, quo tempore, alis in aurā expansis, eiusmodi sibilum edit, qui sit instar carminis.* Audis alarum complosione, non autem glomeratione vocis resultare sibilum illum tantoperè celebratum consensu omnium, cantilenæ nomine. Quod apud eundem clariùs explicant Cygni ad loquendum inducti, dum his vtuntur verbis epist. ad Celusium: *cū Zephyro pēnas nostras inflandas permittimus, vt suaue quiddam, & concinnum inspires.* Accedit quoque sua auctoritate D. Chrysostomus orat. 33. apertè

Cygnum morti proximum canere haud verum.

Cygnus alarū complosione canorus.

pertè pronuncians: *an vnquam quoddam hominum genus apparuit, quod naribus benè caneret, quemadmodum Cycnos facere aiunt alij.* Hic ego obseruo, cantum Cycni, hoc est omnium suauissimum, ac celeberrimum, non sono vocis, sed alarum labore, ac conatu totius corporis fieri: vt percipiamus canendi dulcedinem suauē, periucundam, vno verbo Cycneam, sine magna cōmotione pectoris, atque agitatione viriū exaudiri non posse. Talis, meo iudicio, ea cantilena censenda est, cui Sanctorum orationem comparandam esse contendunt sacrarum oracula litterarum.

Musica Deo placita magno cum labore efformatur.

Nimirum, quam ad Deum fundimus deprecatio, cantilena quidem est, sed quæ solummodò labore magno, & conatu virium vsque ad defatigationem, ac penè extremum spiritum, anhelantium efformatur. Magno nisu edomanda est caro, impetu præferuido cohibendi sunt motus rebellantium cupiditatum, nō sine magna vi inimici Deo corporis sensus sunt in officio continendi, ei qui velit patrem luminum suis precibus exorare.

Iam verò non erit admodum difficile, percipere sententiam Regij Vatis, cui, vt omnes norunt, erat in votis, eximium quoddam orationis genus, cū summo studio deprecaretur psal. 104. num. 2. *dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* quam petitionem non sine causa tàm crebrò repetunt pij conuentus hominum

Oratio incenso comparatur

religiosorum. Quid, obsecro, habet incensum præcellens adeò, ac singulare, vt præ omnibus, quæ sub aspectum cadunt eligatur, tanquam perfectissimum symbolum orationis? legi apud Cœlium Rhodiginū lib. 24. lectionum antiquarum c. 24. paulò ante medium, illud quod de natura odorum testatum reliquit his verbis,

Odoramenta agitata magis redolent.

quòd verò amplius agitata odoramenta pleniùs afficiant ratio euidens: quoniam mota plus aëris, quam quiescentia replent. Porrò per odoramēta significari Sanctorum orationes, satis profectò reor esse perspicuum ex cap. 5. Apoc. num. 8. Vbi de beatis Cęli mentibus dicitur: *habentes singuli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Orationes, inquam, comparantur odoramentis, hæc autem agitentur necesse est, vt spirent suauiùs. Nimirum non otiosa

A quies oratio est, aut dulcis, omni remota perturbatione, tranquillitas, sed odoris instar, concutiatur, agitetur, hac, & illac impellatur, quandoquidem odoris fragrātia, qua nil suauiùs, aut iucundiùs cum molesta concussione coniuncta, conflat orationem, quæ nisi simul, & laboriosissima sit, & iucundissima, nequit esse perfecta.

Oratio non est res quieta, sed laboriosa.

Hæc, vt dicebam, probè teneo, immò censeo hisce veluti indicibus commonstrari facilè posse quid dicere velit plenus Deo Dauid, cum identidem repetit: *dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Incensum quippe non attrecta-

B tur modò; non tunditur, aut concutitur solum; sed igne absumitur, vt plena suauitatis aura templa redoleant. Igne durissima quæque, & acerbissima, quæ perferuntur, significari in sacris literis testantur apertè voces illæ amicorum Dei, qui, vt pœanem in beata patria concinant, post exanthlatos huius vitæ labores vsurpant Dauidicum illud psalm. 65. num. 2. *transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Igitur comparatur incenso oratio amici Dei, quia absumatur igne repugnantium aduersitatum,

C is, qui Deo preces fundit, hoc est grauissima, & acerbissima perferat, necesse est amore summi boni; ne alioquin deficiat illa precādi ratio, quippe quæ non sit suauissima simul, & laboriosissima. Hanc visus est habuisse præ oculis petitam ab aromatibus similitudinem S. Gregorius, cum lib. 23. moral. cap. 1. initio scripsit: *Beatus Iob tactus est verbere, vt odorem suarum virium, tantò latiùs spargeret, quantò, more aromatum meliùs ex incensione fragraret.* fragret ex incensione eius vita, cuius oratio, sicut incensum in conspectu Domini est dirigenda.

D Non me latet à Patre Ioanne Lorino, viro in primis erudito, imperitis tribui versionem illam in illud psal. 101. num. 8. vbi ex vulgata lectione recitatur: *respexit in orationem humilium*: legitur à nonnullis: *respexit in orationem cicadæ*. Scio, inquam, imperitiæ nota taxari huiusmodi versionem, fortasse quia ab aliquibus Ammonio tribuitur, cum potius eius Auctor Anonimus habendus sit. Siuè potius Symmacus, vt alij sine

vlla planè formidine asseuerant. Sed quidquid sit de hoc, ea mihi in præsenti vti fas sit ad palam faciendam sententiam fortè fortunâ non penitus respuendam. Hanc, vt in medium proferam, percontabor, quanam ex causa cicadæ oratio, vsque adeò supremo rerum molitori arridere dicatur, vt solummodò qui cicadæ vtitur cantu, summum artificem orare simul credi debeat, & exorare? Cicada sanè potius inconditè, quàm suauiter canit, si Plinium audias cap. 51. lib. 11. quo Auctore, strepitu potius infestant, quàm cantilena demulcent. Similiter ex Apuleio 2. florid. perdisces querulis vociferationibus aërem permiscere cicadam, nequaquam blando recreare sono animos audientium. Vnde apud Latinum Homerum 3. Georgicorum leges.

Oratio cicadæ cantui confertur.

Cicada canit insuaue.

Inde vbi quarta simul Cæli collegerit (hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta (cicadæ.

Similiter ab Hesiodo cicada nuncupatur clamosa, & à Politiano rauca, dum in Mant. sic ait.

Nigraq. dum raucum tremulis euibrat (ab alis,
Carmen, & epoto canit ebria rore (cicada.

Cur igitur oratio, quæ suauissimo potius cantui ad eius dulcedinem explicandã comparari debuerat, confertur cum cãtu cicadæ? Verùm sapientissimè sine dubio, quia à Pierio Valeriano lib. 36. Hieroglyphicorum paulò ante finem accepi, ab Aegyptijs æquis rerum æstimatoribus, non aliud expositum fuisse suauissimę musicæ symbolum, quam cicadam: hanc in citharedi statua insidentem depingebant, vt ponerẽt ob oculos, quasi viuum suauissimæ cantilenæ simulacrum. Quod mihi quidẽ probatur, nequaquam ex fabuloso illo cõmento Græcorum, quo cõminiscebantur, Eunomo Citharedo cicadã quondã præsto fuisse: cum enim is, Pythijs in contẽtione cũ Aristone Rhegino venisset, chorda vna citharę fracta recessisset à musico certamine prorsus inglorius, nisi superuolans cicada, vocis amissæ vices suppleuisset peropportunè. Hæc ego vtpotè fabulosa reijcio: alia me cõpellit ratio ad dicendum, cicadã suauissimi, ac dulcissimi

Cicada musicæ symbolum.

Cicada Eunomum Citharedum iuuat.

Cicada laboriosissimè canit.

A cantus hieroglyphicũ, dedicãdam. Ea porrò potissimum est, quia longè dissimilis inuenitur esse cicadæ ab alijs animantibus canendi ratio: cuius siue tẽpus, siue modũ, siue organũ, siue aliud quodcũque consideres, fateberis opus esse laboriosissimũ; vt propterea mirari non debeas, si perhibeatur huiusmodi cantilena, etiam suauissima, vtpotè Deo digna. Ea namque solummodò, in Dei auribus accommodatissima resonat, ac iucundissima, quæ labore improbo, ac cantu conficitur vehementissimo.

B Id quod patebit manifestiùs, allatis ijs, quæ eruditissimi Scriptores, ac probatissimi de cantu cicadæ tradideruot. Et primo quidem, si tempus spectemus, cogemur asserere, non sine magno incommodo cantare cicadam. de ea Nazianzenus Gregorius orat. 34. dilucidè pronunciat, illam incitari ad cantum, meridiano tempore, ideft ardentissimo Sole, teste eodem, oratione prima contra Iulianum, dicente: *die media ardentissimo Sole lucente.* Et Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. secunda ait: *cicadas meridie concrepantes.* Immo, si Hesiodo credamus, non modò meridiano æstu, sed sine vlla mora, aut quiete, tota die resonat. Sic enim habet in scuto: *clamosa cicada, etiam toto die, & ab Aurora fundit cantilenam, calore in grauissimo, quando corpus Sirius siccat.* Quod licet satis abundè patefaciat, quanto cum labore resonet ille cantus, qui summo æstu, & irrequieto fit strepitu, cum omnia languescunt animantia, & defessa omnino quiescere compelluntur: Tamen supersunt adhuc quampluria, quibus idipsum meridiana luce clarius fiat. Sanè Apuleius lib. 2. florid. videtur singulis auibus, proprium tribuere, & quasi secernere tempus ad canendum, dum ait: *Natura quibusdam auibus breuem, & temporarium cantum commodauit: Hirundinibus matutinum, Cicadis meridianum, Noctuis serum, Vlulis vespertinum, Bubonibus nocturnum, Gallis antelucanum.* Facta autem horum temporum collatione, mente quisque comprehendet quid dicere velim. Enim verò matutino, aut vespertino cantu Zephiris alludere periucundum est; at meri-

Cicada canit in summo æstu.

meridiani Solis vehementi æstu canendo insuper defatigari, quis non intelligat, quã sit ardnum, atque laboriosum? Vera sunt hæc, sed nihilominus potiora supersunt, ad illustrandam nostram sententiam. Cicadam quippe non ore, & aëris ad asperã arteriam illisione, sed commotione viscerum, & hiatu pectoris decantare norunt quotquot Plinium cap.51.lib.11. legerũt scribentem in hunc modum: *alia eum stridorem,* (subintellige edere) *vt cicadas. Recepto enim, vt duobus sub pectore cauis, spiritu mobili occursante membrana intus, attritu eius sonare viscera, sat notũ est.* Consentit paulò ante citatus Nazianzenus, eleganter tribuens cicadæ, vt eius vtar loquendi modo, *lyram sub pectore*. Itaque proh quantus cicadæ canentis labor est, quæ cogitur, sonoro, viscerum boatu, alatum, ac pectotis commotione vehementi carmen edere dicam, an potius vires consumere, ac miserandum planè in modum spiritum profundere. Profectò Sanctus Basilius homil. 8. in Hexameron rationem docturus, qua fieri putat cantum cicadæ, *elicitur sonus tractione aeris, qua fit eum pectus expanditur.* Tantus, tàm dirus, ac tàm durus concinentis cicadæ labor; vel me silente, declarat, cur dicatur in delicijs esse Deo, oratio cicadę, cui vtpotè omnium gratissimę respiciendo respondeat. Videlicet carmen conatu magno editum, & sonus vi laboriosissima emissus, ea cantilena est, quę Dei demulcet aures, & nihil non impetrat ab eo, qui dator munerum est beneficentissimus. Dicamus iam, & discamus, quid sit: *Respexit in orationem cicadæ*.

Cicadæ cantus ex visceribus.

Quando autem à Sanctissimo Rege, ac vate sapientissimo didicimus tàm pręcellens orandi genus, eundem idipsum, non sine lepore, repetentem audire, quantum animo complector, iniucundum esse non poterit. Is psalm. 115. num. 13. profitebatur dicens: *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Duo simul spondet, & se calicem haufturum, & preces ad prępotẽtem cęli, terrarumq. Principem effusurum. Scire desideras quo spectet huiusmodi promissio? declarabit Sanctus Paschasius lib. 8. in Matthęum inquiens: *quia nec crux, aut calix passionis, sine inuocatione Domini; nec inuocatio Dei, sine cruce, quæ tollenda est ad salutem, aliquid valet.* Igitur vero veriùs communi consensu statuamus nequaquam exorandum Deum esse sine afflictationibus, quandoquidem inanis est, & nullius plane pretij ea oratio, quę sine crucis fulcimento stabilitur.

Oratio nihil valet sine cruce.

His in hanc sententiam expositis, faclè quisque suo marte percipiet, quid sibi voluerit integerrimus, atque sapientissimus animarum sponsus, cum Cant. 2. n. 12. in hunc modum dilectæ suę laudes prosequebatur: *tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra*. Turtures pudicitię symbolum fuisse apud Hebręos, refert ex S. Basilio Pierius Valerianus lib. 22. Hieroglyph. circa medium his verbis: *Apud Hebræos ipsos reperies Turturum par pudicitiam significare, siquidem vt apud Basilium habetur, in Circumcisione par Turturum offerre mos erat, quod indicium esset pudicitia, ac vita continentis exemplum.* Igitur turture repręsentata anima placet illa quidem integritate morũ, & incorrupta probitate probatur Deo sponso sponsa dignissima; eius tamen vox resonat nunquam, nunquam grata dicitur accidere ad aures Dei, nisi cum tempus putationis aduenit, eo nimirum tempore, quo exercendæ sunt vires, & exanthlandi labores, tunc solummodò vocis suauitas commendatur. Itaque ferrum ni tractes, ni ad defatigationẽ vsque rescindere, ac resecare nouetis, luxuriantis in motem vitis, repubescentes in dies, deprauatas noxiarum cupiditatum affectiones, Dei auribus gratum sonum edere non poteris, licet cæteroqui vitæ integer, & sceleris purus; Quia nulla Christiani melodis suauitas est, nisi labotis asperitate temperata.

Turtures pudicitiæ symbolũ.

Oratio suauissima tempore laborum.



riculo, potiturus, adhuc viuens amantissima adoptione, inter Dei filios collocatur.

Tradit Aelianus, apud Indos Regionem quãdam reperiri, in qua Cęlo vsqueadeo amico perfruuntur incolæ, vt decidente pluuia madidum semper mellitum vndequaque rorem diffundat; cuius illapsu nullum tàm amarum terræ pullulat germen, quod pro natiuo amarore, mutuatum à superis dulcorem non sapiat. Sit id, vt plures autumant, fabulosum beneficę condimentum naturę: Illud sanè mel, quod in præsenti libandum proponimus, planè cœleste donum, & superis annuentibus prędulce amarissimarum mortalitatis nostrę fruticum condimentum. Conqueritur Plinius lib. 11. cap. 12. & fortasse non immeritò, quòd mel multum suauitatis amittat, atque dulcedinis in terras delabens. Verba Plinij loco citato sunt, *siue ille est cæli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aeris succus: vtinamque esset, & purus, ac liquidus, & sua natura, qualis defluit primò: nunc vero è tanta cadens altitudine, multùmque dum venit sordescens, & obuio terræ halitu infectus, præterea è fronde, ac pabulis potus, & in vtriculos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus, & alueis maceratus, totiesque mutatus, magnam tamen cælestis naturæ voluptatem affert*. Hucusque Plinius, quo Auctore mel licet Cæli sudor, saliua syderum, succus aeris, vix quidquam retinet cælestis naturæ penè amaritudine extranea, atque aduentitia corruptum. Longè præstantioris conditionis est noster de quo loquimur ros, quo flores licet amari, inspersi cælitus, dulcissimam contrahunt suauitatem. Verùm ne generatim disserendo, hàc illàc vagari videar, accedo propiùs ad perpendendum, qua ratione, nil asperum, nil horridum, nil insuaue diligentibus Deum contingere queat.

Indiæ Regio mellei roris vberrima.

Mel multum amittit suaui saporis.

Matthæi cap. 16. à num. 24. ad finem Seruator humani generis Christus Dominus, totus in eo est, vt asperam vitæ suadeat rationem hominibus ineundam. In quem locum eleganter Sanctus Leo. *exhortatio*, inquit, *Saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum leuissimum ducerent temporalium detrimentum*. Ita sermone de transfiguratione Domini paulò post initium. Vt vides, sola spes æternorum leuamen est, quo Dei amici non modò recreari debeant, verùm etiam quiduis cæteroqui graue nimis, veluti leuissimum arbitrari. Quòd si qui fortè minimè se percipere posse profiteantur, audiant simile nescio quid ab homine ethnico fuisse indicatum. Sanè Marcus Tullius, cum in Rullum verba faceret ad Quirites ait: *ita iucundum est otium, vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate*. Quod si rectæ rationi consonum iudicatur, & veritati respondens, quid nos sentire debemus edocti diuinæ institutione sapientiæ? Quid inquam nobiscum animo reputabimus, cum res quæuis proponitur ardua. Turpis Dei amore subeunda egestas, amicorum rescindendus amor diuinæ legi repugnans, vel quid simile, quod humana refugit imbecillitas, ad virtutis fastigium contendentem ne retardent, ne ardua videantur, atque perpessu aspera, voluamus animo otium beatæ patriæ, immò non otium modò, sed imperium, ac dignitatem: siquidem electis dicitur Imperatoris summi decreto Matthæi cap. 25. num. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi*.

Spes æternorũ leuamentum laborum.

Pro otio multi suscipiuntur labores.

Vtinam pronunciare possemus cum castissima cælestis sponsi dilecta Canticorum 2. num. 6. *leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Quo loco, per leuam, metum significat pœnæ, sicuti per dexteram spem præmij intelligit: dextera sponsi cælestis illum amplexatur, qui metum omnem erecto capite calcat, & infra se habet. Hic sensus, cum Sancto Bernardo placeat, mihi non potest non probari summoperè. *Videtur mihi*, sic

loquitur S. Abbas ferm. 51. in cantica, non multò post medium, *hoc loco intelligi posse leuam quidem verbi, comminationem supplicij: dexterā verò regni promissionem. Cum mens nostra formidine pœnæ seruiliter premitur, & tunc nequaquam sub capite, sed super caput leua esse dicenda est. At si præmij spe potius prouocetur, quasi arctetur supplicijs, dicere poterit leua eius sub capite meo.* Hic ego interrogare vellem, quid dulcius excogitari possit quàm amplexibus excipi sponsi cœlestis. Id autem contingit nemini, nisi ei, qui contempto suppliciorum metu, sola spe proposita beatitatis eternæ, allicitur ad operandum. Fœlix quem hoc pacto Dei dextera amplexatur, fœlix, qui certa spe imbutus dicere potest; Dextera illius amplexabitur me: per dexteram enim beatæ patriæ significatè fœlicitatem cecinit appositè Regius Vates Psal. 15. num. vlt. dicens: *delectationes in dextera tua vsque in finem.*

Spe premij magis moueri debemus, quam pœnæ metu.

Themistoclis ingeniosum ad milites monitum commemorabo, ni fallor, non importunè. Quemadmodum ab Aeliano lib. 2. var hist. cap. 28. illud accepi. Quod vt clariùs percipiatur res paulò altiùs est repetenda. Persis debellatis, legem tulerunt Athenienses, vt galli gallinacei quotannis, stato die certamen inirent, magna spectante frequentia populi. Huius origo consuetudinis, ea fuisse dicitur: cum Themistocles exercitum aduersus barbaros instrueret, forte fortuna vidit gallos gallinaceos conatu acerrimo concertantes, quo spectaculo, sumpsit occasionem monendi milites muneris sui. At hi, inquiens, neque pro patria, neque pro dijs familiaribus, neque pro gloria, neque pro libertate periculum subeunt, sed tantùm ne alter ab altero superetur, aut alter alteri cedat. Hisce verbis incredibile dictu est quantoperè Atheniensium animi fuerint inflammati. Et fieri poterit, vt nequaquã excitemur ad exanthlandos labores, ac subeunda discrimina proposita, spe patriæ libertatis, atque æternæ gloriæ, pro qua continuo bella gerimus, & cum hoste confligimus? at si inanis cupiditas gloriolę tantoperè excitat mentes ingenuorum; decet nos memores esse argumenti, quod à fortiori ducit S. Paulus 1. ad Cor. cap. 9.

Athenis gallorum certamen annuum institutum.

Themistocles suos animat via pugnæ gallorum.

A num. 25. scribens in hunc modum: *omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Tiberium illum, quem in collegam à Mauritio ascitum fuisse veterum testantur annales, munificentissimum æque, ac sagacissimum fuisse certum est in deuinciendis sibi militum animis ostentatione præmiorum, quod maximo cum acumine explicatum leges apud Simocattam lib. 3. cap. 12. his verbis: *reuerentia proemij moriendi alacritatem ab illis emens.* Perbellè sanè emisse dicitur Tiberius à militibus
B suis opulenta, & perampla præmiorum pollicitatione moriendi alacritatem. Equidem quid tàm amarum est, quod ab amaritie mortis non superetur? Vnde 1. Regum cap. 15. num. 32. dicitur; *siccine separat amara mors.* Venditoribus è contra nil lucro dulcius, cuius gratia tot subeunt pericula, tot labores ferunt. Tantam igitur vim habent perampla præmia, vt non modò excitent ad subeundum vitæ discrimen, sed emant etiam moriendi alacritatem; quod sine dubio nil aliud est, quàm ipsum dulcescere amarorem, ac fel mel-
C leum fieri, ac sapidissimum. Hanc ego, vt verum fatear, minimè facerem auctoritatem, nisi consentiret eximius sanctitate morum, & dicendi fœlicitate Chrysostomus, qui hac ipsa antiquorum consuetudine commemorata, concludit à simili, Deo solemne esse laborum asperitatē minuere, & amaritiem ærumnarum mellita suauitate condire, spe proposita præmiorum. *nam quemadmodum Reges in equorum cursu, atque certamine, in ipso agone coronas, vestes, cæteraque munera ante certantium oculos ponunt, sic & Dominus*
D *in medio stadio præmia locauit.* Obseruo, quod postremis hisce verbis dicitur, videlicet locari à Deo præmia in medio stadio, hoc est, cum labor sentitur molestior, cum maximè ardet certaminis studium, cum plurimum superest cursu lustrandum, tunc præmia proferuntur, fortassè vt eò alacriùs conetur animus, velut fortis equus ad metam non fœlici modò, sed hilari cursu occupandam. Vel certè in medio stadio locantur præmia, quia plusquàm dimidiā laboris partem currenti aufert magnitudo mune-

Tiberius [illegible] mortis [illegible] ... atus depe[illegible]

Deum [illegible] laboribus [illegible] [illegible]

Præmia imminuunt laborē.

munerum, quæ, Deo largitore, munificentissimè proponuntur.

Scribebant, seu describebant Græci in præcelsa columna ea prœmia, quæ certatoribus parabantur, ad erigendos eorum animos, vt prompti, & alacres exanthlare labores minimè formidarent. Vnde Vulpianus in orat. Demosthenis contra Leptinem ait: *columna lignum erat, aut lapis quadratus, vbi inscripta erant præmia*. Par equidem fuit, vt mole sua stans columna certos redderet decertantes, nullo casu futurum, vt carerent præmijs quæ publica auctoritate firmissimè promittebantur. At verò quid tutius, aut firmius promisso Dei? quo auctore insita nostris mentibus spe rata, nil arbitremur arduũ, nil amarum esse credamus.

Apud Græcos præmia certantium [illegible] scribebantur in columna.

Neque verò quia notum est, prætermittendum censeo, quod scribit Iustinus lib. 1. historiarum paulò ante medium de Cyro, qui Persepolim Vrbem ingressus, conuocato populo, iubet omnes cum securibus præsto esse, & siluam viæ circundatam excidere. Quod cum strenuè effecissent, eosdem postera die apparatis epulis inuitat: deinde cum alacriores ipso conuiuio factos videret, rogat, vt si conditio proponatur, vtrius vitæ sortem legant, hesterni ne laboris, an præsentium epularum, præsentium vt acclamauere omnes, ait: Hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareāt: se autem secutos, hodiernis epulis. lætis omnibus, Medis bellum infert. Ingeniosum planè inuentum, opipari memoria conuiuij, omnes laboriosæ vitæ leuare angores; omnem opportuna suauissimæ mensę dulcedine condire vitę durioris asperitatem. Id ipsum (ni fortè res magna comparatione vilescat) nobis contingere dixero, memoria repetens, Christi Servatoris sententia, conuiuio beatę patrię comparari felicitatem: vt hoc pacto excitentur, segnes cęteroqui hominum animi, ad subeundos sanctioris vitę labores, qui tantę mensę lautitijs memoratis condientur facilè, atque dulcescent. Vnde Lucę cap. 12. num. 37. legitur; *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*. Imò, si alicui fortè

[illegible] epulis [illegible] ani- [illegible] suos ad [illegible].

Cælestis beatitudo conuiuio comparatur.

A videretur, parùm aptè decerni à nobis, sola memoria futurę, exacto mortalitatis curriculo, beatitatis auferri posse tot, ac tàm multa incommoda, quibus dum viuimus, affligamur, adeat is cap. 3. Apocalyp. B. Io. vbi nu. 20. leget *Ego sto ad ostiũ, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum*. Amarum ais esse, è lecto voluptatum assurgere, & molles despicere delicias, pulsante Deo: sed surge age, quid moraris? iam nil amarum reris, aut horridum, nil durum censeas, aut iniucundum, nequaquā B Romanis delicijs in Apolline, sed cælestibus lautitijs in Deo cum beatarum voluptate mentium cœnaturus.

Deus etiam in hac vita conuiuatur cum suis.

Aut certè, quonàm pacto dulcescant Dei amicis amara quæque, è sacrarum monumentis litterarum, B. Petro Damiani doctore discamus, dicamusque ad illud Exodi cap. 15. *Populus ille, cum aqua tam esset amara, vt poculum non admitteret, lignum, quod Deus ostendit, ingeritur; & protinus obdulcatur. Occidentem quippe litteram veteris legis, quia nemo valebat implere, quasi præ amaritudine salsas aquas horrescebant homines bibere: sed bis* C *aquis, cum lignum crucis adhibetur, cum Dominicæ passionis series explicatur, mox eum dulcedine bibitur*. Pudeat Christianũ hominem accusare amaritiem irrumpentium aquarum, quoties quassis sine lege fluctibus premitur aduersantium calamitatum. Stringe amplexibus cordis Seruatoris amantissimi crucem, hanc affectu refoue, hanc animo volue, hanc attentè, & sedulò mediteris, & nihil penitus, crede, superesse senties amaroris.

Crux & passio Domini edulcat omnem amaritiem.

Quæ cum in hunc modum differimus, sublime nihil dicimus, aut humanum supra captum, atque inauditum. obuium D est, & facilè, quod ethnici etiam hominis intelligentia comprehendi queat. Sanè Seneca, vt morum magistram philosophiā, & vtilem simul, & iucundam esse doceret, dulcem appellauit medicinam, quę etiam, dum hauritur, mellea quadam recreat voluptate. Quo loco, si nihil amarius, aut palato ingratius medicina memineris, amaram dulcedinem Philosopho notam fuisse fateberis sine dubio. Ipsum interea audi his verbis concludentem epistolam 51.

Quem-

Initia sæpè difficilia, sed progredius dulces

Quemadmodum virtutes retenta exire nō possunt, facilisque earum tutela est: ità initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecilla mentis, atque ægra est, formidare inexperta, itaque cogenda est mens, vt incipiat. Deinde non est acerba medicina: protinus enim delectat, dum sanat. Aliorum remediorum post sanitatem voluptas est, philosophia pariter & salutaris, & dulcis est. Mirū illud est, quod Aristoteles lib. 2. meteor. cap 5. scribit de Scythico illo fonte, qui vsque adeò amaras euomit aquas, vt vniuersum amnem, in quem incidunt, amarum reddant. Ergo fieri potest, vt exundantium aquarum illuuies fontis amaritiem nequeat absorbere. Verùm ita se se res habeat; dummodò nos à contrario christiani orbis fontem, qui Christus est, magnificentiùs prædicemus. In hunc, non tam aquarum, quam gratiarum fontem, curarum, ac molestiarū fluenta, si concurrant amarissima licet, dulcescent illicò. Propterea statuamus, quod initio propositum est, consentaneum esse veritati, cum dulcis omnis amator pronunciatur.

Arist.

Aquæ amaræ fontem inficiút

Christus fons omni dulcedinem.

Legatur P. Io. Antonius Velasquez tom. 1. in epist. ad Philipp. ad c. 1. vers. 7. adnotat. moral. 3.

Similiter videri potest P. Didacus de Baeza tom. 3. comment. moral. in Euang. hist. lib. 15. cap. 9. §. 5. & tom. 4. lib. 16. cap. 4. § 3.

Huc etiam reuocabis, quæ inuenies apud P. Didacum de Baeza tom. 2. de Christo figurato cap. 15. §. 15. cuius argumentum est. Virtutis internæ ardor omnia dura externa deuincit.



A

IN CAPVT SEXTVM Num. XVII. & XVIII.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua; ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.

B

PARADOXVM V.

Omnis virtus vera, fucata, & versipellis.





IRTVTEM humana specie augustiorem, eximia spectabilem esse pulchritudine, sicuti omnibus est exploratum, ita omnē extra controuersiam est, C insignem hanc formositatem nullo vitiatam fuco, nullo esse artificio medicatam; sed suapte natura nitidam, non Atticarum virginum cultu benè depexam; imò potius in ipsa, quam præsefert, Lacænarum negligentia puellarum natiua honestate venustam. Vnde cordato quodam lepore scribendi eximius Seneca epist. 115. monebat: *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ò quàm pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico, placidoque* D *fulgentem videremus. Hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiaque lucentibus.* Quo loco vt animaduertere licet, quod nullo monente satis est obuium, pulchram quidem virtutis faciem, verùm eādem asserit esse sanctam. Videlicet innoxia est pulchritudo virtutis, non cerussa mentita, non oblita minio, non ciro lasciuiēs, neque cincinno alliciens, nullo picta colore, nullo vitiata nitore, sed viua, ac spiranti decori effigie, sed incorrupto, sinceroque suæ spectaculo elegantiæ

Seneca.

Virtus pulchra & sancta.

tiæ animos attrahit potentissimè. Profe-ctò sæpè mihi venit in mentem ad declarandam germanam hanc virtutis amabilitatem, depingi posse Iridem, siue arcum cælestem multiplici colorum pompa nobilem adeò, Ipectãdumque, vt inter Deos ab antiquis fuerit relatus, quemadmodũ M. Tullius lib. 3. de Natura Deorum scripsit his verbis: *Cur autem arcus species nõ in Deorum numerum reponatur? est enim pulcher, & ob eam causam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata.* Quæ species formosissima pulchritudinis nullo pictoris artificio, sed solo niteat principis siderũ repercussu, quod docet Plutarchus lib. 3. de placitis Philosophorum cap. 5. inquiens: *Sol igitur cum ad Occasum accedit, necesse est Iris ex aduerso Solis appareat;* vt prætermittam tritum illud peritum à Principe Poetarum.

M. Tull.

Cur Iris in Deorum numerum relata.

Plut.

Iris Solis repercussu coloratur

Mille trahit varios aduerso Sole colores.

Quis porrò non videat depicto in tabula huiusmodi Arcu adumbrati posse virtutem, præsertim addita epigraphe: NON EGEO PICTORIS OPE. Quemmodum enim picturato illo in aere gyro, nequaquam magistræ manus penicillo, sed solo Solis aspectu, conspectus intuentium detinetur; ita mirum in modum capitur hominum mens formositate virtutis, quæ sine dubio nullo humanæ calliditatis inuento fingitur, aut pingitur, sed cęlesti colore mortalium, vt ita dicam, mentium obtutibus fit adspectabilis. Nota mihi sunt hæc, neque ab alijs percipienda. Verumtamen, si per Lectoris mei humanitatem liceat, conabor virtutẽ sine virtutis iniuria in litteratorum theatrũ inducere nouo habitu, nouoque aspectu conspiciendam; hoc est fucatam, personatam, & si fas est dicere, deceptricem. Altiùs mihi rem totam intelligo repetendam, vt mei consilij rationem aperiam, fiatque hoc pacto, quod in præsentia melior manifestius commemorata Hebręorum consuetudine, cum dicitur: *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.* Insinuat sapientissimus magister Christus effatum Philosophię planè cælestis: solebant enim Hebręi, vt colligitur Ruth. cap. 3. num. 3. 1. Reg. cap. 12. num. 20. & 4. Reg. 4. num. 2. & Iudith 10. num. 3. & cap. 16. num. 10. Et

Iris symbolum virtutis.

A Esther 2. nu. 12. Immò, vt hoc loco docet Hieronymus, Palęstini diebus festis vngi consueuerant, nec solũ Palęstini, sed omnes Orientales in lętitia, & rebus prosperis vngebãtur. Ex hac consuetudine occasionem sumpsit Christus Dominus nos admonendi, si Chrysostomum audiamus homil. 21. vt cum ieiunijs carnem affli-ctamus, hilaritatem potius, atque lętitiam (quemadmodum, qui caput vngunt, benè loti, benèque compti, & ad vnguem munduli) quàm tristitiam pręferamus. Igitur colore vegeto, ridenti fronte, & tota corporis habitudine ad iucunditatem com-B posita abscondatur tristis ieiunij pallor; quia par est, vt quandam veluti personam inducant, qua aliud pręferẽt, aliud tegant, qui vitę sanctioris instituta sectantur. Etenim, quę in tempore non nouit decipere vera virtus non est.

S. Hieron.

Orientalium mos ad lętitiã ostentandam.

S. Io. Chrysost.

Versabam animo clatum illud Seruatoris oraculum, quo disertis verbis margaritas ante porcos minimè mittendas esse pręscribit. Vbi, si Methodio credimus, margaritarum nomine de virtutibus mẽtio fit, quibus quasi gemmis, pretiosisque margaritis iusti hominis anima excolitur, C & honestatur. Mihi equidem placuit semper pretiosa hęc, & planè gemmea à gemmis petita similitudo; pręsertim si audire libuerit Tertullianum de habitu mul. c. 6. vbi palam enunciat: *Gemmæ tardè teruntur, vt niteant, & subdolè substruuntur, vt floreant, & anxiè forantur, vt pendeant.* Ingeniosè satis, more suo Tertullianus, quo magistro vt virtutis naturam, ac veluti conditionem aperiam, gemmarũ ego splendorem non proferam, pretium non laudabo, eximiam non commendabo raritatem, magnitudinem, colorem, vt virtutis decus, pulchritudinem, pręcellentiã D exornem, sed moneбо Lectorem meum, vt attentè perpendat, quod eximius acumine Tertullianus comprehendit breuissimè dum ait: *Gemmæ subdolè substruuntur, vt floreant.* Subdolam quandam calliditatem, & astum supra quàm dici queat vafrum exigit virtutis exercitatio, vt flo-rere, & nitore quodam pręcellere videatur. Deus immortalis, quale spectaculum est, in quo cęlum, & tellus obstupescant: Videre viros probos communi virtutum vsu minimè contentos mille meandris ac velu-

Tertul.

Cur gemma symbolum virtutis.

veluti dolosis inuentis, omnem affectare probatissimæ laudem integritatis: hæc, de qua loquimur, si desideretur, subdola versutia languescit virtutum studium vile planè ac triobolare, non gemmeum, ac pretiosum.

Ad hanc autem excellentiam virtutis comprobandam conferet plurimum, nisi fallor, si oculos conuerterimus in eos, qui calliditate quadam, & vt ita dicam, vafritia maximè perspicaci, virtutum exercitamenta sunt sedulò prosequuti. Objicit se mihi clarissimus, ac celeberrimus diuinarum testimonio Scripturarum Iacob Patriarcha, in quo, tanquam in speculo, atque exemplari proposito, summum rerum Parentem formam expressisse nouimus sanctitatis. Hunc ego probè teneo (quis autē ignoret, ignatus licet, atque imperitus?) quo æstu, & quanta calliditate ab Isaac patre optimo, quasi per fraudem, si dicere fas est, extorserit benedictionem. Consule cap. 26. Genesis à num. 5. ad 30. & meridiana luce videbis clariùs, quo pacto mētito nomine, mutato habitu, mutuato odore, confictis manibus, Esau fratris primogeniti occupauerit fœlicitatem. Nimirum fert ille primas, qui magni Abrahami Nepotis exēplo, non languido quodam virtutum studio contentus, sed calliditate quadam, & innoxia arte fallendi decipere summo conatu nititur eos, qui quauis ratione antecedere satagunt, & locum obtinere principem inter filios Dei. Hæc summa votorum sit, hoc omnibus industriæ neruis experiatur, vt pro obtinenda Dei benedictione nihil prætermittatur; adeò vt quanta improbi sagacitate probos decipiunt, vt voti compotes fiant, tāta à nobis diligentia adhibeatur, vt summum virtutum absolutissimarum fastigiū teneamus. Sanè, vt Lyranus, & Abulensis in Genesim docent, Iacob quatuordecim ipsos annos in Heberis schola fuit, vt sapientiam, & Dei timorem perdisceret. Ergo post tot annorum labores tàm improbos, post tàm diuturnum rerum diuinarum studium, ea sit summa sapientiæ nostræ, vt sancto quodam artificio omnibus antecellamus in comparandis nobis cælestibus bonis, quæ Isaachi benedictionibus adumbrātur. Placet huc reuocare, quod ex lib. 4. cap. 15. Euagrij refert Card. Baronius tom. annal. 7. anno Christi 522. de Hilderico Henrici filio. Quo tempore moritur Trasamundus Vandalorum apud Africam Rex, principatus anno vigesimo octauo, Hilderico Henrici filio hærede instituto, adiuratoque, ne postquàm Rex esset, Catholicis hominibus templa, aut adempta priuilegia restitueret. At is, ne Sacramēti, quo fuerat obstrictus Religionem violaret, pio inuento (nam ab antecessoris sæuitia alienus erat) antequàm regno inaugurraretur, Catholicos Episcopos reuocauit, ac liberum eis Religionis vsum restituit. Hæc illum matris suasu, quæ Valentiniani Augusti filia fuit, præstitisse ferunt. Subsiste, obsecro, parumper, & perpende sæpenumerò posse magna cum laude scelestos religiosa fraude decipi. Poterat sine dubio, imò debebat malè iuratam fidem frangere Hildericus, sed satiùs duxit decipere callido consilio deceptores, hoc præstare si noueris, numeros explebis omnes virtutis eximiæ.

Industria Iacob. Gen. 26.

Euag. Baron.

Trasamundi impietas.

Pium Hilderici inuentum.

Quæ si fortè leuia nonnemini videantur indicia, sunt in promptu momenti longè grauioris, è sacris petita paginis argumenta, ni fallor, haud obscura. Namque id, me iudice, & quidem pereleganter adumbrare voluit proposito veluti emblemate, summi Dei sapientia. Etenim, vt legitur Exodi 4. cum Moyses subducere se vellet ab ea, quæ demandabatur Prouincia adeundi Pharaonem, quasi verò tanto oneri esset impar, summi Parentis imperio virgam proiecit in terram, quæ in colubrum versa est. *Dixit ergo ad eum*, sic leges cit. cap num. 2. *quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dixitque Dominus proijce eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum*. Mira sanè inauditæ institutionis ratio. Is qui se rudem arbitrabatur, minimèq. idoneum ad agēdum cum Pharaone, vt discat qualem se gerere debeat, colubrum manu attrectet, Deo imperante. *Dixitque Dominus*, sic leges cit. cap. nu. 4. *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit*. Antequam proferam meum animi sensum monere debeo Moysem virum fuisse eruditissimum, & sapientissimum. Etenim Clemens Alexandrinus lib. 1. strom. scribit enim in clarissimis doctrinarum emporijs, quę fuere in Aegypto celeberri-

Exod. 4.

Moysis eruditio, & sapientia.

berrima à puero fuiſſe exeultum, & magna cum ingenij laude didiciſſe, quæ ad Arithmeticam pertinent, & Geometriam, Medicam prærerea facultatem cum Muſica, & Dialectica mente, animoque comprehendiſſe, inſuper Philoſophiæ dediſſe operâ non ſine magna mentia acerrimæ, perſpicaciſſimęque commendationē, nominatim autem ſacram illam eruditionem, quæ hieroglyphicas explicat notas adeò egregiè Moyſem tenuiſſe ſcribit, vt viſus fuerit eas propè ad miraculum, (*Clem. Alex.*) ſi cum Alexandrino Clemente loqui velimus, fuiſſe conſecutus. Quæ cum ita ſe habeant, dicam Deum hoc loco, & Moyſi, & nobis inſinuare voluiſſe, fore vt cæleſti munere donaretur mira quadam, eaque ſanctiſſima calliditate, qua Pharaonis vaſerrimam mentem ſuperare facilè poſſet. Quid enim ſerpens ſua ſpecie intuentium ingerit animis, niſi calliditatem? Profectò diſertè dicitur callidior (*Gen. 3.*) cunctis animantibus. Gen. 3. nu. 1. *Sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Quid, inquam, Serpens, ſua ſpecie intuentium ingerit animis, niſi calliditatem? Quod vt dicebam, non Moyſi ſolùm, ſed etiam nobis, qui Chriſto nomen dedimus, indicatum fuiſſe crediderim, cum mone- (*Matt. 10.*) mur Matt. 10. num 16. *Eſtote ergo prudentes ſicut Serpentes.* Quo loco obiter moneo, aliqua fortaſſe animaduerſione di- (*Summa Christianæ ſapientiæ.*) gnam eſſe particulam, *Ergo*, qua in præſentia vtitur magiſter cæleſtis; quaſi indicare velit ſummam chriſtianæ ſapientiæ eam eſſe, vt Serpentis prudentiam callidam calleamus. Sed quidquid ſit de hoc, nobis certè, qui Chriſti ſumus, & Dei, in primis neceſſaria eſt calliditas, quam memoramus. Ineundum etenim cum Pharaone certamen eſt, quorquot ſumus cum Diabolo pugnaturi. Sanè S. Bernar- (*Cap. 1.*) dus ſerm. 39. in Cant. ad illud Cantic. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimulaui te amica mea.* demonſtrat per Pharaonem, diabolum intelligendum, quod præſtat per totum ſermonem, & nomina- (*S. Bern.*) tim paulò ante medium inquiens: *Sed inter ſanctam ſpiritualemque animam, & equitatum Domini planè comparatio eſt, & inter Pharaonem, & diabolum amborumque exercitus.* Quæ cum ita ſe habeât

A Deo Duce pugnare cum Pharaone nemInem poſſe prędicabo; niſi qui ſerpentem manu geſtet: boc eſt nullum poſſe in arenam cum diabolo deſcendere, niſi ſanctâ calliditate prędirum virum, qui hoſtem tàm nefarium deludere valeat, ac deridere. (*Nouum genus a.mo.um ad debel. ndum diabolum.*) Illuſtris omni ſęculorum memoria Iudith Holophernem trucidare non potuiſſet, niſi callidè quod animo moliebatur, hilari fronte, & verbis humanitate pleniſſimis ſimulaſſet. (*Iudith cap. 12. Callidum Iudith reſponsū.*) Etenim cap. 12. Iudith à num. 13. ad 16. Vagao Eunucho ad menſę Imperatoriæ lautitias inuitanti, reſpōdiſſe fertur in hunc modum. B *Quæ ego ſum, vt contradicam Domino meo? Omne, quod erit ante oculos eius bonum, & optimum faciam. Quid quid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. Et ſurrexit, & ornauit ſe veſtimento ſuo.* O tortuoſam cum laude circumlocutionem. (*Praxis ſanctæ aſtutiæ.*) O aſtutam ſine crimine ſimulationem. Hanc ſi tenere aues, paucis accipe: Quanta ſolertia praui homines ornatum corporis affectant, vt benè compti, benèque depexi intuentium oculos ad ſe trahant, tanta tu cura, vt virtutum indumento mens niteat, vel certè vt veſtitus C elegantia formam exbibeat compoſitę mentis, & ornatus indumentorum tegat ſingularem animi ſanctitatem. Non abſimili ratione quantum in eo induſtrię collocant, vt ſe ſe iactent, & ſua extollant inanes animę; tantum adhibe conatus, vt quę ad Dei pertinent cultum quamdam prę ſe ferant magnificentiam; & ſicuti nullis parcunt laboribus, nullam pretermittunt diligentiam ſceleſti, vt peccent, ita nil relinquas inauſum, aut intentatum, vt in Chriſti ſcola proficias. Id conſilia moliantur, id tentet induſtria, id curę, vota, affectiones animi modis omnibus proſe- D quantur.

Non ſum immemor eius, quod ex veterum annalibus à Zonara, & Sozzomeno traditis memorię poſterorum, de Eudoxia Auguſta, Arcadij Imperatoris coniuge referr P. Nicolaus Cauſinus in opuſculo, quod inſcribitur: Pietas fortunata. (*Cauſinus.*) Venerant à Paleſtina Conſtantinopolim Porphirius, & Io. ille Gazę, Hic Cęſareę Antiſtes; Pręſules ambo, toto orbe pietatis commendatione clariſſimi, vt labantem ſummi Dei venerationem Imperatoris (*Porph. & Io. cauſa religionis ſuſcepcum iter.*)

ris Arcadij auctoritate fulcirent. Percrebuerat falsæ religionis cultus, immò veræ superstitionis impietas in celeberrimo illo Marnę Fano planè prophano execrandis Deorum inanium ceremonijs fœdabatur adeò, vt breui tota Asia, ne minimū quidem christianæ religionis vestigium superfuturum esse videretur. Itaque remedium aliquod tanto malo allaturi auitæ pietatis amantissimi partes aditum inuenere facilem apud Eudoxiam Imperatricem, cui solemne erat molles præbere aures viris eximia integritate prę̄stātibus. Quin immò postulatis annuens tantorum præsulum, qua erat in omnes humanitate spectabilis spopondit, se nullū non moturā lapidem, vt voti tàm sancti cōpotes fierent. Verùm Imperatoris animum in suam sententiam adducere non potuit Augusta. Putabat enim Arcadius optimum esse consilium ita efficere, vt sensim mole laborans sua ethnicorum superstitio caderet, quam cæteroqui agere se posse præcipitem, & extirpare radicitùs desperabat. Porrò cum non multos post dies Eudoxia filium peperisset, qui postea Theodosius fuit Orientis Imperator celeberrimus, ad grati significationem animi exhibendam Deo, cui editi in lucem filij carum munus Sanctorum Episcoporum precibus referebat acceptum, vt imperi aient quod postulabant ab Arcadio, huiusmodi nouum, planèque memorandum iniuisse consilium perhibetur Eudoxia. Videlicet, vt qua die solemni ritu puellulus lustralibus baptismi aquis erat expiandus, libellum Episcopi supplicem afferrent, quo precarentur enixè, vt inanium Deorum cultus, nuper renati Deo principis iussu, penitus auferretur, spoponditque Imperatrix effecturam se, vt is, qui pupulum gestaret vlnis, eiusdem caput manu moueret, quasi puellulus annueret postulatis. Placuit patribus inuentum, & ex cōdicto omnibus ad vnguem dispositis cum infantulus tenarus Deo lustralibus aquis, in maxima populi frequentia extra templum deferretur; adsunt Io. & Porphirius, atque totius Christianæ Reipublicę nomine Oratoris partes apud nouū principē acturi supplices tendunt manus easdem, quas ad Deum pro Catholica Religione tendere consueuerant; statimque manu

Eudoxiæ pia comitas.

Consilium Arcadij de superstitione sensim tollenda.

Mira Eudoxiæ astutia pro abolenda superstitione.

A infantis capiti supposita ab eo, à quo portabatur, ecce tibi annuere est visus, & creditus est pupulus maxima cum admiratione panegeris circumfusę; gestientibus prę lętitia animis eorum, qui nouo miraculo gratulabantur vix natum principem partes religionis tàm alacriter suscipientem. Igitur mens Arcadij, quę flecti non potuit precibus Eudoxię amantissimę cōiugis, & sapientissimę Imperatricis, & dinastarum gratulatione, & populi sensu, & inaudito portento commota, Marnę templo à fundamentis diruto, ibidem excitari

B imperat sacram pręponenti Deo ędem, vt illustri monumento posteris testaretur pupulum Theodosium imperare, ac benè mereri prius nouisse, quàm viuere. Proh quantum pollet pietas, si sagax sit.

Verùm in his immorari non possum diutiùs cum obuersetur animo facinus longè memorabilius petitum ab Annalibus Saracenorum. Inuaserat Dux quidam Saracenorum nomine Meruuan sacrarum virginum cœnobium, vt scribit Georgius Almacinus in historia Saracenorum lib. 2. cap. 2. quam latinitate donauit improbādi nominis Auctor Thomas Erpenius, inuaserat, inquam, Meruuan sacrarum cœno-

C bium virginum, omnibusque direptis, ac per summum nefas violatis, captam è virginibus vnam eximiæ pulchritudinis, sed longè maioris integritatis, carissimum essiænis licentiæ pignus multo seruatum milite adduxerat in seruitutē. Ergo quid ager inermis virguncula nullo hoste vexata nocentiùs, quàm ab eo, quem nesciēs secum ipsa fouebat, forma scilicet tàm eleganti. Ita ne verò tantus decor hellonis tàm nefarij seruiet libidini? ergo (proh nefas) tàm spectabilis honestas

D fœdabitur impunè ab homine nocentissimo? fœdabitur sine dubio turpiùs quàm à me dici queat, nisi tanto, ac tàm præsenti malo remedium pręb eat sancta versutia. Adeste iam Auditores, & benignas date aures promittenti mihi vestram expectationem, inaudito, quod profero Inmedium, miraculo superandam. Honestissima puella, quasi morem gerere vellet nequissimo Meruuan, amicè cum eo colloqui cæpit, & beneuolentissimi argumēta animi præseferre æqui bonique duxit. In primis autem professa est, velle se pignus

Arcadius pia fraude decipitur.

Saraceni inuadunt cœnobiū virginum.

Georg. Alma.

Virgo eximiæ pulchritudinis in seruitutem ducta.

Mirum inuentum pro virginitate seruanda.

gnus amoris sui certissimum patefacere, atque vtilissimum, quod duci inter militares turbas de vita in horas singulas periclitanti non posset nō esse gratissimum. Aiebat enim donatam se olim fuisse oleo quodam, quo qui inungeretur vulnerari non poterat: atque, ne dictis magnificis fidem veritati adimere videretur, experiundi gratia collum eo delibutum oleo porrexit ictui barbari ducis, qui vibrato acinace Virginem dum obtruncat vel nolens hostiam immolat integerrimæ virginitatis. An potius tropheum versutiæ dicat innoxiæ. Cecidisti tu quidem præstās religione virgo, pietate, animi fortitudine, vigore mentis inconcussæ semper honoranda; nullo tamen nomine honorabilior, quàm dolosæ magisterio sanctitatis. Profectò par est, vt te docente, discamus, probitatis metam attingere nō posse, nisi commendanda imbutum animum calliditate. simillimum planè est quod Card. Baronius tom. 3. Annal. Ecclesiast. refert Anno Christi 308. Eusebij Papæ I. Const. Imp. 5. ex Nicephoro lib. 7. cap. 13. de Euphrasia Virgine Nicomediæ martyrio coronata. Damnata ad lupanar innoxia puella, mira quadam arte virgineæ prospexit integritati, de qua post alia hæc tradit Nicephorus. *Vbi iam in eodem est conclaui cum improbo iuuene clausa: technæ quadam illum circumuenit; veneficam se esse profitetur, mercedemque ingentem conseruata pudicitia pollicetur, quæ eum à morte conseruet, pharmacum scilicet quo ille perunctus in bellorum certaminibus & prælijs nullo prorsus telo, aut ferro violari, aut confici posset. Quod si de tali remedio, inquit, periculum facere vis illicò id tibi manifestè exhibeo, ille id statim parari permittit, tum illa verè sapiens ceram oleo liquefactam manibusque subactam collo suo circumcirca inungens, illinit, quod vbi perfecit petere eum igulum suum ense quibus posset viribus aduto, remedijq. eius vim, & efficaciam experiri iubet, atque ille quàm potuit validissimè ensem in eam demisit, caputque eius ictu vno resecuit.* Hæc Niceph. Hæc scribenti mihi venit in mērem quod de apibus testatur Christianus Nestor Ambrosius lib. Hexameron. 6. cap. 22. his verbis. *Denique si quis eas* (apes intellige) *superfundat oleo properè necantur.* Sanè apibus virgines adumbrari idem Ambrosius docuerat lib. 1. de virginibus post medium inquiens. *Digna virginitas, quæ apibus comparetur.* Ergò nequaquam nouo inuento, sed accepro à natura documento, Ape magistra, remedium periclitanti pudicitiæ allatura virgo oleo se se inunget non sine miraculo calliditatis; sed vt verum fatear id minimè mirum est, quia apibus, quibus repræsentantur, & supra quàm dici queat simillimæ virgines sunt, nouerat oleum lethale esse.

Felices quibus ad integritatem animi conseruandam, est in promptu petitum à calliditate consilium.

Baron.

Nicephorus.

Euphrasiæ vir. calliditas.

S. Ambros.

Apes oleo necantur.



IN CAPVT SEXTVM à Num. XXV. ad XXXIII.

Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solici estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnũ ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

A

PARADOXVM VI.

Maxima mundi bona sceleſtis minimè bona.



B



DIVITIAE nobilitati præstent, an Nobilitas sit diuitijs anteferenda, non liquet; siquidem diuitias bonis omnibus antecellere asserit Menander apud Stobæum serm. 89. dum inquit ex translatione Gesneri. *Menander.* *Diuitiæ anteferuntur omnibus bonis.*

Epicharmus quidem Deos esse dicit
Ventos, solem, terram, aquã, ignẽ, stellas:
Ego autem vtiles esse Deos arbitror
Argentum nostrum, & aurum.
Nam illos si collocaueris in domum
Pete quidquid voles, assequeris omnia
C
Agrum, domos, seruos, argentea pocula
Amicos, iudices, testes; largiri solum
Sic enim vel ipsos Deos habebis ministros.

E contra apud eumdem serm. 86. nota sententia est Euripidis, *Generosa nuptiæ præstant opulentiis*. *Nobilitas anteferetur diuitijs.* Verùm quemadmodum cedant, an præcedant nobilitati diuitiæ, eruditi antiquitatis certant, & adhuc sub iudice lis est: ita pro certo habetur ab omibus, & diuitias, & nobilitatem inter ea bona, quæ præ cæteris sunt hominibus in delicijs, principem obtinere locum. Quando autem in præsentia Christus Dominus totus est in eradendo penitus ab hominum cordibus amore diuitiarum: D & addita gloriæ Salomonis mentione, insinuare velle videtur, decus honoris, quod tantopere expetunt homines, à largitore Deo tribui, vt ijs tanquam huius vitæ bonis fruantur iusti: meum erit hoc loco euincere duo hæc, nempè diuitias, & nobilitatem, præstantissima huius vitæ bona minimè bona esse sceleſtis. Et profectò aliqui nimia horum sollicitudine, inquietæ mentis incon-

constantia laborant; adeò, vt eis neque A facultates peramplæ, neque illud, quo fruuntur gloriæ decus, satis esse queant. Quibus prætetea perturbatus animus frui non potest, quia iam illi bona non sunt:& in hanc gratiam conatur suadere Seruator noster omnem omnino iactatæ mentis fluctuationem longiùs amandandam crebro dictitans: *nolite soliciti esse.* Matth.6. num.31.

Matth.6.num.31.

Habeo quos recitem Terentij versus; vtinam ab improbis, & attentè legantur, & altè animo reponantur.

Terentius.

Quod reliqui est, quin habeat, qua (quidem in hominibus dicuntur bona? B
Parentes, Patriam incolumem, amicos, (genus, cognatos, diuitias
Atque hæc perinde sunt, vt illius ani- (mus qui ea possidet
Qui vti scit, ei bona: illi qui non vti- (tur rectè, mala.

Bona sunt bona si iis bene vtimur.

Ita in Heauton. soluo paucissimis, quæstionis antiquæ nodum. Diuitiæ genus, & alia huiusmodi sunt ne bona? vno verbo, bonis aio, malis autem pernego. Placet à claritate generis exordiri. Veniat autem in mentem quod elegantissimè Marius dixit in sua oratione quæ est apud Salustium de bello Iugurth, vbi sic loquitur. *Profectò ita se res habet: Maiorum gloria & posteris quasi lumen est: neque bona eorum,neque mala in occulto patitur.* Nō poterat ingeniosiùs.Interroga,amanda ne lux est? respondebit impius,nequaquam: Etenim,qui malè agit,odit lucem. Vsura lucis, qua nihil mortalibus iucundius, gratius nihil, est tamen facinorosis inuisa, & nobilitas lux est, quam odio plusquam Vatiniano improbi prosequuntur, vtpotè indicem, atque exploratricem flagitiorum. Subscribit Iuuenalis in satyr. his versibus.

Salustius. C
Nobilitas luci comparatur.

Si te præcipitem rapit ambitus, atque D *(libido:*
Si frangis virgas sociorum in sangui- (ne, si te
Delectent hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorū contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre (pudendis.

Iuuenalis.
Nobilitas vitia detegit.

Ipsa nobilitas viro nobili nocet eumdem accusans, si improbus fuerit. Vnde non sine singulari sapientiæ laude Diogenes apud Laert. lib. 6. de vita Philosoph. ridebat nobilitatem, & gloriam, quatantoperè delectantur mortales, dicens, ea esse velamenta malitiæ. Enimnerò cum nobilitate velatur malitia, virium incrementa hæc sumat necesse est, & quod inde consequitur, non modò cultu illa careat, ac veneratione necesse est, sed tanquam perniciosa, atque probrosa exsibiletur. Audite qui gentis nobilitatem venditatis. Vos ego compello quos decus,& claritudo generis non sinit latere, si fortè à virtutis tramite deflexeritis, non alium fructum feretis ex auito splēdore sanguinis, nisi vt vestra infelicitas sit illustrior, ac scelus execrabilius.

Laertius.
Nobilitas malitiæ velamentum.

Generatim vniuersèque Seneca de omni bonorum genere excepta virtute ad Lucilium scribens epist. circa med. in hunc modum decernit. *Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus.* Equidem nullius vnquam tanta dicendi vis mihi persuadere poterit, labentis vitæ bona, quę à cœlestis, ad insaniam vsque adamantur, ab ijsdem, sine animi angore amitti posse. Istis igitur bona non sunt, verissimè infert Philosophus. Hinc magni vir ingenij Augustinus lib.8. de Ciuitate Dei cap.8. circa med. planissimè profitetur, ferens, pro nostra assertione suffragium, dum inquit: *Tertium genus bonorum, sicut est honor, gloria, pecunia, hoc genus bonum est bonis, malum autem malis.* Illustrabitur fortassè Augustinus eo discrimine, quod affert Plato lib.9. de legibus vbi Rege cum Tyranno collato concludit hoc discrimen inter vtrumque intercedere, quod Tyrannus, vtpotè flagitiosus in ipsa felicitate infelix sit. Secus autem docet accidere Regi. Verba Philosophi sunt: *Tyrannica ingenia sunt prorsus infelicia, ac misera, quamcumque vita lætitiam præseferant, Tyrannus quantumuis felix est bono Rege quantumuis infelice miserior, septingentis viginti nouem partibus, idest infinitis modis.* O planè calamitosa hominum conditio, quibus felicitas ipsa infelix est. Cogitur iam dare manus, quicumque negauit hactenus, maxima bona minime bona esse flagitiosis: Quod quidem eò ingeniosiùs, quo breuiùs complexus est Felinus in l. Decret. de nobili flagitioso, inquiens:

Seneca.
Animus præparari debet ad amissionem bonorum.
S. August.
Bona sunt bona bonis, mala malis.
Tyrannus semper bono Rege infelicior.
Plato.

Nobilitas sæpe nocibilis.

quiens: *Quanto nobilior, tanto nocibilior*, Vtique, sibi in primis maximè noxius.

S. Chrysost.

Nobilitas vera necessitudo cum Christo.

Vna est, quę minimè obest, sed prodest maximè nobilitas, quam insinuat S. Chrysostomus tom. 2. in cap. 12. Matth. non longè ab init. dum inquit: *vna enim sola & vera, & communis nobilitas, atque necessitudo cum Christo est, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multò melior illo est, atque vberior. Quæ omnia probè tenentes, nec de filiorum gestis gloriemur, nisi virtutes eorum imitemur: nec de parentum nobilitate quidquam nobis arrogemus, nisi probam eorum vitam sequamur.* Cum itaque arrogantię notam subeat scelestus, qui de maiorum nobilitate gloriatur, negabit nemo, scelesto minimè bonam esse nobilitatem.

Eodem planè modo, cum diuitias animo voluo, & improbos simul attentè considero, compellor dicere, eas ab istis, ne nominari quidem posse, bona. Luculenter S. Cyprianus istorum conditionem prosequitur in huc modum:

S. Cyprianus.

Diuitiæ à sollicitudine perturbantur.

non cibus securus, potusque contingit. Suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemma, & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma. Ita Cyprianus. Quo loco antequàm vlterius progrediamur, dicamus in hunc modum. Si opulento nulla securitas, nulla quies, non mensa, non cubile paululum iucunditatis tribuunt, aut quietis, si inter lautitias non marcescit modò, sed penè tumulatur; hęc tu bona nuncupabis? Concludit D. Cyprianus his verbis: *Diuitias possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat. & ò nimium quanta diuersitas: bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas vsus est.*

Diuitiæ non sunt bonę, quarũ malus vsus.

Hucúsque S. Cyprianus lib. 2. epist. epist. 2. non multò ante finem. Corrigatur aliquando tandem, corrigatur tàm notus, tàm noxius error. Nempe, qui & diuitijs, & dignitaribus abutuntur, bona istbęc ne nuncupent, ne & de illis meritò exclamemus: *ò nimium quanta diuersitas, bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas; vsus est.* Istorum hominum genus, adumbrari posse proprijs veluti coloribus mihi videtur, duplici petita similitudine à Photino

Serpentes aromatum syluam infestant.

cap. 25. vbi scribit in syluis aromatum feracissimis viuere, ac vigere serpentes quosdam maximè virulentos, qui veneno planè lethifero regionem cęteroqui odoribus, & amęnitatibus iucundissimam infestent, atque inacessam reddant. Ibidemque mẽtionem facit de Bithemanentium regione, omni frugum, ac deliciarum abundantia eximiè conspicua, & ad lautitias vsque voluptuosissimas redundante.

Regio maximè frugifera bestijs ferocibus deuastatur.

Hęc tamen leonibus, pardis, ac lupis centuriatim, ac cateruatim in omnem partem palantibus, atque errabundis vsque adeò deuastatur, vt nullę sint terrarum orę incolis infeliciores. En ò improbi cuiusmodi sit ea bonorum copia, qua vos ditauit, summi munificentia largitoris. Amplissima illa quidem, atque feracissima sunt, sed quę domesticis, vitiorum vestrorum monstris, efferatis animi vestri feris, deprauata, atque corrupta sũt adeò vt vobis non modò earum cum voluptate vsus interdicatur, sed tanti permixtione mali infelicissima, boni nil habeant, aut expetendi.

Ratio S. Augustini validiùs lõgè, quàm mea possit ratio, vel oratio, propositum confirmabit.

S. Augustin.

Si tibi, verba Augustini serm. 12. in Euang. secundum Matth. paulò post med. *possent respondere bona, quibus plena est domus tua, non ne, & tibi clamarent, sicut tu nos bona vis habere, sic & nos volumus bonum habere Dominum.*

Bona expetunt bonum dominum.

Aequa, me iudice, postulatio, vt bonis respondeas bonus, alioquin enim bonis meritò spoliaberis, si bonus non fueris, & possessori iniquo reluctantes, repugnantesque diuitiæ, poterunt ne esse bonæ? Imò clariùs idem Augustinus serm. cit paulò superiùs, sic habet:

S. August.

aurum, & argentum habere vis, ecce, & hoc dico bonum est, sed si benè vsus fueris. Benè autem non vteris, si malus fueris, ac per hoc aurum, & argentum malis malum est, bonis bonum est.

Bona bonis, eadem mala malis.

Quæ Augustini auctoritas, omnem tergiuersationi aditum intercludit: nemo scelestus sibi, de erogatis in pauperes facultaribus blandiatur; non enim ideò bene vtitur: necesse insuper est, vt ipse nulla penitùs culpa pallescat, vt ei diuitiæ, bona esse dicantur. Hinc S. Basilius hom. 6. quæ est in ditescentes, considerans diuitem illum, de quo Lucæ 12. paulò post init. sic habet.

S. Basilius.

Quid faciam, inquit, quis non misereatur, sic miserè curis obsessi? ipsa fertilitate

mise-

Diuites miseri sollicitudine præsentiũ bonorum & aduenientium malorum.

miser erat, ac timidulus. Miserabilis præsentibus, & paratis bonis, miserabilior ob ea, quæ adhuc expectabat. Caue bona nuncupaueris ea, quæ tãtam pariunt miseriam, & tricas afferunt tam inestricabiles. A

Diues auro deuorato necatus.

Diuitem quemdam, auctor est Chrysippus, aureos deglutisse non paucos, eaque ratione vitam sibi eripuisse, quod leges apud Cœlium Rhodig. lib. 20. lect. antiq. cap. 23. in fine. Vtinam quod semel huic misero contigisse accepimus, in dies non accideret diuitibus improbis, quibus adeò malæ sunt diuitię, vt non modò inimicitias, molestias, & huiusmodi sexcenta incommoda, sed etiam mortem, malorum vltimum, ac grauissimum inferant. B

Capaneus diues vt Crœsus, ionocẽs vt Numa.

Capaneum nescio quem, tanquam admiratione dignum laudat Euripides, cui præter consuetudinem, bonæ fuere diuitię, quippe qui inter Crœsi opes, Numę seruauerit integritatem. Igitur, vt inter bona, censeas diuitias, animaduertere debes, ne vitijs corrumparis, alioquin enim tibi cedent in malum, iuxta oraculum Ecclesiastis, allatum à S. Basilio hom. 7. in diuites auaros aliquantò post med. dicente:

S. Basilius.

multa diuitiæ, luxuriæ sunt causa. An non audistis Ecclesiastem dicentem? vidi stultitiam multam, & grauem. Diuitias in malum custodientibus ipsas conuerti. C Quæris qua ratione malæ sint possessoribus diuitiæ? respondebit idem Basilius orat. 54. de diuitijs, & paupertate paulò ante med. his verbis: *Quousque tandem auro parando operam dabis? auro inquam, quod nihil aliud est, quàm animarum quidam laqueus, mortis hamus, peccatique inescatio. Quamdiu diuitijs, quæ belli causa esse solent, & ob quas conflantur arma, ac enses acuuntur, inhiabis? Propter has cognati, quid natura postulet, non vident fratres, se mutuo toruè intuentur, cædesque spirant.* D

Diuitiæ Vitiorum omnium origo.

Propter opes solitudines homicidas alunt. Ciuitates verò sycophantas, atque calumniatores. Quis est mendacij parens? quis falsæ accusationis architectus? quis periurij auctor? non ne diuitiæ, non ne opum studium. quid facitis ò homines, quid vobis insidias rebus vestris tenditis. Neque locupletior, neque apertior esse poterat incommodorum enumeratio, quę improbis pariunt diuitię, vt hinc pateat num verè malis malę esse perhibeantur.

Pindarus.

Virtutis comites exoptandæ diuitiæ.

A Nota est Pindari sentẽtia illa pręclara, *si comes adsit virtus, diuitias, vt maximè bonas esse exoptandas.* E contrario igitur si virtus absit, nec bonę sunt, nec exoptandę diuitię. Quę omnia si desiderarentur mihi sanè, ad propositę veritatis vberrimam cõprobationem vnus D. Chrisostomus satis esse posset, qui vt sępius, ita dilucidè, quam suscepi partem, suo patrocinio fouet eloquentissimè. Sic homil. 12. in Epist. ad Timotheum 1. cap 4. aliquantò ante finem, dum inquit:

S. Cyprianus:

Malus vsus facit malas diuitias.

diuitiæ non malæ sunt, si egenis fuerint distributæ: sin verò huiusmodi officijs non seruiant, & malæ, & perniciosæ sunt. B Sic etiam hom. 66. in cap. 49. Genes. paulò ante finem cum ait: *bonæ diuitiæ, cui non est peccatum*. Similiter hom. 2. ad populum Antiochenum circa med. exponens illud D. Pauli 1. ad Timotheum 6. *diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere*. Sic habet. *Sed illud inquirere dignum est, quare non dixit indigentibus, sed diuitibus præsentis sæculi, præcipe non ditescere, præcipe depauperari, præcipe, quæ habent exhaurire: sed dixit, præcipe non sublime sapere, nouit, quod diuitiarum radix, & materia est superbia.* C Et paulò post. *Præterea nouit non prohibitas esse diuitias, sicut enim dixi, non mala res vinum, sed mala ebrietas: ita non malæ res, diuitiæ. Sed mala cupiditas.* Monet igitur diuitias, quę seipsis malę non sunt, maxime noxias esse facinorosis.

Videatur P. Didacus de Baeza tom. 4. Comment. moral. in Euang. histor. lib. 16. cap. 1. §. 21. eodem lib. cap. 10. §. 1.

Similiter videri potest P. Io. Antonius Velasqnez tom. 2. in epistr ad Philippens. ad cap. 3. vers 8. Adnotat. moral. 6. & 7. D



IN CAPVT SEXTVM à Num. 24. ad vltimum.

A *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque* B *corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere* C *ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus, est sicut vnum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur,* D *Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.*

PARADOXVM VII.

Maximum infortuniorum, felicitas.





ANGOR equidem, nec animo mediocriter angor, mortalium plurimos tanto in errore versari, vt non percipiant eam felicitatem huius vitę, cuius amore depereunt, maximum esse infortuniorum. Vos ego in pręsentia alloquor, quorum felicitas est pluribus seruire dominis, abundare diuitijs, indumentorum lętari luxu, magnificè se & de pulchritudine corporis, & de rerum copia, & de omni bonorum genere gloriari. Istorum amandandam esse sollicitudinem filij Dei oratio probat luculentissimè: quem quia animaduerto in eo potissimùm facere vim, vt demonstret nequaquam fieri posse voti compotes huiusce amatores felicitatis, in me recipio, in eam gratiam me verba facturum, vt palam fiat, nullo penitus discrepante, maximum infortuniorum esse felicitatem hominum improborum; quandoquidem Dei oraculo, ea dum sequuntur auidiùs, certiùs amittunt. Hoc porrò quid aliud est, quàm deludentis, & concupitæ specie felicitatis in aduersantis infortunia calamitatis dari pręcipitem?

Ne autem pluribus vtar, ad rem accedo propiùs, duce Heraclito, qui nunquam fortasse sapientiùs loquutus est, quàm

Arist. lib. 2. Ethi. cap. 3.

Felicitati repugnare omnium difficillimum.

quàm cum apud Aristotelem lib. 2. Ethi- A corum cap. 3. circa finem, pronunciauit: *omnium difficillimum esse blandienti repugnare felicitati.* Et hanc felicitatis nomine donabis, quæ blanditur, vt conculcet, allicit, vt debellet, arridet, vt perimat. Mira sanè subtilitate, hoceſt ſibi germana philoſophatur ingenioſiſsimus Auguſtinus conſiderans Petrum inter iactati maris vortices penè demerſum, vt habetur Matth. 14. num. 30. ait enim. *Putatis, tunc esse ventum contrarium, quando est huius sæculi aduersitas: quando bella, quando tumultus, quando fames:* B *quando autem temporali felicitate sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius.* Hactenus aliorum ſententiam recitauit, attende iam, quid ipſe Sanctus ſentiat. Hoc vide; *magna virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas: magna felicitatis est à felicitate non vinci.* Ita ſerm. 13. in Matth. in fin.

Matth. 14. 30.

S. August.

Felicitas ventus contrarius.

Felicitas est felicitate non vinci.

Quaſi verò felicitati repugnare non virium, aut roboris opus ſit, ſed ſolius prærogatiuā felicitatis. Tunc vndis obruimur, tunc miſeri demergimur, tunc ſinuoſis abripimur vorticibus ſine vlla prorſus euadendi ſpe C cum circumquaque ridere videntur felicitates. Fallax felicitas, ſæuus turbo, procella inexorabilis, naufragium vorax quibus nulla penitus habeatur fides, dummodò audiatur Philo, ſic monens: *scrutare quemlibet gratiosum apud populum, cui benè succedunt negocia. caue te miratores eius decipiant; inuenies multos morbos, multas pestes in eo latere, huc illuc obtorto collo trahentes eius animam inuisibiliter, licet reluctantem, ne opprimatur.* Ita lib. de ſomnijs non multò ante finem.

Philo.

Felicium infelix conditio.

Si cum ex animi ſententia ſuccedunt negocia, ſi cum ſecunda videtur ridere for- D tuna, letbiferæ peſtes premunt præcordia, & animum diſcruciant tam acerbè, ecquis cæcus adeò non perſpiciat, quantam habeant euentus proſperi ad nocendum vim. Quæ tanta profectò eſt, vt longè ſuperet robur aduerſitatis; quod vt facilius comprehendatur profero in medium ſimile, deſumptum à B. Petro Damiani, *Rhinoceros*, inquit, *qui rabidam persequentium canum ora celerrima pernicitate contemnuit, capi se gremio blandæ* A *Virginis non pauescit.* Ita epiſt. 16. lib. 1. epiſt. in fine.

Rhinoceros à Virgine facilè capitur.

Vtinam non plurimi inuenirentur, qui ſi quando cum Propheta dicere coguntur Pſal. 25. num. 17. *Circumdederunt me canes multi*, aduerſantium calamitatum, & irruentium dæmonum contemnunt furorem inimicorum: ſed ijdem inter voluptatum blanditias vincuntur pariter & vinciuntur funibus peccatorum. Qua id ratione contingat, vis noto explicemus Apologo? quem quando idem B. Petrus Damiani memorat loco citato, nemo ab ea de qua diſſerimus rei grauitate iudicet alienum.

Psalm. 21. 17.

B Sol, & Eurus dicuntur aliquando ſingulare inijſſe certamen, huiuſmodi fœdere inter ſe conſtituto, vt ſi quis ipſorum expoliaret clamyde viatorem neſcio quē, pollentior viribus in poſterum haberetur. Dictum factum. furit Eurus omnem aëris regionem ſuſquedèque permiſcens, atque conuoluens, ſed nihil obtinet, viatore eò diligentius veſtes obducente. itaque, re infecta receptui canit ventoſus depopulator. Cum ecce tibi ſol aurea radiorum pompa ſine ſtrepitu explicata æſtum illico reduxit calentem adeò, vt fuerit coactus viator, dicto citiùs ſe ve- C ſtibus denudare. Mutato nomine de te fabula narratur, qui in hoc ſæculo viator es.

Solis, & Euri certamen.

Virtutibus ſanè tanquam veſtibus induitur animus, quid enim Pſal. 44. n. 10. *Regina circumamicta varietate*, niſi anima virtutibus exornata ex ſententia S. Hieronymi in 4. cap. Iſaiæ ante medium. Quid Iſaiæ 5. num. 1. veſtimenta ſeptem mulierum deſignant, niſi ornatum, quem ſecum habent dona ſancti Spiritus. Quid veſtis diſcolor? Ezech. 16. num. 10. & Geneſ. 37. num. 4. ea ſine dubio virtus multiplex adumbratur? huiuſmodi tàm D pretioſo indumento, vt nos ſpolient, non raro, quaſi certatim mutuò ſibi ſuccedentes aduerſitas, & proſperitas nihil non moliuntur.

Psalm. 44. 10.

Virtutes veſtibus comparantur.

Isaia 4.

Ezech. 16. 10.

In ſole cuius mire ingenium profuſa in omnes liberalitate illuſtrius, quàm radijs proſperitatem adumbrari, qui non videat, legat is S. Hieronymum illud Pſal. 120. num. 6. *per diem sol non vret te:* explanantem in hunc modum: *Vt nec prospera huius sæculi sentiat.* Ita in 49. cap. Iſaiæ circa med.

Sol felicitatis ſymbolum.

Psalm. 120. 6.

S. Hieronym.

Porrò ventorum nomine aduerſa in ſacris litteris reptæ-

Ventus aduerſitatis ſymbolum.

Iob 1. num. 19. *Ierem. 4. nu. 6.*

repræsentari testantur Iob 1. num. 19. Iere m. 4. num. 6. Ionæ 1. num. 4. & alibi passim. Vter istorum impugnantium potentior sit pendat quilque æqua lance iudicij sui: Geminum meos ob oculos obuersatur exemplum, Herculis vnum, qui inter ardua periculorum discrimina, tot modis irrumpente morte, marte iniquo dimicauit nunquam, & inter mulierculas pensum trahere visus est, à blanditijs victus, inter aspera semper inuictus. Alterum ponderis longe maioris, & sapientium iudicio maximi faciendum; Sampsonia inquam, qui strenuus in acie, & terror hostium, in sinu Dalilæ, Iud. 16. num. 19. B roboris, & vitæ lamentabili exitu facit iacturam; Recito iudicium hac in re S. Augustini cap. 30. lib. 1. de Ciuitate Dei circa medium, sic fantis; *secundis rebus ea mala oriuntur in moribus, quæ sæuientibus peiora sunt hostibus. Ille Scipio Pont. Max. istam vobis metuens calamitatem,* Romanos alloquitur, *nolebat æmulam tunc Imperij Rom. Carthaginem dirui, & decernenti, vt dirueretur, Catoni, timens infirmis animis hostem securitatem, & tanquàm pupillis ciuibus idoneum tutorem necessarium videns esse, terrorem. Nec eum sententia fefellit.* Aduersa fortuna, vt manifestum, est tutoris partes agit: C secunda præuaricatoris, imò destructoris.

Herculis laboribus inuictus blanditijs vincitur.

Sampson vincitur à Dalila.

Iudi. 16. nu. 19.

S. Augustin.

Scipio obsistit ne destruatur Carthago.

Seueritas hostis animorum.

Terror tutor ciuium.

Repetamus memoria, quod de Epaminonda Polymnidis filio posterorum consignauit memoriç Aelianus lib. 11. cap. 9. Cum in Peloponnesnm profectus esset, nunciatum ei fuit eius armigerum ingentem pecuniæ vim, & pretiosa donaria à quodam captiuo accepisse. Ecce tibi Epaminondç armiget, voti compos sorte fruitur perbeata. At id vbi primum cognouit Epaminondas, dimisit armigerum, cũque D ei abstulisset scutum, dixit, sit tuæ summa felicitatis, & meo partocinio, & famula. tu intimo spoliari: Id plane contingere mihi videtur ijs, qui, vt ea bonorũ sũma, quam appellant felicitatem, frui possint, à Dei famulatu, & domicilio dimittuntur, hocest amandantur longissimè ab vberrima vena felicitatis. De his locutus est Augustinus enarrat. in Psal. 85. aliquantò ante finem, inquiens: *hic, idest in hoc mũdo falsi felices, veri infelices: quia falsa* A *felicitas, vera miseria est.* Quod superiùs enarrat. 2. in Psal. 26. copiosiùs explicauerat, dicens; *habemus hic felicitates diuersas generis humani, & miser quisque dicitur, quando illi subtrahitur, quod amat. Amant ergò homines diuersas res, & quando quisque, quod amat habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix, est non si id habet, quod amat, sed si amet, quod amandum est, multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias miseri habendi sunt miseriores.* Sine dubio miserrimum infortunij genus est ea delectari felicitate; quæ miserum faciat, ea sibi blandiri sorte, qua, quemadmodum Epaminondæ armiger, & scutum ad retundenda aduersarij tela factum detrahat, & tanto Duci reddat inuisum, & amantissimi Domini beneuolentiam, auferat, & tutelam.

Aelianus.

Epaminondas armigerum dimisit quod aurum accepisset.

S. Augustin.

Felicitas huius mundi vera miseria.

Felicitas est amare benè habenda, non habere malè amata.

Caligulæ Romanorum Imperatoris inuentum eò magis barbarum, quòd liberalitatis, ac beneficentiæ obductum erat specie, enodabit, quod fortasse non nemini videtur difficile: quo pacto scilicet calamitosissimum haberi debeat infortunium, maxima nostrarum felicitatum. C Scribit Suetonius in vita Caligulæ circa med. num. 37. fuisse ab eo Romanos proceres exceptos cõuiuio insueta quadam, & inaudita magnificentia oblonior ũ. Apposuit enim conuiuis, vt Cæsare dignam ostentatet liberatitatem, panes, & obsonia ex solido auro confecta. Detur facultas insolens inuentum interpretandi; quid hominibus auro gratiùs? Quid calamitosiùs, quam fame, atque inedia laborare? Quod cum ita sit in Caligulæ portentoso conuiuio, quasi digito commonstro, quod primo aspectu percipi non D posse perhibetur. Felicitates sæculi huius aurum Cæsareç mensç mihi ponit ob oculos: sed ex alio capite, cum perspicio non modò derisos conuiuas, sed eosdem fame pasci, atque inedia saginari; non possum me continere, quin dicam. ò fictæ felicitatis nomine verissimum infortunium. Quod penè ad verbum mutuatus sum ab ingeniosissimo Augustino qui lib. 4. de Ciuit. Dei concludit cap. 23. his verbis; *carere non potest infelicitate, qui tãquam Deam felicitatem colit; & Deum*

Suetonius.

Caligula in conuiuio præbet panes aureos.

S. Augustin.

dato-

Felicitas pani picto confertur.

datorem felicitatis relinquit: sicut carere A *non potest fame, qui panem pictum lingit & ab homine, qui verum habet, non petit.* Prospicitis vestræ symbolum felicitatis, veræ exemplar esse miseriæ, & infortunij simulacrum. Blanditur color auri, sed panis, quem lambere quidem potestis, at non comedere, nequit exsaturare. Restat igitur, vt vnusquisque debeat necessariò missam facere fictitiam huiusmodi felicitatem. *Nullus autem* (citato capite circà med. ait Augustinus) *inuenitur, qui se nolit esse felicem*; & paulò post: *non enim quispiam resisteret felicitati, nisi, quod fieri non potest, qui esse velit infelix.* B

Macrobius.

Angeroniæ, & Volupiæ simulacra coniuncta.

Angor, & voluptas simul iunguntur.

Didici ex Macrobio lib. 1. Saturnaliorum cap. 10. circa med. Romanos superstitiosæ religioni addictissimos, non modò gemina Angeroniæ, & Volupiæ simulacra coniungere consueuisse, sed vtrique in eodem sacello facere sacra solemni ritu. Licet probè teneam consilio longè diuerso id præstitū fuisse ab ijs, quos admiratione sapientiæ venerabatur antiquitas: tamen in rem meam deriuare non piget. Nomina veriùs, quam numina, Angores, ac Voluptates mutuo necessitudinis nexu iungantur adeò, vt idem iocolant domicilium, atque in eadem sede C requiescant, vel quia nullus sine voluptate angor reperiatur, vel quia nulla (quod verius est) sine angore voluptas. Nempè corrupta infortunio felicitas omnium maxima calamitas est. Ita porrò diuino consilio comparatum est, vt quam mortales, relicto Deo, cultu quasi religioso venerantur felicitatem, angoribus, & ægritudinibus offendant contaminatam. Idololatræ miseri, qui velint nolint, dum infelicem sectantur felicitatem, maximum subire, atque extremum tolerare coguntur infortunium.

Seneca.

Felicitas multiplex miseria sapientibus.

Ego verò, quando neque vberiùs, neque elegantiùs describere possum huiusmodi genus hominum, quibus maximum infortuniorum felicitas est, ijsdem vtar verbis, quibus vsum fuisse Senecam lego epist. 95. ipso fine in hunc modum; vt viros probos ac sapientes admoneat muneris sui: *Offendant ex constitutione vulgi beatos, in isto inuidioso fastigio suo trementes, & attonitos, longèque aliam de se opinionem habentes, quàm ab alijs habetur. Nam quæ alijs videntur excelsa, ipsis prærupta sunt. Itàque exanimantur, & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maxime lubricos: tunc appetita formidant, & quæ illos graues alijs reddit, grauior ipsis felicitas incumbit.* Attende quæso diligenter qua ratione illi ipsi, quos omnium aggregatione felicitatum consueuimus appellare beatos, in ipso bonorum culmine formident, ac trepident metu attoniti, præcipiti deterriti casu exanimes, anxij, horrore perculsi, quippe quibus ipsa felicitas grauis fit, & ærumnosa. Quis non percipiat maximum infortuniorum esse huiusmodi felicitatem.

Legatur P. Didacus de Baeza tomo 4. comment. mor al. in Euang. histor. lib. 17. cap. 1. §. 3.

Similiter legatur P. Io. Antonius Velasquez tom. 2. in epist. ad Philippens. ad cap. 4. vers. 12. Adnotat. moral. 2.

FINIS.



INDEX

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, posterior columnam, littera columnæ locum indicat.



VETVS TESTAMENTVM.

Ex Genesi.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

Cap. VIII.

Cap. XVI.

Cap. XXVIII.

Cap. XXXIII.

CAP.

mecum, & loquar tibi omnia mandata, caeremonias, atque iudicia. 67. 1. C.

Cap. XIX.

Num. 15. In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum. 355. 2. D.

Cap. XXXII.

Num. 11. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit. 221. 1. D. & 385. 2. D.

Num. 32. Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. 366. 2. A.

Ex Iosue.

Cap. VII.

NVm. 12. *Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. 247. 1. B.*

Cap. XVII.

Num. 15. Ascende in syluam & succide. 226. 2. C. & 1. D.

Ex Libro Iudicum.

Cap. I.

NVm. 6. *Fugit autem Adonibezec, quem persecuti comprehenderunt, caesis summitatibus manuum eius, ac pedum &c.* vsque ad 8. *Adduxeruntque eum in Ierusalem, & ibi mortuus est 281. 1. C.*

Cap. IV.

Num. 4. Erat autem Debora prophetis vxor Lapidoth, quae iudicabat populum. 316. 1. C.

Num. 5. Ascendebantque ad eam filij Israel in omne iudicium. ibid.

Cap. IX.

Num. 8. Ierunt ligna vt vngerent super se Regem, &c. vsque ad 15. *Veni, & impera super nos. 102. 2. D. & 366. 2. B.*

Num. 13. Quae respondit eis nunquid possum deserere vinum meum, quod laetificat Deum, & homines & inter ligna caetera promoueri. 366. 2. B.

Cap. XVI.

Num. 19. At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. 415. 2. A.

Ex Libro I. Regum.

Cap. II.

NVm. 8. *Domini enim sunt cardines terrae. 345. 1. C.*

Num. 30. Qui autem contemnunt me erunt ignobiles. 34. 2. A.

Cap. IX.

Num. 6. Ecce vir Dei est in Ciuitate *hac; vir nobilis. 40. 2. C.*

Cap. XI.

Num. 2. In hoc feriam vobiscum foedus meum, vt eruam omnium vestrum oculos dextros. 241. 2. B.

Cap. XIV.

Num. 43. Gustans gustaui in summitate virgae, quae erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior. 365. 1. B.

Cap. XV.

Num. 28. Scidit quoque Dominus regnum Israel à te hodie. 165. 2. D.

Cap. XVI.

Num. 12. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. 31. 1. C.

Num. 14. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam. 281. 1. C.

Ex Paralipomenon II.

Cap. XXVI.

Ex Tobia.

Cap. V.

Cap. XV.

Ex Iudith.

Cap. XIII.

Ex Esther.

Cap. I.

Ex Iob.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. VII.

Cap. XIII.

Cap. XV.

PSAL.

Ex Canticis Canticorum.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. VIII.

Ex Libro Sapientiæ.

Cap. II.

Cap. V.

Cap. VII.

Ex Ecclesiastico.

Cap. III.

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. XIII.

Cap. XXIV.

Cap. XXVII.

Cap. XXXII.

Cap. XXXVIII.

Cap. XLI.

Cap. XLII.

Ex Isaia Propheta.

Cap. I.

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. VIII.

Cap. IX.

Cap. XI.

Cap. XII.

Cap. XIII.

Ex



INDEX LOCORVM NOVI TESTAMENTI.

Oo CAP.

Ex S. Luca.

Cap. I.

Cap. VII.

Cap. X.

Cap. XII.

Cap. XIV.

Cap. XV.

Cap. XVI.

Cap. XIX.

Cap. XX.

Cap. XXI.

Ex S. Ioanne.

Cap. IV.

Cap. V.

CAP.

Ex Secunda.

Cap. II.

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. XI.

Cap. XII.

Ad Galatas.

Cap. II.

Ad Ephesios.

Cap. IV.

Cap. VI.

Ad Philippenses.

Cap. II.

Cap. IV.

Ad Colossenses.

Cap. II.

Cap. III.

Ad Timotheum.
Ex Prima.

Cap. IV.

Cap. VI.

Ad Titum.

Cap. II.

Ad Hebræos.

Ex S. Iacobi Epistola.

Ex S. Petri Epistola Prima.

Ex S. Ioannis Epistola Prima.

Ex Apocalypsi.



INDEX RERVM NOTABILIVM
QVAE IN HOC VOLVMINE
CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam, littera columnæ locum indicat.

Ad-

AGRIP-

NOTABILIVM.

Ami-

CAPILLI.

CAPTIVITAS, CAPTIVVS.

CARACALLA.

CARO.

CAROLVS QVINTVS.

CASTITAS.

CATO.

CERTAMEN.

CERVVS.

CI-

DICACITAS.

DICTVM.

DIGNITAS.

DIOCLETIANVS.

DIOGENES.

DIOMEDES.

DIONISIVS.

DISCIPLINA.

DIVES, DIVITIAE.

EVRVS.

Hercu-

Marię

MI-

MOYSES.

MV-

MVNVS.

MVNDVS.

MVSICA.

NAAS.

NATVRA.

NERO.

OBE-

PA-

per

Prin-

PROBITAS.

PRODITOR.

PROEMIVM.

PROXIMVS.

PRVDENTIA.

PVER.

Pueri-

Re-

INDEX RERVM

SA-

SAPOR.

SAVL.

SCELVS, SCELESTVS.

SCEPTRVM.

SCHOLA.

SCIPIO.

SO-

SVBDITI.

SVPERBIA, SVPERBVS.

SYDERA.

SYLLA.

TAMERLANVS.

TARQVINIVS.

TAR-

Vita

VIRTVS.

VITIVM.

VIVO.

FINIS.



